PA[illegible]TR· ELOQVEN

Ph·Melch: E·loque

PALÆSTRA
ELOQVENTIÆ LIGATÆ,

Novam ac facilem tam concipiendi, quam ſcribendi quovis Stylo poëtico methodum ac rationem complectitur, viamque ad ſolutam eloquentiam aperit.

PARTIS I.

LIBER PRIMUS.

Rationem univerſim poëticè concipiendi tradit, cum Artificio Homeri & imprimis Virgilii eorumque in concipiendo virtutibus ſimul ac vitiis expoſitis,

Cui acceſſit brevis veterum Mythologia in ordinem hiſtoricum redacta, & per indicem ad uſum ſcribentium directa.

LIBER SECUNDUS.

Rationem optimæ Elocutionis inveſtigat & exponit, traditque præcepta tam ornatè quam copiosè in Poëſi loquendi cum veterum in Elocutione Poëtarum virtutibus ac vitiis ad certæ artis Regulas expenſis.

AUTORE R. P. IACOBO MASENIO
SOCIETATIS IESU.

Coloniæ, Typis & ſumptibus Wilhelmi Frieſſem Bibliopolæ, ſub ſigno S. Gabrielis Archangeli, 1654.

FACVLTAS R. P. PROVINcialis Societ Jeſu.

EGo IOANNES ZWENBRÜGGEN Soc. Ieſu per Provinciam Rheni inferioris præpoſitus Provincialis, poteſtate mihi factâ ab Ad.m R.P. noſtro GOSWINO NICKEL Soc. Ieſu præpoſito Generali, facultatem do WILHELMO FRIESSM juxta CÆSAREUM PRIVILEGIUM, eidem Societati conceſſum typis excudendi Librum, cui titulus, *Palæſtra Eloquentiæ ligatæ*, compoſitum à P. IACOBO MASENIO ejuſdem Societatis Sacerdote, & per deputatos ad id approbatum. In cujus rei fidem haſce manu mea & conſueto officii ſigillo munitas dedi Monaſterii Weſtphaliæ Kal. Jun. Anno 1654.

JOANNES ZWENBRÜGGEN.

EPISTOLA DEDICATORIA.

SERENISSIMO PRINCIPI PHILIPPO WILHELMO

Comiti Palatino Rheni; Bavariæ, Juliæ, Cliviæ, Montium Duci; Comiti in Veldentz, Sponhaim, Marchia, Ravensberg, Mörs Domino in Ravenſtein, &c. Clem. D. S.

ACcipe SERENISSIME PRINCEPS, CLEMENTISSIME DOMINE Vellus aureum, non ex Indicis fodinis erutum, fabrorumque laboratum manibus, quale nuper ab Hiſpanico orbe SER.ti V.æ à *Philippo* ad *Philippum* tranſmiſſum eſt, ſed ex nobiliſſima antiquitate eruderatum, Muſarumque concinnatum artificio, quod non quidem Regum Principumque humeris, ſed humanis animis ingeniiſque ornandis repertum eſt. Etenim ſi à ſuis arceſſantur fontibus Velleris Aurei natales, ad Poeſin & Eloquentiam veterum ex fabulis juxta hiſtoriiſque conflatam remigrare neceſſe eſt, atque ex illis fundamentis eruere laudatiſſimi ordinis originem. Iaſoni ceteriſque heroum, quos Argo navis complexa eſt. Phocis univerſa Phryxæi, ex auro, Velleris reperti gloriam imputat.

imputat. Neque hæc ſine diſcrimine marium bellorumque, nec ſine egregio virtutis experimento collata eſt, cum monſtris hominibuſq;, marte ſimul atque arte pugnandum, vincendumque, ut poſteritati jam inde conſtaret; vellus hoc non eſſe ignaviæ tegumentum, ſed virtutum præmium ſolis heroibus debitum.

Et hoc quidem tanto majori ad V.am SEREN.tem gloria translatum eſt, quòd jure quodam hereditario ſanguinis à primo ejus ordine repertore *Philippo Bono* Burgundionum Duce hucuſq; per *Mariam* ejus ex *Carolo Audaci* fil. neptem *Maximiliani* Imperatoris conjugem propagatum fuerit. Altera enim *Maria* illius proneptis *Ferdinandi I.* Imper. filia *VVilhelmo* Iuliæ Duci thalamo ſociata V.m S.m ut ſanguinis, ſic honoris quoq; illius participē meritò poſtulat: præſertim cum eis excultum pronepotem virtutibus habeat, qui non minus egregium adjicere Ordini, quàm accipere ab eodem ornamentum poſſit. Certè in ſolis *Philippis* admiranda quædam hujus Aurati Velleris dignitas acquieſcit, cùm, ſi *Carolos* duos interponas, Audacem Belgarum, & Quintum, Hiſpaniarum etiam Principem, præter ſolum *Maximilianum* Imper. non niſi Philippos hucuſque numeres; hoc eſt, Bonum & ab eo quatuor Hiſp. Reges,

ejuſdem

ejuſdem, aut inventores, aut propagatores Societatis.

Perge Philipporum decus hoc augere Philippe,
Creſcat ab ornatu Vellus & Ordo tuo.

Sed & Poeticam hanc meam diſciplinam, ex qua Aurati Velleris natales eruuntur, ut perpetuum honoris in V.m SER.tem collati virtutumque heroicarum monumentum eſſe cupio, ſic in favoris ac benevolentiæ V.æ ſinu colligi defendique impensè optavero. Neq; ut mea fert opinio, votis fallar; ſiquidem, ut magnorum eſt Principum, Virtutum decus cultumque ſuâ obſervatione extollere; ita bonarum artium ſciẽtiarumque præſidia tueri. ſine quibus nulla diu Reſpublica antiquum ſplendorem poſſeſſionemque inviolatam obtinere poterit. illâ præſertim Latii ſermonis eloquentiâ, quâ Romani Imperii corpus, tanquam linguâ ſibi propriâ, ad juris dignitatiſq; ſuæ propugnationem hactenus feliciſſimè utitur; ut hâc ſemel excisâ, ceterorum brevi membrorum decus majeſtaſque interlapſura videatur.

Quantum verò ad liberalium harum artium incrementa, totiuſque per has Reip. Chriſtianæ defenſionem propagationemque conferat virorum Principum eximius favor præſenſque patrocinium, nemo niſi temporum hiſtoriæ-

que omnis rudis arbiter ignorare poterit; cùm Academiæ pleræque omnes, per Europam univerſam, magno numero, ac frequentia longè ſupra omnes retrò ætates maxima celebres, Regum Principumque impenſo cum favore ærario, ad eam multitudinem magnitudinemque excreverint; ut vix reperias illuſtria Principum Palatia, quibus egregia Muſarum domicilia non ſocientur. Ut proinde illi ſint bonarum quidam artium Mecœnates, ingenuarum diſciplinarum nutritii, honeſtorum morum educatores, pietatis religioniſque Chriſtianæ propagatores, verbo, patriæ ad omnem honeſtatem excolendæ patres. Quo in numero, cum ego V.am CELS.dm venerer, SER.me PRINCEPS, quæ ad hæc eadem, aut re, aut voto præſtanda connititur, elucubrationes illæ meæ ad hujuſce diſciplinæ emolumenta ſuſceptæ, à VESTRÆ SERENITATIS limine ad hoſpitium aliud divertere non poterant; cùm & à cliente natalium illi origine ſubjecto, & ejuſdem potiſſimum in ditionibus natæ, Dominum ac Patronum alterum neminem agnoſcerent, indignæ luce, ſi V.æ SER.tis lucem ſubterfugerent.

Quanquam neque alia, eaque haud paulò gravior, deſit ratio. Quòd illam, quam hic in liberalium diſciplinarum profeſſione atque ex-

colendæ

colendæ ad literas religionemq; juventuti So-
cietas IESU navat operam, fructumque ad pa-
triæ emolumentum colligit, hunc poſt SER.m
piæ mem. parentem Wolffgangum Wilhel-
mum V.æ CELS.di inprimis debeat; ut iccirco
ſpicas haſce tenuioris Eloquentiæ, illius in agro,
nutuque collectas, V.æ manere, dedicarique
SER.ti voluerim, tanquam æternas grati animi
memoriæque tabulas, quas ſi eo, quo dantur
animo acceperit, favebit juxta ab fovebit.

Antiquitatis nobile cimelium eſt Annulus
Pyrrho Epirotarum Regi oblatus, qui in Acha-
te gemmâ naturæ ingenio ſupra omnem artis
induſtriam elaboratâ, pulcherrimam exhibe-
bat Apollinis inter novem Muſas, ſuis quaſque
lineamentis ſcitè expreſſas, imaginem, quâ tan-
tò magis delectatus eſt, quod egregium ipſius
erga literas animum, hoc prodigioſo naturæ
partu Dii ipſi autores conteſtari viderentur. Et
ſanè, ut ceteræ virtutes heroi iſti defuiſſent,
gemma hæc unica in theſauros Regis translata,
ſatis erat ad æternitatem famæ ac nominis Pyr-
rho conciliandam. Equidem, SERENISSIME
PRINCEPS, ejuſdem V.æ CELS.di Apollinis
Muſarumque imaginem quandam defero, ſi
non in Achate gemmâ, certè in libello non ma-
gno adumbratam, artis rudiori quodam peni-

cillo, non naturæ beneficio ductam, atque ex veterum juxta recentiorumque ingenio concinnatam, quam niſi conſueto patrocinio indignam habeat, niſi à benevolentia ſummis infimiſq; impendi ſolita excludat dicatam ſuo nomini conſecratamque poſſidebit, cum voto; ut non libris ſolum, virtutum ſuarum præconibus, ſed & liberis earundem vivis exemplaribus, ad æternam poſteritatis memoriam propagetur. Ita vivat & valeat. Düſſeldorpii Anno ſalutis Christi cIↄ Iↄ CLIV. 4 Iduum Auguſti.

Humillimus V.ræ Ser,tis *ſervus*

Iacobus Masenius S. I.

AD

AD LECTOREM.

ACtum non egi, Amice Lector, ut quod eruditè olim Scaliger, Donatus, Voſſius, aliique, id, tanquam recoctam ſæpius crambem, apponerem. Si pauca dempſeris, quæ ordinis nexuſque gratia præterire non debui, alia comperies omnia, quæque ad ipſam Eloquentiæ exercitationem ducant proximè, cum arte præſidia. Multi per præcepta iter ad Eloquentiam longum putant, brevius per exempla. Ego utrumque ad perfectionem facere planè ſentio. Raros ad poeſin naſci, formari multos. Exempla cœco quodam ductu impellere, artem cautè regere: hanc cum illis rectiſſimè ſociari. Quocirca laborem hunc meum, inter ſcholaſticos potiſſimum natum pulveres, impenſumque per octennium formandæ ad Eloquentiam adoleſcentiæ, juris denique publici eſſe ſivi, ut ejus, ſiqua eſſet utilitas, manaret ad plures; nec, cum voce atque autore, bene de proximo merendi ratio intercideret. Porrò non ligatæ tantùm, atque ad metrum adſtrictæ Eloquentiæ. hoc mei, quantulumcunque eſt, operis deſervire, facilè intelliges; cum animadverteris præcipuum ſolutæ oratinis ſuccum, hac præſertim cultiſſima, & protriti ſermonis faſtidioſa ætate, ex Poetarum amœnis viridariis floribuſque decerpi: tum deinde iiſdem naſci extollique liberam dictionem fontibus, quibus nos ligatæ vim dignitatemque deprompſimus. Obſervabis denique me nonnunquam laudatiſſimos veteris famæ ætatiſque Poetas ad cenſuram vocaſſe liberius, præſertim altero de elocutione libro. Verùm cum in aliis hoc factum vix ſit, niſi quos lectu digniſſimos habui, intelliges non ſtudio obtrectandi, ſed uſum eorum commendandi,ælioraque à deterioribus ſecernendi, id à me laboris ſumptum eſſe: ne juventus rudior, vitia quandoque pro virtutibus amplecteretur, ac dediſcenda diſceret. Neque enim laudare hos poſſum, qui priſcos quoſdam autores, vel univerſim damnant, vel ab omni errore abſolvunt. Ex multis floribus, ſedulæ apes optima quæque delibant, tranſmittunt cetera. Quod ſiquis alicubi mecum non ſenſerit, certiora ſtatuat principia. meamque illi ſententiam addico. Diſſentire à pauciſſimis cupio, prodeſſe quamplurimis.

INDEX CAPITVM.

LIBER I.

De ratione, facilitate & copia Poeticorum conceptuum. Cum Virgilii, & fabularum methodica expoſitione.

CAput I. De nomine & officio Poetæ. pag. 1
Cap. II. De natura, & cauſis artis Poeticæ. 3
Cap. III. De inventione, & conceptibus artis Poeticæ. 4
Cap. IV. De fictione Poeticæ ejuſque natura. 5
Cap. V. De varietate fictione earumque diſtinctione. 7
Cap. VI. De fictionum Poeticarum veriſimilitudine. 9
Cap. VII. De veterum recentiumque Poetarum in fingendo erroribus. 11
Cap. VIII. Prima ratio, ac via inveniendi, exornandique fictiones. 17
Cap. IX. Altera fingendi exornandique Poeſin ratio. 19
Cap. X. Modus variè ornatéq; fictionem exponendi. 21
Cap. XI. Delectatio fictionibus concilianda, per raritatem. 23
Cap. XII. Delectatio fictionibus per varietatem conciliatur. 30
Cap. XIII. Delectatio fictionib. per amœnitatem conciliatur. 34
Cap. XIV. Ratio Poetici conceptus formandi. 35
Cap. XV. Exemplo declaratur hæc concipiendi ratio. 38
Cap. XVI. Poetarum Principis exemplo concipiendi ratio magis exponitur, reſolutâ Æneide, & ad imitationem rudioribus formata. 47. & ſeq.
Cap. XVII. Poeſis rerum inanimatarum & irrationabilium, concipiendique in iiſdem ratio. 62
Cap. XVIII. Poeſis perſonarum rationabilium & concipiendi ratio, in bonis præſertim internis externiſque. 66
Cap. XIX. Ratio concipiendi in rebus hominis indifferentibus ac neceſſariis. 71
Cap. XX. Particularium poematum varii conceptus, quos juxta expoſitam fingendi rationem exornare licet. ubi de Genethliacis, Epithalamiis, Soteriis, Propempticis, Euchariſticis, Panegyricis, Epitaphiis &c. 75 & ſeq.
Cap. XXI. Brevis totius Mythologiæ ad conceptus veterum intelligendos, novoſque formandos complexio.
Cap. XXII. Cœli ejuſque progenies. 85
Cap. XXIII. De Saturno Titane Gigantibus eorumq; poſteris. 90
Cap. XXIV. De Iove, Iunone eorumque poſteris 95

Cap.

Cap. XXV. De majorum Deorum ex Iove poſteritate. 103
Cap. XXVI. De Iovis fratribus ac ſororibus eorumque poſteritate. 116
Cap. XXVII. De ſignis cœleſtibus fabulosè in cœlo cõſtitutis. 123
Cap. XXVIII. De Tantali poſteritate in Græcia regnante, ſeu ſtirpe Pelopidarum. 1 6
Cap. XXIX. De Hercule ejuſque poſteritate, ſeu ſtirpe Heraclidarum. 128
Cap. XXX. De ſtirpe Trojanorum, eorumque cum Græcis bello & heroibus in illo præſentibus. 133
Cap. XXXI. Thebanorum Principum linea & poſteritas. 140
Cap. XXXII. De Regibus Athenienſium eorumq; poſteris. 143
Cap. XXXIII. De Theſſaliæ Regibus & Argonautarum expeditione. 144
Index, & Applicatio fabularum Poeticarum ad exempli vel ſimilitudinis poeticæ uſum Alphabetico ordine. 153. & ſeq.

LIBER II.

De Elocutione Poeticæ ratione, facilitate & copia.

Cum veterum Poetarum cenſurâ, & delectu optimi.

CAp. I. De cultu ornatuque ſermonis ejuſque haud difficili ratione aſſequendi. 169
Cap. II. Quæ in ipſo vocum delectu ac compoſitione obſervanda ſint. 175
Cap. III. Facilis ad vocum delectum varietatemque copia brevi carmine ſynonymorum congeſtorum aperitur. 177
Cap. IV. De ornatu vocum, illo præſertim, qui à Metaphora ducitur. 184
Cap. V. Cenſura veterum, ad rectum uſum Metaphoræ inprimis dignoſcendum. 187
Cap. VI. Novi audaciſq; Poëtæ in Metaphoris cenſura. 194
Cap. VII. In quo carmine tropi, & allegoriæ audaciores locum habeant, cum cenſura Perſei. 197
Cap. VIII. De facili epithetorum copia & varietate comparanda. 200
Cap. IX De ornatu & delectu epithetorum, cum veterum Poetarum cenſura. 204
Cap. X. Fontes unde rariora epitheta hauriuntur, ad facilem uſum patefiunt; præcipuis orbis locis, regionibus, fluviis, montibus, urbibus, rebuſque illic abundantibus carmine complexis. 211. & ſeq.

Cap.

Cap. XI. De ſententia ac phraſi poetica, quemadmodum hæc variari, extolli amplificarique variè poſſit. 222
Cap. XII. De ſyntaxi phraſis poeticæ, ejuſque copia, uſu & varietate, cum cenſura Statii. 228
Cap. XIII. De inventione uſu & elegantia ſententiarum gnomicarum. 234
Cap. XIV. De uſu & abuſu ſententiarum argutarum, cum veterum, ut Virgilii, Ovidii, Senecæ, tum recentium poetarum cenſura. 241
Cap. XV. De Poeſios decoro, ejuſque ad res affectuſq; compoſitione. 252
Cap. XVI. Figurarum in poeſi vis ac varietas. 255
Cap. XVII. Comparationis in poeſi vis atque ornatus. 259
Cap XVIII. Comparationis à ſimili ſuppeditata varietas cum raris quibuſdam naturæ miraculis &c. 263
Cap XIX. Comparationum ab exemplo ſuppeditata copia. Adjunctis in carmine Ordine Alphabetico rariſſimis veteris hiſtoriæ exemplis. 271. & ſeq.
Cap. XX. De patronymicis eorumque in exemplis uſu, cum præcipuis veterum in verſus redactis. 289
Cap. XXI. De ordine, compoſitione, ac numero ſententiarum, periodorum, & orationis totius poeticæ. 297
Cap. XXII. De licentiis Poetarum, earumque recto ac perverſo uſu, cum adjuncta cenſura Virgilii. 306
Cap. XXIII. De ſtylo ſeu charactere ſcribendi triplici, tum ratione quemlibet aſſequendi, vitatis contra ſe offerentibus vitiis. 312
Cap. XXIV. Exemplis diſtinctio characteris triplicis magis illuſtratur. 317
Cap. XXV. Practica amplificandæ elevandæque phraſis poeticæ demonſtratio. 324
Cap XXVI. De varia & optima bonos autores imitandi ratione. 329
Cap. XXVII. De carminum varietate, diſtinctione, ac ratione etiam inveniendi. 333
Cap. XXVIII. De compoſito carmine, ejuſque tum apud veteres, tum recentes varietate. 341
Cap. XXIX. Compoſitio metrorum rhytmica, aliaque novorum generum. 346

PARTIS

PARTIS PRIMÆ
LIBER I.
De inventione & conceptibus artis Poëticæ.

ARtem, in qua plures ingenio ac laude ſingulari hactenus verſati ſunt, viâ ac ratione, à ceteris aliquantum diverſâ, ſed, ut exiſtimo, facillimâ breviſſimâque aggredior. nec quicquam ferè ad illius perfectionem, ab ipſis ducendam principiis, intactum prætereo. Veterum ita preſſi veſtigia; ut ſi Romano ore loquendum ſit, id non aliis, quàm eorum verbis ſententiiſque uſitatis faciendum duxerim; ne fingendi novandique in his licentia à receptis hujus linguæ principiis temerè deficiamus. At illorum inſtituto invenire, fingere, diſponere omnia, non præceperim, niſi cum ratione, noſtrâque vivendi diſciplinâ, conveniant. In elocutione verborumque enuntiandorum formulis ceſſat ratio, ſolâque impoſitione primâ nominum acquieſcendum eſt. cetera ad æqui prudentiſque viri judicium, ad vitæ morumque præſentium regulas expendenda erunt. Pauci hucuſque conceptuum fictionumque Poëticarum leges, atque artem ſunt proſecuti: cum tamen hæc potiſſimum anima ſit, quâ ſpiret poëſis, atque à ſoluta eloquentia ſeparetur: ut proinde hunc mihi laborem aliquantò moleſtiorem ſumpſerim: veterumque etiam fabularum uſum ad imitationem, ſuâ tamen cautione munitam, exemplis traduxerim Ita & in ipſa elocutionis ratione, ab ipſis principiis, tam copiam quàm ornatum loquendi. neque pauca, ſive conceptuum, ſive eloquentiæ adjumenta rudioribus in hac diſciplina vatibus ſuppeditavi. Scopulos etiam utriuſque facultatis, in quos veteres juxta ac recentes impingerent, nonnullos detexi. Quibus ſi rectè uſus fueris, neque doctior tantùm, ſed & melior evaſeris, meum abundè laborem penſaſti.

CAPUT I.

De nomine, & officio Poëtæ.

Conſtat Poëtas ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, hoc eſt faciendo, vel fingendo dictos. Poëma, ipſum opus, quod conderent, ut Æneis, appellatur. Poëtica ars ſeu mentis facultas, qua poëmata conciperent, dirigerentque. quam multi ſcriptis libris expoſuerunt. Poëſis denique ipſa concipientis actio vocatur; quanquam & pro Poëmate, ſeu opere facto, promiſcuè uſurpetur. Hæc omnium ſententiâ facilè ſtatuuntur. verùm acris inter Grammaticos contentio eſt. an potius à carmine faciendo, quam fabulis confingendis Poëta dicatur, atque ab oratoribus hiſtoriciſque differat?

Ariſtoteles ſanè, cujus ſumma apud omnes autoritas, in arte ſua, (a) *Hiſtoricus*, inquit, *& Poeta, non quod cum metro, aut ſine metris dicant, differunt. liceret enim Herodoti ſcripta metro componere, & nihilominus hiſtoria quædam eſſet.* Et alibi (b) Empedoclem, carmine res naturales complexum, *Phyſiologum potius*, *quàm Poetam* dicendum aſſerit.

Et aſſentitur Horatius (c)

Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe Poetas,
Excerpam numero: neque enim concludere verſum
Dixeris eſſe ſatis &c. His ego quæ nunc,
Olim quæ ſcripſit Lucilius, eripias ſi
Tempora certa, modoſque, & quod prius ordine verbum eſt
Poſterius facias, præponens ultima primis.
Non, ut ſi ſolvas: Poſtquam diſcordia tetra
Belli ferratos peſtes, portaſque refregit;
Invenias etiam disjecti membra Poetæ.

Requirit uterque præter metrum præſtantius aliquod, quo Poëta ceteris excellat. Et ille quidem de fabula in poeſi dicit c.6. quod ſit ἀρχὴ καὶ οἷον ψυχὴ, id eſt principium, ac velut anima. Hic de Poëta ait:

Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os
Magna ſonaturum, do nominis hujus honorem.

Nimirum & grandior elocutio, & divina fictione mens, quâ videlicet Deum ex nihilo aliquid formantem imitatur, Horatio placuit.

Verùm

(a) c.7. Poetic. (b) cap. 1. (c) 1. Serm. Sat. 4.

Verùm pugnare cum hac doctrina videtur, recepta in vulgus ſententia, quâ Poetarum numero accenſentur, quotquot metro orationem illigarunt, quòd modulatam ad numeros elocutionem regerent, cantuque, extra oratorum hiſtoricorumve cenſum haberentur. Secus verò qui ſoluta oratione fabulas complexi ſunt; quemadmodum Heliodorus, Apulejus, aut Achilles Tatius, à Poëtarum tribu ſemoventur; quod habitus ille orationis numeroſæ deſit.

Quocirca hanc litem ita abſolvendam cenſeo, ſi poëma homini ſimile eſſe ſtatuero, quod ſuo quodam corpore, atque etiam anima conſtet. quarum partium, licet anima nobilior ſit, vocis tamen appellatio potius corpori adhæreſcat, ut quod in ſenſus ſeſe primum infert. Mortuo corpori, hominis etiamnum vox tribuitur Poëta qui ſine fabula, tanquam ſine anima, condit Poëmata, nomen non amittit. Ariſtoteles igitur atque Horatius abſolutum perfectumque poëma tanquam hominem in Poëta requirunt. vulgo ſufficit à ſigno obvio nuncupationem ſumere. Illi verò etiam de Epica Dramaticaque poeſi agunt potius (velut præcipuis artis poeticæ membris) quàm ut omnem univerſim Poëſin ſpectent, quæ in Epigrammaticis atque Elegiacis, tum Lyricis ſæpe & Heroicis, ubi hymni, encomia, Satyræ panguntur, fictione deſtituitur. à nobilioribus igitur poëticæ partibus ac functionibus Poëtæ appellationem ducunt, penè ut pictor, ex ſuperiori hominis parte, illius figuram exhibet.

Ex his opinor, intelliges. tria potiſſimum ad Poetam abſolutiſſimum requiri. Metrum, orationem minimè vulgarem, & idoneam fictionem. Horum igitur nullum, in hac artis tractatione, nobis erit negligendum.

CAPUT II.

De natura & cauſſis artis Poeticæ.

NAturam Poeticæ ita rectè deſcripſeris. Eſt *facultas quæ oratione metrica, rem quamlibet veriſimiliter & accommodè ad delectationem atque utilitatem audientium exponit.* Convenit hæc cum Diomedis definitione. qui Poeſin appellat *Fictæ veræve narrationis, congruenti rhythmo, compoſitam ſtructuram metricam, ad utilitatem voluptatemque accommodatam.* De *metro* ad hanc artem neceſſario, paucis diſſentientibus, qui ſolutæ orationis fabulas ad Poeticam admittunt, omnes conſentiunt; niſi quod

in Comœdia liberiori numero Poetæ, evagentur, nec multum à ſoluto oratore abſint.

Per *rem quamlibet*, intelligo honeſtam omnem, quæ finem poetices, qui eſt, *prodeſſe ſimul ac delectare*, non deſtruat. Vnde tam divina, quàm humana, & in his tam naturæ & artis opera, quàm actiones hominum, quibus formandis potiſſimùm hæc facultas deſeruit, univerſim admittuntur.

Veriſimiliter dico, quod veritas hiſtorica in Poetarum narratione non requiratur; ſed liceat Poetæ ex ſuo ingenio rerum circumſtantias appoſitè ad veri ſimilitudinem effingere; ut illuſtriori imagine rem oculis ſubjiciat. De qua veriſimilitudine infra copioſius. Denique hinc naſcitur, quòd cum delectatione apta ſit monere, aut inſtruere auditorem, per appoſitam explicatamque rerum exponendarum imaginem, vivis quodammodo coloribus hujus artis expreſſam. Horatii monitum eſt. *(a)*

Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci,

Lectorem delectando, pariterq; monendo. Hic ſcopus Poetæ eſt. Aberrant ſanè qui delectationem aliam, quàm honeſtam in rebus turpibus venantur. Quomodo enim hi finem ſuum aſſequentur, qui eſt prodeſſe ſimul & delectare? Planè homines profligatæ ſimul vitæ ac verecundiæ tales eſſe oportet, qui ſacram hanc gymnadem tanquam lupanar adeunt, in qua Laides pro Muſis colant, Cynthiaſque, nocte digni, venerantur. Enimvero hi leones, nec in Epicuri quidem ſchola hoc nomine tolerati *(b)* everſores potius, quàm aſſertores poeſios habendi ſunt.

Ex his cum natura, cauſas Poeticæ utcunque perſpicies, materia enim ſunt res univerſæ, ſecluſis turpibus; forma, appoſita ad veriſimilitudinem rei expoſitio oratione metrica; efficiens, mens humana arte inſtructa; finis, utilitas cum delectatione honeſta conjuncta.

CAPUT III.

De inventione & conceptibus artis Poeticæ.

DIfficilem atque obſcuram hactenus ſuiſque præceptionibus indiſtinctam Poeſios partem, quæ de Inventione eſt, paulò enucleatius tractandam ſumo. Perbrevis tamen, quantum licet, futurus, atque ad ipſos ſolum conceptuum & inventionis fontes avidum lectorem ducturus. Principem facilè locum in hac arte occupat Inventio: nihil enim eſt in quo perinde indoles fe-licitaſ-

[b] *Heraclides Ponticus.*

licitaſque Poetæ eluceſcat. Vt à multis exiſtimatum fuerit, impetu hanc magis afflatuque quodam mentis divino, quàm arte ac labore obtineri. & iccirco hujus artis Magiſtri præceptis ferè abſtinuerint, fortè nec certas repererint regulas, quibus Inventionis ſtudioſum in fictionibus ducerent. Verumtamen, ut multum ingenio naturæque quorundam tribuam, magnopere hanc ego artem præceptionibus juvandam firmandamque ſtatuo. Quocirca ad illud animum imprimis intendam, ut quemadmodum appoſita ad delectationem & perſuaſionem fictione uti Poeta queat, id nunc univerſim inquiram, in ſingulis carminum generibus acturus ea de re ſpeciatim.

Multum diſcrepant, 'nventione & conceptibus, ligata & ſoluta oratio. Dionyſius Halicarn. ſua in arte, inquit, *Non eadem eſt carminis & ſolutæ orationis tractatio; ſed uti metris, ita & conceptibus animi diſtinguuntur.*

Inventio autem vel totius eſt operis, ſive poematis, vel ſingularum ejus partium. Si totius ſit poematis, neque imperata ſit Poetæ ſcribendi materia, id curabit, ut ei quod cogitat carminum generi, idoneam reperiat. ne Proſerpinæ alicui, cum Claudiano, laborem ſuum ornatumque impendat. Vel ſi aliquid aſſumat humile, id tale ſit, ut appareat de induſtria ſumtum, quò eloquentia niteſcat. qualis illud Naſonis de Aranea, quod & nos imitatione ſecuti ſumus, aliaque id generis in Metamorphoſi uſurpata Si verò imperatum poema canat, meminerit antè, quo id carminis genere aptius exornari poſſit: ne leves an œnaſve res heroica tragicave gravitate obruat, & Hiſtrioni alicui cothurnos, aut verò etiam Herculi ſoccos inducat. Expendat

——— *Quid ferre recuſent,*

Quid valeant humeri?

Minor ad tangendam Lyram, tibiamque, quàm tubam inflandam labor eſt. hæc plus ſpirituum, & artis, & robuſtiora exigit latera. rem amplam magnificamque niſi heroicis numeris, rectè non aptaverit. Deinde in ipſo poematis texendi decurſu, ne à propoſito evagetur longius, ſui argumentique aſſumpti immemor, quod proclive eſt fabularum ornamentis deſcriptionibuſque intento. Digreſſiones ſiquæ occurrant (ut eſt illa apud Virgilium Dædali lib. 6. & Caci deſcriptio lib. 8.) breves ſint, infrequentes, atque ex re natæ; ut offerre ſe potius, quàm accerſiri ſtudioſè videantur.

Partes, quæ membra quædam poetici ſunt corporis, quoad ſubſtantiam cum Inventione totius conjuncta ſunt; quoad ornatum verò opportunis etiam fictionibus, ſimilibus, exemplis, comparatis, contrariis, rerum, locorum, temporum, perſonarumque graphicis deſcriptionibus diducuntur, ſimul atque excoluntur. Cum autem conceptuum, ut totius, ita partium, ratio potiſſima ex fictionum varietate ornatuque pendeat, de his ante omnia agendum eſt.

CAPUT IV.

De fictione Poetica ejuſque natura.

FIctionem animam eſſe poeſios, ſolâque hujus gratiâ abſolutum cenſeri Poetam; non modo Ariſtoteles, & Horatius ſua in arte tradidit; ſed & Plato in Phædone ſtatuit, ποιεῖν μύθους, fabularum artificem eſſe Docetque, quod ante omnia hoc loco obſervandum ducimus, occupari illum, non circa res exiſtentes, ſed περὶ τὰ τῶν ὄντων εἴδωλα, circa rerum exiſtentium ſymbola, vel ſimulacra. Quocirca & Poeticam alibi μιμητικὴν imitatricem rerum per fictionem; alibi εἰκονοποιὸν effectricem imaginum appellat. Vnde & Poſſidonius apud Laertium in Zenone, eandem definit ποίησις ἐστι σημαντικὸν πόιημα, μίμησιν περιέχον θείων, καὶ ἀνθρωπείων. Poeſis, eſt ſignificativum figmentum. imitationem complectens divinarum humanarumque rerum. Quæ licet perfectiori tantùm poeſi competant; tamen quid de fictione ejuſque natura, ex Platonis & Poſſidonii ſententia, ſtatuendum ſit, minimè obſcurum relinquitur.

Quare cum eodem Platone ad fabulam, aut fictionem omnem requiro; ut, quemadmodum loquitur, εἰκαστικὴ καὶ μιμητικὴ ſit, hoc eſt, ſimilis operis efformatrix, ac imitatrix rerum. ſive, quæ imaginem, pictoris inſtar aut ſtatuarii ad res apta repræſentatione exhibendas fingat. Recte enim Horatius. (a)

——— *Vt pictura, poeſis*

Vnde & Poeſin alii paucis definiunt ex Ariſtotele eſſe *Imitationem nerum.* Quanquam homines (ut idem de arte loquitur) οὐχ ὡς τοὺς κατὰ μίμησιν ποιητὰς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ μέτρον προσαγορεύοντες, non quidem ſecundum imitationem Poetas, ſed communiter ſecundum metrum appellent.

[a] *ad Piſones.*

Ex his manifeſtum eſt, fabulam fictionemve nullam erudito Poetæ uſurpandam, quæ vel hiſtoriæ, aut rei cum laude geſtæ ſpeciem atque imaginem non habeat, vel figurata rerum ſimilitudine alterius veritatis occultæ ſignificativa non ſit. Hinc enim imitatio rei alterius, hinc ſimulacrum, hinc ſignificativum figmentum dicitur. Et verò ratio ipſa ſuffragatur: quis enim ferat, ab homine docto ac ſapiente, ad eruditionem aliorum, aniles ductaſque à colo fabulas obtrudi, quæ nihil ſolidæ veritatis, nihil ſucci ſanguiniſque, pro ſapientia, adferant? Hoc indoctæ nugaciſque plebeculæ, non purgati excultique cerebri commentum ſit.

Fundamenti igitur loco hæc nobis doctrina eſſe debet, quæ deinde ad vitandos proprios, alienoſque errores agnoſcendos ſufficiat, laboremque noſtrum certa arte fulciat. Fingendæ omnino fabulæ erunt, tanquam illuſtres quædam rerum exponendarum imagines, quæ novitate atque admiratione primùm lectoris animum rapiant, deinde ad latentem veritatem inveſtigandam excitent, quæ tantò altius inſideat, quantò attentius quæſita innotuit. *Fabulas*, inquit Albertus Magnus [a] *Poeta fingit, ut excitet homines ad admirandum, admiratio excitat ad inquirendum, ut ſciatur cauſa ejus, de quo mirantur.*

CAPUT V.

De varietate fictionum earumque diſtinctione.

DUplex potiſſimum fictionis genus eſt; alterum per ſe, alterum per accidens fictum. Per ſe fictum eſt, cujus tota ſubſtantia fictitia eſſe cognoſcitur, eò quod veri ſimilitudo deſit. ut Æneæ ad campos Elyſios tranſitus, & vivi cum mortuis ſermones. Et hæc nonnunquam totum poema complectitur; ut raptus Proſerpinæ apud Claudianum. Medea apud Senecam: nonnunquam in parte adhibetur, ut quæ de Elyſiis campis, quæ de Harpyjis, Circe, aliiſque, apud Virgilium, eſt fabula. nonnunquam denique per omnes partes ſpargitur; ut quæ de Iunone Æneam perſequente, de favente ipſi Venere, ac Iove, inter utramque partem medio eſt, fictio per totam Æneidem diffunditur.

Per accidens ficta ſunt, quorum ſubſtantia veriſimilis eſt; licet reipſa nunquam poſita fuerit. quod factibili per ſe rerum naturæ

[a] *In Metaphyſ. tract. 2.*

naturæ evenire potuit. Sic epiſodia tempeſtatis, Carthaginis portus marini & prandii in lib. 1 Æneid quæ vel hiſtoria, vel inſtar ſunt hiſtoriæ; talibus adjunctis deſcribuntur, quæ rem illuſtrent ſimul ac veriſimilem relinquunt. Satis enim Poetæ eſt, quòd credibile lectori faciat, rem hoc pacto evenire potuiſſe.

Dividitur 2. fabula in naturalem & moralem, idque tam ratione materiæ, quàm formæ. Ratione materiæ quidem illa naturalis dicitur, quæ ficta quædam ſubſtantia, aut accidens eſt. & in hoc genere Poeta Deum utcunque imitatur; dum, ut ille creando, ita hic concipiendo, aut fingendo, novas aliquas admirandaſque rerum eſſentias machinatur. Ita Pegaſus, Gorgones, Chimæra, Cerberus, &c. creaturæ quædam (ſic loquar) Poetarum ſunt. Moralis fabula dicitur, quæ actiones rerum fingit: ut Æneæ Elyſios campos ſubeuntis introitus. Naturalis ſimul & moralis ratione materiæ eſt, quæ utrumque complectitur, ut Charon animas Cymba ad Inferos tranſmittens. Hoc autem figmenti genus latius patet, quàm creatæ res univerſæ, imò verò etiam poſſibiles, ut infra de veriſimilitudine trademus, quia Poeta & ſimilia illis quæ Deus fecit, fingere poterit; & his etiam plura, ac diſſimilia, imò & impoſſibilia, ut Chimæra habetur.

Ratione formæ, id eſt, repræſentationis veritatis à ſe diverſæ; vel naturalis eſt, cum rem naturalem fabula ſignificat: e. g. Iovis & Iunonis conjugium ignis & aeris conjunctionem. Iunonis iræ, aeris tempeſtates deſignat: & hæc potiſſimum intellectum cognitione rerum inſtruit vel moralis, quæ actiones hominum ſignificatione exponit. quales pleræque ſunt fabulæ; ut quæ ad mores hominum formandos potiſſimum repertæ ſunt, & hujuſmodi fictiones affectus noſtros moderantur, ac recti exemplis dirigunt. Vt cum Æneas Anchiſen humeris Trojâ efferre fingitur, quò pietatem erga Parentes doceamur. Vtraque hæc, quæ ratione formæ eſt diviſio, & propriè naturalis, aut moralis fabula dicitur, tam ex illa materia quæ rerum, quàm quæ morum eſt, ſumi poterit. Nam ut illa de Ænea parentem ferente, de moribus, ad mores adumbrandos, ſumpta eſt: ita e. g. ficta Megæra, ſerpentibus crinita, ad furioſum hominem exprimendum, & hydra ſepticeps, aut Geryon tricorpor, ad plurium capitum aut regnorum conſpirationem indicandam ſpectat.

CAPUT

CAPUT VI.

De fictionum Poeticarum veriſimilitudine.

FIctio omnis, etiamſi rerum eſſet impoſſibilium, debet veriſimilis videri, ſivè talis quæ eſſe, ac fieri poſſit; ex mente Philoſophi(a) *προαιρεῖσθαί τε ἀδύνατα καὶ εἰκότα, μᾶλλον ἢ δυνατὰ ἀπίθανα.* Eligere impoſſibilia & veriſimilia convenit potius, quàm poſſibilia & incredibilia. Nam Poetis hoc inprimis propoſitum eſt, ut aptè imitentur rerum ſignificandarum naturam, quód fit per appoſitam imaginis fictionem, ut Plato(b) *μίμησις ποίησίς τίς ἐστιν εἰδώλων.* Imitatio effectio eſt imaginum. Quare non curat ſpectator ex quibus coloribus imago compoſita eſt, ſed quam aptè repræſentet. uti Iris, licet ſine veris coloribus, imaginem tamen picti arcus exhibet.

Duplex autem veriſimilitudo diligenter hoc loco obſervanda eſt, quarum una hiſtorica, altera figurata dici poterit: illa eſt rerum geſtarum, quando ea ratione exponuntur, quâ geri potuerunt: atque ita ſuis adjunctis ſingulatim narrantur omnia, ut ſi Poeta illa præſens ſpectaſſet; ſive revera acciderint, ſeu fuerint tantùm cogitata. Altera rerum eſt, quæ in ſe fictæ videntur, licet ad rei veræ ſimilitudinem; aliam tamen à ſe diverſam veritatem ſignificant, ſimulacro Alexandri ſimilia, quod licet humanum nihil in ſua natura habeat, ſignificatione tamen herois illius ſpeciem ſtaturamque exhibet. Et talis fabula magis propriè quam illa *μίμησις* ſive imitatio per fictionem, *εἰκὼν* imago, *εἴδωλον* ſimulacrum, *ποίημα* figmentum, *σῆμα* ſignum à veteribus appellatur: quæ rurſum in propriam ac metaphoricam, ſive allegoricam dividitur. Propria, eſt ficta quædam imago rei quæ nunquam fuit, eſſe tamen ejuſmodi, ut fingitur, potuit. talis Equus Trojanus ejuſque in urbem inductio: Metaphorica eſt, quæ rem á ſe diſſimilem translatè repræſentat: Talis fictio eſt, quod Pallas ex Iovis ſit nata capite, ſignificans Sapientiam in capite naſci. Eandem verò armatam adultamque prodire, indicat, arma non ſine maturo conſilio, & priuſquam bello idonea ſint, in lucem proferenda. Tales & Imagines Vitiorum Virtutumque ac Regionum. e. g. Iuſtitiæ, quam tuo in Poeſi arbitratu fingere licebit. Veſti ſanguineæ candidam adjunges, quæ illius inter ſævitiam & remiſſionem deſignet mediocri-

(a) *Ariſtoteles c. 22. Poet.* (b) *In Soph.*

diocritatem. bilancem ſiniſtrâ, dextrâ gladium olivamque implexam ſuſtineat, quâ ex æquo pœnas & præmia tribuere cognoſcatur; fronte cœcâ, ſed oculato pectore; quòd ſine perſonarum reſpectu, deliberato tamen animo, quæque exequatur. Talis & aureus ille ex nemore ramus; quem à columba Ænea Poeta oblatum refert; & Cupido pro Aſcanio munera Didoni offerens. & Circe apud Homerum Vlyſſis ſocios in porcos vertens.

Perfectiſſima tamen illa eſt fabula, quæ veriſimilitudinem non minus hiſtoricam, quam purè fictitiam complectitur. ſiquidem ad delectandum magis apta, tum ſuſpenſum lectorem detinet, atque inexſpectata & latente magis eruditione capit: Talis eſt fabula de Vlyſſe. quem, ut oſtenderent falli etiam poſſe prudentem, in rebus propriis cæcâ affectione progredientem: fingunt, ſimulatâ ſtultitiâ, littus araſſe diverſi generis animalibus; ſed objecto ad aratrum per Diomedem filio; cum parceret, ſimulationis deprehenſum; quòd ad propria commoda pauci cœcè diſſimulent. Illuſtris verò & illa Homeri fictio, quâ ad Sirenum cantus alligatus malo, obturatiſque auribus præteriit Vlyſſes; & contra, quâ guſtantes in Africa locum ſocii avelli loco non potuêre; quod illâ aptè voluptatem fugiens; hâc capti deliciis exhibeantur, ſimulque hiſtoriæ quædam veritatis ſimilitudo reperiatur.

Ariſtoteles, cùm in arte ſua Poeſin dividit, κατὰ τὸ εἰκὸς, ἢ κατὰ τὸ ἀναγκαῖον, ſecundum id, quod eſt veriſimile, vel quod eſt neceſſarium: oſtendere voluit, etiam in fictione Poetam ſæpe, quæ neceſſariò fiunt, vel facta ſunt exprimere. Vnde ſi Chriſtianus Poeta hiſtoriam Ionæ carmine complecteretur, triduum, quo in piſcis ventre latuit, prætereundum non eſſet; etſi ethnico homini illa, nec hiſtoricè, nec poeticè veriſimilis videretur. Eſt enim hæc ſecundum neceſſarium. Simili tamen fictione in diverſa hiſtoria, præſertim profana, utendum non cenſerem: ut ſi Carolum quintum tempeſtate in Algeriana expeditione jactatum, à ceto devoratum rejectumque Poeta fingeret. neque enim ſecundum neceſſarium, neque ſecundum veriſimile imitaretur. non enim in quavis perſona, vel hiſtoricè, vel poeticè eſt veriſimile, quod aliquando reipſa factum eſt, & alibi figuræ vim ſignificationemque obtinuit: uti in Iona triduana Chriſti ſep ultura adumbrata fuit. Et hæc ex ſententia Ariſtotelis, juxta recta ratione, ſtatuuntur. neque enim ſatis eſt poſſibilia eſſe quæ

dicun-

dicuntur;ſed eadem videri credibilia debent: δυνατὰ ἀπίθανα rejiciuntur.ⁿ Horatii eſt de arte;

Ficta voluptatum cauſâ, ſint proxima veris.
Nec quodcunque volet, poſcat ſibi fabula credi.

CAPUT VII.

De veterum recentiumque Poetarum in fingendo erroribus.

AD veterum recentiumque Poetarum in fictionibus errores deprehendendos, illud præter jam dicta obſervandum erit. quod aliter Veteribus Ethnicis, aliter Hebræis, aliter Chriſtianis in Poeſi fingendum ſit. Cujus rei illa eſt ratio, quod diverſis diverſa veriſimilia videantur, atque etiam veritate hiſtorica neceſſaria De Saturno & ejus filiis, de Vulcani caſu, de Iovis cum Iunone nuptiis, de Pallade &c. quis alteri, quàm ethnico veri eſſe ſimilia ſuadebit? Contra, de Sampſonis capillis, de maxilla aſini in tot hominum cædem adhibita, de columnis cum domo ſubverſa, de fonte ex dente elicito, quis Ethnici hominis fidem merebitur? pro anilibus hæc ſanè oblectamentis habiturus eſt.

Expendendum igitur, ante omnia, Poetæ eſt, in qua ſcriptionis materia verſetur, cujus in perſona, & ad quos loquatur; ne impingat.

Deinde obſervandum. poſſe aliquid, conſideratis ſolùm naturæ viribus ἀδύνατον aut incredibile videri, quod altioribus cauſſis, Deo ſcilicet cœlitibuſque adhibitis, veriſimile appareat. adeóque ad horum opem in rebus grandioribus confugiendum, ubi dignitas & ratio poſtulaverit.

Error omnis, vel in ipſa fictionis ſubſtantia, vel in adjunctis, vel in utriſque ſimul reperitur. hujus exemplum apud Virgilium eſt Amor Didonis & Æneæ, qui diverſa extitiſſe ætate ab hiſtoricis memorantur. In adjunctis verò loci erratum turpius dum iidem canum more in ſpelunca ſociantur. Error Veterum Poetarum fuit ab ipſis etiam animadverſus damnatuſque, id temporis, Sapientibus: tum quod res abjectas ac turpes ſæpe Deorum Dearumque appellatione dignati ſunt: tum quod Diis etiam (ſuâ opinione certis) actiones moreſque, & ſocietatem ac officia parum apta tribuerent. Ratio autem dictat. ut quamcunque rei ſubſtantiam, ſeu veram, ſeu fictam, m-nte

complexus fueris, ei deinde convenientia attribuas, ne parum ſapere,& imperitè fingere judiceris, dum aptas

Humano capiti cervicem pictor equinam (a)

Neque illa, quæ in repræſentando fortaſſe eſt, ſimilitudo hanc ineptiam defendet Ciceronis judicio [b] *Vetus hæc*, inquit, *opinio Græciam opplevit, exſectum Cælum à Saturno; vinctum autem Saturnum à filio Iove. Phyſica ratio incluſa eſt, non inelegans, in impias fabulas*: ut quod cœlum ſine conjunctione omnia in terris gigneret. Saturnus, tempus indicat rebus inferioribus adſtrictum. Idem filios fingitur devoraſſe; quòd tempus conſumat univerſa. Hæc tamen metaphorica veriſimilitudo, has fabulas tueri nequit. quin impiæ non à Cicerone modò, verùm & æqua ratione haberi debeant. Nam poſteaquam ſemel Poeta aut Cœlum, aut Saturnum in Diis collocarat: ſanè ea, aut agere, aut pati non debuerunt, quæ divinam naturam deſtruerent. non enim hæc licentia Poetica, ſed puerilis heterologia eſt, & anilis nugacitas.

Accuſat & meritò Plato Homerum, ac de ſua etiam Rep. jure Poetas veteres proſcribit, quòd plerique honeſtè parum de Diis finxerint, ac cōfictis illorum ſceleribus, ceteris mortalibus ad ſcelera viam fecerint: dum hos minimè pudet Deorum impudentiam væcordiamque imitari. Iſocrates quoque in Buſiride, poſt caſtigatam illam Poetarum impietatem, meritas & Orpheum repertorem primum, & imitatorem, pœnas dediſſe temeritatis exiſtimat: dum ille quidem in ſacris Bacchi à Mœnadibus furioſis diſcerptus; hic, inflictâ cœcitate, ad mendicitatem redactus fuerit.

Abſurda igitur hæc univerſa in Veterum poeſi ſunt, quæ illos ſimiles ſceleratis hominibus faciunt, quæque indignas illis Metamorphoſes continent: ut Iovis in cuculum, Cygnum, aurum, bovem. Apollinis in gruem, Dianæ in felem &c. Abſurdi inter illos; & thalami, & thalamorum violatio. Abſurda inter illos bella, cædes, fugæ, terrores, vulnera, etiam quod mireris, ab hominibus accepta; cum Martem Veneremque apud Homerum Diomedes ſauciet. Abſurdum Paridis judicio Deas ſubjici, atque hominem unum, tantâ perturbatione, inter ſe Deos hominesque committere. Abſurdum Deos Deaſque hominibus connubiis miſceri, atque Achillem apud Homerum Thetidem, Æneam apud Virgilium matrem habere Venerem, Herculem

Iovis

[a] *Horatius.* [b] *Lib. 2. de nat. Deor.*

Iovis adulterio ex Alcmena natum. Et ſanè hæc origo illorum facta non illuſtrat, quod à Deorum filiis majora ad laudem exſpectari poſſint, nobiliuſque ſit mortalibus genitum paria Diis præſtare, quàm cœlitus natum paria hominibus. Verbo quæcunque in encomiis infra dignitatem cujuſque naturæ finguntur, à ſana Poeſi proſcribenda ſunt. quod principium quorundam Grammaticorum importuna pugnacitas, quibus omne veterum oletum ſapit, nunquam evertet.

In humana tamen natura ceteriſque creatis, cum non modò ad laudem, ſed & reprehenſionem multa reperiuntur; cumque non ſuo tantùm ingenio, verùm & ſuperioris poteſtatis arbitrio regantur, multa & quæ infra & quæ ſupra naturam ſunt locum reperiunt: verùm adhibendi in eam rem cœlites, Dæmonéſve à Poeta erunt; ne veriſimilitudine deſtituatur narratio. ubi illa quandoque Ariſtotelis [a] in rebus admirandis valere regula ad excuſationem poterit: εἰκὸς γὰρ καὶ παρὰ τὸ εἰκὸς γίνεσθαι Veriſimile eſt, præter veriſimilè aliquid fieri, ut in Speculo noſtro Imaginum exemplo docui illius hominis Belgæ qui ex femore vivum infantem peperit. & de Hollandica muliere annales referunt, tot infantes peperiſſe, quot annus dies complectitur; ſed utrumque, Numine importunum ludibrium vindicante, factum. Hoc titulo, & Niobe in ſaxum converſa, & aliæ quædam Metamorphoſes Ovidianæ. Caſtoris & Pollucis ex ovis prodeuntis nativitas, & ſexcenta ejuſmodi admitti poterunt. cùm tamen, figmenta hæc eſſe, cuivis palam ſit, neque hiſtoricam, aut propriam rei ſignificandæ, veriſimilitudinem præ ſe ferant: eam omnino quæ metaphorica eſt habere debent. Rectè ad hanc rem D. Auguſtinus: [b] *Quando id fingimus, quod nihil ſignificat, tunc eſt mendacium: cum autem fictio noſtra refertur ad aliquam ſignificationem, non eſt mendacium, ſed aliqua figura veritatis.*

Error igitur hac in re cùm veterum, tum recentium Poetarum eſt, ea in Poeſi adhibere, quæ figmenta eſſe quamprimum lector animadvertat, nullo tamen ſatis argumento cognoſcat, cujus veritatis figura ſint. Siquid enim ejuſmodi, quod ænigmatis vim habeat, ad hoc aperiendum cognoſcendumque lectori etiam mediocriter perito ſternendus eſt aditus; ne ſibi uni fabulatus Poeta videatur, aut anilia cudiſſe deliria, quæ ſine mente

[a] De arte c.25. [b] l.2.quæſt.Euang.q.51.

te ac fructu ſapientiæ profuderit. Quidquid enim caſſæ nuci inſtar, ſub fabularum involucris nihil dignum ſapiente continet, quomodo finem Poeticæ aſſequetur, qui eſt, aut intellectum cum delectatione erudire, aut movere affectum? Fictio condimenti ac mellis inſtar eſt, quo crudior duriorque nonnunquam veritas perfuſa avidius excipiatur. quid verò condimentum abſque cibo faciat?

Ita Ovidianæ Metamorphoſes non paucæ figmenta inutilia, nulloque ſapientiæ aut virtutis emolumento concepta, nihil magnis ingeniis dignum continent, ex metempſychoſi Pythagorica tantùm profectæ. Cur enim ob luctum Phaethontis ſorores in arbores tranſmigrant, lacrymæ earum in electrum? cur Ocyroé futura præcinens in equam convertitur? cur Battus vaniloquus ab Apolline in ſaxum mutatur? Ego, ut ſimilem aliorum Poematum inanitatem taceam: Phaethontis ſorores in fontem perenni ſcaturigine, tanquam lacrymis, manantem; Ocyroen in Gallum; Battum in picam transformari maluiſſem; ita non defuiſſet ſignificandi vis, & ratio fingendi. uti nonnunquam aptè factum, dum Phaethōtis audaci temeritate caſuque arrogantiam elatorumque hominum proclives lapſus; Terei, inceſti hominis, in upupam mutatione fœdam levitatem indicat. quin & Pulchritudinem Narciſſi ejus in florem tranſitus; & Arachnæ, fila ducentis texentiſque protervam ſolertiam, converſio in araneam, haud ineptè, adumbrat. Sed ad colum plures, ex his fabulationibus amandandæ ſint.

Quid jam alia complura memorem, in quibus, nec Oedipus quidem, umbram veritatis deprehendat? Communis ille trium Lamiarum ſenicularum in ciſta oculus; ille Heſperidum Draco, & ſati dentes, & Cadmeo in agro nata ex illis cohors, quàm ſapientiæ laudem habent? ligneus ille Trojanorum, Homero Virgilioque celebratus, equus, quid ingenii, artis, veritatis poſſidet? Hic ſanè cum ad hiſtoriæ ſimilitudinem compoſitus ſit, nihil à prudentibus viris alienum complecti debuit. *Vide* (Agatharchidæ (a) verbis utor) *qualis hoc modo ſtultitia depingatur, & artificis, qui equum exſtruxit, & procerum, qui hunc ſubierunt, & civium qui in propriam illum urbem ſuſceperunt.* Nec verò per allegoriam facilè defenſurus es. Quid Paſiphae cum Tauro, aut Tyro fluvio ſociatur? quid Phryxus & Helle in ariete velleris aurei, & hoc ſuſpenſum Deo? quid Charon in cymba? an qui

hæc

[a] *In libro de rubro mari, ex Græco.*

hæc ænigmata nobis ſatis evolvat, repertus eſt hactenus? carent igitur arte, etiamſi omnino non careánt: & toto orbe celebrentur, admiratione magis, quàm fructu. Quis laudet Homeri commentum, quo Vlyſſis navis in ſaxum, & quo apud Virgilium Æneæ in Nymphas convertuntur? an quia illa ad petram alliſa, hæ undis ſolutæ ſubſiderunt? nimis profectò frigida translatio. Quid aut venuſtatis, aut veritatis illo continetur quod apud Homerum Odyſſ. 10. Vlyſſis ventos ab Æolo utri incluſos acceperit, quem ſocii aurum rati imprudentes laxarunt, mox in tempeſtatem abrepti? quid, quòd lib. 12. Solis boves vitare juſſerit Vlyſſem Circe, quos illo deinde ſopito, ſocii, malo ſuo exitu, aggreſſi ſunt. an illa ventorum captivitas, & hæc præda boum vitanda, ſocios latere prudenter debuit? Si Ariſtotelis [a] non probat figmentum Homeri de Phœacibus, quod illum Alcinoi Regis, & ſua voluntate ſuſceptum, cum domis ad littus Ithacæ dormientem expoſuerint, contra omnem humanitatis ſpeciem: ſi diſplicet Ciceroni, [b] quod Achillem in mortuum cadaver Hectoris ſævientem inducat, quantò illa graviorem cenſuram merentur?

Sunt tamen nonnulla, quæ prima fronte abſurditatem præ ſe ferunt, quibus occulta veritas gratiam conciliat. Ita quamvis ad Orphei, citharam tangentis, cantum ſaxa ſilvaſque commotas eſſe, nimia videatur fingendi audacia; tamen ſi homines muris incluſos, feraſque ſaltibus hoc cantu delectatos eſſe intelligas; quid aliud, quàm pro contento continens Poeta uſurpavit? Palladem ex Iovis cerebro prodeuntem miraris; ſed tamen Dea ex Deo eſt, ingeniique fecunditas, & maturus partus divinum quid habent. neque illa, quæ latet, veritas inepta eſt. Has facilè ex Speculo noſtro lib. 2 expoſitas, diſcernes.

Tragœdias etiam Comœdiaſque Poetarum ab omni nota non purgaveris, veterum inprimis, ubi honeſta parum imitantur vitia, aut figmenta veritatis inania concinnant; ut prodeſſe omnino nequeant. ſed de his lectorem ſeorſim conveniam.

Recentium Poetarum errores in eo plerique ſunt, quod veterum fabulas imperitè tractent, & ſine religionis Chriſtianæ cura, ſacris etiam rebus profana Ethnicorum Numina admiſceant, Apollinem Muſaſque invocent, Deorum cogant concilia, Iovem cœlo, Neptunum mari, Plutonem inferis, Hymenæum thalamis, Dianam venationi præficiant; non ſecus ac ſi cum

[a] de arte Poet. [b] 1. Tuſcul. quæſt.

cum antiquis delirarent, nec aliter niſi his figmentis Superum de mortalibus curam, rerumque noſtrarum moderationem liceret peritè exponere.

Ego verò tales Poetarum nomine indignos cenſeo, qui aliorum figmenta recantare, quàm ſuo ipſi ingenio malunt procudere. certè, ut aliquando Poeticè, Chriſtianè tamen loqui parum videntur. De hoc malo curando infra agendum prolixius. Illis facilè ignoſcam qui in Comœdiis Satyriſque inter jocos irriſiones, ludos, & ludibria ejuſcemodi veterum deliramenta adhibent, contumeliæ magis, quàm honoris gratia. Vt ſi Chriſtianus in Comœdia Pol, ecaſtor, mehercule, interſerat, ſi Dianam in venatione favere jubeat, per ſtygem juret, aliaque id generis ad ludificationem comparata uſurpet Tum ſi pro aëre Iovem, pro mari Neptunum, pro literis Muſas Palladem aut Apollinem, pro vino Bacchum &c. induxerit; quòd jam uſus, hac in re magiſter, obtineat: neque ut Dii, ſed ut ficta quædam elementi perſona, uſurpentur.

Hi errores artem Poeticam tangunt. Admitti præter hos alii poſſunt, ex aliarum ſcientiarum ignoratione. idque proclivè omnino in Poeta eſt, atque excuſationem meretur facilius, quàm in fictione (qui eſt proprius Poetæ labor) aberratio. cùm ad ornandam Poeſin, in omnem ſeſe diſciplinam effundat, neque adeò turpe ſit, multa ſcientem, aliqua ignorare. quàm in ſuæ artis leges impingere. Sic Virgilius Æneam in ſua navigatione Gelam, Acragantem, & Selinuntem deducit, quas urbes Thucydides lib. 6. multò poſt Trojana tempora memorat excitatas. quod idem de Megara Strabo tradit. Sic non tam ignorantia, quàm ejuſdem quædam incuria eſt; quòd ex ſeptenario Regum Romanorum numero, quos futuros Anchiſes [a] Ænea memorat, Servium Tullum, ordine ſextum, omiſerit. In quibus Virgilius non ut Poeta, quem profitetur, ſed ut hiſtoricus aberravit, ideoque facilius veniam promeretur.

Hæc de erroribus, etiam illorum, quos meritò tanquam Principes hujus artis veneramur. ſed quid mirum ſi in regia quandoque veſte macula? nemo eam iccirco cum ruſtica lacerna comparaverit. Quod dictum à Poeta eſt, de Poetis etiam rectè uſurpaveris.

—— *Vitiis nemo ſine naſcitur. optimus ille*
Qui minimis urgetur.

[a] *lib. 6. Æneid.*

CAPUT

CAPUT VIII.

Prima ratio ac via inveniendi exornandique fictiones.

VT fictio ad voluptatem admirationemque conciliandam diſponatur, quæ aut præter, aut ſupra exſpectationem legentium audientiumve ſunt. adducantur. cujuſmodi, in arte noſtra Epigrammatica, illa eſſe inprimis diximus, quæ aut contraria ſunt, aut aliena, à rebus vulgaribus. Quare & factorum exempla, quæ illic adduximus, fictioni aptè formandæ ſervire poterunt.

Generalis atque indubitata lex omnibus ſtatuenda eſt; quòd illa, quæ fingendo extollere, atque illuſtrare volveris, nobiliorum rerum appoſitione amplificanda ſint; quæ verò reprehendendo ſtatueris deprimere, hæc per humilium turpiumque rerum conjunctionem obſcuranda. Perinde enim, ut in comparatione, ſic in fictione res habet. Vis fortem in pugna, ex ſimili, docere? cum Leone, aut Tauro pugnante comparas, qui viribus hominem ſuperat, licet ceteris illo ſit inferior. vis magis aſſurgere? cum gigante, aut pugnante etiam Angelo confers, quo nihil habes in viribus, ſublimius. Vis idem præſtare fingendo? vel illum his oppones parem. ut ſi leonem aut gigantem aut Angelum luctando viciſſe contendas. qua ratione Herculis, Davidis, & Iacobi fortitudo exponitur: vel horum perſonam induiſſe Cœlitum ope atque arte dices; ut ſi, Theandria, id eſt divina Fortitudo illum rore cœleſti perfuſum, gigantæâ corporis mole induerit, ſeu armaturam de cœlo ex ſua illi officina, gladiumque Angeli olim manibus in paradiſo ventilatum fulminiſque in morem hoſtes perſtringentem, detulerit. aut certè vim oculis fulmineam inſeruerit, tinctum rore corpus adverſus inimici ictus ſolidarit, vel habili agilitate perfuderit, quâ tela facilè declinaret, vel etiam obvelatum nubibus defenderit. Contra ſi crudelem in aliquo ferociam reprehendere lubeat; ut illum cum Tigride, Leæna, Furia Buſiride, Dæmone comparare licet: ſic fictione paria imitari. ferarum lacte & conſortio enutritum dices, humano paſtum ſanguine & latrociniis oblectatum, denique magico carmine ſibi inferos ſociaſſe, ſtygio perfuſum flumine, aut Circæo hauſtu potum, nunc Lupi, nunc Leænæ ſumpſiſſe habitum. aut Furiis ſtipatum Acheronticis, aut Meduſæo armatum clypeo, teliſque ignivomis, in adverſarios proruiſſe. excitaſſe ab Inferis Buſiridem qui nova in homines crudelitate graſſa-

graſſaretur. Luciferi induiſſe, olim adverſus cœleſtes genios uſurpata, ac modò in terrigenas converſa, arma. Ita planè in quavis rei creatæ proprietate aut natura habet, quam ſi vël extollere laudibus, vel deprimere vituperio, vel narratione exponere volueris, ſimilia atque exempla, quæ, vel ad ornamentum à rebus nobilioribus, vel ad dedecus ab ignobilioribus ducta faciant, collige, ad ſumma quæque infimaque, per creaturarum ordines, incedendo: & copioſa ſeſe offeret fingendi materies, diſertumque te, neque ſine gratia ſymbolicæ venuſtatis, admiraberis. Et hæc fingendi ratio potiſſimum in rebus perſoniſque verſatur alienis, quæ, præter exſpectationem, rei ornandæ aut vituperandæ tribuuntur.

A contrariis verò magnoperè hæ fictiones exornantur. Vti enim res quælibet, ſeu turpis, ſeu honeſta ex appoſitione contrariorum, ita & fictio illuſtratur. Hæc autem oppoſitio, vel in eadem re, aut perſona, adhibetur: ut cum Achilles primò inter imbelles mulieres in toga feminea, poſt inter armatos heroas proponitur, quo figmento illius fortitudo (eodem enim exemplo uti lubet) tantò redditur admiratione dignior, quantò rarius eſt, in effeminato corpore, tam ingentes animos vireſque reperire. quæ cauſſa cur & eundem in Briſeide ſimul ac Patroclo mollem ac virilem amatorem Homerus finxerit. Vel diverſæ res inter ſe oppoſitione junguntur. Ita, ut fortiorem in ſuperandis voluptatibus Vlyſſem oſtenderet; ſocios, Circæo deformatos poculo, in porcos degeneraſſe commentus eſt, dum Vlyſſi forma decuſque conſtaret priſtinum. Ita & caſtitatem Penelopes magnopere extollit, dum inſana Procorum depingit ſtudia. In hac tamen oppoſitione, quò illuſtrius contrarium fuerit, quod denique ſua virtute deficiat, hòc major in partem alteram laus derivatur. ut cum Hector fortiſſimus, totque celebris victoriis heros, Achilli vincendus objicitur. quo nihil potuit ad fortitudinem Achillis extollendam fieri aut fingi præclarius. Vt proinde hoc fingendi artificium Poetæ inprimis ſit obſervandum Par fictionis ratio, qua imbellem adumbrare ſtatuiſti. ſi enim in ipſo fortia præmiſeris facinora, ac denique victum aſſeras, majorem admirationem conciliabis, præſertim ſi mollem enervatumque illi adverſarium dederis.

CAPUT

Caput IX.

Altera fingendi exornandique Poeſin ratio.

DIverſa aliquantum fingendi ratione in ea imitatione verſamur, quam metaphorica, ſive allegorica, rectè dixeris, & rerum eſt veritatem figuratè ſignificantium. quæ, vel ut ſymbola; vel ut emblemata; vel ut hieroglyphica, aut etiam ænigmata inducuntur. de quibus cum alio tractatum ſit opere, hic paucis agi ſuffecerit. Vt compendio te ducam, rurſum ad comparata animum adverte. nam imaginum diſciplina ex ſimilibus inprimis ducitur. Quemadmodum verò ſimilia tam ad res phyſicas, quàm ethicas illuſtrandas adhibentur: ita & fictio Poetarum, quæ per mores fictos aliquando naturam rerum; & contra per naturam mores nonnunquam exponit. quanquam ſine diſcrimine, & moribus mores (quod frequens eſt) & per naturam explicari poſſit. Ita per Herculem, leonis pelle indutum, clavâque armatum, homo in pugnando fortis; variæque ipſius virtutes per labores duodecim adumbrantur. Per eundem tamen ejuſque labores, alii (ut Gyraldus in Herçule) ſolem intelligunt, inter ſidera præcipuum, qui duodecim Zodiaci ſigna, tanquam cæleſtia monſtra, quotannis pervagando ſuperet. Eadem igitur res, & ad mores, & ad naturam referri poteſt. Hæc tamen relatio, in ſimilitudine, quam res ficta cum re ſignificata obtinet, fundatur: non illa quidem ſimilitudine, quæ eſt imaginis pictæ cum Alexandro v. g. Sed quæ in metaphoris reperitur: e. g. flore deciduo, cum morienti adoleſcente. Similitudinem hanc, vel in rebus creatis phyſicis ethiciſve Poëta invenit; vel in ficta à ſe rerum ſubſtantia, aut actione conſtituit. Unde duplex fingendi ratio conſurgit.

Priori ratione fingendi eleganter Plato in diſputatione de Pulcro eſt uſus. Ubi, ut oſtenderet Deos ſine perturbatione affectuum adminiſtrare omnia; homines verò adverſus repugnantem appetitum, quamvis ratione ad virtutem ducatur, luctari: fingit Deos Animoſque mortalium alatis curribus equiſque quaquaverſum ferri. Et Deos quidem ad nutum moderari currum, ac facili volatu tranſire univerſa: ac tardius hominum bigas provehi, altero equorum (quem inferioris hominis appetitum interpretatus eſt) improbè frenis atque impulſibus aurigæ obluctante; quocirca ferrugineum illi colorem, hirſutas ſurdaſque aures, rubicundos ſanguine oculos,

oculos, ſternacem, ſuccuſſorem ac calcitronem efficit, apta ad repugnantem hominis naturam exponendam imagine, In qua tota fictio rei veræ, ſcilicet obluctantis habenis equi ingenio, nititur, quæ idoneam ad rebellem appetitionem involuit ſimilitudinem, tanquam fictionis poëticæ fundamentum alæ celeritatis ſignum ſunt, adeóque non inſcitè adjiciuntur, ut velocitas rerum incorporearum exprimatur.

Alia fingendi ratio nec infrequens, nec inelegans eſt, cùm per fictas perſonas, res varias, præſertim affectus, vitia, virtuteſque animorum Poëta imitatur. Ita Virgilius Cupidinem adoleſcentem fingit in perſona Iuli munera Didoni offerentem, & Famam alatam auribus oculiſque plenam lib. 4. Quo in genere plura exempla continet noſtra Poeſis Heroica. Hîc Fidem, Spem, Amorem: hîc Invidiam, Iram, Gulam, Voluptatem, &c. deſcripta reperies. quæ idcirco humana ſpecie proponuntur, quod in corpore & moribus hominum tantùm à nobis obſervari poſſint. Cum igitur ſimilius nihil hiſce affectionibus, quàm externi corporis habitus, quo oculis illæ animorum qualitates queant objici, liceat fingere: huic ſymbola quædam Vitiorum aut Virtutum ſignificativa Poetæ adjicere conſueverunt, ut varietate illa delectent ſimul atque erudiant. Ita in numis Veterum Rom. variæ ſpectantur imagines. ut illa Conſtantiæ in numis Claudii Imper. Matrona ſtans militari induta ſago, ac paludamento in tergum rejecto, capite galeam, lævâ ſceptrum ſuſtinens, erecto intentoque in faciem dextræ manus digito. Ut ſi Conſtantis ſit, in bello præſertim & adverſis, ſceptrum ac moderationem ſui rectam non deponere; ſed firmo pede, vigili oculo, intentâque manu occurrere omnibus. quæ fictio nulla rei naturalis, aut moralis hiſtoria nititur; uti illa Conſtantiæ quoque uſurpata imago, quâ adoleſcens nudis brachiis dextrâ coronam apprehendens, læva gladium, quam rogo interritus ingerit. hæc enim in Mutii Scævolæ hiſtoria fundatur. Hac fingendi libertate, non tantùm affectiones animorum, ſed & Regiones, Reſp. Urbes, Fluvios, Tempora, Ætateſque, quæ alio ſchemate induci nequeunt, complectimur. Sic Roma in numis Veſpaſ. habitu Minervæ, Victoriam manu ſuſtinentis, aut ſeptem collibus inſidentis: vel etiam ſolius capitis armati (ut quæ caput orbis ſit) proponitur. Æternitas in numis Titi ſpectatur formâ Virginis, longo capillitio, ſed galeâ tecto, & prolixâ veſte, haſtæ innixa. alterâ manu cornucopiæ

aucopiæ gerit, altero pede orbem calcat. Virginitas æternitatis incorruptionem; longus capillus, ſed rectus, ejus longitudinem nobis obſcuram; cornucopiæ felicitatem bonorum, ut haſta pœnam improborum indicat. Harum imaginum varietatem magnam lib. 2. in noſtro Speculo exhibui. Non tamen neceſſe, ut hic Poeta Veterum ſe legibus prorſus aptet, ſuo utatur ingenio. Quò tamen res quæque à natura remotior, minuſque vero eſt ſimilis, tantò & gratiæ minus poſſidere videtur. Ita cum Cæſar Ripa Prudentiam facit Puellam bifrontem, veſte affictis mori foliis inſignem, cum ſpeculo, & baculo ſerpentem implexum ſuſtinente: alteram frontem (licet admirationem conciliet) in Poemate abeſſe cupiam: quamvis Ænigma pictum ornare cenſeatur, & rectè ſignificet prudentem, quaſi gemino aſpectu, ex præteritis de futuris judicare. Malim igitur, quod veriſimile magis eſt, in ſpeculo longè ſepoſita, tanquam præſentia intueri. Ita & caput armatum, pro Roma, minus idoneum Poetæ, quàm Ænigmatico futurum eſt, (niſi fortè in vexillo vel clypeo tanquam ſignum proponeretur) quia ad actiones vivæ imaginis, (quas hæc Poeſis amat) parum eſt conveniens. Fundantur & hæ fictiones in rerum ſimilibus, quamvis ſæpe remotioribus: nam & Urbes, ac Patriæ quandam politici corporis habent ſpeciem, quâ cum humano comparantur corpore, & fontes ac Tempora ſuum caput principiumque, tam veluti totum aliquod poſſident corpus, quo in remotam comparationem veniunt. ut nonnunquam ab Oratoribus etiam Patriæ, Ætateſque loquentes inducantur. In ceteris verò etiam rebus inanimatis, ut ſtellis, plantis, aere & igne quædam ad hominem ducta ſimilitudo pro fingendis perſonis idoneum Poetis eſt fundamentum.

CAPUT X.

Modus variè ornateq́; fictionem exponendi.

MAgna quoque earum rerum varietas, per quas fictio, tanquam inſtrumenta cauſaſque introduci poteſt.

I. Per adductas parabolas Chriſtus Dominus poeticè etiam diſertus fuit. Quid enim præter eruditum figmentum eſt, illa de Operariis in vinea, de Seminante, Regalibus nuptiis, Prodigo, aliiſque diſſertatio? Menenius Agrippa, quàm ſcitè fabulatus eſt. humana inter ſe membra adverſus pigrum otioſumque ventrem conſpiraſſe, ne quem illi cibum ſuppeditarent,

verùm ſuo malo, poſt diffluentes vires, ad officium reducta! perſuaſit ſanè plebi ſeditioſæ, ne adverſus nobilitatem contumaciter ſe objicerent. Nathan Propheta quàm appoſitè 2. *Reg. c.* 12. David Berſabeæ raptum, per unicam pauperis hominis oviculam à divite ſurreptam exprobravit, ut Rex etiam adverſus ſeipſum pronuntiaret ſententiam? Quid verò Poetam id imitari narratione opportunæ fictionis vetet?

2. Per ſomnia eorumque novas imagines, rerum præſertim futurarum notitia eleganter objicitur. Illud Nabuchodonoſoris de ſtatua ſomnium, quam egregiam imaginem complectitur! quid illa Joſephi & Pharaonis ſomnia à Poetica libertate & arte alienum continent? Socrates, pridie quam Plato ejus diſciplinæ committeretur, viſus ſibi eſt candidum in ſinu cygnum accipere, qui ſuavi modulatione urbem reficeret. Hanc Cœlitum Poeſin optimè æmulaberis quocunque imaginum genere per ſomnum objecto. Huc raptus atq; ecſtaſes ſpectant, eâ ſolum differentia, quod in ſomniis res poeticæ ipſi vati exhibeantur præſentes: in rapta verò, ad res tales ſpectandas Vates adducatur. Ita in ecſtaſi D. Paulus per cœlos eorumque ſitum, ornàtum, amœnitatemque duci poterit: ut non ignobilis hujus ævi Poeta Carolus VVerpæus D. Ignatio Loiolæ in raptu Manreſano futuram erectæ ab illo Societatis propoſuit Imaginem, non ficta quidem rerum ſubſtantia, ſed modo.

3. Per exhibita vigilantibus ſpectacula, luſus, venationes, naumachias, prœlia, theatralia Dramata, atq; id genus ſchemata, multa eleganter proponuntur, illa inprimis quæ ſymbolicè occultam veritatem repræſentant. Exemplis ſingula monſtrare lõgum ſit. Illius ex Speculo noſtro meminiſſe lector poterit, quod Carolo V. Auguſtæ per Acatholicos objectum eſt, cum Doctor Capnio faſcem lignorum diſſolutè, tanquam ſententias varias in medium projiceret, quem cum Eraſmus fruſtra conatus eſſet componere, Lutherus igne ſubjecto inflammavit, Cæſar gladio diſcutiés magis ſuccendit, Pontifex, aquæ loco, oleo perfundens auxit. Ita per luſum induci mus cum elephãto, Gallus cum Leone, Veſpertilio cum Ciconia decertans, aut etiam David cum Goliatho poſſet, ad ſignificandum; victoriam non moli exercituum, aut multitudini, ſed virtuti animorum, aut Dei occultis judiciis tribuendam, ex quibus minor etiam majores ſuperet. Sic in venatione leporum per canes, timidos à ſagacibus victos oſtendes; vulpis lupiue, vinculis aut fovea capti, doloſi & rapacis

ctis interceptas artes demonſtrabis. In Naumachia & nomina, & formæ, & vexilla, & Duces navium, ſigna eſſe ac ſymbola ſignificantia poterunt. in prœliis obſervanda eadem. Dramata tam latè patent, quàm figuræ parabolæve, quæ ſub actionem tragicam comicamve cadunt. Virgilius tamen, quædam horum, ut luſus exequiales, venationeſque, propriè magis & hiſtorico more, quam figurato ſchemate adhibuit. At hanc quidem fictionem, ut minimè culpo, ſic magis illam probo, quæ & ſimilitudinem veri hiſtoricè, & occultæ veritatis imaginem metaphoricè exhibet.

4. Per artefacta varia, ut ſunt raræ novæque in tabulis parietibus, tapetibus, telis, aut penicillo, aut acu elaboratæ picturæ. Quales artificum, mulierumque labores, paſſim apud Poetas reperiuntur. Quin & in vexillis clypeiſque militaribus, in numis, annulis, veſtibus, aliiſque rebus arte laboratis ejuſmodi figuræ non ſine venuſtate inſeruntur. Tale opus emblematicum eſt, apud Statium lib. 1. Thebeid. aureus crater ex quo Diis Rex Adraſtus libabat, in quo Meduſa reſecta cervice, tum aquila Ganymodem rapiens, canibus nequicquam latrantibus, expreſſa fuit. Tale & illud Proſerpinæ texentis opus, quod lib. 1. apud Claudianum Mundi, elementorumque figuram complectebatur, infelici raptu terminatum, cum ipſa Ditis ſacraria acu exornaret. Virgilius etiam picturas in templo Carthaginienſi Æneæ ſpectanti objecit lib. 1. Æneid. quæ Troianum excidium proponerent. In Turni clypeo apud eundem Virgilium Argum reperire eſt, ut Ducis vigilantiam exponeret, ab Ænea tamen ſuperandam. Quod ſi plura ejuſdem generis deſideres conſule lib. 5. Speculi noſtri.

CAPUT XI.

Delectatio fictionibus concilianda eſt, idque inprimis per raritatem.

TRia ſunt, quæ inprimis ad delectationem conciliandam fictioni nata videntur: rerum confictarum raritas, varietas, amœnitas. quæ Poetæ, cujus officium eſt docendo delectare, obſervanda erunt, ſeorſim igitur agemus de ſingulis, ac de raritate primò.

Alia in rebus quoad ſubſtantiam fictis, qualis de raptu Proſerpinæ, apud Claudianum, & de Aranea apud Ovidium, apud nos, in Poeſi Heroica, fabula eſt: alia in rebus, hiſtorico fun-

damento nixis, qualis Æneis apud Virgilium, apud Statium eſt Thebais, raritas eſt rerum ſpectanda: illic enim prodigia, monſtra, ac præter ſupraque naturæ ordinem concinnata ad novitatem figmenta tolerantur facilius; cùm non tam in iis hiſtorica, quàm metaphorica ſimilitudo requiratur: at in his, quæ hiſtoricorum more contexuntur, ab illa ſimilitudine veri, quæ hiſtoriam deceat, non facilè eſt deflectendum: licet utraque in utriſque fictionibus ſimilitudo inprimis laudetur, quam ſi cum raritate conjungere poteris maximè delectabis.

Res omnis quæ rara eſt, vel in natura, vel in moribus reperitur. per mores accipio rerum intelligentium actiones & opera, Per naturam res ceteras creatas earumque operationes, ex neceſſitate, non libertate, profectas. In his diversâ aliquantulum viâ, quam illis inveſtiganda eſt raritas.

Vt in rebus naturalibus rara inducat Poeta, debet illas altioribus mentibus ſubjicere, quæ elementa, cælumque, creaturaſque, omnes, ſuo arbitratu, flectere, mutare, atque ad raros effectus elevare poſſint. quod niſi fecerit, conſueto naturæ ordini alligatus erit, & ſuper hiſtorici facultatem nihil poterit. Id uſque adeò veteribus Poetis, Homero Virgilioque uſitatum; ut nec tempeſtatem, quò rarior admirabiliorque, tum nata, tum oppreſſa illa ſit, ſine Deorum interventu concitent. Verùm hic Chriſtiano Poetæ non eadem relinqui facultas videtur. cùm Ethnici ſuos quibuſque rebus Deos præfecerint, eoſque plerumque contrarias; ut rem quamque diverſis motibus, eventibuſque ad inſignem raritatem varietatemque extollerent. Chriſtiani igitur ſaniora per fidem perſuaſi, cum illam Dei unius, ſecum pugnantis in rerum moderatione, diſſenſionem, oppoſitionemque inducere nequeant, ad inferiores ſe mentes, rebus tamen elementaribus ſuperiores, debent convertere; ut Angeli boni malique ſunt, ſententiis inter ſeſe pugniſque graviſſimis diviſi Quin & ipſas Dei Virtutes, fictis perſonis nominibuſque ad diverſa, atque etiam oppoſita munia licebit adhibere. Cum in rebus creatis alias aliaſque unius Dei operationes ſpectemus, Iuſtitiaque nunc ſæviat, ubi parſit Clementia; imò & Pronæa, ſeu Providentia, eadem nunc adverſis proſpera; nunc proſperis adverſa, magnâ rerum viciſſitudine, permiſceat: Theandria, ſeu potentia divina, poſſit omnia: ac proinde Chriſtiano, neque raritas, neque varietas deeſſe poſſit. Ut poſtea magis apparebit, Quocirca ad vana illa Deo-

cum

rum vocabula, in rebus ſupra naturæ ordinem elevandis, aut mutandis implicandiſque eiſdem minimè eſt confugiendum. Hoc enim eſſet Ethnicorum vanitati adhæreſcere, neque unius in his Dei vim virtutemque obſervare. Accedit quod alienum à Poetæ officio ſit, aliorum fictionibus tantùm inhæreſcere, hoc enim eſt rudis pictoris inſtar, alieni fictoris opus imitando exprimere, nec ſuo ingenio atque arte ſatis niti. De quibus meritò Horatius

O imitatores ſervum pecus!

Res ipſas, non artem ac lineamenta alterius, tam fictor, quàm pictor bonus imitatur, iiſque quas præficit mentibus altioribus, ſive diverſis, etiam Dei unius operationibus, facilè nomina ex fontibus Græcorum ſuavius faciliuſque deprompta reperit. e.g. Vis mutari tempora?: ut diem vel noctem ultra conſuetum extendi? rarum hoc prorſus. Angelum tamen cœli motorem ad hunc effectum adhibere poteris, qui aut Polarchon, id eſt, cœli Princeps, aut Proôrus ſeu Archichronus, temporis præſes appelletur. cui & Aſtræa ſeu Vranie jungatur. Ita ſi fœmineum vocabulum mavis, pro Angelo ſeu Mente quæ aëri præeſt, dic Phalæra, quæ pro Iunone tibi ſerviet. pro Iove, ne frater illi deſit, Philæther uſurpes. pro Neptuno ſit Panthalus, & fœmineum Halomêda, vel Thalaſſus & Thalaſſa. pro Æolo Philaurus & Pnŏeêpus, quorum ille placidos, hic acres ventos immittat; pro Veſta ac Cybele ſit Pangea: pro Vulcano Pyrarchus, pro Pluto Plútárchon. loco Dianæ ſit Philagræa, vel Philothêra; Agelarchus loco Panis, loco Cereris Pancarpa vel Pancarpus. Volucribus Ornea, piſcibus Ichthyanaſſa, plantis Phytœa, ſepulcris pro Libitina Thanatæa, thalamis & nuptiis Hóræa & Ganéſis, Muſicæ Harmoſtes, Medicinæ Polychreſtus, vel Panacêus, carminibus Panódus, liberalibus artibus Pſychæa, mechanicis Chírónax præſit. Ita Hymenæus Apollo Muſæq; cedent. His omnibus Pantopater ſuprema majeſtate imperabit cui pro aulicis ephebiſque Ephori ſervient. pro Mercurio erit Pantophorus, pro illis quæ ad hominum vitam ſpectant Archibius. Conſiliis Pronæa; Iuſtitiæ Themis, temperatæ vitæ Eucraſia, fortiter gerendis Andría, Paci Iréné præficietur. denique univerſim omnibus Noariſtus, ſupremus & optimus Angelicarum mentium, præſidebit. His opponentur alii hoſtilibus odiis adverſarii, Antitheus pro Plutone, pro Marte Machétes. pro Baccho Philoenus aut Philogaſtor, vini ventriſque amans genius.

Sarcophile Cupidine ſtipata, pro Venere & Carna ſit. Coſmôtis mundi Princeps habeatur. His accedat Melanurgus niger operarius, Noherpón mente ſerpentis, Pyraſtér ſtella in igne, Hydraſpis ſerpens, Miarus ſceleſtus. Polymorphus pro Vertumno & Proteo omnes formas induens. Furias ceteraque Inferorum monſtra ſuis nominibus manere nil vetabit, tum & illa in ceteris fabulis nomina quæ Deorum honore culta non fuere. Ceterum virtutum vitiorumque, tum & aliarum rerum, ſub certis perſonis inductarum vocabula, modò à Græcis, modò à Latinis, prout videbitur accommodatius, licebit deſumere. Nos jam recenſita, inde potius, inflexa nonnunquam derivatione, hauſimus, ita tamen, ut fontes, viſque ſignificandi, peritum fugere non poſſent. In Sarcotide noſtra plerorumque uſus fuit. Sufficient hæc penè ad Angelorum officia in rebus creatis exprimenda, quæ modò in feminino genere, veterum imitatione, modò in maſculino extulimus; quod vel mens, vel angelus ſubintelligi queat, neque certo generi hi ſpiritus adſtringantur. Quæ iccirco non diſſero, ut exiſtimem veterum deorum nomina prorſus à Chriſtiana poeſi ſeparanda; ſed tum quando majorem aliquam poteſtatem, quàm res creata ſit, indicant. nam ſæpe pro ipſa rerum ſpecie (ut Chloris pro florum natura) accipiuntur. quo ſenſu etiamnum uſurpare licebit; neque ad vim effectumque ullum naturæ vires excedentem erunt adhibenda, verùm illi quos dixi, genii.

Age vis in rebus naturalibus rara & admiranda? ad hos te genios converte. vis ſubitum abrumpere diem? ſi in pœnam terroremque malorum id cogitas, cœleſtem genium Polarchontem adhibe, qui vel Solis rotas præcipitet, vel Lunæ orbem Soli eclipſato objiciat. aut Philæthera Solem ſuis arcere regionibus objectis nubium vallis, jactiſque tonitruum retardare bombis, ac denſis grandinum fulminumque excuſſione avertere dictites. Quod ſi ad bonorum impedimentum hæc tempeſtas creetur, ut eſt Religioſorum Indiam petentium, Melanurgus ex orco aliquis excitandus eſt, qui aperto terrarum mariumque hiatu tetros exhalet ab Inferis fumos, quibus diem involvat, ignesque infauſtos deſpuat, fulmina procellaſque ac fluctus contra navigantes intorqueat. cui ad tranquillitatem denique ſeſe Panthalus Philauruſque aut Philæra etiam, purgato nubibus aëre, opponat. Sic & patefactas Veſuvii ad ſulphurea flumina fauces claudere, & pendentes quaſſataſque ad terræmotus ur-

bes ſuſtinere, adverſus ſævientes Inferorum genios, Pangea; & turbatos cœli orbes rurſum componere Aſtræa poterit. His etiam uti ducibus ad rerum admirandarum cognitionem licebit. Oſtendant e.g diverſas tibi cœlitum officinas, in quibus animæ mortalium, ſuis quæque per Galliam, Germaniam, Hiſpaniam, Indiam &c. affectionibus formentur diverſæ, Polarchonte & Noariſto totum opus moderantibus: cum hæ ex diverſa potiſſimum cœli operatione in his regionibus pendeant. aliis igitur plus ignei caloris, aliis plus frigoris tribuatur. Hic generoſi hominis animam ante nativitatem ſuis fingere dotibus licebit, cœleſtium Mentium virtutumque in hoc opus conſpiratione, munerumque collatione. Oſtendat aulas ſedeſque cœlituum, in quibus ex voto cujuslibet vivatur: ubi omnem ad lubitum induere formam homines, celeritate queant aves vincere, mole Gigantes, parvitate apes, fortitudine leones: ubi ad nutum ſil æ adſint; flumina fonteſque circumſtrepant, philomelæ ac polyglottæ modulentur, flores exurgant, cingant palatia, ſatellites ſtipent, cœleſtes Orphei accinant, animi ſenſuumque omnium blandimenta cumulentur. Illic momento adſis, ubi deſiderio volueris. Felicius, promptiuſque, quàm Gygis annulo lateas, ubi parêre nolueris. cœlum terramque ſolo nutu moveas. Æmulos, aut nullos habeas; aut ad votum proſternas. Fac potentiſſimum quemque Superum Regem eſſe, cui vaſtiſſimæ regiones ad poſſeſſionem obſequiumque deditæ. Auro, gemmis frondibus, floribuſque omnia amœniſſimis imple. lacte ac melle ſtagnantes, mobileſque atque ad numerum ſalientes ſilvas exhibe. quicquid hoc in genere finxeris, infra veritatem ſubſiſtes. Ad terras hæc penè rectius tranſtuleris cum inferiora Superis videantur. Quod ſi penſiles in aëre ſilvas hortoſque omni rerum varietate exornâris, fortè illos Babylonios Semiramidis non ſuperabis. Si in natantes medio Oceano inſulas omnem felicitatem transferas; vincere forſitan Indicæ poterunt, certè Paradiſus inferior non eſt futurus. Si in montem unum, tanquam orbem parvum, annum ſimul univerſum congeſſeris, ut hinc vernos flores, illinc æſtivales ſegetes; hinc glaciem & nives, illinc poma uvaſque proferat, parem fortè hiſtoriæ locum dabunt. Hæc itaque hiſtoricæ veritati propinqua, ſine ope Superûm à Poeta nonnunquam adduci poterunt. cum fides ac veriſimilitudo, his etiam Mentibus ſecluſis, concilietur.

Ad artefacta deinde ſi tranſire lubitum (quæ naturalibus hoc loco accenſeo) cur non mobiles ſtatuas, miniſtroſque cum menſis, atque admoventes ſeſe ad ora accumbentium Scyphos paterasque exhibeas? cur non ſpecula ſecretarum, longèque etiam ſemotarum rerum imagines repræſentantia? cur non tactos magnete diverſos è ferro indices, quibus in alphabetico circulo diſpoſitis, ad abſentes amicos literas mentiſque conſilia deſtinare poſſis; cùm eodem magnete alterius index factus, eadem lege atque ordine ſponte moveatur, quo tuum volens impellis? cur non vitia incendiaria Archimedis formes, quæ hoſtium conſumant incendio claſſem? cur non inſternas pontes foſſis ac mœnibus, atque etiam maria tuto calces pede ſuberibus firmato? cur non volantes vento agitante currus inſtruas, & magnas in aëre ventorum ſubſidio machinas libres? Ejuſmodi ſanè cum facta legamus, quis fieri poſſe negaverit? In his tamen cavendum, ne quid nimis: nam ſi D. Paulum v.g. imitatione Dædali alis ſumptis, de medio evaſiſſe naufragio dixeris, audacior quàm par in hac perſona futurus es. licet in Simone Mago hanc fictionem non culpaverim. Nihil tamen vetabit quin, ut in D. Philippo evenit, Angeli ope, aut Philæræ auxilio, virum Apoſtolicum fixis ad humeros alis transferas.

In moribus atque actionibus creaturæ intelligentis diverſa aliquantum fingendi ratione Perſonæ humanarum Affectionum, tum virtutum vitiorum ac Malorum quæ orbem affligunt, ut Peſtis, Famis &c. orbis partium, ut Europæ, Africæ, Telluris, Aeris, verbo cujuſvis rei creatæ, ſeu corporeæ, ſeu ſpiritualis, Genii inducuntur, ſumptis rerum propriarum vocabulis. & quantum licet habitu moribuſque notis depinguntur, adjunctis quandoque ſignis ſymboliſve quibus occultæ perſonarum dotes magis innoteſcant. Talis in heroicis noſtris Sarcothea eſt, quæ non ſolius Adami aut Evæ; ſed naturæ totius humanæ perſonam repræſentat; Talis Elpis & Agape virtutum, Philauti & Doli vitiorum, Mortis & Famis calamitatum nomina. Hæ perſonæ circa actiones animoſque noſtros regendos mutandoſque occupantur. Hæ Dei ipſius provocare ſolent, atque etiam componere indignationem, benevolentiam mereri ac præmia, cœlo etiam ad hominum conſortia ſocietatemque abſtrahere; contra aſtris cœliſque mortales inſerere, orco tartareiſque carceribus mancipare, vim in homines admirandam exercere: modò in corvos, lupos, tigrideſque convertere; modò cœleſtibus

æquare

æquare geniis, & in mortali corpore nihil mortale relinquere. Verbo, pleræque antiquorum recentiumque Poetarum fabulæ (cum ad mores referantur) ex hac fingendi ratione profluxêre: rudioribus denique in errorem abductis, qui perſonis figuratè conceptis aliquam divinitatem, in ſumma Dei unius ignorantia, tribuêre. Ita Pallas ad ſapientiæ, Venus ad libidinis, Bacchus ad guloſi ebriique, Mars ad bellicoſi hominis imaginem exprimendam primum confictus, divinitatis denique exiſtimationem meruit. Ita & Sphinx doloſi, Harpyja rapacis, Meduſa furioſæ aut procacis idea quædam poetica fuit, quæ lapſu temporis penè hiſtoriæ fidem meruêre. Paria licebit fingere, ut ſi impurum Am rem Leonino capite, ſed Draconis aut Scorpii cauda adumbres: quòd ille principio ferox vehemenſque ſit, ſed fine, multis funeſto, lædat. Sic odium politicum, humano vultu, leonino pectore, ſcorpiique rurſum cauda depinges, quod humanitatis ſpecie abditam ferociam, viruſque lethale occultet. Alias imagines raras perſonarum in Sarcotide reperies.

Huc & Mentium angelicarum affectiones, ſtudia, officiaque referuntur. conſultationes & concilia (apud Homerum inter Deos, ad humanarum rerum curam expeditioneſque frequentia) concertationes odiaque inter bonos maloſque genios exercita, denique & diverſarum partium tutelæ, mutuâ bonorum oppoſitione ſuſceptæ, ſpectant; quæ ad raritatem ſimul ac varietatem fictioni conciliandam faciunt.

Concludam hoc caput, poſtquam monuero, raritatem fictionis ſæpe in ſymboli minus obvii elegantia conſiſtere, quo veritas ſignificata appoſitè velatur. Ita ætatis noſtræ curſus filo in fuſi orbem decurrente ſimilis (quod à colu denique abrumpitur, ut noſtra in morte vita) fabulam de Parcis nentibus veterum ævo raram peperit. Vis ſimile quippiam? expende v.g. mortalium vitam pomis ſimilem, quorum alia in flore, alia vixdum nata, alia etiamnum cruda, alia matura, ſpontè alia, alia violenter defluunt. quæ in hominum vita eveniunt paria. Ex hoc fundamento ita licebit fingere. Arborem vitæ neciſque mortalium omnium, in paradiſo etiamnum frondere, fructuſque ſingulorum nominibus inſignes tollere, ſed aliis alia, ut diximus, ſorte ac tempore defluentibus. his præeſſe Melophilen, quæ & arborem curet, & fructus colligat, Philauro & Pnoëpopode aſpirantibus. quorum ille placidè, hic vi multos decutiat: ſingulis hominibus in fata concedentibus, prout hi fructus ex

arbore deciderint. De floribus eadem Poeſi, non minus eleganter, luſeris; ſi hortum vitæ confeceris, in quo flores ſingulorum, tanquam vitam, modò ſol & pluvia recreent, modò dejiciant. Zephyrus, Euſter, Boreas diverſis aſpirent flatibus, denique cum floribus vita cujuſque intercidat. Verùm de his capaci ingenio ſatis, Bœotico nunquam ſatis.

CAPUT XII.

Delectatio fictionibus, per varietatem conciliatur.

NUnc varietatem, alteram fictionum in poeſi egregiarum dotem, expendamus. Hæc à raritate differt, quòd ſingularum non poſſit eſſe partium, ſed plurium unius poematis membrorum, ex quorum diverſitate oppoſitione, atque etiam implicatione (Græcis περιπέτεια dicitur) varietas naſcitur. Diverſitas atque oppoſitio præcipuè ſunt perſonarum, actionum, ac locorum. implicatio actionum cum ſuſpenſione eventus denique artificiosè explicandi.

Diverſitas, atque oppoſitio perſonarum in eo conſiſtit; ut præter unam perſonam ad quam ornandam poeſis ſpectat, ac princeps caputque Poematis eſt, aliæ perſonæ vel directrices, vel ſociæ, atque adminiſtræ operum accedant. Directrices Mentes eſſe ſuperiores debent, quas aptè ſibi in longo poemate oppones. Ita in Homeri Iliade,

Iupiter in Trojam, pro Troja ſtabat Apollo
Æqua Venus Teucris, Pallas iniqua fuit.

Ita & imitator Homeri Virgilius pro ſuo, quem extollit, Ænea Venerem, contra Iunonem habuit; Iove inter partes utraſque medio, qui nunc filiæ, nunc uxori faveret: modò ſuo conſilio rem ageret. quod ad rerum varietatem magnopere conducit; cum ex hac perſonarum oppoſitione, conſilia atque artes contrariæ, res novæ, atque inopinatis ambagibus nexibuſque implexæ; aut inſperatis eventibus modò abruptæ, modò ſuſpenſæ mutatæve inducantur. Sed & pares perſonæ plures, non tamen multæ, eſſe debent, quæ egregiis facinoribus deputentur cùm tam delectet varietas, quàm multitudo confundat. Quæ cauſſa, cur ad ſcenas veterum paucæ etiam præcipuarum perſonarum admiſſæ fuerint: quòd paucorum facinora, eorumque inter ſe concurſus & implicatio facilius obſerventur, quæ multitudine confuſa atque incognita gratiam amitterent.

rent. gregariæ tamen atque adminiſtræ multiplicari ſine vitio poterunt. modò illis actio ſingulariter obſervanda non committatur. Ita Homerus Achilli ſuo Agamemnonem in conſiliis, Hectorem in pugna objecit. per quos & Græcorum, & Trojanorum res maximè turbatæ implicatæque hæſere. Addidit fortitudine ſupparem Achilli Ajacem, & Diomedem, tum Ulyſſem aſtu, inſidioſoque ingenio celebrem, quorum facinoribus Ilias tota variatur. Declaremus & nos exemplo non ignotæ hiſtoriæ ad imitationem poeticè concepto. Faciamus, te Carolum quintum bello Saxones ſubjugantem poetica imitatione velle exponere. Perſonas ſuperiores hinc accipe, Eccleſiæ & regnorum præſides Mentes, Noariſtum & Uraniam: inde hæreſis & perverſæ libertatis defenſores, Melanurgum & Hydraſpida: illis Themis Lucraſia & Theandria his Polymorphus & Philogaſtor faveant illi Carolum, hi adverſariam partem concitent animentque. Nemeſis verò & Machetes mediarum partium, modò his, modò illis adſint aut adverſentur. His perſonæ vitiorum virtutum que ſociari poterunt, ut Elpis lacera, deſerta Arete, ad Caroli opem confugiens: contra triumphans inſultanſque Hæreſis. Socias perſonas ipſa hiſtoria ſuppeditabit, ſuppares Caroli Ferdinandus frater, & Dux Albanus erunt, tum Mauritius Saxo, ingenio ſubdolo varioque. objecti illi Heroes, Fridericus Saxo conſilio, Philippus Haſſus audacia celebris. Hi ſæpe tum ſe mutuò, tum Carolum diverſis viis artibuſque, per adverſam proſperamque fortunam, ad felicem denique exitum impellent.

Diverſitas atque oppoſitio actionum, ex illa perſonarum varietate, ut facilè apparet. conſequitur. cùm enim ſuæ cuilibet perſonæ in agendo partes tribuendæ ſint, ne otioſè, in quo cœpére, hæreant principio, aut cœpta ineptè abrumpant: ſuum quivis finem agens ſpectabit, qui cum in tot perſonis varius ſit, actiones etiam variabit. v. g. Uranie Eccleſiæ bonum ſpectat, Hydraſpis illius everſionem ut igitur fines, ita & media diverſa futura ſunt. illa pacis; hic belli conſilia ſuſcipiet. illa pietatem, manſuetudinemque colet; hic ſacrilegus, feroxque ſæviet. illa hujus: hic illius conſilia, artes, conatus, impediet, ſubruet, evertet In homines verò pareſque atque inferiores perſonas, major etiam cadit varietas: nam ut horum conſilia & voluntates, præſertim cum improbi ſunt, minus conſtant, ita & actiones mutantur, adeóque unius etiam perſonæ actionum perplexa

eſſe ratio poterit. Idem Achilles nunc bellum ſub fœmineo declinat habitu; nunc fortiter aggreditur, ac mox fortitudinis, fidei, patriæ, Reip. oblitus rurſum arma deponit, Briſeidis raptæ, amoriſque impatiens. iterum tamen Patrocli amiciſſimi hominis mors, ultionis cupiditate inflammatum, contra hoſtem excitat. Tu Carolum heroica magis varietate inducturus es, ſi ex contemptu vilium paucorumq; hominum, ſub Apoſtatæ unius auſpiciis tumultuantium, arma detrectaſſe aſſeras, deinde Fidei, Eccleſiæque provocatum diſcrimine, hoſti furenti armatum ſe objeciſſe, at poſtea ſubjectis rurſum parſiſſe, armis depoſitis memores. Quid? quod & eadem perſona idem conſilium diuerſis viis rectè proſequatur? ut ſuperiores etiam mentes poterunt: ſiquidem ita Pallas in Odyſſea, ad Telemachum Ulyſſis filium in occurſum Patri educendum, Mentæ Regis perſonam induit: non ſecus, atque Angelus Tobiæ ductor. Et Vlyſſes mendici habitu inter procos domeſticos latuit, dum opportunè ad cædem invaderet; nec tu male Carolum ficto habitu hoſtium conſilia vireſque ſpeculantem induxeris. Denique & ipſæ actiones per externas fortuitaſque ſæpe cauſſas mutari variarique ſolent. Ita à cœpto jam opere, auſpicia, prodigia, vatum oracula. ingruens morbus, exorta tempeſtas, improviſus rerum aut ſecundarum aut adverſarum nuntius avocare, atque in contrariam ſententiam impellere eſt viſus Exemplis ſingula probare longum ſit, atque in re parum obſcura ſupervacaneum.

Diverſitas locorum porrò magnoperè eſt opportuna ad rerum quoque (quæ cum locis mutantur) varietatem inferendam. Vnde in ſua Homerus Odyſſea, Virgilius in Æneide rerum copia varietateque inprimis delectant. Idemque in ſoluta poeſi ſtudioſè ſectati ſunt, olim Heliodorus in Æthiopicis, Apulejus in Aſino, & recentiùs Barclajus in Argenide Bidermannus in Vtopia. Et, ut Homeri exemplo utamur, huic in Africam tempeſtate ejecto, difficilè fuit ab eſu loti ſocios avellere: in Siciliam delatus ad Polyphemum, ſex illic ſociis devoratis, pellibus arietum involutus vix cum reliquis indemnis evaſit. inde Æoliam tranſiens, malè de ventis ſecundis cum Æolo pactus, ad Læſtrygonas, mox ad Circen pervenit, quæ ſocios exploratores in belluas tranſtulit, ipſe Pharmaco Mercuriali tutus, ejus tamen conſuetudine malè illectus eſt. Ab hac ad luſtranda Inferorum loca tranſiit, ibique ex Anticlea matre, Elpenore & Tireſia vate de multis redditus certior ad Circen rediit, atque El-

penorem

penorem ſocium nuper in ebrietate de ſcalis præcipitem honorificis exequiis ſepelivit. Poſthæc in inſulas Sirenum, ad Scyllam deinde ac Charybdin, ad Phaëtuſam Solis filiam patris boves paſcentem, ac demum, naufragio amiſſis ſociis ob Solis boves violatos, ipſe vix in malo navis ſalvus, poſt novendialem in mari jactationem, ad Ogygiam inſulam emerſit, atque à Calypſo Nympha hoſpitio ac thalamo ſuſceptus eſt. Hic Septennio moratus Iovis per Mercurium mandato dimittitur, cumque Phœacenſium jam littus contueretur, Neptunus immiſſa tempeſtate navem disjecit, ſed miſerta Leucothoe tabulam deſperato ſuffecit, quâ ad Nauſicaam Alcinoi Phœacum Regis filiam, in portu, delatus, hoſpitium paternâ in domo reperit, à quo navibus doniſque auctus, cum his, dormiens in Ithacæ littus expoſitus eſt. Vbi excitatus à Pallade habitum mendici ad fallendos domeſticos induit. ita ad ſubulcos digreſſus, atque ab his domum incognitus perductus, Euriclea nutrice agnoſcente, ſumptis armis, cum filio Telemacho, & ſubulcis Penelopis uxoris Procos trucidavit, atque illa intacta potitus eſt. En varietatem inſignem ex tot locorum permutatione natam, quæ uſque adeo Virgilio placuit, ut quidquid in ea rarum variumquè, ſuâ ipſe in Æneide, ſecutus ſit.

Facit etiam ad varietatem ipſe exponendi modus, atque ordo: ut præſenti exemplo liquet. Tertiò Homerus Vlyſſem tempeſtati objicit, ſed alia atque alia illius deſcriptione. Deinde neglecto hiſtorico ordine, principium expoſitionis illic ſtatuit, ubi Vlyſſes à Calypſo detinetur, cetera herois facinora, periculaque jam præterita, ipſe poſtea Vlyſſes, apud Hoſpitem Alcinoum, libris quatuor, tanquam hiſtorica narratione complexus eſt. quod idem Virgilio in ſua Æneide placuit. qui Æneæ, à Troja Italiam petentis, navigationem, à Sicilia exorſus eſt, unde in Africam ad Didonem tempeſtate ejecto, occaſionem dedit Æneæ præterita apud illam hoſpitem exponendi. Eſtque hæc tam heroicæ, quàm Dramaticæ Poeſios natura, ut ad varietatem conciliandam, quædam velut præſentia exhibeantur; alia narratione, aut oratione percenſeantur.

Reliquum erat, ut de implicatione ac peripetiâ, ad varietatem ornandam inprimis idoneâ, diſſererem: hæc enim diverſa ita inter ſe connectit, ut illa conſequantur, quæ minimè ſunt exſpectata. qua re mirificè legentium animus capitur ac tenetur. Verùm, cum in Dramatibus illa præcipuè requiratur: ex-

 poſitionem

poſitionem hujus dotis fuſius pertractandæ ad hanc poeſin rejicimus.

CAPUT XIII.

Delectatio fictionibus per amœnitatem conciliatur.

AMœnitas fictionem quoque haud parum ornat. hæc partim in rebus, partim in verborum ſententiarumque cultu poſita eſt, de hac infra diſſeremus; hoc loco rerum conceptuumque amœnitatem ſpectamus.

Res amœnæ ſunt, quæ ſenſum animumque ſine honore grata quadam oblectatione demulcent. uti oculos vernum tempus jucunda frondium florumque ſuavitate occupat, cœli ſidera, florentes hominum vultus, cultuſque, rara picturarum elegantia. aures muſicæ harmonia, guſtum epularum deliciæ. His igitur aliiſque Poeta gaudet, iiſque pertractandis immoratur. per epiſodia etiam digreſſioneſque nonnunquam in uſum tractationemque opportunè traducit. aſperioribus, quæque minus jucunda ſunt, parcè inhæret. Ita Claudianus in raptu Proſerpinæ parum amœno, Ætnæ florentis Dearumque cultarum deſcriptioni inſiſtit, inferni ſitum, utpote horridum, nuptiali in carmine, faſtidit.

Præter hanc amœnitatem alia magis poetica eſt, rebuſque univerſim omnibus convenire poteſt, quæ in appoſita rei imitatione, & repræſentatione viva ejuſdem conſiſtit: picturæ, rem per lineamenta ſingula, & velut nativos colores exhibentis, non abſimilis. Et hæc magnopere delectat, tam in rebus horridis, quàm lætis: cum etiam muſca aut rugoſa anus, ut in tabula, ſic in poeſi aptè repræſentata, ſimilitudine veri amœnitatem quandam inducat ita tempeſtas lib. 1. Æneid. licet eam omnes averſentur, ſuam tamen ex appoſita deſcriptione gratiam obtinet.

Denique & alia quædam amœnitas eſt in ornamentis adſcititiis, inter quæ inprimis eminent aptæ ſimilitudines: quibus mira quædam in poeſi venuſtas ineſt. tales verò oportet eſſe, quæ à rebus ferè illuſtrioribus ducantur: ſimile enim, tanquam imago quædam, ejus rei, quam dicendo exornamus, proponitur; quæ imago, quantò erit nobilior, tantò repræſentata res major pulchriorque videbitur. contra, ubi rem quampiam promere ac contemnere oratione ſtatueris, ſimilia à rebus ignobilioribus

bilioribus petenda, vilem deſpicatamque reddent. Quæ doctrina oſcitanter accipienda non eſt. Nec tamen à remotis nimium accerſenda ſimilia ; ut ſi ad facem deſcribendam ſolis lucem adhibeas, vel contra facem Soli illuſtrando conferas : Neque immoderatè utendum, ut nonnunquam Statius. Virgiliana moderatio laudabilis eſt. Exemplorum uſus ſuis etiam in poematis gratiam obtinet. à fictionibus quidem heroicis dramaticiſque excluditur : in minoribus poematis locum habet. nimia tamen, ut in Ovidii quandoque diſtichis, & Claudiani heroicis veterum fabularum exemplorumque exaggeratio laudem non meretur. Magnopere hallucinantur, qui obſcura horum conſectatione in poetica lauream prenſant. fingere non eſt, aliorum figmenta inutili, & affectata ſolertia acervare. Inſertæ præterea gravium perſonarum orationes, in quibus & animorum affectiones elucеſcunt, amor indignatioque dominatur, virtutum ſubjiciuntur ſtimuli, vitiorum horror ingeritur, amœnè variant, ornantque fictionem.

Caput XIV.

Ratio poetici conceptus formandi.

PRincipio de materia conſtituendum eſt, quæ velut fundamentum conceptus poetici deligetur, illi carminis generi, quod meditaris, idonea. Hæc aut vera, aut veriſimilis ſit oportet. Vera, vel hiſtorica eſt, ut in Æneide, quòd Æneas Troja relicta in Italiam venerit, atque illic ſedem fixerit: & in Iliade occupata per Achillis potiſſimum virtutem Troja : vel naturalis, qualis, in Arachna Naſonis, eſt aranea telam contexens fabulæ totius fundamentum. Veriſimilis eſt, quæ vel hiſtoriæ in modum concipitur, ut Medea apud Senecam, Aulularia apud Plautum : vel ſi hiſtoriæ fidem ſuperet, allegoricè veritatem latentem ſub fictionis involucro ſignificet, & talis eſt Phaethontis, apud Ovidium, paternos currus immaturo conſilio regentis labentiſque, caſus, arrogantis hominis præcipitem lapſum repræſentans. & hæc tropicè veriſimilis rectè dicitur : ut quæ illius quod repræſentat veri imaginem quandam poſſideat. Præter hæc ſiquid Poeta pro materia poematis, & velut baſi, ſumpſerit, vitio non carebit. Vt Claudiani Proſerpina, & Ovidianæ metamorphoſes non paucæ. his enim ſi eloquentiam, tanquam ligneo trunco ſplendidum detraxeris habitum, quid obſecro re-

lictururus es niſi figmentum colu ac nucibus dignum? Fine enim honeſtarum diſciplinarum prorſus excidunt; cum nihil in iis, quod vel intellectum erudiat, vel affectum impellat, reperiatur. Et verò licet naturalem aliquam moralémve Poeta fabulæ veritatem involvat, ſi tamen à remotis nimium peregriniſque allegoriis ſumpta fuerit, qualis ſit e. g ſi per Proſerpinam ſemen, per Plutonem raptorem terra ſeminis ad frugum procreationem, ſuſceptrix, intelligatur: obſcuritatis vitio lucem laudemque non meretur.

Veram aut veriſimilem materiam cum delectu etiam adhibeas neceſſe eſt, illamque inprimis deligas ex hiſtoricis, quæ, neque ignota prorſus, neque vulgata nimium cognitione perſpecta ſit; aut talis denique, quæ religioſa fide veritatis tractanda videatur. Si enim ignota ſit, in rebus arduis par fabulis cenſebitur. adeóque, niſi ad mores inſtruendos, impellendumque affectum diſponatur, inutilis futura eſt uti omnis materia hiſtoricè veriſimilis, fine ſuo excidit; niſi, cùm intellectum erudire nequeat, animum moreſque inſtruat. Quæ cauſſa, cur plures ex Terentianis Plautiniſque fabulis otioſi damnatique poematis cenſuram mereantur; cùm nec intellectum veritate paſcant, nec honeſta animum affectione imbuant. Senecianis pleriſque tragœdiis danda venia; cùm, ut fabuloſæ ſint, vitia tamen ad horrorem fugamque potius, quàm imitationem proponant. certè ignotiores pleræque ſunt, quàm ut hiſtoricam fidem mereantur, atque iccircò inter res veriſimiles habentur, ſuntque illarum legibus regendæ. Nec planè cognitæ ſuis adjunctis materiæ laudem obtinent (quamvis in poematiis fictionum vacuis admittantur) quod fingendi ad veriſimilitudinem hiſtoricam Poetæ facultatem adimant, quam intereſt, in Dramaticis præſertim, non amittere; quod hæc, ad variandas implicandaſque inopinatis caſibus actiones, neceſſaria ſit: neque altera metaphorica veri ſimilitudo id aptè poſſit: cùm nemo in apertè fictis erroribus tantopere aut admiretur, aut ad exitum ſolicitus anhelet. Par in iis hiſtoriis ratio, quas S. literæ enucleatius ſuis adjunctis exponunt: ut D. Petri negatio, Chriſti nativitas & paſſio His enim multa fingendo vel addere, vel detrahere meritò ſit religioni. At ubi paucis ſubſtantia rei geſtæ exponitur, adjunctis præteritis, quemadmodum in Ioſepho vendito, atque in Ægyptum traducto, per vaticinia evecto, per continentiam fido, aliiſque hiſtoriis factum; nihil obſtat, quo minus

Poëſi

Poëſi ſerviant, quanquam cavendum diligentius, ne quâ fingendi licentiâ veritati exploratæ derogetur.

Alterum eſt, ut poſt fundamentum ex delecta materia poſitum, fingendo veluti ſuperſtruas. Age igitur, & materiam quam ſumpſeris ſuis adjunctis expende. Vis cum Homero proficiſcentem in patriam poetica imitatione exprimere? Primò univerſim cogita quæ proficiſcentibus mari evenire ſoleant. Providendum de navibus & annona. in progeſſu magna diſcrimina, tempeſtatis, naufragii, annonæ deficientis hoſtium aut piratarum occurrentium. in portu hoſpitia, nunc bonorum fida; nunc infida perditorum. blanda ſocietas; & illecebræ, vel perverſa gens, incultæ regiones. patria denique aut deſerta & ingrata: aut culta & illuſtris. Ex his, tam in fictione rara atque eximia Homerus traxit, ut Virgilius æſtimator earum rerum prudentiſſimus iiſdem penè veſtigiis inhæſerit, judicii quidem laude Homero ſuperior, quod minus probata rejecerit, veroque ſimilius finxerit. ſed ingenii inventioniſque honore inferior, quod jam repertis liberalius uſus ſit. Verùm, quàm multa ſunt, quæ in proficiſcente vel Vlyſſe, vel Ænea præterita videmus ad poëſin opportuna? Et ut Homericum Vlyſſem, cujus ſupra exemplum ſtrictim dedi, expendas. quoties hunc in tempeſtates navigantem conjicit? an non poterat varietatis gratia illum Trojanis aliquando hoſtibus in mari pugnantem objicere: modò felici, modò pari eventu, quem in tabula natans ſortitus eſt? an aggreſſores piratas, aut aſtu, aut fortitudine deludere, & prædatorias naves in prædam victoriæque fructum convertere? Cur fortem cetera hominem, & fidiſſima amantiſſimaque uxore fretum, tot amoribus, fœdaque tot annorum legitimi thori oblivione implicat; ut vix portum, ſine hac mentis aberratione, prudentiſſimus Græcorum occupet? an tam inſanæ illic paſſim Reginæ, & Principum filiæ, ut ignotum nudumque hominem, ſuis quamprimum dignarentur nuptiis?

Et potuit id adeò placere Virgilio, ut eandem labem Heroi pio ſapientique affingeret? ſatius fuerat Vlyſſem illis nonnunquam illecebris cautè caſtéque repugnantem inducere, & perire Didonem aliquam inſano amore nunquam potientem. quid heroe dignius, rariuſque exemplo, quàm blanditiis libidineque æſtuantem mulierem negligere, & illæſis oculis, ac

magis animo, pereuntem intueri? cur non alibi ſimulata hoſpitii humanitate acceptum, atque in ſervitutem redactum Vlyſſem, generoſa denique ſeſe & victrici prudentia in libertatem, repensâ ſervitute, vindicantem induxit? Cur Telemachum, quem tanta Pallas cura, ſed ad otioſum ſpectaculum Patri obviam eduxit, non alicubi cum ignoto parente ad rem grandem implicatamque committit, dum inſperata notitia amoreque concilientur? Cur non alibi extrema rerum inopia, & nuditate conflictantem virtute ac ſolertia, per occupatas hoſtium opes ditatum inducit? Hæc ſanè aliaque complura in virum talem peregrè oberrantem caderent, quæ omnia Homero, finem modumque operibus ſtatuenti, proſequi, nec libuit, nec licuit. Ceterum ad tanti viri prudentiam fortitudinemque extollendam facere poterant. Par ratio, ubi militem, mercatorem, religioſum, aut quamcunque perſonam ſimilem deſcribendam ſuſceperis. Inprimis certa aliqua ipſius actio tibi deſignanda eſt. (nam vagari per omnia, niſi forte in Panegyri, fecunditas poetica neminem patitur) hanc ſi heroë dignam videris, heroicis illa verſibus tragicisve fusè; aut ſtrictim Horatiano metro, Aſclepiadeis Phaleuciiſque ornari poterit: in his fingendum ſobriè, magis in iſtis fictione luxuriandum eſt. Si actio heroica non fuerit, inferiori & accommodo carminum genere eſt pertractanda. de quorum tam ad conceptum fictionemque, quam elocutionem natura ſingulatim agendum. Hic etiamnum conceptibus poeticis univerſim formandis inſiſtimus. Quæ de actionibus humanis, eadem de rebus, vel gravioribus, vel levioribus quibuſque, ſententia eſt: cum in utriſque, tam fictionum, quàm carminum genera idonea adhibenda ſint.

Tertium eſt præcipua, ſive hiſtoriæ, ſive fictionis membra, exornare deſcriptionibus rerum ac locorum, orationibus ac comparationibus, quæ longum ſit ex Homeri Odyſſea adducere.

CAPUT XV.

Exemplo declaratur hac concipiendi ratio.

AD facilitatem majorem imitantium faciet, ſi in graviori primum Poeſi concipiendi fingendique rationem exemplo à principiis ducto tradamus; tum ad inferioris poeſios conceptus tranſeamus.

Sit nobis pro exemplo Alexius Romanus Adoleſcens Euphemiano & Aglaide parentibus primæ nobilitatis natus. Deligatur heroica illa actio, qua Deo placendi ſtudio, & caſtitatis paupertatiſque amore parentes & ſponſam ipſo nuptiarum feſto deſtituens, noctu ad portum digreſſus Laodiceam, ac mox, cum Agaſonibus, Edeſſam Meſopotamiæ urbem pervenit; ubi ſuis in pauperes effuſis, vili centone ante Deiparæ ædes ſtipem emendicabat, quam à parentis etiam famulis ad inquirendum ſubmiſſis, ignotus ſuſtulit. quod ſuperabat ex ſtipe aliis impertiebatur. Sed Deiparæ oraculo proditus, cum inclareſceret, Tarſum Ciliciæ nave cogitans Romam appellitur: ubi ipſi parenti obvius, in angulo ad domus veſtibulum precariò locum ſortitus, ludibrium famulorum, tenuibus paternæ menſæ reliquiis vixit, dum jam morti proximum Pontifex & Imperator inter ſacrificium monitus inviſit, atque in defuncti manibus deprehenſa charta eſt, quæ facti ſeriem Euphemiano & ſponſæ attonitis expoſuit. Hæc veritatis hiſtoricæ ſeries pro fundamento erit ſufficietque ad Alexiadem integram Iliadi aut Æneidi magnitudine æquandam; modò, ut par eſt fictionibus poeticis exornetur. Humiliorem aliquantò materiam pro exemplo accepi, ut animadverteres, qua hæc arte per fictiones ad dignitatem extolli poſſet. Ceterum, aut Rudolpho Auſtriaco rara fortuna ad imperium elato; aut etiam Carolo quinto rariori illud virtute deferenti locus erat.

Fictionem duplici ratione ſuperius declarata inſtitues. Primò hiſtoriam novis rariſque adjunctis, proximè ad veri ſimilitudinem, extollendo. Quid hic facturus es? De perſonis cogitandum, quæ ad hanc actionem concurrant. Superi atque Inferi, pro Alexio, adverſuſque illum, impellentes ad opus tam arduum; contraque hunc conatum retardantes non deerunt. Noariſtus, Theandria, Vranie, Lucraſia favebunt Antitheus, Gameſis, Sarsophile, Coſmetis &c obſtabunt. Mediæ perſonæ erunt Thalaſſus, Philaurus, Pancarpa, Archibius. Omnibus Pantopater ſummo imperio præerit. Verùm in perſonis humanis Alexio ad hanc actionem ſociandis gravis eſt difficultas: quia res, quam aggreditur, & humilis eſt, & ſolitaria. inops & nudus vagatur iſque vel ſolus, vel inter mendicabula. proinde nec actiones, nec perſonæ heroico aut tragico dignæ poemate occurrunt ut iccirco, hæ ſimileſque materiæ, non facilè ad graviorem poeſin ſint adhibendæ. Nos tamen in heroica, licet pri-

vata

vata & ſordida actione, illas tantum partes delibabimus, quæ gravium perſonarum ſocietatem admittunt. Inprimis nuptiæ celebres illuſtreſque viris Principibus exornentur. Euphemiano atque Aglaide parentibus, & Eudocia ſponſa, Imperatore Honorio, Claudio, & Trivultio Proceribus. Aliæ deinde perſonæ graves illi Laodiceæ, ac poſtea Edeſſæ jungantur, quæ poſt acceptum Deiparæ oraculum, ejus vitæ rationem poſcant. uti ruſus Romam ad parentem appulſo, in agone luctanti, vitæque obſcuræ ſeriem detegenti. Poterit & in navigatione ac tempeſtate, cum aliis varia fortuna conjungi.

His partibus heroicæ actionis per fictionem opportunam conſtitutis, diſtributionem poëmatis antè inſtitues, quàm ſcriptionem aggrediaris. Si dramaticam poëſin cogitas, & totam, ut hiſtoricè expoſui, actionem cupias imitari. Ultimam tantùm in paternam domum receptionem, cum morte & agnitione inſperata licebit per actus ſcenaſque explicare: nam hæc ſolum ita à tempore poteſt abſtrahi, ut ſimul facta exponi queat. Cetera de nuptiis deſertis, ab Euphemiano; de iis quæ in via Edeſſæ evenerunt, inſpergi narrando opportunè ab Alexio, aut peregrino aliquo homine factorum teſte poterunt, quibus perplexum Euphemianum de filio ſuſtineat. Poterunt etiam ſplendidè inſtitutæ ac deſertæ denique ab Alexio nuptiæ integro Dramati ſufficere: nam hæ conjungi in unius diei ſcena, unà cum morte nequeunt: ob temporis locorumque intervenientium diſcrimina, & Alexii ex juventute in ſenium tranſitum, quæ ingens requirunt intervallum. Si heroicum poëma moliris, ut pars rerum geſtarum narratione perſtringatur. Poterit à portu Laodiceno auſpicari, atque inde Edeſſam hinc rurſum ejectum Romam Poëta deducere. Ita enim de Nuptiis, fuga, navigatione, quæque inter hæc rara evenere, Edeſſæ partim apud Præſules, partim Romæ morituro apud Pontificem & Imperatorem licebit exponere. Nos, primo fictionis genere, hiſtoriam veriſimiliter exornemus.

1. Deprehendit nave exiens in portu Romanos juvenes, qui agnitum, ad urbis Laodiceæ Principem hoſpitii gratia deducunt. Vbi diſſimulator propoſiti magna humanitate cultus, inſanis filiæ amoribus nequicquam ambitur. atque iccirco diſceſſum molitus, cum inſequens filia in mare ante ipſius conſpectum ſeſe ageret præcipitem, à parente, tanquam filiæ per philtrum dementator, interfectorque, attinetur carceri-

bus,

bus, ſuique purgandi gratia publico ſpectaculo, fruſtra ſociis intercedentibus, cum urſo ac deinde leone pugnando committitur, quorum utrumque poſtquam magna arte viribuſque ſuperaſſet, innocens pronunciatus eſt, magnoque honore cultus. Hæc pars duos inſignes actus totidem libris exponet. primus convivalem hoſpitis menſam lætitiamque, tum amorem filiæ fortiter caſtéque rejectum continebit. Deſcriptiones loci amœni epulique illic exhibiti, tum inſanè amantis Phyllidis, ejuſque formæ, ac fortiter repugnantis Alexii. Amor ſcintillæ, à qua, non ſubito ejecta, ingens exiſtat flamma, & gangrænæ, vicina, niſi reſcindatur, depaſcenti comparabitur. Conſtans & tentata caſtitas, vel Salamandræ, vel adamanti inter ignes &c. àt, ne ſim nimius, hæc ornamenta in ceteris omittam. hic ſignaſſe ſufficerit. Sed & illud obſervatu dignum, quod Symbolicus ſit hic amor Phyllidis, per quam carnem repugnantem intelligo, uti in parte altera (quam libro ſecundo deputo) urſus & leo ab Alexio victus, concupiſcibilem iraſcibilemque in homine appetentiam debellatam ſignat. Illa etenim divinam vitam meditanti pugna ſubeunda eſt. Quare & hoſpes Princeps Coſmius, tanquam Mundi genius, appellari poterit. Et ſociorum alter Eubulus alter Automatus, quaſi boni conſilii, & voluntatis propriæ miniſter. quod conſilio & voluntate res magnæ gerantur. Hæc verò, ne ſine Numine geri videantur, Antitheus cum regalibus donis, veſtibuſque ac philtro Gameſin ſubornet; ſed dolo per Noariſtum aperto. Idem pugnaturo Empuſæ terriculamentum objiciat, per Theandriam in beſtiarum ora verſo &c. verum de his infra ſeorſim rectius.

2. Ab hoſpite Laodiceno diſcedenti Alexio adhærent conjurati ſocii, terræ ſanctæ inviſendæ gratiâ. ſed Agaſones, quibus ſarcinas per viam commiſére, media peregrinos in ſilva ſpe prædæ aggrediuntur: dum ancipiti in prælio denique Agaſones quinque (uno ſociorum fuga vitam tuente) à tribus proſternuntur, Alexio ex vulnere ſaucio, Automato ſuccumbente, & ſocius Eubulus, poſito ſplendido habitu ut inſidias vitent, Agaſonum cultu aſinos cum ſarcinis ante ſe Edeſſam agunt. verùm à prædatoria cohorte obvia ſarcinis ſpoliati, verberibuſque inclementer tractati, Aſinos ad urbem piſtrinumque ſequuntur: ubi tanquam alieni poſſeſſores, interfectoreſque Agaſonum detinentur, jamque ad ſupplicium damnati,

ab Agaſone per fugam reliquo, ex tali habitu non agniti, abſolvuntur de crimine. Alexius vilem Lacernulam cum ſocio, quodque ex pecunia relictum, in pauperes effundit, ſeque mendicabulis ad Deiparæ ædem ſocium adjungit. Hæc rurſum ſymbolica: cum Agaſones quinque totidem ſint noſtri ſenſus, qui corpus tanquam aſinum brutali affectu impellunt, oneratum rerum temporalium ſarcinis; ſed hi à religioſo Dei cultore, ob rebellem impetum frangendi ſunt, quamvis ſenſus aliquis ad vitam tuendam neceſſarius maneat. Automatus occumbens & ſub arbore palma relictus, eſt voluntas propria per victoriam ſuperata & relicta. Antitheus hic quoque ſuperioris pugnæ, & armorum inſtructor adſit.

3 Peſtis tota urbe Edeſſena, magnis cladibus ſævit, humaniſque remediis deſperatis, ad divinam opem confugiunt. quando, ſublato jam urbis Epiſcopo, Præſul Eunomius per ſomnum monitus, deſpicatiſſimum urbis incolam ſubſidio fore; poſt multam inquiſitionem Deiparæ oraculo Alexium eſſe cognoſcit. Ad quem in veſtibulo templi hærentem, tota urbs confluit, opemque, ut quiſque hunc attigit, ſentit. Ad Judices Eccleſiaſticos poſtulatus vitæ anteactæ ſeriem, deſertos parentes, ſponſam, fugam ejuſque diſcrimina exponit. ſocio Eubulo eas virtutes, quas per modeſtiam declinabat, interpoſita narratione, exponente. Ergo omnium votis ſuffragiiſque in Epiſcopi defuncti locum poſtulatur. Alexius multis rationibus contra obniſus; denique, ceu victus precibus, accepturum ſe ſimulans, clam abitum machinatur.

4 Nave cum Eubulo ſocio occultè acceptus ingens tempeſtas, à Tarſo inſula, quo curſum dirigebant, ad Italiam avertit: jamque naufragio imminente, primùm ejectæ merces, poſt ex hominibus peregrini ante reliquos exturbati, in quibus ſuaviter concinens Alexius, Delphini exceptus dorſo expoſitus eſt ad Italiæ littora. ubi in propinquum templum ad orationem digreſſus, ab Vranie in cœlum raptus. illic beatorum ſedes, ingentemque ſibi olim inſtructam aulam eſt contemplatus, Avum etiam fratreſque reperit, à quibus de futuris cognoſcit, ſeque in patris amplexibus Pontificiſque atque Imperatoris præſentia moriturum intelligit. Hinc ad infernum ductus iſtic damnatorum tormenta, & Automatum ſocium, quem nuper amiſerat, vidit, tum recens in tempeſtate merſos à Dæmonibus abripi conſpexit. Inde reſtitutus ſuo eſt templo, ac littori; quo non multò

multò poſt, claſſe naufraga, in vaſe Eubulus adnavit. Hic malus genius Polymorphus, ſpecie Ephori adoleſcentis occurrit, & Tarſum hanc eſſe inſulam mentitus, Romanæ urbi ignorantem inducit, atque in media urbe agnoſcentes patriam deſtituit.

5. Alexius rerum novitate perculſus, & maligni ſpiritus fraudem obſervans, ipſum mox videt magno Satellitum comitatu parentem obvium. fraudem igitur fraude ultus, ad ipſius ſe pedes abjicit, illamque cum ſocio gratiam exorat. ut in veſtibulo domus ſub gradibus locum habeat, tenueſque menſæ reliquias mereatur. at famulis tam ſordidum hominem averſantibus, ludibrio & probro fuit. Interea ſponſa Eudocia in ſomno de ſponſo reduce per Sarcophilen admonita, ex conclavi obviam provolat; ſed ad hoc hominis ſpectrum conterrita receſſit.

6. Natum Romæ incendium aliquot urbis abſumpſit baſilicas ædeſque, Euphemiani ædibus inter medias flammas intactis, cujus cauſſa relliquiis SS Apoſtolorum præſentibus tributa. Sed Pontifex admonitus ſanctitati hominum illic viventium deberi. Euphemianum magno honore coluit, atque iccirco urbis præfecturam addicit. quam aditurus Euphemianus gravi ad terram caſu, ac ſubinde lethali morbo affligitur, cujus vim oblatus parenti in ſomno, priſtinâ notâque ſpecie, Alexius abſterſit, ſimulque monuit periculoſa dignitate abſtinendum.

7. Euphemianus beneficio ac deſiderio filii inflammatus, à domeſticis atque ipſo etiam Alexio tum urbe Roma preces flagitat publicas, ut quid ſuo factum filio, quo is fato, locoque functus? ita enim ob viſum nocturnum ratus) ſuperis revelantibus intelligat. tum funebrem inſtruit pompam perquamque honorificam qua, ubicunque tandem mortuum, proſequatur. Interea Alexius de ſua morte cœlitus edoctus, Euphemianum tranſeuntem admonet, bono eſſet animo, propediem fore ut filium præſentem agnoſceret.

8. Euphemianum inter ſpem metumque anxiè fluctuantem Eudocia magis etiam terret aſſerens ſibi per noctem Alexium cadaveroſa & tetra oblatum ſpecie, ex accepto à ſe annulo cognitum. Pontifex quoque atque Imperator in D. Petri baſilica inter ſacrificium de viro Dei apud Euphemianum quærendo admoniti, reperiunt Alexium jam cum morte luctantem, ſed ignotum. Hunc igitur, cum famuli non pauca ſanctitatis argumenta dediſſe memorarent, jam vitâ functum, in locum illuſtriorem

trans-

transferrent, atque incluſam manibus ſchedam explicantes, Alexium eſſe, ipſo per ſcriptum teſte, & facinora omnia, latendique cauſas manifeſtante, comperiunt. quo facto, & parentes & ſponſa à tam charo pignore, amore atque admiratione defixi, totaque adeò civitas ſtupore plena, avelli vix potuit. Surdis, mutis, obſeſſis à Dæmone, leproſis vel aſpexiſſe funus ſaluti fuit, tota urbe nullo, niſi cœlitum, impellente æs campanum, applauſit. Imperator arcâ marmoreâ, Smaragdis pretioſe excultâ, corpus condidit, quod ſeptendiali exequiarum ſolennitate, triumphantium ritu in Vaticanum elatum eſt. En hiſtoriam poeticis fictionibus ad veriſimilitudinem ita excultam, ut veritate integra quibuſdam tantùm adjunctis ſit exornata. In quibus plura etiam ſymbolica: ut Edeſſena peſtis, quæ vitiorum ab Alexio profligatorum imago eſt; ut ſecuta tempeſtas, concupiſcentiæ fluctus deſignat, & incendium Romanum, urbis ambitionem libidinemque notat. Paucos ex ampliſſimo campo legi manipulos, qui tamen Æneidos molem æquare poſſint.

Nunc altero fictionis genere, quod metaphorica veriſimilitudine acquieſcit, eandem hiſtoriam magis etiam exornemus. In hoc ſeſe Poeta, diverſum ab oratore, per ſymbola, emblemata, atque ænigmata effundit, audaciuſque per figuras, & monſtra rerum, perſonarumque novas imagines extollit. Quaſdam tantùm in Alexio partes brevitatis ſtudio perſtringam, ante minus diffusè tactas. Dubitat Alexius ipſo nuptiarum die, adhæreatne, an ſponſam deſerat? Quæ cauſſa? expendamus. hinc caro, opes, honores; inde Deus & cura ſalutis in diverſa impellunt. Adhiberi igitur inprimis conſilia, & minæ, & inſidiæ Dæmonum, contraque & cœleſtium geniorum concilium poterit, quo ſtatuant vindicandum ſibi Alexium eſſe nomina ſuperius dedimus. Noariſtus Theandriam & Lucraſiam ableget, quæ cœleſtem ipſi ſponſam Vranien offerant, modò Eudociæ abnuntiet. quorum illecebris captus Alexius Theoróto, id eſt, Amore divino, & Eubulo boni conſilii angelo ſociis, deſerta Eudocia, Vranien terra marique inquirat, variis objectis edomitiſque monſtris. ad ipſas primum Sirenes (hoc eſt voluptates) frangendas contendat, quas exciſa lingua obmuteſcere faciat. inde ad inſulas vicinas delatus Pamphagum Gigantem vaſta mole obvium habeat. qui triginta ventres totidemque manus atque ora ferebat, (gulam intellige) quique illatam Sirenibus injuriam ultum veniebat, bovemque pelle nudatum tanquam nu-

cleum

eleum decorticatum, manibus tenebat, perque ora hiantia gerebat. hunc, quòd excutiret, ipſe cum ſociis per inſidias à tergo & fronte adorti ſunt; verùm oſſibus ille pro armis uſus humi ſæpius obſtantes afflixit, donec irritando, velut canem rabie efferatum, ad præcipitium excutientem abducunt, ubi ingenti lapſu profligato inſtant, moxque præputatis, ut poterant manibus, inutilem truncum ſanguine ac fame deficientem relinquunt. Chryſandra inſulæ Regina magnopere infeſto ſibi homine ſublato lætatur, magniſque heroes muneribus veneratur, atque ad Harpyjas rapaciſſimas ejus loci aves (Avaritiam puta) quæ innoxiè ſuis illam opibus frui non paterentur, tollendas invitat. Verum illi dona aſpernati, quod gratuitam ſe, non venalem fortitudinem mortalibus impendere dictitarent, Harpyjarum tamen delendarum curam ſuſcipiunt. Quocirca deceptas eſcarum illecebra partim hamis, partim caſſibus implicitas, jaculis confecerunt. quarum ſanguis venenatus ſiquos infecerat, hos ſiticuloſa lues tactos afflavit, quæ longè latéque ſparſa ingentem vim hominum corripuit, Regina nequaquam intacta. Funeſtâ igitur victoriâ potius cum ſociis Alexius, Inſula ceſſit. Sed, ut monſtrorum ferax locus eſt, in ipſo ſeſe portu ſpecioſiſſima abeuntibus matrona objecit (Polymorpham vocabant) quæ Poppæa Neronis dici potuiſſet, tanta hæc affluebat ſatellitum manu, tamque eleganti cultu formam extulerat, ut ſuper Reginarum etiam apparatum efferretur; frons tamen elata, & vox proterva, minus amoris merebantur. quæ ubi fruſtra venerationem ab heroë prætereunte expectaſſet, indignationis plena, efferari vultu, crineſque in ſerpentes, habitus in terribilis armaturæ formam demutari, tum quotquot clientes aderant in leones tigridéſve verti. Conterruit ea res Alexium, at Theoroto præſtigatricis caput audaci ictu perſtringente, ſanguis vireſque hauſtæ intercidere. feris objecta ingens deinde foſſa viam præcluſit, quæ iccirco inani tantum rictu rugituque auras quatiebant. in quas dum jaculis Alexius cum ſociis deſæviret, prout quæque vulnus accepit, in ſaxum verſa eſt. Polymorpha, deficiente furore, humo tuſa, lento ſenſim malo contabuit. (quæ Superbiæ, Iræ, invidiæq; profligatæ quædam imago eſt) Alexius deinde tutò in navem receptus, Laodiceam curſum intendit.

En ut ænigmaticis fabularum involucris ſuperata ab Alexio vitia, tanquam monſtra ab altero Hercule edomita, proponantur.

tur. quorum allegoriam erudito lectori evolvendam relinquo. nihil enim myſterio vacat.

Paulò aliter, minuſque difficili inventionis labore, eadem fictio inſtitui poterit. Expende affectus animi, eiſque vitia ſuperata oppone. Alexius Amoris divini panoplia indutus, tum inſtructus artibus, cupidinis ſagittas in duello innoxius excepit, Veneris blandimenta in gynæceo torvus deſpexit, Hymenæi laqueos in palæſtra arte declinavit. Contra honorem denique ita pugnavit; ut proſtratus ipſe, demiſſionis conſilio, in terram, vanè exultantem oſtendentemque in proſtratum Alexium, ſuo pugione lethaliter afflictum, dejecerit. Voluptatem porro fugiendo Parthorum more ſuperavit. Verum inter multorum inſidias hoſtium, ſumpto pauperis habitu, perſonam mentitus, delituit, atque in Eremi latebris Coſmi graviſſimi inimici arma arteſque vitavit. Antitheo tamen & Sarcophile (Dæmone ac carne) perſequentibus, in fuga per vim fraudeſque appetitus, vix tutum adverſus vigilantiſſimos hoſtes reperit præſidium. Silvæ igitur incluſus, ut graſſantium ferarum (appetitionum malarum) præda eſſet. feras ipſas manſuetudinem, muſico concentu, velut alter Orpheus, edoctas in ſervitute atque obſequio habuit, bigiſque per ſubactos leones provectus in patriam, tanquam Hercules exuvio ferarum tectus, armatuſque clavâ, paternam domum ignotus reviſit, atque inter ultimam contemptus plebem fortiſſimus athleta, ſerviliaque opera emancipatus vixit donec Hyperephaniam, (ſuperbiam puta) tyrannidem Romana ſibi in urbe vendicantem, nova inſidiarum ac pugnæ genere, per cuniculos arce intercepta, captivam duxit, Superique ipſi tanto ſtratego triumphum decernerent. quo ad cœleſte Capitolium albis equis novoque Eliæ curru evectus, ſtupentem agnoſcentemque ſerò Romam Alexius reliquit.

Paulò hæc apertiora ob neglecta perſonarum ænigmata, licet actionibus perinde, ut antea, fictis, quibus etiam (uti in primo fictionis genere) Superiorum mentium conſilia actiones, opem obſtacula licebit admiſcere: ita modò Polarchon, modò Philaurus facilè naviganti ventos ſufficiant; modò offenſus, aut ab Antitheo furente inductus Pnœpus Tarſum cogitantem fœda tempeſtate rejiciat. Sarcophile adverſus urſum leonemque pugnaturum periculis exponat, ſed objecta nube, aut cœcatâ ferâ, Vranie protegat; Gameſin, in nuptiis inſidiantem, vinculis adſtringat &c. quæ cujvis non omnino noſtrarum

ſtrarum præceptionum rudi in promptu futura arbitror.

Ceterum hæc duo fictionum genera, ita ſibi invicem permiſcenda erunt; ne uni alterive perpetuò adhæreſcas; ut exemplo Virgiliano patebit: cum hæc inprimis varietas delectet. Nos ſeparatim dedimus haud difficulter ſocianda, ut fictionis cujuſque natura tantò eſſet manifeſtior.

In generali hujus poematis conceptu, particularium ſimul poematum concipiendorum ratio operitur. Quod, ut magis intelligas, viâque ad imitationem & profectum maxime compendioſa ducaris: ſummi Maronis poeſin, quâ nihil, ſive ad conceptum, ſive ad elocutionem abſolutius Reſp literaria poſſidet, per libros, tanquam partes diſtributam, in noſtra principia reſolvam, tum ut illius penetrare artificium; tum ut imitatione idem exprimere valeas Hanc iccirco ad juventutis ſcholarumque uſum, rudi labore, ſine occulta perſonarum fictione, ut facilior eſſet cujuſvis apprehenſio ſubjecti. Quâ videas, ad omnem poeticæ facultatis copiam, unum penè Virgilium ſufficere.

Caput XVI.

Poetarum Principis exemplo concipiendi ratio magis exponitur.

Hiſtoria Æneidis, parum certâ veritate, à priſcis petita autoribus eſt; ut quæ in illa ficta non ſint, haud facilè diſpexeris. Neque illud magnopere ad artis explorationem nobis videtur neceſſarium. Quocirca ex iis quædam velut hiſtorica ſupponemus, quibus deinde ornandis poeſis acceſſerit. Ceterùm, ad hiſtoricum totius poeſios Virgilianæ argumentum ſuffecerit: Æneam à capta Troja cum aliquot navium ſociarum claſſe, per mare Mediterraneum, in Italiam contendiſſe atque illic poſt heroica facinora & debellatum hoſtem, ut Regis generum ſedem fixiſſe. Licuit enim Poetæ & navigandi occaſionem exitumque conſtituere, & totum navigationis & belli curſum per incertos caſus eventuſque, hoſpitia locorum, temporum ſpatia, contractas amicitias & odia diſtribuere: ut qui veriſimilia pro veris habeat, cùm horum cognitio deficit. ſiquidem rem ſingulis diſtinctè explicatèque partibus, ex officio, tanquam pictor imaginem adumbrare teneatur: in qua turpe ſit membrum aliquot neglectum eſſe. Quidam verò colores atque in cultu habituque corporis ornamenta, elegantiam quoque, citra reprehenſionem,

henſionem, conciliabunt. Age, Virgiliano exemplo docearis in particularium etiam poematum uſu & fingere, & imitari: nam univerſale Heroum epos condere alibi te docebo, ubi ſeorſim de illo tractabitur.

CONCEPTUS LIBRI I. ÆNEIDOS.

HIſtoria. Æneas Trojanus, ſeptimo anno erroris ſui, à Sicilia, per mare Tyrrhenum Italiam petit; ſed claſſe tempeſtate disjectâ, ipſe ad Libycum littus appellitur, ubi venatione cervorum ſe ſuoſque reficiens, Carthagine ſocios reperit, & à Didone honorificè excipitur.

Poeſi. I Præmiſsâ invocatione Muſarum, & propoſitione, fingit Iunonem (quæ aerem tempeſtatibus obnoxium deſignat) varias ob cauſas, præcipuè Carthaginis olim diruendæ, & judicii Paridis, Trojanis & Æneæ offenſam, ad Æoli, Ventorum Patris, Regiam contendiſſe obtinuiſſeque, ut ventos laxato monte emitteret, qui variis caſibus disjecère claſſem. II Fingit ad ſedandam tempeſtatem Neptunum prodiiſſe, increpitoſque ventos, quod alieno in regno furerent, ad Æolum remiſiſſe. *Ornatur* pars prior deſcriptione Carthaginis & maximè tempeſtatis; altera ſedati maris, per comparationem ductam, à ſeditione vulgi per gravem virum compoſiti. III. Fingit, poſt egreſſum in littus Africæ Æneam, hærentemque anxiè de ſociis, Venerem pro Ænea filio Iovi ſupplicaſſe, qui futura de novo illius, in Italia, regno, de Alba Aſcaniique Imperio, de Romulo deinde ac Remo Romæ conditoribus, de Iulio denique & Auguſto Cæſaribus expoſuerit. *Ornatur* hæc pars deſcriptione portus marini, & præparatione prandii, tum Æneæ conſolatoriâ, quâ animos ſuorum in rebus adverſis erigit. IV Fingit Venerem ſe offerre Æneæ, habitu Spartanæ venatricis, inſtruere de loco & Didone, auditâque ab Ænea viæ causâ & ſociorum clade, eum de claſſe recuperanda ſolatum, oblato etiam cygnorum augurio eſſe; denique ſeſe vero habitu diſparentem manifeſtaſſe. V. Fingit à verſu 422. Æneam Carthaginem progreſſum, & non obſervatum obſervaſſe illic omnia, atque inprimis quemadmodum Socii Teucri (quos periiſſe exiſtimarat) humaniſſimè à Didone in templo novo exciperentur. denique, & ipſe, ſolutâ nube, apparet, gratuſque hoſpes admittitur. *Ornatur* hæc pars deſcriptione Carthaginem ædificantium, ſimilitudine ad apum labore ducta; tum cultu & loco templi

ſurgentis,

ſurgentis,& picturæ in eo repertæ, quæ bellum Trojanum referret: denique habitu & oratione Didonis ad Teucros & Æneam. VI. A verſu 647 fingit Æneam munera à Didone accepta, per Achatem ad naves & Aſcanium accerſendum miſiſſe; ſed Venerem ſopito in luco Idalio Aſcanio, Cupidinem in ejus forma habituque ſubſtituiſſe, qui cum muneribus ad Didonem (lautè inter hoſpites convivantem) acceſſerit, ſimulque cum donis amoris flammâ erga Æneam accenderit. *Ornatur* deſcriptione regiarum veſtium, convivii, ſacrique, & muſicæ adhibitæ.

Subjiciam in uſum ſtudioſæ juventutis argumenta & materiam imitationis in partibus hujus poeſios inſtituendæ, ut per haſce tanquam velitationes, ad juſti denique prælii repræſentationem erudiantur.

Imitatio propinqua, ad ſimilem materiam adhiberi poterit. ut eſt, expeditio Caroli quinti in Africam altera, quâ miſerè terrâ marique jactatus eſt tempeſtatibus. pro Venere hic ſerviet Gloria pro Iunone Invidia &c. & D. Paulo naufraganti, & humaniter deinde in Melita excepto, aut Xaverio in Indicis navigationibus jactato, à Rege Bungi perquam honorificè admiſſo applicetur. pro Venere Fides: pro Iunone ſit Perfidia. Aut certè diluvio humani generis (hinc Iuſtitia; inde Clementia pugnantibus) adhibeatur: Æoli vicem Pnöepus, Thalaſſus Angelus Neptuni perſonam ſuſtineat. Verùm non ubique pars ultima libri ſerviet. in D. tamen Paulo, & Xaverio, adde etiam Carolo, adhiberi poterit. Remotior imitatio futura eſt ſi aut Chriſto inter necem innocentium in Ægyptum ejecto: aut mortuo in cruce, atque à matre deinde, vel etiam cœlis, recepto applicetur. Illic enim Iuno Ambitio vel Invidia; Venus diuina Pronæa; Æolus Herodes vel Caiphas. Venti furor & livor; tempeſtas cædes eſſe poteſt. ſuus & locus Amori divino, pro Cupidine, erit. Ceterũ magis etiam metaphoricè ad Adoleſcentem in mundo variis caſibus & affectibus, tanquam in mari jactatum, effingere ad hoc exemplar poteris. hinc Venus, ſeu Voluptas: aut etiam Iuno, vel Superbia alliciat, jactetque; inde Virtus, Pietas, ſeu Conſcientia ducat, atque in portu, aut arce Religionis tutum deponat. Porrò in partibus hunc librum imitari, ſeu proximè, ut cum urbem, tempeſtatem, convivium aliquod deſcribis; aut etiam remotè, cum arcem excelſi animi, tempeſtatem affectuum in homine &c. exponis, non erit difficile.

CONCEPTUS LIBRI II. ÆNEIDOS.

H*Iſtoricam*, ſeu quæ inſtar hiſtoriæ eſt, Trojæ per fraudem Sinonis captæ narrationem hic liber complectitur, quam hoc & ſequenti libro Æneas Didonis gratia inſtituit. Græci enim cum decennio vi Trojam occupare non potuiſſent, ſimulato diſceſſu, Sinonem ſpecie perfugi, cum equo ingenti ligneo armatis repleto, in agris relinquunt quem Sinon perſuaſit Calchantis vatis monitu in honorem Palladis, per Palladii ab urbe ſubtractionem offenſæ; eo fine ædificatum, ut ſi à Trojanis deſtrueretur, hoc facinore regnum interiturum; ſi in urbem induceretur, tunc fato Deûm res Græcorum intercidérent. hinc tam ingenti erectum mole, ne per portas urbe decipi poſſet. Trojani creduli, cum ſerpentes etiam allapſi omen firmaſſent, dejectis muris, equum ad Palladis arcem rotis funibuſque transferunt Græci nocte claſſem à Tenedo reducentes adſunt, & per ruinas urbem invadunt; armatis quoque ex equi utero erumpentibus, & ferro flammaque omnia vaſtantibus. Æneas interea ab Hectore per ſomnum monetur; ut fugâ ſe Deoſque patrios ſervet. Verùm ille ad arma cum ſociis ſat feliciter ſe convertit, donec Chorœbi conſilio, ſumptis Græcorum armis, hoſtium ſimul & ſuorum telis obruerentur. Æneas jam quoque à Græcis in Caſſandræ liberatione agnitus, cum duobus ſociis evadit, atque ad Priami Regiam, contra Pyrrhum Achillis filium defendendam, fruſtra converſus eſt. Priamo ante aram cadente. Æneas viſam Helenam huic excidio immolaturus, à Venere monitus, abſtinet, & fugam cum Patre Anchiſe (quamvis primùm obluctante) in humeros ſuſcepto, per medios hoſtes, capit. Aſcanio filio & uxore Creuſa ſequente. Verùm hanc Græci invaſores cædunt, Ænea, ut eriperet, fruſtra reverſo. Vmbram tamen occurrentem habuit, quæ de futura felicitate doceret. Ergo reverſus cum Patre Idam montem petiit. In hac narratione pleraque ficta ſunt. hiſtoriæ tantum ſpeciem habet urbs occupata, & Æneæ fuga. Fictus ille equus, ficta Hectoris admonitio, Æneæ pugna. Anchiſes elatus. Veneris conſilium, Creuſæ umbra, &c. *Ornatur* hæc narratio deſcriptionibus variis certaminum & oppugnationum: tum comparationibus illuſtrantibus, quæ à verſu 268, uſque ad 436 inprimis eminent; eo præcipuè loco, ubi pugnat Æneas, crebris vibratiſque ſententiis.

Imitatio.

Imitatio. In urbium arciumque oppugnationibus deſcribendis, hic imaginem elegantem propoſitam Poëta habet. Quare tot materiæ, quot ab hiſtoriis ſufficiuntur penè innumeræ, hac arte tractari poterunt. Vbi fictionibus, vel rarus eſt locus, vel tantùm in hiſtoriis minus exploratis ſerviunt, ad rem veriſimiliter cum adjunctis exponendam. Poëta enim hic partes hiſtorici utcunque ſuſtinet. unde fingendum nihil quod veritatem deſtruat. qualis illa quibuſdam non immeritò videatur Equi Trojani introductio. Fingi verò poterunt Numinum vatumque oracula, prodigia atque omina rem magis illuſtrantia; ut eſt illa umbræ Creuſæ apparitio Æneæ facta.

LIBRI III. ÆNEIDOS.

Hic liber Æneæ errores *hiſtoriæ inſtar* exponit, unde *fictio* niſi in partibus (ut ſunt quæ de Polydoro, Harpyjis, Polyphemo &c. fictè exornantur) ægrè diſcernitur. Narrat igitur Didoni, quemadmodum, parata ad Antandrum viginti navium claſſe, cum Trojanis exulibus Thraciam adierit: urbemque monitus, cùm, Diis ſacra facturus, verbenas velleret, ſanguine illas manaſſe, vocemque è tumulo datam Polydorum illic Priami filium à Polymneſtore cæſum quieſcere. Ergo juſtis illi perſolutis, territum omine, ceſſiſſe in Delon Inſulam. ubi conſultus Apollo, cum primam ſuæ originis terram petendam monuiſſet, Cretam Anchiſæ interpretatione, (quòd hic Teucer natus) malè petiiſſe. quo loco cum urbem Pergameam condidiſſet gravi peſte, & monitu Penatium, relictâ Cretâ, cogitaſſe Italiam. Verùm tempeſtate ſubitâ ad Strophades Inſulas ejectos. ubi Harpyjæ epulantibus infeſtæ, ex quibus Celæno vaticinata ſit etiam menſas præ fame abſumpturos, priuſquam attingant Italiam. Hinc ad Actiacum delatos promontorium Apollini ludos celebraſſe. Inde Epirum ſubeuntes, Helenum illic Priami filium, Andromache Hectoris uxore ductâ, jam regnantem conveniſſe. qui, lætus hoſpitibus, conſultiſque Diis, monuit longa ſupereſſe viarum pericula, Scyllam Charybdimque vitandam; ex alba ſue inventa, finem laborum intellecturos; ſuadetque, ut Cumis Sibyllæ oraculum conſulant. Denique ſolutâ claſſe Tarentum & Italiæ oras prætervectos, haud procul Ætnâ monte, Siculo portu receptos, rejectoſque Polyphemi & Cyclopum adventu, Poſtremò applicuiſſe claſſem ad Drepani littus, ubi pater An-

chiſes defunctus ſit. *Ornatur* deſcriptiunculis aliquot, ut Harpyjarum, Scyllæ, & Charybdis Polyphemi &c.

Imitatio. In navigatione variis erroribus & caſibus obnoxia ſerviet. qualis eſſe Chriſtophori Columbæ, aliorumque in navigatione Indica variè oberrantium, inter mille caſus & pericula poterit. Fictionibus hæc quidem materia opportuna eſt; ſed hæ ejuſmodi ſunt, quæ hiſtoriæ aliquam ſimilitudinem requirunt. Vnde nec hîc, nec in exemplo libri ſuperioris à me ſeparatæ ſunt. Remota, ſed non inepta hujus & prioris, tum & ſequentium aliquot librorum imitatio fuerit: ſi hominem primò mundi vanitatibus deditum, belli domique variis caſibus, tanquam fluctibus in mari jactatum, nunc in Pluti, nunc in Honoris, nunc in Voluptatis exceptum inſulis fingas; ſed nullibi quietem reperiſſe; dum in Religione, tanquam Italia, ſedem dignam, & pacatam invenerit.

LIBRI IV. ÆNEIDOS.

Hiſtoria, aut certè res fabulæ præcipua eſt, quod Dido amore Æneæ flagrans, cum ſpe nuptiarum ſuſceperit, verùm ab Ænea denique abeunte deluſa, vitam inſanumque amorem abruperit.

Poeſis. Fingit Didonem amore æſtuantem, magis etiam abripi, cum, poſt ſororis, nuptias ſuadentis, conſilium, Iuno Venerem ad conſenſum induxiſſet, ut ſcilicet Æneam, hac arte, ab Italia averteret. Tum illam utrique in venatione agenti immiſiſſe tempeſtatem, quâ disjectis ſociis, in antro convenerint, malè conſultis nuptiis ſociati. Quæ cum ad arbam Getulorum Regem Fama nuntia detuliſſet: ille ſpretum ſe à Didone apud Iovem Patrem queſtus, obtinuit, ut à Iove Mercurius Æneæ diſceſſum ſuaderet. Hic cum iccirco claſſem aptari juberet, à Didone perfidiæ arguitur, ac precibus urgetur. quo fata Deûm obtendente, hæc Numina incuſat, & Æneæ ultionem diraſque imprecata animo linquitur. Soror denique Didonis fruſtra interceſſit: Quare Dido, ceu Magico ſacro vim Amoris extinctura, ut domeſticos hac ſpecie falleret, pyrâ erectâ in diſceſſu Æneæ, ſuper illam ſe conficit.

Ornatus hujus libri rarus & elegans. Venatio, Fama, Atlas & Mercurius ſcitè deſcribitur. Dido amore ſaucia cum percuſſa telis cerva, & furente Thyade, Æneas cum Apolline; labor claſſiariorum cum formicis; ille rurſum precibus immo-

tus cum annoſa quercu ventis agitata comparatur.

Imitatio propinqua erit, ſi Alexium, adoleſcentem Romanum, Æneæ; Sponſam ejus, Didoni ſufficias. Parens utriuſque Iunonem & Venerem agant, Chriſtus per Religionem miſſam ſpretum ſe apud Alexium queratur. abitum igitur paret (obſtante ac querente ſponſa) quem ficto pauperis habitu reperiat &c. Remotior futura eſt, ſi Chriſto Sponſam Synagogam repudianti applices, clementiâ cum Iuſtitiâ pro Chriſti nuptiis contendente. Gentilis Eccleſia ſe deſpectam queratur. dum Chriſtus Synagogam denique, ad hanc converſus, deſerat, illa nequicquam Chriſtum execrante. Aut Ioſaphato Indorum Regi, ſive etiam D. Bernardo adhiberi poterit, quos Voluptas & Mundus ad thalamos inflectere conati ſint, ſpretoſque ſe fruſtra doleant.

LIBRI V. ÆNEIDOS.

Hiſtoria. Æneas petens Italiam claſſe in Siciliam tempeſtate rejicitur, ubi à Rege Aceſte benevolè acceptus parenti, illic apud Drepanum ſepulto, anniverſaria ſacra ludoſque inſtituit. Mulieres Trojanæ navigationis tædio ignem claſſi injiciunt. unde Æneas, Aceſtâ urbe condita, imbellem illic turbam reliquit, ipſe cum robuſtioribus tranquillo mari in Italiam tranſiit.

Poeſis in ſacris ad tumulum, egreſſus ſerpens è ſepulcro, delibat ſacrificia. Certaminum, & genera, & modi, & perſonæ, & præmia ex arbitrio vatis decreta videntur. Navali certamine victor Cloanthus eſt. In ſtadio vincit curſu Euryalus, Niſi dolo adjutus, Dares juvenis ab Entello ſene cæſtu ſuperatur. In ſagittariorum certamine prior Eurytion, Aceſtæ tamen ſagitta, cum miſſa exarſiſſet, bono omine Regi coronam & præmium merita eſt. Aſcanius deinde cum nobili juventute equeſtri ludo & concurſu, umbratilem pugnam exhibuit, qui luſus deinde Trojæ inter poſteros dictus. Iris interea à Iunone miſſa Trojanas ad ſuccedendam claſſem induxit; ſed Iupiter, immiſsâ pluviâ naves omnes quatuor amiſſis, ſervat: mittitque per ſomnum Anchiſen, qui filium hortetur, ut cum delecto juventutis robore, ceteris relictis, Italiam petat, Sibyllæque antrum, per quod campos Elyſios ſubire poſſit, ubi plura de eventuris ſibi doceatur. Obſequitur Æneas Neptunum etiam Veneris precibus exoratum facilem nactus, ſed excuſſo per ſomnum

de prætoria Palinuro Novarcho, ipſe officium Æneas adiit.

Ornatur deſcriptione tempeſtatis, exequiarum, ludorum, incendii & imbris ingruentis tum comitatus Neptuni. In equeſtri etiam ludo ſimilitudine labyrinthi & Delphinum utitur.

Imitatio. Poteſt applicari Nobili aut Principi viro ſeculi vanitatibus ludiſque dedito, v g Candacis Reginæ Æthiopum Enucho, quem Philippus pro Anchiſe ſubmiſſus inſtruat, divina Pronæa Veneris loco deducat. Aut D. Franciſcus Borgia funus Iſabellæ celebret, ludis exequialibus interſit. Veritas à Deo deſtinata hujus ſeculi vanitatem oculis ſubjiciat, opeſque ſuadeat projiciendas. Sapientia divina à Deo Patre impetret, ut ad ſuam illum ſocietatem, relicta aula & amicis (tanquam Trojanis in Sicilia) transferat. In qua dum alii, velut Palinuri, per mortem gubernatione excidunt, ipſe hanc denique ſupremus moderator adeat. Paria his argumenta imitationis maturè omnia expendenti non deerunt.

LIBRI VI. ÆNEIDOS.

HIſtoria. Æneas appulſus Cumis Apollinis templum, & Sibyllæ antrum adit, oraculumque de futuris conſulit, Miſeno juſta perſolvit, Manibus & Proſerpinæ ſacrificat, occulta & futura cognoſcit.

Fictio Mons Cumarum Miſenus à Miſeni ſepulcro nomen accepit. obtinuit Æneas à Sibylla, ut ad Inferos, patris Anchiſæ viſendi gratia, duceretur. Idcirco aureum ex luco ramum, cui Inferi pateant, decerpit, ac Sibylla duce per obſcurum monſtriſque obſeptum iter illuc contendit. Palinurum ſine honore ſepulcri defunctum circa ſtygem hærere comperit. Ille hanc tranſiens, Cerberumque objecta placans offa, per loca infantium & innoxiè cæſorum, ad perditi amoris impatientia victos ſuccumbenteſque venit, ibi reperta Dido, Æneæ loqui dedignatur. Pergit & viros bello claros reperit, atque inter hos Deiphobum vulneribus notatum, à quo cauſſam modumque mortis diſcit. Hinc, Tartaro ad lævam relicto, cujus tormenta pœnaſque Sibylla aperit, aureum in limine ramum depangit. atque ad ſedes Elyſias ſe transfert. hic Muſæus repertus ad Anchiſen ducit qui, ex Pythagorica diſciplina, de rerum natura animarumque origine, & quatuor affectibus diſputat. deinde animos oſtendit in corpora poſterorum rediturus. hic Albani Romanique Reges; Heroës, Principes, Cæſares, ad Auguſtum uſque. quem

quem cum Marcello Octaviæ filio, immaturè defuncto, præ reliquis extollit. ingenioſo laudandi genere; quo illorum memoriam ad tot retrò avos traducit. Subinde Æneas per eburneam ſomni portam ad ſocios reviſit, & Cajetam ſe in portum cum claſſe tranſtulit.

Ornatur deſcriptionibus Sibyllæ furentis & vaticinantis, exequiarum, Inferni fluminum, monſtrorum, pœnarum, Animarum denique in campis Elyſiis.

Imitatio. Pars prima Sauli Pythoniſſam conſulenti proponendo ſerviet. aut certè D. Hermanno Deiparam ad facta omnia pro conſilio, ſubſidioque adeunti. verbo. illis omnibus quicunque in re ardua ad viros graves, Deumque pro conſilio recurrunt. Altera pars Herculi inferna adeunti, aut Chriſto potius ad Inferos deſcendenti: aliis etiam per Angelos ad Inferorum cœlitumque loca deductis, quorum celebres hiſtoriæ circumferuntur, poterit adhiberi. Quin & D. Paulo in tertium cœlum rapto, ubi varios ſuæ vitæ caſus, aut etiam Eccleſiæ Chriſtianæ progreſſus viderit. vel D. Ignatio in Manreſana extaſi futuræ Societatis Ieſu ſucceſſus contemplanti. ubi Poëta, qui ſuperiorum temporum hiſtorias proſequitur, facilè de ſuis non inanis vates futurus eſt.

Libri VII. Æneidos.

Hiſtoria. Tranſit Cajeta, prætervectus Circes Inſulam Æneas, & Italiam per oſtium Tiberis ingreditur. hinc miſſis ad Latinum Regem oratoribus, & urbis condendæ locum, & filiæ Laviniæ, ex oraculo homini externo ſervatæ, promiſſionem accipit, quæ cauſſa Turnum æmulum Regem Procumque ad arma concitavit, Matre Laviniæ Amata huic contra Æneam favente.

Poeſis. Cajetâ nutrice ſepultâ loco nomen fecit. hinc Italiam petiturus, Neptuno favente triveneficam Circen evadit, atque appulſus Italiæ, cum inter cibos, orbes ex pane confectos etiam abſumſiſſent, agnovit huic ſe terræ, ut Celæno prædixerat, à Superis deſtinatos incolas. Nec fefellit prima ad Latinum legatio, cum is Turnum Laviniæ procum ob apum portenta, & ignis in capite filiæ, ad externi Principis adventum rejeciſſet, ut Faunus Pater, & Augures monuerant. Sed Iuno Trojanis infeſta, ad diſturbandam pacem Amatæ, & deinde Turno Furiam Alecto immittit; ſimulque Aſcanio cervum regiæ aſſuefactum

in venatione objicit: hoc confixo cum proximi agricolæ venantes invaderent, aliqui ex illis occubuére. Quo ſpectaculo, & Amata, & Turnus fruſtra Latinum Regem ad arma provocant; quòd is fœderis nuper cum Trojanis icti religione teneatur; ſed Iuno inquieta, belli portas aperuit, multis Turni auſpicia ſequentibus. quos ſuis nominibus, officiis ac virtute deſcribit.

Ornatur nonnullis deſcriptionibus. ut Circes homines in feras transformantis; oracula Fauni in ſtratis pellibus captantium. Regiæ Latini, Alectûs quoque, homines furiosè concitantis. concurrentium ad bellum &c.

Imitatio. Serviet hic liber cum ſequentibus deſcripturo gentis novæ in aliena regna translationem. quæ ferè, quibuſdam principio faventibus, obnitentibus verò aliis, ſolet contingere. Ita in Italiam olim Gothi, Vandali, Longobardi: Gothi etiam Maurique in Hiſpaniam: in Angliam Dani & Saxones, in Indiam, poſterioribus ſeculis, Luſitani, Hiſpani, Hollandi; denique, hac ætate, in Germaniam noſtram Sueci admiſſi ſunt. Fac igitur te ultimum hoc exemplum imitatione hujus libri velle exponere. Sueci in Pomeraniam appellant, Legatos ad Saxonem & Brandeburgicum deſtinent, amicè habeantur colanturque muneribus, pro Turno Imperator aliique ſe Principes opponant. nutantem cum ſuis Saxonem Hæreſis, per Alecto ab Inferis excitatam, rurſum extimulet. pro Amata ſit Haſſiæ domina, quæ cœptam tragœdiam promoveat. Suecus aliena invadat dominia: hinc ad arma utrimque concurratur. Si Luſitanis Indiam occupantibus adhibere malis. Gentilitas Furiam infernalem adverſus Catholicos Principes excitabat, cetera obvia erunt meditanti. Remotior, verùm non inelegans, imitatio futura eſſet, ſi mundum deſerenti atque ad portum Religionis applicanti adhibeas. ubi Dæmon, Carnem & Amorem mundi (tanquam Amatam & Turnum) adverſus illum excitet; ſed Pietatis, Conſtantiæ, Gratiæque divinæ ſubſidiis, & armis ſeſe protegentem.

LIBRI VIII. ÆNEIDOS.

Hiſtoria cum Turnus ad bellum omnia latè cogeret; Æneas, ad Evandrum illic, ubi nunc Roma eſt, Palatino in monte habitantem confugit. hic copias nonnullas auxiliares, filio

Pallante

Pallantè præfecto, exhibet. quibus, ut alias adjungeret, Agyllam Hetruſcorum urbem hoſti Mezentio inimicam contendit, ſibique de novis armis providet.

Poeſis Æneas cognito belli apparatu juxta Tiberim mœſtus procumbens, à Tiberino fluvio jubetur bono eſſe animo, domicilium in Iliade ſtabile habiturum. Eat ad Euandrum, alienigenam quoque ex Arcadia, hunc daturum auxilia, ſe naves adverſo licet flumine provecturum. Æneas obſecutus, Euandrum ante urbem Herculi ſacrificantem in luco reperit, cui ſe cum junctum ſanguine eſſe docuiſſet, opemque contra hoſtem detuliſſet, viciſſimque rogaſſet; Euander, & cognatione, & Patris Anchiſæ beneficiis provocatus, auxilia promittit. Tum ſacrorum Herculis principia edocet, ob Cacum ſcilicet latronem in ſpelunca occiſum. Trojani etiam remotis menſis in partem ſacrorum veniunt, coronantur, libant, laudibus Herculis interpoſitis. Subinde, in via ad oppidum, Euander de Saturno exule, cum Iano illic quondam aureo ſeculo regnante, diſſerit, & ſe reſponſis Deûm huc quoque evocatum memorat, deniq; tecto paupere Æneam excipit, quod Herculis quondam fuerat. Interea Venus maritum Vulcanum ad fabricanda Æneæ arma clypeumque induxit, quæ Cyclopes, neglecto Iovis fulmine & Martis curru, conficiunt. Poſtridie Æneas 400 ab Euandro (quibus Pallantem filium unicum præfecerat) militibus adjutus, Agyllam ſuaſu Euandri ſe conferens, in valle haud procul urbe Vulcani arma accipit, Clypeo inprimis delectatus, qui res, à poſteritate Romana fortiter gerendas, rarâ cælaturâ complexus erat.

Ornatur præcipuè deſcriptione Antri Caci, illiuſque facinorum ab Hercule illatæ necis, tum eleganter expoſitâ Vulcani officinâ, & Cyclopum labore.

Imitatio. Si continuare libuerit belli Suecici in Germania hiſtoriam, ſimilia haud difficulter reperies; ſolicitatos pertractoſque in ſocietatem Europæ Principes alienigenæ armis opibuſque faventes. Tiberinus ſit Rhodanus, Euander Rex Gallus &c. Licebit & Godefridi Bullionii Lotharingi Anno Chriſti 1058 terram ſanctam occupantis hiſtoriam imitatione hujus libri formare. ſit Euandri loco Alexius Commenus Imper. Græcorum Herculis ſacra loca Chriſto ejuſque ſepulcro Hieroſolymis aptentur. aureum illic ſeculum primorum Chriſtianorum ſub Apoſtolis eorumque poſteris

memoretur. D Virgo arma S. Cruce inſignita Godefrido (aut ejus etiam ſucceſſori Balduino) contra Saracenos Turcaſque deferat &c. Denique in hiſtoriis Indicis plures ſeſe offerent, huic materiæ affines, de quibus Maffejum conſule.

LIBRI IX. ÆNEIDOS.

HIſtoria Ænea pro auxiliis abſente, Turnus incluſos jam mœnibus Trojanos aggreſſus, varia fortuna dando accipiendoque clades pugnat.

Poeſis. Iris à Iunone miſſa Turnum ad arma protrahit, qui Trojanorum claſſem exurere conatus eſt; ſed naves interceſſione Cybeles apud Iovem in Nymphas vertuntur. Incluſi Trojani à Turno inſultante vigiliis cincti ſunt. Niſus ad Æneam de inſtanti periculo delaturus, Euryalum fidiſſimum ſocium accipit, qui cum in hoſtium copias vino ſomnoque ſepultas incidiſſent, nec paucos confeciſſent, à ſequentibus Rutulis deprenſus Euryalus eſt, cui dum fruſtra Niſus, hoſte interfecto, ſubvenit, ſuper amici cadaver, & ipſe confectus, incubuit. capita haſtis præfixa, magnum in urbe luctum cient. Turnus facta teſtudine urbem oppugnat, turrim proſternit, utrimque magnâ clade pugnatur. Aſcanius Numanum jactabundum ſagitta conficit; ſed collaudatus primùm ab Apolline, formâ deinde ſenis obvii vitare periculum jubetur. Pandarus tandem, & Bitias, heroës portam hoſti pandunt, ſubeuntemque, magnâ cæde, mactant. Turnus tamen per portam irruit, non ſine Trojanorum ſtrage, ſed multitudini denique coactus cedere, poſt Bitiæ & Pandari cædem, aversâ urbis parte, per fluvium, armatus licèt, natando evaſit.

Ornatur deſcriptione ſilvæ denſæ, Vigiliarum militarium, luctu matris de cæſo filio, oppugnatæ turris, teſtudinis, pugnæ fortium &c. comparatur miles fortis, modò lupo; modò leoni in ovile erumpenti, feræ circumventæ in venatione, aquilæ rapienti leporem, quercui duræ, leoni telis cedenti. Iuvenis cadens flori occumbenti.

Imitatio. Hic liber pro urbium arciumque oppugnationibus deſcribendis aptus eſt; ut Hieroſolymitana ſub Romanis, Rhodia ſub Turcis fuit. Remotior & difficilior futura eſt, ſi tranſlata oppugnatio hominis Religioſi fiat, quem Caro, Mundus & Dæmon, diverſis vitiorum exercitibus aggrediantur, ipſe contra ductu & auſpiciis Chriſti, per Angelum tanquam Iridem excitatus,

excitatus, virtutes diverſas opponat, & nonnunquam cladem aliquam oſtendendo paſſus, victor tamen ſemper eluctetur. Aſcanius adoleſcens eſſe poteſt; Apollo Chriſtus: Niſus & Euryalus amici. Cybele D. Virgo: Turnus Dæmon, vel Mundus: urbs anima: portæ ſenſus: Flumen, per quod abigitur Turnus ſit pœnitentiæ.

LIBRI X. ÆNEIDOS.

Hiſtoria Æneas cum auxiliaribus copiis adeſt, quem Turnus ab urbe prohibere conatus, in prælium adduxit, in quo Æneas Pallantem, ipſe Mezentium Ducem, cum Lauſo filio amiſit.

Poeſis. Iupiter convocato Deorum ſenatu ſtatuit, pace initâ, dirimendos. verùm, dum hinc Venus pro Trojanis; inde Iuno pro Rutulis mutuâ criminatione depugnant; Iupiter, ne alterutrum offenderet, fatis rem permittit. Interea dum acriter Trojani oppugnantur, Æneas à Nymphis occurrentibus (nuper è navium hærerant cenſu) cum magna ſociorum manu, deducitur, & promiſſa victoria animatur. Ille Cybelen obteſtatus, cum Turno primâ luce confligit, multoſque nobilitate inſignes proſternit. Pallas Euandri filius ſuos animat; cadunt non pauci à Lauſo Mezentii filio, cui ſubventurus Turnus, cum Pallante duellum aggreditur. dolet invocatus à Pallante Hercules, quod periclitanti opem ferre nequeat, quem Iupiter fatis quoque Turni inſtantibus ſolatur. Pallante igitur per Turnum cæſo, dum furens in hunc Æneas rueret, Aſcanius etiam junctis copiis accederet, Iuno (poteſtate à Iove facta) Turnum per objectam Æneæ, velut fugientis, imaginem, navi Ardeam abducit; fugæ dedecore poſtea inſanientem. Mezentius, Iovis hortatu, Turni locum ſubit magnaque in hoſtem clade graſſatur, corpore ac viribus, quàm pietate in Superos melior. Spectabant miſerati tot hominum cædem ſuperi. Æneas denique arrogantem Mezentium non levi perſtringit vulnere. adeſt Lauſus filius & objecto clypeo, patri ſeſe ſubducendi locum facit. ipſe audacius Æneam laceſſens cæditur. cujus mortem ulturus Mezentius, dum rurſum adeſt, & provocat Æneam, denique percuſſo equo dejicitur ejuſque gladio occumbit.

Ornatur deſcriptione armorum, certantium occumbentiumque alternâ clade, & præcipuè heroum duellantium. Comparationes adhibitæ, ventorum pugnantium, incendii in ſilva,

apri capti, leonis ad prædam anhelantis, &c.

Imitatio, inprimis in ſimilibus hiſtoriis adhibenda, ut Alexandri Magni, & Scanderbergi adverſus Turcas. aut etiam Iudæ Machabæi vel Davidis contra Goliathum, aut denique Sampſonis hiſtoria, ubi ſaltem in partibus ſerviet. Remotior erit imitatio, ſi Chriſtum adverſus Luciferum pugnantem, aut in fine mundi contra Antichriſtum ſufficias. pro Iunone & Venere, apud Deum Veritas & Miſericordia, ſeu Iuſtitia & Clementia contendere poterunt. qui neutri, aut accedere, aut adverſari volens, Chriſtum Redemptorem deſtinet, quem Pietas & charitas pro Nymphis animent, qui cum Lucifero & ejus ſatellite Herode confligat, plurimis ſuorum cadentibus, ſed hic imagine Chriſti in pueris deluſus fruſtra pugnet. Sit D. Ioannes Baptiſta ſuccumbens Pallas. Iudas Mezentius, qui Chriſtum impetens infeliciter perit. Turnus cum ſuis Iudæorum perſonam agant. &c.

LIBRI XI. ÆNEIDOS.

HIſtoria Æneas poſt erectum Marti trophæum, funera ſuorum curat, Pallantem egregio apparatu ad Patrem remittit ſepeliendum, à quo magno luctu excipitur. Latini Regis orationibus 12 dierum induciæ ad ſepeliendos bello mortuos dantur. Æneas deinde Laurenti regiæ urbis obſidionem cogitat. Latinus, cum nuntiaretur Diomedem Apuliæ Regem poſtulata auxilia negaee, ſtatuit Æneæ cum muneribus & parte Italiæ pacem offerendam, aut etiam naves pro reditu. Orantes adverſus Turnum contendit, Æneam ad Imperium potius aſſumendum, quàm armis experiundum. dum hi inter ſe, mutuis etiam criminationibus, certant, Æneas infeſtus adeſt, contra quem Turnus prælium disjectâ conſultatione, inſtruit; ſed poſt mutuas clades, cum ſuis inferior, Camillâ heroide in prælio occisâ, urbe obſidione preſsâ.

Poeſis hæc ferè hiſtoriæ ſimilis ægrè in hoc libro ſeparatur. niſi quòd equum Pallantis fleviſſe memoret, & ultima libri parte Camilla, cum Meſſapo, equitibus præfecta ſit. quam à teneris Diana educarit, magnam deinde hoc in bello ſtragem Trojanorum ediderit; quos tamen egregiè Tarchon, à Iove excitatus, animaverit, duxeritque contra hoſtem. In his Aruns heros Camillæ, uti illa Chloreo equiti, inſidiatus, poſtquam in vota Apollinem vocaſſet ſpiculum lethale in Camillam torſit, ſed

Opis Dianæ monitu, cujus eſt miniſtra, Aruntem perſequitur, & manibus Camillæ immolat.

Ornatur deſcriptionibus exequiarum & pompæ funebris, tum luctus in funere & Pyrarum, Legationis, Concilii, armati Turni, inſidiarum in montis faucibus, prælii equitum, comparationibus etiam, floris recens ſuccifi avium garrientium, equi vinculis elapſi, fluctuum, accipitris columbam rapientis, & aquilæ Draconem. Denique & lupi (cui Aruntem ſimilem facit) occiſo paſtore, fugientis.

Imitatio Similes ad imitationem petendæ hiſtoriæ, quarum omnes ferè de rebus bellicis libri pleni ſunt. Remotior difficiliorque aliquanto Chriſti patientis, atque inferos expugnantis hiſtoria futura eſt. Pro funere Pallantis, Chriſtus de cruce deponendus ſit, quem D. Ioannes pro Ænea fleat, Deipara pro Euandro ſuſcipiat. Lucifer pro Latino ſuis regnis metuens conſilium indicat Acheronticum, & an limbus Patrum cedendus ultro, an defendendus ſit deliberet, illorum vita & obitus deſcribatur. Chriſtus pro Ænea, ſtratis, quibus obſidebatur cuſtodibus, mortis regna infernumque invadat, pro Camilla mors ſit, denique ſubacta.

LIBRI XII. ÆNEIDOS.

H*iſtoria.* Latinis bis prælio victis, Turnus ſuo unius diſcrimine bellum abſolvere cupiens, Latino & Amata nequicquam dehortantibus, ad duellum Æneam provocat. Æneas per Idmonem re cognitâ, conditionem accipit, fœduſque in conſpectu utriuſque exercitus ſacramento firmat; ſed cum rupto fœdere Rutuli ad arma convolaſſent, Æneas ſuis ſubventurus vulneratur, ſubinde rurſum provocantem Turnum nihil moratus, atque cum illo congreſſus, victor Laviniam & regnum obtinuit.

Poeſis Iuno Turni duello caſuri ſortem miſerata Iuturnam ejus jam defunctam ſororem, ad impediendum incitat. Hæc igitur ſpecie Camertis Rutulos ad duelli fœdus violandum armis ſumptis inducit, cui Tolumnius falsò ſuis victoriam auguratus accedit, atque unum ex Gylippi filiis haſta conficit. Inde cum pugna invaleſcente Æneas incerto auctore vulnus accepiſſet, Venus dictamno illi medetur, qui mox in Turnum armatus rediit, ſed cum Iuturna excuſſo auriga Metiſco (cujus formam induit) currum in diverſas partes inflecteret, Turno pugnæ poteſtatem eripuit. Æneas igitur ad urbem

verſus, flammas injicit, cum Amata Turnum occubuiſſe rata laqueo collum fregit. Recognita Turnus adeſt, atque ad duellum cum Ænea ſe offert, Iunone jam decretis Iovis acquieſcentis, modò Latina gens patrium nomen linguamque ſub Teucris retineret. diu obluctanti Turno deniq; Iupiter Dirarum unam, alitis nocturnæ ſpecie, immiſit, quâ turbata Iuturna fratrem deſeruit, ipſe territus, victuſque ab Ænea ſuccubuit.

Ornatur deſcriptione armorum Turni aquilæ cum cygnis pugnantis, urbem invadentium, varioque caſu duellantium. Comparationibus item variis præſertim ad heroum facta illuſtranda, ut Leonis, Taurique tam in principio, quàm fine libri, ignis in ſilva, amnium in mare incurrentium, ſaxi de monte cadentis, apum fumo pulſarum & Cervi capti.

Imitatio In Davidis & Goliathi monomachia graphicè depingenda hic liber juvabit. ſit David Æneas, ſed fratres illum, ut Iuturna Turnum à duello prohibeant. Goliath ſit falſus augur, tanquam Tolumnius, promittens ſibi ſuiſque victoriam, alios interimat occurrentes, terreat alios. faveat Goliatho Dæmon, Davidi Angelus; ſed Deus, unâ quoque dirarum perturbatum Goliath, Davidi ſubjiciat Poterit idem prototypon ad Sampſonis & Philiſtæorum, ad D. etiam Petri & Simonis Magi certamen deſcribendum facere. Nec difficulter occurrent ſimilia hiſtoriarum non omnino rudi. Nos paucis velut digitum intendimus, neque aliorum ingeniis diffidimus.

Hæc paulò à me fuſius pertractata ſunt. ut rudioribus per imitationem (quæ ſola dux eſt faciliima) viam ad perfectam abſolutamque poëſin aperirem. Qui, his perſpectis, animadvertent, Poeticam facultatem, rem eſſe primo aſpectu arduam, ſed minus in receſſu difficultatis abdere, quam in aditu præferre. Quid tamen Epopœja inprimis requirat, ſingulatim de hoc poëmate intelliges.

CAPUT XVII.

Poëſis rerum inanimatarum, & irrationabilium concipiendique in iiſdem ratio.

AD minorum poëmatum conceptus preſſius aliquantò eſt accedendum. Quæ cum non tantum actiones humanas, verùm omnem dicendi materiam complectantur, ſæpe primum illud fictionis genus, quo res geſtæ ad veri ſimilitudinem exponun-

ponuntur, rejiciunt. Vt ſunt res neceſſariæ, ac naturales, quæ ex ſua conditione aliter ſe atque aliter habere nequeunt, proinde in his poetæ non minus, quàm phyſico, aut mathematico aberrare à vero licebit: ut ſi volare avem, ſine pennis, natare in mari lapidem aſſerat, Stellis cenſeat induci tenebras, ſolem à terra interpoſita per eclipſin obſcurari. Nam talis fictio veritatem non ornaret, ſed deſtrueret. Siquid igitur in his mutare libeat, (quod tamen non repugnet naturæ) altioris id cauſſæ interventu auxilioque fiat neceſſe eſt. Vt ſi medio in cœlo fixum hæſiſſe ſolem comminiſcaris, aut humanum corpus in brutum plantamve degeneraſſe.

Alterum tamen fictionis metaphoricæ, aut allegoricæ, genus hic Poëtis non infrequens eſt. e. g. Sidus aliquot cœleſte, aut plantam, aut elementum, ſeu quamcunque rem inanimem poëticè deſcripturus, rem prout eſt, aut certè ſua in ſpecie eſſe poteſt (ut florentiſſimam, fœcundiſſimamque & flore, & fructu pomum) exponas neceſſe eſt; perinde ac hiſtoricum oratoremve ageres, qui rem per ſuas cauſſas atque adjuncta exponeret. eo tamen diſcrimine, quòd in extrinſecis atque ab humano (quandoque & divino) arbitrio pendentibus rebus, quæcunque non repugnant fieri, afferas. ita nonnulli vitem primo à Noë plantatam, fingunt affuſo hirci leonis & porci ſanguine irrigatam, quo allegoricè denotant. vinum libidinoſos, feroces, ſordidoſque efficere homines. Ita roſam Veneris tinctam ſanguine, quod illius foveat illecebras. In quibus tamen ineptiendum non erit; ut fecerunt ii, qui viam in cœlo lacteam Iunonis nutricantis lacte perfuſam, ſine allegorica venuſtate, commenti ſunt. Porrò, ut aptâ fictione imiteris. Sumamus ex inanimis pro exemplo roſam, quam poëſi exornemus. Expende primum ejus cauſſas. efficiens Deus & terra, formalis amœna grati floris compoſitio, materialis elementa, finis ejus varia hominis utilitas & delectatio. Expende & adjuncta, ut ſunt, color albus purpureuſve, odoris fragrantia, tenera mollitudo, brevis effloreſcentia &c. denique & illius effectus, quod medicis foliis ſuccoque morbos abſtergat, odoratum, viſum, t actumque recreet, abacos atque aras exornet &c. pleraque ex his fictionibus opportuna reperies. Si obſcuriori aliquantò allegoria placeat ludere. Ipſam primo roſam Virginis habitu ac nomine inſtrue, ac Rhodoen ſeu Rhododaphnen dicas, quæ in Paradiſo olim ſine labe nata ſit, parente Philauro vel Zephyro, matre Pangea, nutrice Philæra,

aut

aut ſi magis lubeat, Tellure & Iunone (cum terram, aëremque ſignificent) ad florem procreandum alendumque conſpirante, quanquam & Phœbum ſeu Polarchontem, & Neptunum ſeu Thalaſſum, hoc eſt ſolem & aquam, aut ſuperiores his elementis angelos huic fabulæ concinnandæ adhibere liceat. quemadmodum eidem præficere Chloridem ad res naturales, Anthonoën ad vim vireſq; naturâ ſublimiores poteris. Vis eadem, clarâ magis in luce, fingendo ornare? dic; ad hunc florem, Chloridis in horto, elegantiſſimis naturæ dotibus excolendum ſuos Phœbum radios, Tellurem glebas, Neptunum aquas, Iovem contuliſſe aërem, Zephyrum, aſpiraſſe blanditias. à Nymphis educatum nutritumque; ſed infeſtum Boream inimicis flabris tantas ſpes in prima ætate perdidiſſe: nimio etiam favore affulgentem Phœbum corrupiſſe. Hic de ſol s cauſſis ut patet, latus ſe campus Poëtæ aperit. nam Rhodoes ſeu Roſæ primus ortus progreſſuſque, loci Telluriſque ex qua oritur amœnitas fecunditaſque, Phœbi Zephyriq; aſpirantis favor & gratia, munerum collatorum, æſtimatio &c. amœnis deſcriptionibus ac comparationibus ſunt opportunæ. Iam verò, ſi ad proprietates effectuſque cogitationem transferas; cur non divinus aliquis Apelles, qui ſuis hanc pingat coloribus excitetur? Incedant aliæ aſinino lotæ lacte, aut ceruſſa tinctæ; plus uni Rhodoe, aut roſæ, ingenium artificiumque pingentis naturæ contulit. cur non ad narium delicias hunc florem Pangea cœleſti aſpergat ambroſia, aut odoratas Arabiæ herbas eliquet, ſucciſque delicatis omnium unum imbuat, ac educet, roſetum? Quin & ipſa ad hoc ſe Aurora de cœlo inclinet, excitetque clauſos velut ſomno oculos, & blando oſculo deſuavietur. Simul charitum trias circa odoriferam hanc ſilvam choros inſtituat. Melpomene blando ſalutet carmine, atque Amori dedicet. Aut etiam Chloris indicto concilio, hanc in regno florum votis ſuffragiiſque ceterorum Reginam conſtituat, ſolſequio Regalique corona ac caryophyllis contra nequicquam obnitentibus; quod illi flores odore, hi cedant gratia. Quod ſi ænigmaticè magis floris hujus præſtantiam extollere placeat. finge Rhodoen cum reliquis Nymphis hortorum in certamen de pulchritudine deſcendiſſe, quæ huic denique per Charites aut Chloridem arbitram ſit, cum excellentiæ prærogativa, adjudicata. Et hæc ſola materia poëmati ſuffecerit. Vis ejuſdem floris vim medicam extollere? finge inter ſe plures apud Apollinem, vel

Machao-

Machaonem, judicem de virtute adverſus morbos & medicamentorum gratia contendere, Rhodöe in ceteris præhabitâ. fingi etiam ſi lubet ſub Apolline, aut Machaone inſtructore, diu in morborum cura eruditam, non mediocri fructu uſuque rerum profeciſſe quale fictionis exemplum in Aranea noſtra inter Heroica invenies ex Ovidio traductum.

Vniverſim, unâ tibi regulâ amplum in omni creaturarum irrationalium genere fingendi campum aperiam. Poſtquam rebus, deſtitutis ratione, allegoricè perſonam humanam indueris, quidquid illis, ſive ex natura, ſive ex adjunctis effectibuſque poteſt competere, hoc per humanas actiones licebit accommodè exponere. quare educationem, ſtudia, mores, habitationem, conſortia, vitam, mortemque Rhodöes, tanquam virginis, ita depingere poteris; ut per hæc roſæ dotes explicentur.

Rarior quidem, non tamen à poëmatiis minoribus excludenda videtur fictio Apologica, Æſopi ingenio celebrata, quæ ad plurium etiam poëmatiorum in exercitationibus ſcholaſticis diſtributionem facere poterit. E. g. ut de Roſa porrò comminiſcamur: hæc ſolenne teſtamentum moriens condat, quo ſuam hæreditatem in optimè meritos partiatur, ne à morte prodeſſe non videatur. Spinas hortulanis in ſepem arcendis furibus, aut cocis fovendo igni, aut laſcivis caſtigandæ carni dedicet. nodum & ſemina Telluri ad novas ſtirpes educandas: folia eorumque colorem, pictoribus ad imitationem, tum etiam apothecis ad varium medendi uſum; ſuccum odoratum potentum manibus naribuſque reficiendis relinquat. Aut certè ſingulis ſenſibus, ſingulas dotes offerat. viſus colorem, odoratus odorem, guſtus, in conditis Zacharo foliis, ſaporem, tactus mollitudinem habeat.

Par ratio in rebus animatis; imò tantò facilior, quantò hæ propius ad vim intelligendi accedunt. E. g. Cygnum poëmate ornare ſtatuiſti. Si luxuriare fingendo lubeat, perſonam illi humanam indue & Glycóden (à dulci cantu: nam γλυκύς dulcis, ᾠδὴ cantio) nuncupa, quæ olim ſub Apolline Magiſtro & Galatea nutrice ſit inſtituta inter Naides fluviorum, ſilvarumque Faunos. hæc ſortita paternam hereditatem; & cum aliis aër (puta aquilis) aliis terra (ut Gallinaceis) obveniret, aquæ elemento præfecta eſt. Cum illis in certamen de viribus, quibus Aquilæ vix cedit, de pulchritudine, ætate, commodis Reipublicæ illatis &c. deſcendere poterit. Venuſtè

etiam Cygnus teſtamentariis tabulis corpus ſuum homini poſt fata dedicabit, regalibus ferculis deferendum, & non faſtidito, ſed optato funere à morte profuturum. Calamos Muſis doctorumque libris exarandis ad æternam recordationem tranſcriberet; plumas ægris, mollemque quietem ambientibus, tribuet. Hæc aliaque meditantibus in allegorico hoc fingendi genere minus difficilia futura ſunt, ſi meminerint, aptâ, licet nonnunquam remotiori, ſimilitudine hanc poeſin niti. à qua ubi prorſus deflexeris, aniles tantum nugas allaturus es. Ita ſummis virtutibus, ſumma quæque vitia propinqua ſunt.

CAPUT XVIII.

Poeſis perſonarum rationabilium, & concipiendi ratio, in bonu præſertim internis externiſque.

PRoximus à plantis brutiſque homo eſt, circa quem maximus Poetarum labor verſatur. Homo autem, vel à bonis externis, ut ſunt opes, honores, fama; vel internis, iiſque, aut corporis, ut ſunt forma, valetudo, robur ſtatura; aut animi, ut ſunt artes, ſcientiæ, virtutes aut vitia, laudem reprehenſionémve meretur. Poſſunt etiam bona eadem, vel naturæ & neceſſitatis cenſeri; vel à libero hominis dependere arbitrio. illorum in cenſu omnes ſunt affectiones corporis, animique potentiæ horum partem tenent & virtutes ac vitia: & res omnes actioneſque ad bonum malúmve indifferentes, ut ſunt in rebus opes, nobilitas, tituli honorum: in actionibus, edere, nubere, ire, redire, pugnare &c. In his latiſſimus ille eſt campus, qui actiones humanas cum virtute aut vitio conjunctas exponit, in quibus pleræque earum, quas ſupra tractavimus, fictionum verſantur.

Poſſet verò etiam virtutis, aut vitii unius, natura tantùm, non per actiones hiſtoriaſque factorum diverſas (ut ſupra fecimus) ſed diviſim ab homine pertractari. ut & reliquæ animi affectiones Ira, timor, amor, cæteræque. Quæ aptiori fictione vix expoſueris, quam ſi tributâ iiſdem perſonâ, velut in theatro agentes exponas e.g. Prudentiam, deliberatè circumſpectéque omnia exequentem, ex præteritis futura metientem, periculis maturè obviantem. contra hanc Dolum, Præcipitantiam, Temeritatem aliaque excitare vitia licebit, quæ victrix proſternat. Verùm his non lubet immorari exemplis, cùm & ſupradictis

afficinia ſint, & in heroica noſtra Sarcotide occurrant non pauca.

Dotes animi corporiſque ſeorſim à ſuis ſubjectis in poeſi vix ſolent tractari; ſed cum illo, cujus ſunt facultates, in commentationem veniunt. unde ex recto malóve earum uſu, ad laudem vituperiúmve trahuntur. Nam &, in multis, deformem ægrumve, aut ſtupidum ignorantémve fuiſſe, majus Dei beneficium cenſendum fuit, quàm oppoſita his bona poſſediſſe; cùm forma, robur & ingenium non paucis exitio fuerint. Quocirca utcunque, aut hæc, aut illa in laudem reprehenſionemve libuerit vertere, cœleſtium aut inferorum genios, adhibere Poeta poterit: illos radiis divinis illuſtrantes, cœlitùs dona, conſilia inſtrumenta artemque in agendo miniſtrantes, noſtra aliquando perſona, officioque fungentes: hos verò pari induſtria ſeducentes, offundentes nebulas, conſilia inſtrumentaque vitiorum ſufficientes, fictiſque rerum perſonarumque ſimulacris deludentes induces. Quæ omnia lucem, copiam, varietatemque ex ſupra memoratis accipient.

In externis opibus, quanquam eadem fingendi ratio occurrat; ut quæ ex uſu humano eâdem lege pendeant. quòd opes, & nobilitas, & honor aliis emolumento, exitioque aliis ſint. Tamen cum hæc virtutis nonnunquam præmia habeantur, diverſa fingendi concipiendique ratione ornari poſſunt. ſiquidem, ut eximia virtutum decora, ab earum laude extolluntur, generoſiſque actionibus permiſcentur. e g. Honoribus publicis Doctor inaugaratur, aut ad dignitatem ſeptemviralem in imperio, aliamve in Eccleſia prælationem vir magnus advocatur. qui ſi rerum inprimis cognitione ſapientiaque polleat. hunc cœlitum delectum conſilio, Pſychæa aut Phronéa apud hos intercedentibus aſſeres, variis jam olim ominibus indiciiſque ad hoc deſtinatum cœlitus: ſi æquitate aliiſve virtutibus emineat, Themidis aut Aſtrææ beneficio, educatione, artibus, armis, poſtulatis evectum dices. Pſychææ alis per ſidera cœlorumque luſtratos orbes, per Indos Americanoſque, aut quaſcunque gentes, per antiqua etiam retrò ſecula progreſſum finges; aut certè hæc illi omnia divinâ arte coram exhibita, quibus experientiam rerum ſapientiamque hauſerit. aut verò etiam artium illi omnium ſcientiarumque arcanum ſcrinium à Phronea vel Sophia reſeratum, cujus ipſe potiatur clavibus, atque pro rerum neceſſitate inde hauriat. Sapientiam aut Virtu-

tem

tem hunc ſibi, oblato annulo amoris familiaris, vel etiam nuptiarum caſto vinculo obſtrinxiſſe Oculos aciemve mentis ſortitum, quo animorum etiam hoſtilium, quoque & cœli & orbis ſecreta, pluſquam Lyncea perſpicacitate, penetret. Ignorantiam, aut vitium quodlibet, tanquam Meduſam Perſeo, aut ſtabulum aliquod Augeum expurgandum Herculi, objicies. Alaſtoris, aut Melanurgi pulchris conatibus obſtantis, vim, fraudes conſiliaque explicabis. Honoris aulam, vel montem ſublimi excitabis in æthere, quem humiles animæ contingere nequeant: ubi præſes Aſtræa ætheriæque Mentes varia Honoris inſignia præparent: ubi coronæ, ſceptra, purpuræ aliáve decorum cimelia. Sic & Nobilitatis excelſæ arcem ac palatia, variis heroum & ſapientum virorum imaginibus, ſymbolis ac teſſeris virtutum, factorum egregiorum inſtructam emblematis ſcitè adumbrabis. Vtriſque largas opes, egregiaque ex auro gemmiſque donaria, titulos ac præmia, (prout perſonæ & res exigent) impertieris, quibus meritum quemque munerentur.

In his magna pars illorum verſatur poëmatum, quæ in honore, aut gradu aliquo dignitatis publicè collato gratulationis ergo concipiuntur. Elegantiſſimum hoc loco & gratum maximè, ſiquid vel ex nomine, vel ex inſignibus illius quem ornas herois, vel ex ipſo inaugurationis die ceteriſque huic ſolennitati adjunctis ſe offeret, quod ſymbolicè, vel per alluſionem uſurpatam conceptui poetico ſerviat. De his inveniendis ſiquid plenius deſideres Argutiæ noſtræ epigrammaticæ ſuppeditabunt ex alluſionum fonte. Ita nuper in Illuſtriſſimi Principis adjutoris Septemviri Trevirenſis nomine Caroli Caſpari à Petra appoſitè meus quondem in oratoria facultate Magiſter R. P. Guilihelmus Knauſtius luſit cum eam petram Eccleſiæ Trevericæ, quo hæc tutò niteretur, faceret. Ita quoque à multis hac ætate luſum in Pontificum Vrbani atque Innocentii inſignibus. quorum ille tres apes, hic columbam oliviferam prætulit: bellicoſas ille volucres; hic pacificam. nec prorſus vano omine, quod orbem ille Catholicum ſævo marte agitatum poſſederit; hic jam paci rurſus inclinatum. Ita cum Sereniſſimus Princeps Elector Colonienſis Maximilianus Henricus Bavarus primùm adjutor Ferdinandi eligeretur, circa tempus quo Sol Leonem in cœlo ſubiret, mihi Aurora in Leone oriens poeſis ſymbolicæ conceptum præbuit, illo

etiam aptum titulo, quod Bavarorum inſignia leo occupet. Spectavit ad tempus iterum, quod Electori Ferdinando morienti Noctem doloris, Maximiliano ſuccedenti Diem Honoris inſcripſerim. In fortuito eventu tanquam omine luſi quoque, cum Eminentiſſimi Cardinali Carolo Roſetto Coloniæ in urbis monaſterio hærenti Apes inſolenti ſtrepitu applausêre, atque ex oppoſito conclavis ad templi parietem raro exemplo adhæsêre, illo tempore quo Urbanus VIII Romæ illi in collegio Cardinalium purpuram decrevit. Apes igitur (Urbano familiares) in Roſetto, titulum conceptionemque Poetæ ſuffecerunt. Gratum illud quoque fingendi genus quod ex idoneo nominis laudandi anagrammatiſmo naſcitur. Ita hac ætate adulatorii encomiaſtæ Guſtavo Regi Sueciæ plauſere. Qui cum in Germaniam felicibus bellum auſpiciis intuliſſet, Catholicæque religioni imperioque Rom. extremam ruinam minaretur: fuerunt in ſectariis qui ex Guſtavo *Auguſtum*, ex Sued *Deus*, feliciori anagrammate, quàm ominis & poeſios ſucceſſibus formarent: paſſimque illi, ut Auguſto Rom. Imp. Deoque alicui terreſtri egregiis commentis plauderent. Sed Poetæ omnes, etiam illi qui oratores voce, ac ſtilo, viſi ſunt: cùm tantùm finxerint. Enimvero Deus ille mortalem ſeſe eſſe docuit, poſtquam ſuos ita ad pugnam animaſſet: ut meminiſſent quatuor horarum certamine orbis ſibi imperium parituros: atque haud multò poſt glande proſtratus, in ſepulcro tironum reperiſſet.

Quod ſi ex his omnibus conceptus idoneus non ſufficiatur, perſonam, rem, munus, actioneſque conſideres, atque his aliquod ſimile conveniens inveſtiga, nec difficilis hinc erit concipiendi ratio. Totus enim poematis conceptus, non rarò ex ſola metaphora aut ſimili ducitur. Ita v. g. in pace Hollandica ludens Poeta leonem dormientem proponat. aut concluſum monte Æolum. In bello eorundem Mare exæſtuans; leonem rugientem: in bello Italico Veſuvium ardentem: in bello Suecico Urſam borealem ſævientem, aut Draconem volantem: in pace, ſopitum. Quanquam & hæc eo capite gratiora ſint, quod ad locum, inſignia aut aliud quippiam, illi de quo agitur cognatum, alludant. Ita ad nuptias, aut gradum aliquem dignitatis accedenti, tunc venuſtius Amoris aut Honoris venationem dedicabis, cum aut canem, aut falconem in gentilitio ſchemate præferet.

Sic Onopolæ conjugi hederam nuptialem; Piſcatori rete Amoris appoſitè deferes. Sola tamen comparationis gratia huic Poeſi ſuffecerit,ut ſi naſcentem Principem Phoſphoro,morientem Heſpero componas. Adoleſcenti occumbenti florem deciduum conferas, Muſico Philomelam ; Polyglotton variarum linguarum perito ; Venatori Falconem aut Aquilam ; Duci exercitus Regem apum ; Præfecto Vigiliarum Gruem &c. Ita etiam per ſolem in meridie Chriſtum reſurgentem, per obſcuratum eclipſi morientem adumbrabis. Verbo, rariora quæque ſymbola,quorum copiam noſtrum ſufficiet Speculum, his conceptibus ſerviunt. Nec minus ad reprehenſionem, quàm laudem faciunt. Vis hæreticum hominem malè ſacris utentem literis deſcribere?Scarabæum in roſa propone,ut quæ illi exitioſa eſt,aut Muſcam in unguento:ut quæ illud corrumpit.

Ex hoc verò conceptu metaphorico poematis fictiones Poeta ſic ducet : ut cum e.g.de venatione cœptum, eo ſpectent fingendi ornamenta. ſuos ille & canes,& miniſtros & reliqua venatui inſtrumenta adhibeat,nec ſine allegoriæ myſterio, locus ipſe ac feræ rerum occultarum involvant ſymbola. ut ſi per artes ac ſcientiam Honores aſſequatur, in Parnaſſo Apollinis ipſe ſagittis, ac Muſis faventibus cervum aut monocerotem occupet.Si virtute potiſſimum emergat, Arete,Phronea,aut Andria ſtipantibus leonem retibus implicet. Quod ſi purè ſymbolicus conceptus fuerit ut,cùm in floris propoſiti imagine adoleſcentem intelligis : vel ad Ovidianas metamorphoſes licebit confugere, ut velut Narciſſum alterum Pronææ divinæ miſeratione in florem converſum aſſeras, qui foliis denique collapſis ita in terram defluxerit,ut rurſum appetente vere renaſcatur, hominis de terra reſurrecturi ſimulacrum: vel ita de flore diſſeres, ſuo in horto, ſuaſquè inter colentium manus ſurgente, nunc pluvia, nunc ſole cœleſti favente, ut ſymbolicè adoleſcenti, de quo ſermo eſt, conveniant. quæ venuſtas quandoque in poeſi egregia eſt.

Illud tamen obſervare te cupiam : ut, cum latius fingendo evagari fuerit propoſitum ; non tam arcto, quàm aut flos, aut muſca eſt ſymbolo te adſtringas; ſed pro flore e g. Semiramidis aut Adonidis hortos : quorum ille Honoris, hic Amoris queat eſſe imago:pro muſca Lernææ paludis infecta, quæ plurium vitiorum in uno hæretico, aut hæreticorum in uno ſchiſmate idea ſit,uſurpes.

Ceterum non ſimilia tantùm, ex rebus ducta naturalibus, his ſerviunt conceptibus; verùm etiam ex artefactis, hiſtoriis, fabuliſque veterum deſumpta. Quid enim vetet, navem cum homine componere, in quo gubernator ratio, voluntas nauta, potentiæ executrices ſint remiges, ſenſus vela, ventus anima, carina venter, prora caput, malus brachia, nervi rudentes. mare, in quo vertatur, mundus? cur idem horologio componi nequeat, in quo index lingua, horæ opera, rotæ animi potentiæ, pondus affectiones, libramentum conſcientia aut ratio? cur non in hiſtoriis Sampſonis vulpes, conjuratam nobis hæreticorum fraudulentiam explicent? quæ licet, quot capitum, tot viarum ſententiarumque ſint, fine tamen, qui Eccleſiæ eſt everſio, cohærent. Cur non in fabulis Pixis aliqua Pandoræ, ſit libertas acatholicorum, à qua graviſſima in orbem confuſio ac pernicies rerum? An non appoſitè Marſyas tibicen imperitum Poetam; ut contra Orphei cithara eruditum Poema refert? Hæc ſanè, ut grandiora quædam poemata in partibus: ita inprimis minora (uti in Lyricis videbimus) ornant. eſtque hæc ratio optima veterum fabulas in noſtram poeſin traducendi.

Huc etiam referimus, monumenta ingenioſo Muſarum artificio excitata. Vt ſi Victori Poeta Arcum triumphalem; Honorato Templum Honoris; Sacris initiato Aras aut Candelabrum myſticum; pro patria aut religione occumbenti Mauſolæum aut Pyramidem inſtruat. Nec vetabitur (quanquam minus poeticum ſit) ad ritus veterum aut Græcorum, aut Rom. deflectere. e g. triumphantium, dignitates adeuntium, nubentium &c. quæ tamen ſymbolicè ad ſuſceptam poematis materiam adhibenda erunt, ne omnino nihil ſuo ingenio fingere Poeta videatur.

CAPUT XIX.

Ratio concipiendi in rebus hominis indifferentibus ac neceſſariis.

SUnt in homine non pauca, quæ nec laudem nec reprehenſionem, ſuo tantùm ingenio conſiderata, merentur. Ex quibus alia naturâ ipsâ conveniunt, ut eſt naſci, adoleſcere, mori; alia libero hominis arbitrio ſubjecta ſunt, ut ire, redire, nubere, ceteræque actiones inter bonum malúmve mediæ. Hæc verò univerſim, quemadmodum & reliqua fingendo ad raritatem

quandam

quandam licebit extollere, ut ingenioſè à Strada factum lib.2. proluſ. 6. acad. 2. dum Poetas in certamen navigantes educit. Deferri, inquit, cœpit ſecundo flumine ingens immaniſque rupes quæ nullis incitata remis, ſed rotis ſenis impoſita quadrigarum more terebat aquas, ſeque ipſam temperata quadam velocitate concitabat. Cujus artificii ratio hæc ferme erat. latebat intra hujus uterum montis, in imo ejuſdem ſolo, ſeu carina, tractoria machina, quæ vectariis equis obnitentibus circumducta, alios atque alios verſabat orbes, quorum converſionibus tranſverſi jacenteſque per carinam axes rotarum, quæ utrimque ternæ, ut dixi regebant molem, obvolvebantur quam celerrimè. Inde rotæ, quibus de loquor, dum verſabantur, quia in ambitu ſeu curvatura extantes radios denteſve habebant, aquis impactæ fluvium ſcindebant remorum vice, rupemque eodem molimine atque incitatione propellebant. Hæc autem moles quàm ſpeciem referret, ſubjicit. Mons ipſe biceps ſeu bicornis, primi in radicibus aditus vepribus impediti, & calculoſi, juga explicata, lauroque conveſtita, Pegaſus excuſſo jam fonte ſublimis &c. Pergit, atque Heroicorum Poetarum ingenia eleganti fictione adumbrat, dum faſtum Statii, Claudiani barbariem, Lucretii humilitatem, Lucani audaciam, cum virtutibus eorum conjungit, Ovidioque Virgilio omnibus propè numeris abſolutos componit. Et Iovinianus quidem, ait, Pontanus, qui Statii Papinii tuebatur nomen, ſublimiorem è geminis Parnaſſi collibus occupavit, conſcenſoque ejus ſupercilio è rupis eminebat crepidine, minax ac penè præceps, eâque oſtentatione omnium in ſe oculos, ceu funambulus periculo proximus, attrahebat. Ex altera parte Balthaſar Caſtilionius, pro Claudio Claudiano, alterum bicipitis Parnaſſi cacumen obſedit, depreſſius illud quidem Statiano faſtigio, ſed explicatius, paulò tamen ſterilius, herbiſque latio ignotis alibi conſitum. ſed Petrus Bembus, Princeps Lucretianæ factionis, ad radices agebat aliquid, ut enim ipſe genus illud navigii ex antiquitate petierat, didiceratque à Philoſophia motum impertiri rupibus inter aquas; ita ejus machinæ rotarumque temperator, ſedulò inſtabat operi: quo fiebat, ut inter illa machinamenta, circumſtanteſque vepres, in quas interdum ſeſe inducere neceſſum habebat, ſemiconſpicuus appareret, operiſque ſui amore, vix inde conſurgeret ad reliquas Poetarum amœnitates. At verò Hercules Strozza, Ovidio ſimilis, non uno conſiſtebat loco; ſed Parnaſſum penè totum

totum dexteritate mirabili peragrabat. Quanquam, ut erât impatiens moræ, quæ in ardui montis jugum contendenti neceſſaria erat, libentius curſitabat in imo. Nullus tamen in locum emicuit illuſtriorem, projectioremque ſub oculos, quam Ianus Parrhaſius Lucani Patronus. hic Pegaſũ, in ipſũ media rupe ſublimem, juveniliter animoſéque conſcendit, unáque cum bellua volatum adornante, velle nubes petere videbatur. Verùm quia quadrupes poſterioribus tantum pedibus inſiſtebat humi, ſublato reliquo corpore, idcirco ægrè locum declivem lapſantemque Poëta retinebat, ut identidem in poſtrema delatus penè penſilis inhæreret, caſuruſque jam jamque ab omnibus conclamaretur. Denique Andreas Naugerius, cui Virgiliana non magis dignitas, quam Virginalis ejuſdem verecundia cordi erat, prope Calliopen Laureto inumbrante conſedit. quo in receſſu fefelliſſet oculos ille multorum: niſi quod in Calliopen intendere obtutum nemo poterat; qui ſimul aſſidentem inibi Poetam non videret. En ut navigatio Poetarum ad certamen collectorum fingendo extollitur. Atque illud facilius quidem in liberis actionibus, quàm naturalibus hac ratione poteris, cum hæ ſua neceſſitate & limitibus adſtringantur.

In iis igitur quæ neceſſario homini ex ipſa naturæ conditione obveniunt, ut eſt naſci, vel mori: extrinſecis potiſſimum figmentis ludendum eſt. Age exemplum ſit Chriſti nativitas. In hac religioni meritò ſit quicquam aliter ac geſtum eſt exponere. Licebit verò in adjũctis externis non pauca comminiſci. Mundi totius & hominum eo tempore conditionem expende. Excluditur naſciturus hoſpitio. ſollicitetur Plutophilus, ſive avarus, Ocnus, ſeu Piger, Panphagus ſeu guloſus, Hyperephanius ſive ſuperbus, verùm alii aliis de cauſis tantum excludant hoſpitem. Feræ deinde ac bruta, ſuas vel ſilvas, vel cavernas offerant, Bove atq; Aſino votorum potiente. Quia nocte eſt natus; Stellæ de cœlo pro obſequio Chriſti præſtando contẽdant, Phoſphorus reliquis ab Vranie præferatur. Solis neglecti querelæ, & Lunæ, ſtellarumque ob prærogativam honoris gaudia plauſuſque celebretur. Quod hinc naſcatur. Ideo inter ſe Venti, partes Anni, Elementa, Rhamnus oliva, palma ceteræque brumales cum aliis æſtivis arboribus committantur, & quæq; pro ſe partium oſtendat deſiderium, quo naſcenti Deo, ſe, ſuaque officia ac munera offerre cupiat. Angeli de cœlo ad tam novum ſpectaculum affluant, ſeque infanti Numini ſubmittant. Throni

niſuam illi ſedem. Poteſtates imperium, Virtutes vim omnem illi deferant. Vana Ethnicorum Numina cœleſtis aliquis Genius aut Religio captos infanti dedat, ejuſque ad cunas mactet. Per virtutes vitia in captivitatem & vincula abſtrahantur. Amor auream nectat catenam, quâ barbaras remotaſque gentes ad cunas adſtringat. Symbolica à Paſtoribus deferantur munera, ut agnus manſuetudinis, Gallina ſolicitudinis, poma amoris argumenta, ut à nobis factum in Ecloga. Iidem Chriſti naſcentis figuras, ut aridam virgam flore improviſo germinantem, rorem in vellere ignem in rubo, aliaque id generis rectè exponent. Ipſi denique cœli ad obſequium ſeſe inclinare poterunt: Ariadne ſuam nato exhibere coronam, Aſtræa bilancem, Arcitenens arcum tradere. Angelica etiam atque humana natura concertare, utra venientem Deum exciperet. Ipſa Dei clementia cum Iuſtitia committi, dum illa denique victrix cauſſam obtineat,

Ita pleraque hæc in Chriſti morte, mutatis aliquantum conceptibus, induci poterunt; cum averſari tam triſte facinus univerſa natura, uti nativitatem amplecti, viſa fuerit.

Porrò in hominum ceterorum nativitate ac morte paria non pauca ſervient. Contendant enim (ut hic de morte loquar) elementa, vermes, ſerpentes, Angeli boni malive, Sectæ religionum, Fama, Infamia, Virtus, Fides, Scientiæ, Artes, Confeſſores, Virgines, Martyres, Vrbes, Academiæ &c. ſuamque ex mortuo ſibi partem ac velut hæreditatem vendicent. quanta vel in hoc ſolo conceptuum ubertas! Cur non idem per cœlos extolli, atque hærere in ſingulis admiratione digna contemplando nequeat? Cur non ſuos inter avos excipi veterum facinorum commemoratione poſſit? Nunc in tabulis conditis, monitiſque ad ſuos, monumentiſque relictis, quam multa ad laudem reprehenſionem Poeta reperiet? Verùm hac de re plura ſingillatim in Epitaphiis.

CAPUT XX.

Particularium poematum conceptus, quos expoſita ſupra fingendi ratione magis exornare licebit.

NOndum tardioribus ingeniis, aut non ſatis ætate, judicioque maturis, ita his noſtris præceptionibus videtur proſpectum, ut in particulari quovis ſcribendi argumento hæſita-

re nequeant. Quocirca in uſitatis maximè materiis, quæque vario carminum genere ſolent pertractari, ſubjiciemus illa, quæ conceptum fictionemque haud difficilem præbeant. Ex quibus & adſtringere, & laxare Poëtæ habenas liceat, prout alio atque alio carminis genere ornare conceptum decreverit: modò earum, quæ ſupra tractavimus, rerum omninò rudis non acceſſerit. Neque enim præterea, quid magnopere conantem retardare queat, video.

Diſpoſitio enim, poſt inventionem, vix quicquam arduum, niſi in Heroico forte & Dramatico (quæ ſeorſim monenda erunt) obtinet. minus in hac Poeta, quam Orator ſtudii collocat. ratio hic ferè magiſtra cuique eſt optima.

§.3. Genethliacon (a) ſive natalitium, quod in natali infantis die, aut etiam recurſu ejuſdem, quot annis recitari poteſt. In hoc materia erit laus vitaque parentum, aut conſanguineorum, aut popularium, locique excellens genius; ſpes deinde indolis in prole haud diſſimilis, ad quam excitandam, ſomnia, oracula, viſa, auguria parentum accerſantur: diei item, temporis, locique notæ; ut feſtivitas, amœnitas, &c. adhibeantur. Quanquam & horum contraria ſervire poſſint, ſi e. g. hiberno frigore, aut belli tempore, ac in caſtris genitum, ad ardua ferenda agendaque fortiter natum augurentur. Gratulabitur patriæ parentibuſque, ac in iis lætitiam concitabit (quod ſub initium ſtatim facere poterit) Lunam etiam Solem, auroramve licebit alloqui, atque ad illorum hæc laudem, gaudiaque derivare. Vota denique pro eo ad Superos, ac Genium tutelarem rectè concipiet, mero floribuſque eorum altaribus circumfuſis. Quod ultimum inprimis ſerviet, ſi recurrens natalis celebretur, cui addet rerum geſtarum commemorationem deinde quomodo votis ac ſpei conceptæ reſponderit. quàm etiam poſt hæc longè ſuperaturus videatur &c. vide Virg. Ecl. 4. Ovid. l. 4 triſt. eleg. 13. Tibul. lib. 2. eleg. 2. Prop. lib. 3. eleg. 8. Stat. lib. 2. ſilva ultima, & lib. 4. penult. Auſon. Idyl. 5.

§.4. Epithalamium (b) ſive nuptiale carmen, in quo 1. hominum plauſus lætitiamque imperabis ipſe; vel celebritatem, feſta, ludos, gaudia admiraberis: quæ omnia Sponſis deinde impendi gaudebis, cœli etiam terræque (ſi tempus ferat) gratiam deprædicabis; ut quorum ſingularis fortuna, nobilitas, opes corporis, animæque

(a) *ἀπὸ τῆς γενέθλης id eſt, generatione.* (b) *ab ἐπὶ & θάλαμος.*

animæque bona, ætas firma prudentia, & ceteræ virtutes mereri videantur, ut non tantum hominis; ſed ipſa etiam elementa, atque aſtra faveant. Dei providentiam in tam opportuno amore venerabere. Spem novis nuptis facies prolis haud abſimilis. auguria etiam ex tempore, donis nuptialibus, apparatuque cetero capere licebit, vota preceſque, pro iis ad Superos concipere. Amoris quoque Gratiarumque perſonæ induci poſſunt, & à Sponſæ telis parvulos amores, aut caſtum juvenem acu adumbrantis exordiri &c. at cavendum inprimis, ne honeſtatis limites tranſeas, ac pro Poeta ſcurram agas. Vid. Catul. in nuptias Pelei & Manlii Stat. lib. 1. in nuptias Stellæ. Claudian. in nuptias Honorii, & Palladii. Sid. Apol. in diverſas nuptias. Hymenæi etiam, & apud Latinos Talaſſi, ſeu Talaſſiones hæc carmina dicebantur; quod ſi inter ſponſum ſponſamque colloquium inſtitueres, Oariſtyas vocabant. Hæc in ſacris etiam uſurpari poſſunt, atque animæ cum cœleſti ſponſo connubium explicare.

§. 5. Sequuntur nunc votiva ſeu Proſeuctica quibus aliquid fieri, aut eſſe petimus; & apeutica, quibus mala deprecamur, aut non eſſe cupimus. quæ variè ad varias humanæ vitæ conditiones, actioneſque hominum, pro loco, tempore, ac perſonarum qualitate, diriguntur, cum voto, deprecationibus, exhortatione, conſolatione &c. in quibus primo occurrunt.

Soteria (a) à ſalute ſic dicta. Olim vel oblata munera, vel ſacrificia ob ſalutem alicujus ex gravi prælio, morbo, aliove periculo recepti, inſtituta, ſignificabant. Vnde carminibus de tali incolumitate gratulantibus nomen acceſſit. Hæc igitur initio, dolorem omnem luctumque gaudio permutare jubet domeſticos, conſanguineos, populareſque, aut etiam pauperes afflictoſque, ſi illorum interſit, illum eſſe ſalvum.

Deinde pericula, labores, dolores, reſque præclarè ab eo geſtas aut toleratas, auxilia, obſtaculaque commemorabit. Finget, aut virtutum, aut divorum perſonas illi in adverſis præſentes, quarum facta, dictave referet. cum illo domum patriamve rurſus, velut ab inferis excitatam, adducet: adverſariis malè ominabitur, ac minabitur. vota aliorum preceſque exauditas aſſeret. vid. Stat. l. 1. ſil. ad Rutil. Epilœmia (b) hoc carmen dici poteſt, ſi de peſte ſuperata agat.

§. 6. Pro-

(a) ἀπὸ τῆς σωτηρίας. (b) ἀπὸ τοῦ λοιμοῦ, id eſt, peſte.

§.6. Propempticon (a) ſeu Hodæporicon (b) eſt, quo abeuntes variè proſequimur, argumentis à perſona, loco, tempore, comitatu, munere &c. deſumptis. ver, hiemem, noctem, ſolem, ſidera, maria, montes, ventos, ſilvas, feras, naves, equoſque (quibus vehitur) affabitur, orabitque, ne quid periculi noxæque adferant profecturo. deteſtabitur ſubinde eos, qui primùm navigationum pericula invenerunt, laudato aureo antiquorum ſeculo. Per viam etiam comitibus dignis committet: &, ſiquidem amicus ſingularis fuerit deſiderium comitandi illum oſtendet. Angelum ei ducem precabitur, & maris itinerumque præſides pro eo obſecrabit. Illorum etiam merita atque officia proponet, præſertim ſi pro reipublicæ bono, ac pace impetranda abeant. Vide Stat. lib. 3. ſil. 2. Hor. Epod. 1. & lib. 1. Od. 3. Remondi Alexin Tibul. lib. 1. Eleg. 3. ſi inimici fuerint, eâdem ferè ratione omnia eis contraria precabere. Hora. Epod. 11.

§. 7. Apobaterion (c) eſt, quo abituri ad permanſuros utuntur. Ex iiſdem hi ferè ſuprà memoratis perſonarum, temporum, locorum, per quæ proficiſcendum, circumſtantiis difficultatem abeundi oſtendent, ubi præſertim amicorum, patriæque laudes, ac ſuavis conſuetudo, quomodo, quantumque detineant, explicandum; denique neceſſitas, communis, aut privata exponatur, cui modò parendum ſit. promittatur expeditus reditus, Superique in vota ac præſidium advocentur. Domeſtici aliis, ſi opus, commendentur: præcipuè ſi in exilium diſcedendum, aut cedendum inimicis. Quod ſi patria ingrata beneficiis, ab eo acceptis, extiterit; illam etiam execretur; aut, ſi id atrociùs videatur, ejus calamitatem lamentetur &c ſi bonâ patriæ veniâ non redituri abeant, gratias de beneficiis ab ea acceptis referent, aliò ſe vocari aſſerent, vel religionis ab ſe colendæ ſtudio, vel animarum convertendarum fructu. Vide Ovid. lib. 1. triſt. Eleg. De ponto, & alibi Legati verò pro republica, aut pace, cives patriamque in ſpem rerum meliorum adducant.

§. 8. Epibaterion (d) eſt, quod revertentes in patriam concinunt. In quo Superis habentur gratiæ, votaque, ſi quæ pro incolumitate ſint exſolvenda, proponuntur. Vbi beneficium divinum, à patriæ, civiumque laudibus, atque amore exaggeratur;

(a) ἀπὸ τοῦ προπέμπειν. *id eſt præmittere.* (b) *ab* ὁδοιπορεῖν, *id eſt, iter facere.* (c) ἀπὸ τοῦ ἀποβαίνειν, *id eſt, abire.* (d) ἀπὸ τοῦ ἐπιβαίνειν *redire.*

tur; quibus & ordine compellatis, ſalutem apprecari licebit, ac memoriam deſideriumque explicare, quod de illis abſens habuerit: quàm optaverit in periculis adeſſe, ne peregrè ab illis ſejunctus moreretur. Patriæ hìc etiam perſonam tribuere poterit, revocantis à periculis, & domeſticorum ſolicitudinem exponentis; aut contrà terræ peregrinæ hoſpitem invitantis &c. Hunc, quo redierint, diem, poſt tot viarum vitæque diſcrimina (quæ longiùs commemorare poterit) ſibi natalis loco futurum. Beatos prædicabit (præſertim ſi minùs ex voto res fluxerint) quos, ejuſmodi laboribus abſolutos, ſors domi quietos eſſe permiſerit. pro quo deinde aſſequendo vota etiam facere licebit. quam rem latius diducet, aliarum, cum patria, terrarum compoſitione, atque illius prælatione: cui denique felicia omnia precabitur. Vid. Tibul. lib. 1. Eleg. 3. Quod ſi patriæ, ad quam redit, deplorata ſit conditio. dolorem ſuum declarabit. illiuſque præſentem ſtatum cum priſtino conferet.

§. 9. Protrepticon, ſive Nutheticon (a) adhortativum Latinè (ad quod revocatur Paræneticon, quo præcepta ſapientiæ damus, & Paramytheticon, quo aliquem conſolamur) eſt carmen, quo aliquid amico ad utilitatem, virtutem, gloriamque ſpectans, ſuademus; aut etiam diſſuademus. ubi argumenta ex perſonæ, negotii, loci temporiſque adjunctis ad perſuadendum ſumenda. utilitate, neceſſitate, honeſtate, jucunditate, ac felicitate, præmiis (aut contrà ſuppliciis) propoſitis. Si major ſit qui ſuadet, id etiam propriâ autoritate interpoſitâ aget; ſi minor, ſuum affectum potiſſimùm declarabit, ſeque ea, quæ adfert, non tam ſuo, quàm aliorum ſapientum judicio adducere. Excitentur majorum umbræ, ſuiſque exemplis, in re ſimili quæ ſuadetur, Nepotem incitent. aut illorum virtus, gloriaque, poſteritatis etiam olim futura laus, admiratio, atque imitatio, commemoretur. Vide Stat. lib. 5. ſil. 2. ad Criſpinum. Claudian. in 4. conſul. Honorii. ubi ad ſtudia adhortatur.

§. 10. Eucharisticon (b) ſeu gratiarum actorium (quo & Pædeuterion (c) refertur, quo præceptoribus gratias agimus) eſt carmen, quo ob beneficia accepta gratiam referimus. In quo imbecil-

(a) ἀπὸ τοῦ προτρέπειν καὶ νουθετεῖν, *id eſt, adhortari, & animum facere. quo etiam* παραινεῖν *ſpectat. &* παραμυθεῖν. (b) ἀπὸ τοῦ εὐχαριστεῖν *gratias agere.* (c) ἀπὸ τοῦ παιδεύειν *inſtituere.*

imbecillitatem ſuam in referendis gratiis profitebitur ob beneficii magnitudinem, quod ex natura ſua, ex titulo, quo datur, ex loco, ac tempore, aliiſque adjunctis; tum præſertim perſona, modo, affectu, & virtutibus deferentis, ejus videlicet facilitate, celeritate, liberalitate, prudentia amplificandum erit. exemplis aliorum in hanc rem adductis, quos aut vicerit, aut æquaverit, aut certè quorum gloriâ ad ſimilia audenda ſit incitatus. contraria his etiam opponere poterit. Excurrere quoque in laudem liberalitatis licebit, atque aſſerere, hac virtute homines Deo, maximè aſſimilari. Sic diſcipulus præſtantiam artis, quam à Magiſtro accepit, ejuſque in docendo labores proſequetur. Denique Rempublicam, patriam, Principes, ipſos etiam Superos ad compenſanda impenſa ſibi beneficia invitabit. Fortunam orabit (aut rectius divinam Pronæam) huic uni ne adverſari velit. nullum illam ſe dignius hoſpitium, quàm apud liberaliſſimum hunc virum reperturam. Precabitur denique longam vitam, opes, honores felicitatemque perpetuam. Vid. Stat. lib. 4. ſil. 2. & lib. 5. ſil. 3. in Epicedio quod patri accinit. Auſon. Gratiano pro conſulatu gratias agentem. Sidon. Apol. ad Fauſtum Epiſ.

§. 11. Synchariſticon [a] ſive Euphemia, Latinè gratulatorium [quo & proſphonetica revocari poſſunt, quibus de adventu gratulamur; & Erotica, quibus affectum noſtrum erga aliquem declaramus ut plura Horatius habet; denique Scholia, quæ erant carmina in conviviis aliorum laudes exponentia] eſt carmen, quod, poſt delatum honorem aliquem, aut rem præclarè geſtam, amicis canimus. Quo nos lætari primò, bonoſque ac patriam univerſam declarabimus. viri merita, virtutes, & ſi quid fecerit: operis difficultatem magnitudinemque exponemus: Honoris item officiique delati excellentiam: Patriæ, ceterorumque, præſertim afflictorum, quibus hoc in munere aut dignitate prodeſſe poterit, ſpem, ipſos alloquendo excitabimus. Feliciores tum proavos tanto Nepote, tum poſteros tanto Parente prædicabimus. Denique hæc gradum ad meliora digniora que fore, vel optabimus, vel etiam ex ipſius virtutibus divinabimus: Superis, ut hæc jubeant, velintque, in vota poſtulatis. Vide Claud. de Honorio, & Stilicone, alioſque auctores paſſim. hæc enim carminum genera ferè Panegyricis commiſcentur.

(a) ἀπὸ τοῦ συγχαριστεῖν *gratulari.*

Epinicion [a] eodem reducitur, quod victoribus in Olympicis aliiſque ludicris accini ſolebat; nunc Religioſis de mundo ac carne, aut Martyribus de tyrannis triumphantibus acclamari poſſet. Vide Horatium lib.1. Od 37.& lib.3.14. Prop. Eleg 6.lib.4.Ovid.lib.4.Triſt.Eleg.2.

§. 12. Panegyricus [b] eſt oratio ſoluta vel ligata in magna populi frequentia (unde nomen accepit) in laudem alicujus magni viri dicta, cum aut honores publicos accepit, aut ob victoriam, aliamve qualemcunque cauſam celebratur. Vbi vel eâ ratione, ut in Euchariſticis; vel ut in Synchariſticis, exordiri poterit, quæ paſſim huic immiſcentur. Deinde per laudes, & encomia viri, eâ, quam Rhetorica præſcribit, methodo evagabitur. fortunæ corporiſque bona expendendo, recténe illis uſus; an fortiter, (ſi deſint) caruerit? Animi tamen virtutibus potiſſimùm inſiſtet, illas ſuis exemplis locorumque ac temporum notis pulchrè diſertéque oculis ſubjiciendo. Solem ceteraque affabitur ſidera, ut puriùs luceant, annum fecundent, & huic ut dignum aliquando inter ſe locum indulgeant. Monumenta eidem aut tropæa excitare jubebit Patriam, urbes, populos: ac Servatori, Tutori, Pacificatori terrarum inſcribere. aliorum etiam Heroum umbras illi gratulari, cedere, ſuove aſcribere numero jubebit. Hæc etiam introducere licebit, quaſi ſua huic heroi inſignia, armaque, alii alia communicaſſent: aut oratione ad virtutem aliquam, in qua ipſi excelluerunt, hortati ſint, opem tulerint. aut Sapientiam, Fortitudinem, Honorem ei à teneris adſtitiſſe, laudabiliter educaſſe, lac indolemque præbuiſſe ſuam finges. Porrò in his defutura nunquam materia eſt, ſi cujuſque virtutis naturam, officiaque non ignoraveris, quæ contrariis, exemplis, ſimilitudinibus, fictionibus opportunè inſertis, ingenti volumini implendo ſufficere poterunt. Clarus in hoc genere ſcribendi oratione ligata eſt Claudianus quem vide in Honorio, Mallio, Olybrio, Stilicone, Serena. Statius in Domitiano, Sidon. ad Anthem. vide in Heroica noſtra poëſi Panegyrin in Carolum Quintum. Vituperium oppoſito ferè modo texitur. nam contrariorum eadem eſt diſciplina Vide Claud. in Ruffinum Gildonem, & Eutropium & quæ infrà de diris trademus.

§.13.Epi-

(a) *ab ἐπὶ, καὶ νίκη quaſi de victoria.* (b) *πανήγυρις id eſt multitudo.*

§. 13. Epicedium[a]funebre carmen eſt, quod mortuo nondum ſepultò, dum juſta ſolverentur, recitabatur. Nænia dictum, ſi ad rogum caneretur. Parentalia etiam, ac Inferiæ, ſive in funere, ſive quot annis repeteretur. Monodia ſi unus quereretur.

Epitaphium [b] ſi ad ſepulcrum diceretur. quod denique ſepulcrorum inſcriptionibus nomen dedit (quorum tractationem in Epigrammatum libello proſecutus ſum) Threni non tantùm in hominum morte, ſed & urbium excidio ſunt adhibiti. In his noſtros, aliorumque conceptos ex morte, aliave calamitate dolores ſignificamus, (niſi fortè anniverſarium carmen fuerit, quod de luctu tacebit)laudes deinde vitâ & miſeriâ functorum narrantur, ut ſolet in Panegyri. Iacturæ factæ adjungitur explicatio : ubi & in Mortem tantorum bonorum ereptricem, malorumque cauſam invectiva admiſceri poterit, adjiciendo denique; quod neque virtutem, neque gloriam immortalem extinguere poterit. Parcas etiam immites Poeta accuſabit. Tumulo atque urnæ tantum invidebit bonum, Academiæ, Curiæ Reip. aut familiæ Religioniſve dolebit vicem, quod amiſerit Hinc digredietur ad conſolationem, quam revocatis inflexiſque argumentis adornare licebit ; ita ut errare illos dicat, qui lugeant extinctum, cùm etiamnum vitâ, & longè feliciori fruatur, mundi mortiſque calamitatibus ereptus ; cùm poſt pugnam victor triumphet ; applaudendum iccirco potiùs, affuturum nunc etiam poſt mortem ſuis : non illam charitatem, ceteraſque virtutes ſepulcro terrâque obrutas, non ablatum patriæ:ſed reſtitutum. accuſandas lacrymas, quæ in amici fortuna, lætitiaque fundantur. Porrò hæc in Principum, privatorum, amicorum, eruditorum, parentum aut filiorum morte variè, pro perſonarum locorumque, ac officiorum varietate tractanda, uti ratio cuivis facilè ſuggeret. Vide Pontanum, qui ſingula latiùs expendit Exempla habes apud Stat. ſil. v5. Silv.3. lugentem patrem. & lib.5. Silv. ult. filium lib.2. ſub.5. puerum. ib. Silv.6. ſervum. Ovid. in conſolatione ad Liviam, Druſum virum principem flentem, & virum eruditum Tibullum alibi. Catul. ad Manlium de morte fratris

§.14. Diræ ſeu Erinnyes (carmen ſic dictum à furiis malorum ultrici-

(a) *ab* ἐπὶ & κῆδος *funus*, (b) τάφος *ſepulchrum*. (c) θρῆνος *luctus*.

ultricibus)imprecationibus,conviciis,maledictiſque in alterius caput congeſtis refertum poëma eſt, cum omni bonorum remotione,malorumque aggeſtione,causâ tamen ex alieno ſcelere petitâ. In eo non tantùm bilis, ſed & ingenii quoddam acumen,ac vibratæ tanquam ſpicula ſententiæ locum habent. Inſeritur vitæ illorum, quos carpimus, nonaunquam deſcriptio, fabuloſéque eorum educatio meretriculis, Strigibus, Furiiſve adſcribitur, cum execratione concepti natique, omnibus elementis ſuperiſque averſantibus. Quare eadem elementa, ventos,cœloſque, ac ſidera,iis,ut adverſentur, plectantque maturè ſceleſtos,precamur. ſed parum hæc Chriſtianè, niſi in damnata jam à ſuperis capita, ut Epulonem, Iudam, Herodemque congerantur. Vide Ovid.in Ibin & Virg. (ſeu potiùs Catonem) ad Battarum. & Æneid.4.Didonem. Scazonticum carmen imprimis reprehenſioni idoneum eſt,Hipponacteum quoque,à Poëta Hipponacte,inſcriptum. Vide pia Hilaria P. Angelini Gazæi, & Catullum in Ariadnæ querela. Palinodia dicitur ſi quis Diras has, alio carmine revocet. licet hoc interdum ſimulatè fiat. ut Hor. ad Canidiam Epod. 7.

Hæc de varia in poeſi conceptuum ratione univerſim dicta ſuffecerint, quæ particulatim magis ſingulis carminum generibus ſuis locis aptabimus.

CAPUT XXI.

Brevis totius Mythologiæ complexio, quæ conceptus & fabulas veterum exponit. ſine qua neque autores antiqui intelligi, neque poëſis nova pro dignitate exornari poterit.

Confuſa hæc ſatis difficiliſque tractatio, præſertìm in compendium ordinemque redigenda. Adlaborabo tamen ut utrumque præſtem, memoriæque adverſus multitudinem ac confuſionem rerum conſulam. Quod inprimis hujus rei cognitio ad Poetam abſolutum ſpectet. imò rudis hæſitanſque in antiquorum juxta ac recentium ſcriptorum libris futurus ſit, qui hæc paſſim ſparſa, atque à culto quovis ſcriptore etiam inter paræmias uſurpata, ignoraverit. Noſtrâ igitur ſpero opera facilior aliquantò hæc pars humanæ facundiæ reddenda erit. Fabulæ fictioneſque omnes vel ex rerum naturis, vel ex homi-

num moribus ortum traxêre. Ita, ut Ciceronis exemplo utar, cum Saturnum illam eſſe temporum converſionem dixiſſent, quaſi qui annis ſaturaretur, & tempus omnia conſumeret, finxerunt proprios devoraſſe filios. Et quia aër igni vicinus eſſet, hanc Iunonem, illum Iovem dictum, fratrem eſſe & conjugem fecerunt. Vnde & tot Deorum generationes, portentoſa connubia, & ortus, & interitus, quæ averſari honeſta mens ſæpe debet, ad rerum naturalium ortus interitusque exponendos adhibita. obſervatumque illud ferè eſt, ut rerum irrationabilium naturæ, per actiones moreſque hominum; contrà res humanæ per aliarum rerum naturas, poeticâ fictione, explicarentur. Proinde occulta ſemper veritas ſub eruditis, neque temerè arreptis fabulis continetur, quod multarum expoſitione in Speculo Imaginum veritatis occultæ lib. 2. c. 5. & 6. tradidi. Licebitque novo Poetæ imitatione veterum quandoque hac eadem libertate fingere. Ad quam rem prompta facilique incedet via, ſi translatè atque allegoricè rerum ſimilitudini pertractandæ ita inſiſtat, ut de illa propriè loqui videatur. Sic tonitru & fulmen cœleſte, per fabrilem Vulcani officinam; contra indigni hominis inter mortales imperium, per Rhamni inter arbores ambitionem propoſitam invenies. Hæc ſemel probè intellecta facis inſtar eſſe in his tenebris poterunt. Neque enim illa quæ fusè de omni fabularum natura ac ſignificatione in ſpeculo diſſerui, hic revocare eſt animus. illa tantum ſummâ brevitate perſtringam, quæ ad aliquam cùm veterum Poetarum expoſitionem, tum imitationem facient, quod aliis hac in re libros, aliis magiſtros deeſſe compererim, qui in re vaſta compendio ducerent.

Deorum alii in cœlo, alii in terra ſuis quique rebus muneribuſque præfecti. neque inferno defuêre ſcelerum vindices. unde in cœleſtes, terreſtres & infernales diviſi ſunt. Inter homines alii alios, pro gentium ac ſuperſtitionis diverſitate, venerabantur. Et ut Perſas taceam, qui præter Solem & Lunam (communes gentium Deos) elementa cetera, ut Tellurem, Ignem, Aquam ventos Deorum nomine, verùm abſque templis (quod illo Deum concludi poſſe negarent) colebant. ut Ægyptios quoque prætereeam, qui præter Oſiridem, Iſidem, Anabim, Neptunum, Iunonem, Veſtam, Themidem, Charites, Nereides, varias animantium ſpecies, Boves, Canes, Vulpanſeres, Phœnicem, Feles, Crocodilos, Anguillas Cæpe, Allia obſervabant; Græcorum

Romanorumque potiſſimum Deos proſequemur, quod hæ gentes, ut in ceteris, ita in Deorum cultu atque idololatria celebres inprimis fuerint omnéque penè Fabularum de illis permixtione, obſcurarint. ut niſi hærere ignoratione volueris ſæpius, earum te cognitione utcunque eſſe inſtructum conveniat. Ea verò brevitate, qua & res obſcura & perplexa poterit, ex diverſis autoribus ita perſtringam ſingula, ut genealogico quodam ordine ſimul lucem facilitatemque legentibus adferam.

C. Iulius Hyginus paulò altius ferè ceteris Deos deducit. Ex Caligine inquit Chaos, ex Chao, & Caligine, Nox, Dies, Æther, Erebus.

Ex Æthere & Die Cœlum vel Cœlus, Terra, Mare.

Ex Æthere & terra [alii communius Cœlo & Veſta ſeu Terra ponunt.] Oceanus, Thetys, Pontus, Themis [Rhea, Mnemoſynæ, Phœbe addunt alii] Titanus, Saturnus, Tartarus.

Ex Terra & Tartaro Gygantes, ut Enceladus, Ephialtes, Typhon, Aſtræus Iapetus. Alii eoſdem ex Cœlo & Terra [uti & Cyclopes] natos aſſerunt.

Ex Ponto, & Mari Oceanitides, ſeu Maris Deas: ut eſt Heſtyæa, Ianthe, Polyxo, Eurynome, Rhodope, Argia &c.

Ex Nereo & Daride Nereides ſeu fluminum Deæ ſunt, ut Glauce, Cymodoce, Galatea, Dejopea, Arethuſa, Eurydice, Leucothoe &c.

Ex Nocte & Erebo feruntur eſſe Fatum Senectus, Nemeſis, Diſcordia, Parcæ, Somnus & inſomnia.

Ex quibus facilè patet Hyginum ex Hebræorum Geneſi fabularum duxiſſe principia, quæ in ipſa rerum creatarum natura fundantur.

Verùm non conveniunt ubique fabularum architecti in genealogiis Deorum & Heroum, monſtrorumque. Iovem haud pauci cenſent eorum patrem, qui & mortales parentes habent, quòd, opinor, magnis rebus nati putarentur. has verò inprimis Poetæ genealogias ignorare non convenit, quod & patronymicis formandis ſerviant, & ſeriem quandam hiſtoriæ ſimilem ad memoriæ felicitatem conficiant. Quocirca operam dabo, ut cum brevitate hunc ordinem, ex communiori ſententia, conjungam.

CAPUT XXII.

Cœlus ejuſque progenies.

COelus [aut Cœlum] ut inter res creatas, ita & fabuloſas primum locum occupat [quamvis alii Ætherem Diemque præferant] qui ex Terra ſeu Tellure [quidam Veſtam dicunt] Saturnum & Opem ſeu Rheam, Cœum & Iapetum, Titanum, & Oceanum. Tethyn, Mnemoſynen, & Phœben, Thiam & Themidem, Hyperionem, Cyclopes & Gigantes. In his Saturnus, patris in regno ſucceſſor, aſtra, Titanus terram, Oceanus cum Tethy mare poſſedit. Mnemoſyne artibus præfecta, Themis Curiæ & æquitati. Phœbe Nocti, Hyperion diei.

§. 1. *Themis* Iovis nuptias fruſtra detrectans, ab eo denique Virtutum politicarum parens effecta eſt. vetuſtiſſimum ejus in Bœotia oraculum fuit. unde Fatidica ab Ovidio dicta eſt. *Aſtræam* ex Iove filiam [quam alii ex Aſtræo & Aurora ferunt] in terras miſit, quæ poſt ſeculum has rurſum, ſceleribus offenſa, deſeruit.

§. 2 *Mnemoſyne* novem *Muſarum* ex Iove parens [quas alii tamen ex Cœlo eſſe ferunt] has in Piero affini Macedoniæ monte peperiſſe fertur, quibus in Parnaſſo Apollo præfectus eſt. Apud Theſpienſes ludi illis ſolennes, præmiaque, harmoniâ vincentibus, inſtituta His & convivia & Muſica conſecrata. A Venere carnis ſtimulis laceſſitæ, *Adonim* gratiſſimum ipſi puerum occidiſſe, in ultionem, feruntur de quo infra *Thamyras* ſeu *Thamyris*, Poeta excellens formâ, cum Muſis ea lege in certamen deſcendit, ut victor earum connubio potiretur. Sed victus Lyra, atque oculis privatus, didicit paria viribus audenda eſſe Iuvabit porro officia Muſarum, ſive, ut alii, inventa, cognoſcere.

Calliope Heroes, *Clio* acta, *Thaliaque* ludit
Comica, *Melpomene* tragica, & *Polymneia* mimos.
Terſichoren cithara, ac *Euterpen* tibia manſit,
Gaudet amans *Eratoque* Lyræ, *Vraniæque* polorum.

§. 3. *Hyperion* modò Sol, modò Solis, Lunæ & Auroræ ex ſorore, *Thia* [aut, ut alii *Thea* Oceani filia] parens dictus; fratrum regnum ambientium ſcelere occiſus fertur: Sole, pulcherrimâ ejus prole, in Eridanum præcipitato. cujus deſiderio ſoror Luna ſe quoque in aquas præcipitem ſuſtulit *Sol* porrò, [quem & Titanem à patruo dicunt] poſtquam cum ſorore in cœlum trans-

latus eſt, dormire in Tethyos Oceanique hoſpitio ac gremio, atque inde manè inſtructo ab Horis curru ſeſe per cœlum efferre fingitur, quem equi quatuor Pyrois, Phlegon, Eous & Æthon naribus ignem ſpirantes protrahant. hujus ex *Clymene*.

§. 4. Nympha filius *Phaethon* ab Epapho, Iovis filio, provocatus, currus paternos uno moderandos die impetravit. Verùm Scorpionis in cœlis metu, cùm à via deflecteret, atq; alias æſtu, alias frigore nimio regiones adureret, à Iove fulminatus, ad Eridani ripas dejectus periit. cujus ſorores *Phaethuſa, Lampetia, Phœbe*, & *Iapete* relictis Siciliæ campis ubi patris Solis armenta cuſtodiebant, ad Eridani ripas flentes conſidêre, atque in alnos arbores verſæ, pro lacrymis electrum fundunt.

§. 5. *Luna* [quam alii Pallantis fil. volunt] bigis vehitur, cui alii juvencos, alii equos, eoſque modò albos, modò ſimul nigros ac diſcolores tribuunt. à Delo ſacra ſibi Inſula & Cyntho, Delia aut Cynthia appellatur, cum Lucina, Hecate, Diana, Phœbe, Trivia non rarò confunditur. *Endymionem*, à ſe amatum, longo ſomno conſopitum in Latmio Cariæ monte detinuiſſe memoratur: quòd hic primus Lunæ curſum repererit.

§. 6. *Aurora* [quæ ab aliis Titanis ſeu Pallantis & Terræ fil. dicitur] bigis aut quadrigis provecta, equis vel albentibus, vel roſeis utitur. Sunt etiam qui eidem

§. 7. Pegaſum tribuant. Hæc ex Aſtræo *Ventos* peperit. Ex quibus in occidente *Zephyrus* veri pratiſque ac floribus leniter imperat, *Caurus* juxta & *Africus* tempeſtuoſi: *Eurus* regnat in Oriente [juxta quem *Cacias* ac *Vulturnus*] ſiccus, & aſper: *Notus* ſive *Auſter* in meridie humidus, fulminibus ac procellis violentus eſt. *Boreas* ſive *Aquilo* in Septentrione rigidus & hyemi præfectus. Alati omnes. ex Borea & Orithya *Zetes* & *Calais* Argonautæ fuerunt, quibus cum alæ eſſent adverſus Harpyjas depugnandum fuit.

Eadem Aurora amatum à ſe *Tithonum* fratrem Priami & fil. Laomedontis in cœlum tranſtulit, immortalitate illi à Parcis impetrata: cum tamen ſenectutem illi deprecata non fuiſſet, uſque adeò conſenuit, ut pueri inſtar cunis agitandus fuerit. *Memnonem* ex Aurora [alii Ciſſia] Regem Æthiopum ſuſcepit, qui in bello Trojano ſingulari cum Achille congreſſus certamine, occubuit, ſed ex rogo, Iovis indulgentia in avem converſus, ad cœlum evolavit. fons quotannis in loco certaminis, die obitus, ſcaturit. Statua eidem erecta ad Auroræ conſpectum & ſolis

radios

radios ſuavem concentum edit, lætarique, uti procumbente Sole triſtari, videtur. Porrò hinc nomina ſortitur varia. ut dicitur Titanis, Pallantis-idos. aut Pallantias, Hyperionias, Tithonia, nurus Laomedontis, mater Memnonis.

§. 9. *Oceanus* ſeu Pontus fluviorum pater, Cœli & Terræ ſeu Veſtæ filius, uxorem Tethyn ſororem habuit, ex qua Amphitriten Neptuni conjugem & Nympharum matrem ſuſcepit. Ex Parthenope quoque Europen & Thracem, ex Pompholyge Aſiam & Libyam filias habuit. Ceterum tria prolium millia ei tribuuntur. ex quibus Callirhoe, Philyra, Perſeis, Xanthe, Daira, Ianthe, Electra, Tyche, Doris, Æthra, Ocyrhoe, Clymene, Plejone.

§. 10. *Nereus* ejuſdem filius, mari Ægæo præpoſitus, qui ex ſorore Doride filias 50 ſuſcepit *Nereides* dictas ex quibus Halia, Spio, Paſithea, Glauce, Cymodoce, & Ligea, quæ comas habere virides, & *Tritonis* Dei Marini currum exultabundæ cingere dicuntur. Ipſe Nereus Vates Paridi obventura Trojæ mala prænuntiaſſe: tum & Herculi [poſtquam eum variis formis indutus deluſiſſet] futura dicitur.

§. 11. *Phorcus*, ſeu *Phorcyn* ex Terra & Oceano, qui ex uxore ſua Ceto Thoóſam filiam habuit, quæ Neptuno *Polyphemum* Cyclopem unoculum peperit, qui Galateam Nympham amans Acin ſibi prælatum ab illa puerum interemit ſaxo, atque Vlyſſem ad Siciliam delatum [cujus quatuor ſocios devoravit] in cibum mactaturus erat, niſi hic vino inebriatum aduſto titione exoculaſſet.

§. 12. Filias idem habuit *Gorgones* à truculentia dictas quæ Dorcades inſulas maris Æthiopici habitarunt, alæ illis, & manus ferreæ, crinitæ ſerpentibus, dens & oculus unus omnium, quem domi cæcæ & edentulæ ciſtæ includebant, quotquot aſpicerent in ſaxa obrigeſcebant. unde *Perſeus* contra illas miſſus, Mercurii talaribus & falce, Palladis clypeo, & Plutonis galea armatus, *Meduſæ* averſus caput præſecuit, ex cujus ſanguine equus Bellerophontis *Pegaſus*, tum Phalanx & Arachne, à Pallade in ſerpentes mutatæ.

§. 13. Sorores *Meduſæ Sthenyo*, & *Euryale*, quas & *Græas* ſeu *Lamias* appellant. quanquam alii communius has anus, illas unoculas eſſe ferant, quæ Perſeo viam ad Gorgonas anguicomas oſtenderint. Phorcides eædem, ſeu Phorcynides nuncupantur.

§. 14. *Scyllæ*

§. 14. *Scylla & Charybdis* ejuſdem Phorci, & Hecates [ſeu, ut alii, Phorbantis, aut Lamiæ] filiæ. Illa tamen *Niſi* Regis Megarenſium nata ab aliis dicitur, quæ fatalem patri crinem [quo ablato, mori tantùm poterat] Minois amore capta ſuſtulit, Patrem & urbem Niſæam Athenienſibus prodidit; ſed Minois illam averſatus Oceano immerſit, ubi in monſtrum Deorum ultione verſa ſit. Alii Scyllam Phorci ac Niſi diſtinguunt, hancque in avem Cirim, Niſum in Haliæetum ſervato nomine mutatos ferunt, perpetuis etiamnum inimicitiis conflictantes: illam verò Neptuno familiarem [poſtquam Amphitrite fontem in quo lavabat veneno infeciſſet] in monſtrum converſam, quod ſex canum, vel ut Zenodot. erucæ, canis, leonis, gorgonis, balænæ fœminæ haberet capita. Charybdis voraciſſima mulier, cum Herculi Geryonis boves abigenti quoſdam ſuſtuliſſet, Iovis icta fulmine aut cæſa ab Hercule in hoc marinum monſtrum, ſive voraginem, tranſiit freti Siculi, cui Scopulus ex adverſo Scylla dictus objicitur.

§. 15. *Achelous* Oceani & Tethyos fil. [alii Solis & Terræ volunt] Rex Ætolorum fluvio Thoanti, è Pindo monte orto, nomen dedit, ac pro *Dejanira*, Oenei Regis Ætol. filia, cum *Hercule* congreſſus, ſumptâ Tauri formâ. ſed amiſſo cornu, ut ſuum reciperet, Herculi Amaltheæ cornu ſubſtituiſſe fertur. filias habuit *Callirhoen* & *Caſtaliam*, quæ cum ſuaſu Iunonis Muſas ad certamen cantu provocaſſent, pennas, ut erant Nymphæ alatæ, amiſerunt, quibus Muſæ ſibi coronas contexuerunt. *Dircen* etiam fil. habuit, in fontem ſui nominis converſam, in quo Bacchus recens natus fuit ablutus.

§. 16. Idem Achelous genuit ex Terpſichore [alii Melpomene, vel Calliope, vel Sterope] *Sirenas* Parthenopen, Leucoſiam, Ligeam, vel Aglaopen, Piſinöen, Thelxiopiam, quarum una voce, altera tibiis, tertia cithara pollebat, inferiori parte volucres [ſeu, ut alii piſces] ſupernâ virgines. quæ illecebroſo cantu, primò in ſomnum audientes vertebant; ſubinde præcipites in mare dabant. Has *Orpheus* præteriit, Deorum hymnos & certamina lyrâ modulatus. *Vlyſſes* obduratis ſociorum auribus, ipſe malo alligatus. quo facto, Sirenes deſperatione plenæ in mare ſeſe abjecerunt, in ſaxa, ut ajunt, verſæ. Eædem quoq; cum *Muſis* canendi certamine congreſſæ victæque, alas amiſerunt. quibus Muſæ in coronas plexis, alato deinde fuerunt capite.

§. 17. *Cephiſſus* Oceani & Terræ filius ex Lyriope Nympha

Narciſſum,

Narciſſum, formoſiſſimum adoleſcentem, habuit quem cum fruſtra *Echo* amans ſequeretur ubique fugientem, contabuit, atque in rupem verſa, ſolam vocem retinuit Narciſſus verò in venatione feſſus, ubi ad amnem limpidum conſediſſet, ſui vultus ac formæ amore colliqueſcens, ſenſim in terram defluxit, atque in florem ſui nominis mutatus eſt, Furiis ſive Eumenidibus ſacrum. quem dum Proſerpina malo omine carperet, à Plutone rapta eſt.

§. 18. *Nemeſis* Oceani & Noctis filia, ut Iovis inſidias fugeret, in anſerem ſeſe convertit. quod cum ille obſervaſſet, Cygni formam induit, ex illoque ovum peperit, quod *Ledæ* Tyndari Regis Laconiæ uxori, per Paſtorem obtulit, (alii communius Ledam illud ex Cygno concepiſſe ferunt) ex quo illa Helenam cum Caſtore &c. excluſit. Alata Dea Nemeſis apud Athenienſes in ſtatua ſpectabatur: *Adraſtea* ab Adraſto qui primus illi erexit aram, tum & *Rhamnuſia* à Rhamnunte Atticæ vico, ubi colebatur, appellata. pœnas ab indignè hujus vitæ bonis utentibus exigere credita.

§. 19. *Fortuna* Oceani fil quæ omnibus vitæ mutationibus juribus & imperiis præſidet, vario à variis forma & habitu propoſita, ad diverſas ejuſdem proprietates exprimendas. pleriq; cæcám, atque etiam cæcis equis ferri aſſerunt. Alii Polum capite ferentem, & manu cornu Amaltheæ: alii dextrâ flammas, ſiniſtrâ aquas portantem fingunt. Virilis fortuna Romæ à nupturis colebatur. Muliebris item calva, parva, equeſtris, obſequens, redux, reſpiciens, bonæ ſpei &c. nunc globo, nunc quadrato inſiſtens ſaxo: nunc ſedens, ſine pedibus atque alata. De quibus vide Roſinum & ſpeculum Imag. fig.

§ 20 *Nymphæ* fil Oceani & Tethyos, matres fluviorum. Aliæ fuerunt cœleſtes, quas & Muſas dixerunt: aliæ terreſtres, quæ Cererem & Bacchum educarunt. Ex quibus aliæ ſilvis præpoſitæ ut *Dryades*: aliæ montibus, ut *Oreades* vel *Oreſtiades*: aliæ arboribus, ut *Hamadryades*: aliæ fluviis, ut *Naides*: aliæ ſtagnis, ut *Limniades*: aliæ fontibus, ut *Ephydriades*: aliæ mari, ut *Nereides*. denique paſcuis aliæ, ut *Napeæ*. Oreades tamen alii ex Hecatæo & filiabus Phoronei: alii ex Iove natas aſſerunt, quæ Dianæ comites montiumque & ferarum præſides, primæ mortales ab eſu carnium mutuo ad glandes, caſtaneas, & favos traduxere. fuitque in his una Meliſſa dicta, quæ mel in favis repertum primò Nymphis obtulit,

obtulit, quo magnopere delectatæ, apes etiam ad memoriam Nymphæ Meliſſas dixêre.

§. 21. *Tethys* Oceani uxor, à *Thetide* Nerei vel Chironis centauri filia, maris etiam Dea diſtinguitur: cum hæc fruſtra Deorum connubia vitans formaſque omnes induens, à *Peleo* denique vi atque aſtu perſuaſa, ceſſerit. quibus *nuptiis*, cùm Dii omnes adeſſent, ſecluſa Diſcordia eſt ſive *Eris* quæ iccirco offenſa pomum aureum in medium Dearum projecit, ut pulcherrimæ daretur. unde lis ingens. Porrò Dii ſua ſponſis contulerunt munera, Pluto Smaragdum inſignem; Neptunus equos Xanthum & Balium; Vulcanus cultrum, alii alia. Natus ex his Achilles, de quo alibi. Tethys verò Oceano *Ephyren* peperit, Epimetheo nuptam; & *Clytien* Apollini dilectam; ſed deſertam ab illo, quod furtum mariti cum Leucothoe, ejus patri Orchamo manifeſtaſſet, ideóque doloris & amoris impatientem Deorum miſeratione in Heliotropium verſam.

CAPUT XXIII.

De Saturno Titane & Gigantibus eorumque poſteris.

§. 1. CONnexam rerum ſeriem hæc requirunt, ut iccircò conjungam.

Saturnus ex Cœlo & Terra, [vel ut alii ex Oceano & Tethy, ſive Salacia] *Rheam* ſororem uxorem habuit, quam alii Iſidem *Cybelen*, matrem Deorum, Berecynthiam, Idæam, Veſtam, Dindymenen, Pylenam, Pandoram nuncupant: leonibus vectam, & turribus coronatam. cui Sacerdotes caſtrati [quod Atys ejus myſta in ultionem libidinis ſeipſum caſtraſſet] Matragyrtæ, ſeu Galli, dicti ſerviebant, in muliebri habitu tympana & æra quaſſantes, Deæque imaginem, Aſino vectam, quandoque mendicando per vicos circumagentes, quos armati famuli, Curetes & Corybantes ab inſana corporis agitatione dicti, cingebant, ab Idæis Dactylis oriundi.

§. 2. Rhea plures Saturno proles peperit; ſed quas ille natas devoraret [omnia enim tempus cujus imago Saturnus eſt conſumit] iccirco, quod Matris Veſtæ apud Titanem [ſeu Titanum] fratrem interceſſione, eâ lege Saturnus regnum obtinuiſſet, nequam prolem maſculam regni capacem educaret. Rhea igitur cum gemellos, Iovem & Iunonem, pareret; illum in monte Ida inter Corybantium æra, ne vagitu proderetur, educat. re tamen explo-

explorata,cùm Saturnus infantem poſceret,lapidem panno involutum obtulit, quem fraudis ignorans, deglutiit. Sic eadem Neptunum filium ac denique Plutonem,Glaucâ quoque gemellâ exhibitâ,arte texit. Ceres etiam iiſdem parentibus forte Neptuni gemina prodiit.

§. 3. Verùm ubi *Titano* fratri factum innotuit, hic cum filiis *Titanibus* Saturnum aggreſſus, vicit vinculiſq; mancipavit. Iupiter igitur jam adultus contra hos movit, pelle Amaltheæ capræ invulnerabilis, monitu Themidis, armatus. Deos etiam priuſquam pugnaret, juramento ſuper *aram* facto [quæ poſtea in cœlum translata eſt]ſibi contra Titanes obligavit. His deinde in pugna victis, vulneratiſque, ex eorum ſanguine varia ſerpentum genera de terra pullulabant

§.4.Saturnus poſtquam oraculo comperiſſet pro ſe regnaturum Iovem,vim inſidiaſque in hunc vertit; ſed hic armis ſe tuitus, patrem victum laneoque ſub Tartaro adſtrictum vinculo, genitalibus multavit,ex quibus in mare projectis exurgens ſpuma *Venerem* dedit,concha,tanquam lintre, in littus appulſam. Nec immeritò Saturnus hanc filio pœnam dedit, qui parem à *Cœlo* patre, [poſtquam fratres Cyclopes adverſus illum è Tartaro liberaſſet]exegerat,è cujus ſanguine,per vulnus defluente, tres *Furiæ* Alecto,Megæra, & Tiſiphone natæ feruntur. Serpentibus crinitæ & flagellis armatæ, adverſus ſontes quos perſequuntur. res enim furioſa eſt libido. Cauſſa fabulæ honeſta eſt, quod ſub Cœlo aliud nullum tempus: neque poſt hoc futurum ſit aliud,ſed æternæ malefactorum pœnæ.

§. 5. *Cyclopes* porrò[præter Polyphemum & Harpen] tres celebres, Steropes, Brontes, Pyracmon, Vulcani poſtea in Ætnæ officina famuli, Iovi adverſus Saturnum parentem adſtitêre, poſtquam novâ captivitate ab illo exempti eſſent. Qui quidem Plutoni invulnerabilem galeam, Neptuno Tridentem, Iovi tonitrua & fulmina obtulerunt, quibus hic facilè victoriam impetravit. Sunt qui eoſdem ſagittis ab Apolline confixos aſſerant,quod filium ejus Æſculapium fulmine ſuſtuliſſent.

§.6.*Gigantes* verò Saturni fratres [quos alii ſolius Terræ, alii Neptuni & Iphimedeæ natos faciunt] ut cædem Titanum ulciſcerentur, & Iovem nepotem regno deturbarent, anguinis pedibus & ingenti corporis mole præditi, bellum Iovi cœlum poſſidenti inferunt, oſſam atque Olympum montes celſiſſimos Pelio ſuperingerunt, & ingentes in cœlum arbores ſaxaque jacu-

jaculantur, quæ relapſa varias terrâ marique rupes dedère. Cum verò inter Deos rumor eſſet, niſi qui ſe ex mortalibus Diis adjungeret, Gigantes occidi non poſſe: Palladis conſilio Hercules per Iovem accerſitur.

§. 7. *Typhoeus* enim ſive *Typhon*, à Iunone ſine viro (ut Iupiter Palladem ſine fœmina) gignere cupiente, ex Tellure manu percuſſa, generatus: tantæ fuit magnitudinis, ut crurum tenus altiſſimos montes ſuperaret, capite aſtra tangeret, alteraque manu Orientem, Occidentem altera. Ex humeris centum Dracones, in cruribus viperæ eminebant, impexa cum crinibus barba, ignem ore atque oculis ſpirabat, ceterum corpus obtectum pennis. Talis igitur tantuſque Deos omnes in fugam egit, qui in Ægypto ſub variis ſeſe animantium formis condebant. Et Mercurius quidem creditur factus Ibis, Apollo grus, Diana Cattus, Pan, hircus, (unde ſub formis animantium Dii ab Ægyptiis culti ſunt) Iupiter tamen objecit ſeſe, & juxta caucaſum fulmine icit; ſed Typhon victor, Harpen ſeu falcem illi ſuſtulit, manuumq; ac pedum nervos ſuccidit, itáq; impoſitum humeris in Siciliam tranſtulit. Vnde Mercurii ſubductus arte Iupiter in priſtinam formam vigoremq; eſt reſtitutus. qui Typhonem rurſus aggreditur, ac poſtquam fulmine ad Hæmum montem debilitaſſet, denique fugientem in Siciliam, Ætnâ ſuperinjectâ, obruit, quâ quidem ſolum caput tectum eſt, cum dextram Pelorus, lævam Pachynus, crura Lilybæus premat.

§. 8. Alii *Enceladum* hunc vocant Gigantem, & Typhöeum Apollinis ſagittis confoſſum ajunt, & ſepultum ſub narin e inſula. Cum aliis, juncto Hercule, in campis Phlegræis Apollo & Diana congreſſi, ſagittis plures confecère, qui vel ſub Mycone & Lipara inſula defoſſi, vel ad tartarum præcipitati ſunt. *Ephialta* dextrum oculum trajecit Hercules, lævum Apollo. Ille etiam ſagitta confixit *Alcyoneum*, quem fortius ex nece reviviſcentem, Pallas extra orbem Lunæ protractum denique Herculi conficiendum præbuit. Ceterùm Minerva Enceladum, Hecate *Clytium*, Mercurius *Hippolytum*, Mars *Minantem* Parcæ *Thoonem*, alii alios ſuſtuliſſe memorantur.

§: 9. Dicuntur & *Sileni* huic bello affuturi Gigantibus auxilio, cum fortè ſecum duxiſſent *Aſinum*, qui mole hominum conterritus ruderet, à Gigantibus hoc monſtro conſternatis in fugam verſi. Aſinum verò Deorum beneficio, & meriti gratia inter aſtra translatum.

§. 10. Centimani quoque inter Gigantes fuiſſe ajunt, in quibus *Briareus* ſive *Ægaon* eminuit, quinquaginta etiam ventres habens. qui quondam pro Iove contra rebelles Deos; nunc contra eundem metuendus ſtetit. quem cum Centauris in veſtibulo Inferorum Maro victum collocat. Centaurorum autem celeberrimus *Chiron* Saturni ex Phyllira Oceani filia natus fertur. qui, quod ſuperveniente Rheâ ſe in equum Saturnus transformaret, ſemivir, ex ſuperiori parte homo, ex infernâ equus fuit, ſeque jam maturum ſilvis herbarumque cognitioni tradidit, ob probitatem, moreſq; & artes, heroum poſtea virorum, in adoleſcentia, inſtructor. Ceterùm præter memoratas Gigantes Porphyrion, Rhœcus, & Rœtus, Gyges, & Gyas celebres ſunt.

§. 11. *Iapetus* quoq; proterui ingenii Gigas Theſſaliæ Rex fuit. Hic ex Aſia (alii Clymene) Nympha *Heſperum* ſuſcepit, qui ab Atlante fratre in Italiam profugus, illi Heſperiæ nomen fecit. Memorant hunc in Atlante monte ſpeculatum ſidera, indeque in cœlos translatum Heſpero ſtellæ nomen feciſſe. Porrò alios Iapetus filios Atlantem, Prometheum, & Epimetheum habuit. Ex *Atlante* natæ ſunt *Heſperides* (à patruo ſic dictæ) Ægle, Arethuſa, & Heſperethuſa, quæ horto malorum aureorum in Africa feraci, atq; à pervigili Dracone cuſtodito (quem nonnulli aquas flexuoſas credunt) præerant: unde Hercules ab Euryſtheo miſſus poma ſuſtulit.

§. 12. Idem Atlas ex *Plejone* uxore ſeptem filias habuit. Quæ Dianæ comites, Virginitatis ſtudio Orionem perſequentem fugiebant, dum miſerante Iove in cœlum translatæ, atq; in dorſo Tauri conſtitutę, à matre *Plejades* appellantur. quarum nomina ſunt Electra, Alcinöe, Celæno, Maja, Aſterope, Taygete, Merope, quæ ultima iccirco vix comparere fingitur; quòd ſolam ſe mortali homini Siſypho nupſiſſe, pudeat. Aliæ verò ſorores totidem (vel, ut alii, duodenæ) quibus *Hyas* frater erat, à leone in ſilvis diſcerptus, inconſolabili ob id luctu dejectæ, in cœlum quoque à Iove tranſvectæ, atque in capite Tauri poſitæ Hyades dictæ ſunt, ortuque ſuo atque occaſu pluviam ferunt. Vnde Latinis Suculæ (quod ſues ſordibus delectentur) uti Plejades Vergiliæ ſunt dictæ. Nomina illarum ſunt Eudoxa, Ambroſia, Paſithöe, Corone, Plexauris, Pitho, & Tyche. Denique Atlas oraculo monitus, ut Iovis caveret filium; cum iccirco Perſeum hoſpitio excipere detrectaſſet, is, Meduſæ objecto capite, Atlantem in montem ſui nominis convertit.

§. 13. Pro-

§.13. *Prometheus* ejuſdem Iapeti filius, Iovi nonnunquam duos immolaſſe Tauros legitur, in quorum altero, ſub pelle bovis tantùm oſſa laterent, electione Iovi oblata. hic licet fraudis non ignarus, oſſeum delegit, atq; ut hominis improbitatem plecteret, ignẽ mortalibus ſuſtulit. Sed Palladis beneficio elatus in cœlum Prometheus, ferulâ ad ſolis rotam ſuccensâ, ignem rurſum in terras abſtraxit. Formavit ſubinde cum fratre ex luto femi nam: cui timorem leporis, iracundiã leonis, aſtutiam vulpis, Pavonis ſuperbiam indidit, flammâq; cœleſti animavit. ſed ingrati homines eum apud Iovem accuſarunt, à quo in delationis præmium *Heben*, ſeu juventutem perpetuam dono acceperunt. quam cum aſino impoſitam neglectim veherent, ſitibundus Aſinus ad fontem divertit, ubi ſerpentibus acceſſum prohibentibus, eâ lege juventutem conceſſit, ut ſibi hauſtus concederetur.

§.14. Promotheo verò plectendo Iupiter, aliam oppoſuit fœminam, cujus fabricatorem Vulcanum eſſe voluit, *Pandoram* dictam; quòd Dii ſinguli ad hanc ſua conferrent munera, Pallas ſapientiam, Mercurius eloquentiam, Venus formam, Apollo muſicam. cui Iupiter pixidem dedit, omni peſtium, & malorum refertam genere, ut hanc Prometheo deferret. Verùm hoc cautè munus averſante, *Epimetheus* ſibi delatum accepit, aperuitque. unde omnis malorum vis in orbem univerſum effuſa eſt, ſolâ ſpe in fundo latente, quæ per occluſam rurſum pixidem detenta eſt. Porrò Epimetheum Iupiter, ex terrore in Simiam verſum, in Pithecuſas relegavit Inſulas. Prometheum verò Caucaſo monti illigavit, aquilâ perpetuo morſu jecur hominis identidem renaſcens depaſcente, dignâ ſuperbiæ & libidinis inflammatæ pœnâ. Sed ubi poſtea Thetidis conjugium ſapienter Iovi diſſuaſiſſet, ob naſciturum ex illa Achillem Iovi metuendum: vel ut alii, ob viam Herculi ad mala Heſperidum oſtenſam: hujus ſagittis confixa aquila eſt, & Prometheus in libertatem aſſertus, hoc eſt pœnitentis animæ merito, conſcientiæ pœnis exemptus.

§. 15. Ex Prometheo natus *Deucalion* Rex Theſſaliæ qui Diis gratus, quòd eorum honori primus templa ac ſacrificia inſtituiſſet, orbe per diluvium pereunte, in navem cum uxore Pyrrha incolumis ſe recepit, atque in Parnaſſum appulſus montem, poſt lapſas aquas oraculo Themidis monitus, magnæ matris oſſa, hoc eſt, Telluris lapides poſt tergum, cum uxore, projicere

jicere cœpit, unde viri fœminæque nati aſſurgebant, *durum genus*, inquit Virgilius.

§.16. Hæc Gingantum progenies, quæ quidem Iovi potentiori regnum ceſſit. Hic excluſo deinde Saturno patre, cum fratribus Neptuno & Plutone ita regnum ſortitus dicitur univerſum, ut cœlum ſibi vendicaret; Neptunus mare; Pluto terram obtineret. Saturnus profugus in Italiam appulit [Latium iccirco à latendo dictam] quem Ianus ejus loci Rex in partem regni admiſit, poſtquam agri colendi rationem ab eo edoctus eſſet. Vterque monetam primò cudit, atque aureæ ætatis principes conſervatoreſque fuêre. Vnde & eundem cum Iano, tanquam Patrem Deorum, coluêre. quinque etiam dierum feſtis Saturnalibus inſtitutis, quibus Saturno vincula ſolvebantur, atque in aurei ſeculi memoriam, quo omnia communia erant, ſervi cum dominis epulabantur, donis ultro citroque miſſis.

§.17. *Ianus* autem, tanquam Sol orbis, à ſuis cultus: modò gemina, tanquam in præterita & futura: modò quadruplici, tanquam in omnem orbis aut anni partem intenta facie. prudentiæ quoddam in Principe ſimulacrum. Duodecim illi aræ, velut totidem in anno menſes, erectæ. In dextra manu numerum 300 in ſiniſtra 65 præfert, ceu numeratos anni dies. Virgas tanquam pro moderamine, claves etiam habet quod Ianuas [à ſe ita dictas] & clauſtra repererit. Templum illi Romulus primus condidit. quod, Numa inſtituente, tempore belli ſemper apertum fuit: ut huc velut ab hoſte pateret refugium: pacis verò clauſum eſſet. (unde & Patulcius, & Cluſius dictus fuit) quod ter tantum accidit in Rom. Rep. 1. ſub Numa, 2. poſt bellum Punicum ſecundum, 3. poſt bellum Actiacum. Porrò ad ſui nominis memoriam uterque Ianus & Saturnus oppidum; ille Ianiculum, hic Saturnium condidit. Nunc de Saturni poſteris agendum.

Caput XXIV.

De Iove Diiſque minoribus, ac mortalibus ex eo natis, item de Iunone ejuſque ſobole.

§.1. I*Vpiter* major natu Saturni eſt filius [ſunt tamen, qui vel eundem, vel alium, modò Ætheris & Diei, modò Cœli filium aſſerant] Hujus, aut certè alterius educationem Meſſenii ſibi vendicant, qu[illegible] Ithomes jugo, poſtquam Curetes illum

Saturno

Saturno ſubduxerant, à Nymphis Ithome & Neda nutritum lotumq; in fonte clepſydra volunt. unde manarunt ſacra Iovis Ithomata, his populis ad rei memoriam ſolennia. Verùm Arcades eum apud ſe in olympo nutritum monte, ablutumque in Luſio fluvio affirmant: unde & Olympius Luſiacuſque dictus eſt Communior tamen ſententia obtinet, eum in Ida, vel Dicte, montibus Cretæ, inter Curetum & Corybantum æra, educatum eſſe, vel apum melle, quod iccirco ex ferrugineo in aureum permutavit; vel lacte Oleniæ *capra*, quam deinde mortuam inter ſidera retulit, pelle ſcutum obtegens, quod iccircò *ægis* dictum; *cornu* verò capræ omni frugum (quas ad votum profundebat) copia refertum *Amalthea* obtulit, quæ eum cum ſorore Meliſſa (Meliſſi Regis Cretenſis filia) nutrierat. Alii eundem, à columbis & *aquila*, nectare alitum ferunt, quarum hæc etiam contra Gigantes pugnaturo victoriæ auſpicium dederit; unde deinde hæc ipſi ſacra & fulminis adminiſtra, atque inter ſtellas translata.

§. 2 Regno contra Gigantes, ſororis *Veſta* favore, potitus; huic optionem quidlibet petendi feciſſe dicitur. quæ fertur perpetuam Virginitatem, atque omnium quæ Diis offerrentur frugum delegiſſe primitias. Hæc inter penates vetuſtiſſima, atque ab Ænea ad Romanos tranſiens præ foribus omnium pingebatur, tum ſingulari templo, & virginum collegio, Numa inſtituente, ita culta eſt; ut igne perpetuo ara ejus colluceret, quem extinctum fas alio non eſſet igne, quàm à ſole in aridis fomentis excitato revocare. hic malo ante Cæſaris & Pompei bellum civile, omine extinctus intercidit. Virginibus autem anno 16 ætatis aſſumptis, ſervanda per annos 30, quibus miniſtrabant, virginitas; ut in ſtupro compèrto, ſub pariete, aut terra vivæ, cum lacte & pane, defoderentur. tantus verò omnibus honor; ut & Conſules occurrentes viâ cederent, & nefas crederetur earum interventu capitales non ponere inimicitias.

§ 3. Hic ſorori à Iove favor præſtitus. Inarimes Inſulæ populos fidem in bello contra parentem ſuſcepto, poſt accepta ſtipendia, fallentes, in ſimias vertiſſe fingitur, & Pithecuſam dixiſſe Inſulam. Denique poſt devictos Orientis Occidentiſque populos, homines bello ad vim fraudeſque verſos, per leges diſciplinaſque ad cultum agrorum, honeſtatiſque; tum etiam à carnibus ad glandium fructuumque uſum revocavit. unde illi Quercus arbor conſecratur, argenteique ſeculi autor conditorque

torque appellatur. Regnum porrò univerſim, ita cum fratribus paritus eſt. ut Cœlum ipſe ſibi vendicaverit, Neptuno mare, Plutoni terram & Inferos reliquerit. Porrò cum abſque cœli influxu fruges, animantes, hominesque in terris minimè progenerentur, Iupiter plurium uxorum vir proliumque eſſe pater fingitur, mutatis non rarò ex ingenio Poetarum formis. Vnde non ignotum diſtichon eſt:

Fit Taurus, Cignus, Satyruſque, Aurumq; ob amorem
Europæ, Ledes, Antiopes, Danaes.

§. 4. *Europam* enim Agenoris Regis Phœnicum filiam, in navi cui Tauri ſignum præfixum avectam in Cretam putant; unde de Iove in Taurum verſo fabula exiſtat. Suſcepit ex hac Minoem, Rhadamathum, Æacum inferni Iudices de quibus infra & Sarpedonem Lyciæ Regem ad Trojam occiſum.

§. 5. Cygni formam ad fallendam *Ledam* Tyndari Spartanorum Regis uxorem ſumpſiſſe fertur, quæ duo peperit ova, ex quorum altero *Caſtor* ac Clytemneſtra; altero *Pollux* & Helena ſit excluſa. Et Pollux quidem immortalitatem à Iove ductam cum fratre Caſtore alternatim vivendo moriendoque communicaſſe dicitur. Denique in cœlum translati, fauſta (modò utrumque ſidus appareat) navigantibus aſtra habiti, ex quo olim in expeditione Argonautarum, quibus ſocii aderant, circa illorum capita flammæ cœleſtes bono omine in tempeſtate apparuerunt.

§. 6. Tertiò *Antiope* Lyci Thebarum Regis uxor, ex Iove Satyrum fingente *Amphionem* & *Zethum* ſuſcepit, expoſitos educatoſque à Paſtoribus in Bœotiæ monte Cytherone. Hi patrem Lycum, ob ſubrogatam in thalamum matri Antiopæ *Dircen*, regno expulêre, & Dircen ad tauri caudam ligatam diſcerpsêre, quæ à Baccho miſerante in fontem ſui nominis eſt verſa. Antiope verò patris Nyctei, ob crimen, metuens, Sicyonem ad Epopeum profugit; ſed bello Nycteus ſuperior, Epopeum occidit, reductâ Antiope. Amphion & Zethus muſices fuere periti. & ille quidem, ab Apolline, Muſis, aut Mercurio acceptâ Lyrâ, Cadmo Thebas moliente adfuit; ſaxis, ut fingunt, ad Lyræ cantum in murorum formam confluentibus, qui à Rege Macedonum oppugnante dejici, niſi ad Iſmeniæ tibiæ flebiles cantus non poterant. Denique Amphion canendi elatus peritiâ, cum ſe Latonæ atque Apollini prætuliſſet, irati Dii peſtem illi totique familiæ ad interitum immiſerunt.

§. 7. Quarto *Danae Acriſii* Regis Argivorum filia & neptis *Abantis*, turri à parente incluſa, (quod oraculo cognoviſſet, fore ut à nepote occideretur) ex Iove in auream pluviam verſo illapſoque *Perſeum* concepit. at pater arcæ cum matre incluſum, in mare præcipitem dedit; ſed ad Dauniæ litus ejectâ arcâ, Danäe à Pilumno Rege in thalamum aſſumpta eſt. (alii ad Seriphum appuliſſe, & Polydecti nupſiſſe ferunt) Perſeus ubi adoleſvit lariſſum contendit, repertoque illic Acriſio certaminibus, qui tunc celebrantur, interfuit, avumque imprudens diſco ſecundum pedes tam graviter læſit, ut ex vulnere occumberet. Idem adverſus Gorgonas profectus, victoriam retulit. ut ſupra in Phorco.

§.8. *Andromedam* quoque Cephei & *Caſſiopes* filiam, Ceto marino à Nymphis in ſcopulo objectam (quod mater ſeſe forma Nereidibus prætuliſſet) in libertatem torumque ſuum vendicavit. cui dum Cephei frater Phineus ſeſe objiceret, Meduſæ hic objecto capite, in ſaxum, uti Cetus, converſus eſt. Denique *Iunonem*, cui perpetuo thalamo ſociatus fuit Iupiter, ſibi primum conciliaſſe, verſus in cuculum, fingitur, qui tempeſtatem fugeret. Porrò & ſibi junxit ante omnes *Metim* (quæ conſilium & prudentiam, Regi ante omnia neceſſariam, ſignificat) Oceani filiam, quam gravidam deglutivit, unde ipſe prægnans capite, Vulcano obſtetricante, Palladem armatam peperit: hoc eſt, ex conſilio ſapientiam nactus eſt.

§.9. Ex *Themide*, Orpheo teſte, tres *Horas* ſuſcepit Eunomiam, Dicen, Irenen, apud Pauſaniam duæ ſunt, Carpo & Thallote, quæ portas cœli ab Ovidio ſervare dicuntur, à Theocrito molles habere pedes, Dearumque omnium eſſe tardiſſimæ; ſed quæ novi ſemper apportent aliquid, nunc tempeſtatis, nunc ſereni nuntiæ. Ex *Eurynome* idem *Charites*, ſeu Gratias, habuit, Veneris deinde comites [quanquam & alii, hujus ex Baccho natas dicant] quarum averſa una, converſæ ad nos duæ; quòd gratia copioſior redeat. aut nudæ, quod ſine fuco: aut eleganter cultæ; quòd benevolentiam concilient. ſunt vero Euphroſyne, Aglaja, Thalia, vel, ut alii, Paſithea, juvenes, manibuſque inter ſe nexis, ac virgines perpetuæ.

§.10. Ex *Plote* Nympha *Tantalus* illi natus eſt, homo ditiſſimu avus Regis Agamemnonis. Hic Deorum exploraturus divini tatem, dicitur, iis convivio exceptis, Pelopem filium, in epula coctum, propoſuiſſe. Ex quibus ſola Ceres, reliquis abſtinenti

bu

bus, humerum abſumpſerit, pro quo Pelopi deinde, ab inferis per Mercurium reducto, eburneus ſubſtitutus fuerit. Tantalus verò ad medias inferni damnatus undas ſub arbore pomis referto, ſitim famemque immortalem patitur, aquis pomiſque captantem fugientibus. Hujus filia *Niobe* fuit, quæ cum ſe Latonæ formâ prætuliſſet, filios filiaſque ſeptem ſagittis confixas amiſit. unde dolore & ſtupore in ſaxum obriguit.

§. 11. Ex *Elara* & Iove *Tityus*: cujus partus, ut Iunonem lateret, ſub Terra matrem gravidam condidiſſe fertur. à qua deinde nutritus, Terræ filius dictus eſt, ex numero Gigantum. Sed quòd Latonam de crimine interpellaſſet, Iovis fulmine ad inferos dejectus, novem jugera occupat, vinctus, ac vulturibus [alii ſerpentibus] perpetuò renaſcens, cum lunæ incrementis, jecur depaſcendum exhibens.

§. 12. Ex *Niobe* vel Cyllene *Nympha* & Iove *Lycaon* Rex Arcadum oritur. quos eodem tempore, quo Cecrops Athenienſes, moderatus eſt. Verſus in lupum à Iove cum magna filiorum familia, humanum illi ſanguinem libantium. *Calliſto* Lycaonis filia; ex qua, vel Iupiter vel Apollo Arcadem ſuſcepit, in Vrſam verſa eſt, atque in cœlum ad majoris Vrſæ ſedem translata. *Lacedæmonem*, urbis ſibi cognominis in Attica conditorem, ex *Taygeta* Atlantis filia Iupiter ſuſcepit. Hæc ignobilior Iovis propagia: paulò illuſtrior ſoboles inveſtiganda nobis erit inferius, poſtquam de Iunone uxore actum fuerit. Nam idem ex Latona Apollinem & Dianam, ex Semele Bacchum, ex Cerere Proſerpinam, ex Maja Mercurium, ex Iunone Vulcanum & Martem ſuſcepiſſe memoratur. de Orione, ejus etiam ope nato, in Neptuno agemus.

§. 13. Iovi tanquam ſupremo Deorum apud Romanos magnus honor fuit. cui pro officiis beneficiiſque, illi Reip. (ut putabant) præſtitis, diverſa templa, aræ, ſacrificia, ac nomina ſunt tributa. *Inventori* Iovi Hercules aram in Palatino olim ſtatuiſſe dicit creditus; poſtquam boves ſibi dormienti per *Cacum* in ſpeluncam, retrogrado per caudam ductu (ut furto falleret) abtractos, ſuperato Caco, recepiſſet. *Feretrio* Iovi (ſic, quòd pacem ferret, dicto) Romulus ab hoſte victor, cum ſpoliis redux, primum Romæ in monte Capitolino templum erexit, ſpoliaque dedicavit. *Statori* Iovi idem Romulus templum vovit, cum Sabini raptum filiarum ulturi, jam victores Tarpejam arcem occupaſſent. Iovi *Elicio* ab elicienda veritate ex fulminibus (ſic

dicto, Numa, his auguriis intentus, in Aventino aram poſuit.

§. 14. Iovi *Capitolino*, qui Optumus Maxumus dictus eſt, templum ingens in Tarpejo monte vovit Tarquinius Priſcus, victis Sabinis, jecitque fundamenta 40 millibus librarum argenti. quod, jugera octo ambitu ſuo complectens, perfecit denique Tarq. Superbus. In hoc monte auguriis deſtinato, cum varii jam ante Dii eſſent, atque ad alia templa evocati ſacrificiis Iovi cederent, *Terminum* ajunt (alii etiam Iuventatem) noluiſſe cedere. quo Romani tanquam bono lætati omine exiſtimarunt, æternum ſibi imperium portendi. Iovis in hoc templo ſtatuæ à ſiniſtris Iuno, à dextris Pallas adhærebat: juxta quam, ut numerorum repertrici, Prætor Maximus ex lege quot annis clavum defigebat, ut poſteris conſtaret annorum regni numerus. Iovis verò facies, diebus feſtis minio inungi exornarique ſolebat. quot annis etiam ſinguli conſulum ſingulos immolabant boves, atque imperatores ad bellum ituri & ab eodem reduces hic vota concipiebant. Hoc in templo quoque ara Iovi *Piſtori* erecta erat, quòd is Gallis Capitolium obſidentibus monuiſſet, ut omne frumentum pinſerent, ac panes etiam ſpargerent in hoſtem, quo facto de deditione hoſtes deſperantes ultro diſceſſerunt.

§. 15. Iovi etiam *Latiali* in monte, Albanis imminente, commune omnibus ſociis templum, ac velut aſylum, erectum eſt, à Tarquinio Superbo: ubi quotannis ad communia ſacrificia epulaſque à fœderatis Romanorum conventum eſt. Ita Iovi *ultori* rarum conſtituit templum Agrippa, Pantheon (quaſi omnium Deorum illic conſpirantium convenientiumque) appellatum: quod ſupernè tantùm patens in tecti medio, nulla per latus feneſtra lucem admittebat. Sic & *Vejovis* fuit: cui ſacrificatum, ne noceret: & Iupiter *lapis*, ad quem ſolennia juramenta emittebantur. Et Iupiter *Cuſtos* cui Domitianus Imp. templum ſtatuit, ejuſque ſimulacri in ſinu ſeipſum inclinavit. Item Iupiter *Pugnans*, *Propugnator*, *Sponſor*, *Conſervator*, *Arbitrator*, *Victor*, *Imperator*, *Tonans*, *Dieſpiter vel Lucetius* de quibus Roſinus conſule.

§ 16. Inter alias gentes Iupiter inprimis *Olympius* apud Olympiam Eleæ urbem ſolennibus, poſt ſingula quadriennia, ludis celebratus innotuit. qui ludi ab Hercule, ut ferunt, primùm inſtituti, per dies quinque, cæſtibus, curſu, ſaltu, diſco & palæſtra tantâ frequentiâ obſervantiâq; honoris celebrantur, ut Olym-

pionica

pionicæ, ſive victori olea coronato, per ſtratos urbis muros, in totius Græcæ nobilitatis concurſu, triumphus pararetur. In Epiro Chaoniæ urbs *Dodona* Iovi etiam cum nemore dedicata, ubi oraculum Dei vetuſtiſſimum ac celeberrimum, columbis duabus, ut ferunt, reſponſa dantibus: tum campanum æs nocturna diurnaq; pulſatione tactum. unde hominem garrulum, Dodonæo ære loquaciorem dicunt. In Libya idem Iupiter *Arietis* forma, barbatus cornutuſque Hammonis nomine; in Creta ſine auribus, apud Trojanos tribus oculis cultus eſt.

Deniq; Homerus Iovem fortiſſimum maximumq; omnium Deorum facit, cum ait, hos omnes de viribus contendentes, per catenam de cœlo in terras Iovem detrahere conatos fruſtra, ab ipſo demum victore pertractos in cœlum, non ineleganti redemptionis humanæ parabola.

§.17 *Iunonem* huic meritò accenſeo, tanquam uxorum Dearumq; præcipuam. unde & reliqui Deorum principes orti. Hanc alii Argis, alii communius in Samo inſula natam ferunt, quæ Parthenia ab ipſa dicta eſt. Nutrita vel ab Horis, vel à filiabus Aſterionis fluvii, Acræa, Porſymna, & Eubœa; vel ab Oceano & Tethye. Hæc aliquamdiu ſterilis ab Apolline ad Lactucas agreſtes invitata, *Heben* ex largiori earum eſu concepiſſe fingitur (eò quod lactucæ maximè Venerem extinguant; ex cujus moderatione, longa vita) quæ Iuventutis Dea eſt, & Iuventas Latinis dicta. quæ ob pulchritudinem Iovis menſæ poculiſque, tanquam Pincerna, præfecta, donec fœdius in miniſterio prolapſa, *Ganymedes* Trois Regis filius, ab Aquila in cœlum raptus, eidem eſt ſubſtitutus, qui denique honoris gratia inter ſidera à Iove translatus, Aquarii nomen obtinet. Sic eadem, poſtquam à Iove Palladem ex capite natam vidiſſet, avida prolis etiam ſine viro concipiendæ, Floræ conſilio, in campis Oleniis, per floris alicujus contactum gravida *Martem* peperiſſe, à quibuſdam, fertur. de quo infra. Quin & Ilithyam (Græcè εἰλείθυια) Deam parturientem ex ſe genuit.

§.18 Iunonis dormientis uberibus Iupiter admoviſſe Herculem, ex Alcmena ſuſceptum, memoratur, ut immortalitatem cum lacte ſugeret, verùm advertens fraudē Iuno ſeſe ſubduxit, unde profluente lacte cœlum conſperſum *lacteam* viam retinet. Bellicibus eorumq; filiis averſa ſemper Dea; ut proinde hæc lex Romæ à Numa lata fuerit. Pellex ædem Iunonis ne tangito: ſi tangat, Iunoni agnam fœminam, crinibus dimiſſis cædito.

§. 19. Hæc cum Dii Gigantum metu in Ægypti animantibus laterent, in vaccam ſe convertit: quæ deinde candida illi litabatur. Suſpenſa aliquando à Iove duabus ad pedes incudibus (quòd mare & terra per incudes ſignata, ſubeſſet, ac velut penderet ex aëre, quem Iuno deſignat) fingitur, quam nulli Deorum poſſent ſolvere. Eadem offenſa Iovi in Eubœam diſceſſerat, donec intelligeret à Iove Platæam Æſopi filiam curru in ſponſam avehi, advolat igitur, & cum ſtatuam loco Platææ reperiſſet, fraude gaviſa, ſuo eſt marito conciliata.

§. 20. Famulas complures habuit, atq; inprimis *Iridem* Thaumantis & Electræ filiam, alatam, quâ ad omne nuntium, uti Iupiter Mercurio, utebatur; fuitque etiam exiſtimata, ut hic marium; ita illa feminarum animas vinculis corporeis ſolvere. Colebatur & illa, ut Iupiter, in Elide fœminarum Olympico certamine, ludis, ut vocabant, Iunoniis. quibus, ſexdecim Matronis præfectis, puellæ triplici ordine in impuberes, grandiores, & natu maximas diviſæ, curſu certabant; ſed minori ſtadio, quàm virorum, definito. Sparta, Argos, & Mycenæ gratæ inprimis Iunoni urbes.

§. 21. Regnorum ac Divitiarum præſes Dea fuit. nubentibus quoque ac parturientibus præpoſita, atque iccirco etiam *pronuba*, & *Lucina* dicta eſt, quòd naſcentibus lucem donet. Quare & Servius Tullius eidem ærarium conſtituit, in quod pro ſingulis natis Romæ nummus conjiceretur. *Sororia* à Romanis quoque eſt appellata, quòd Horatius, poſt occurrentem lamentantemque in victoria ſororem occiſam, expiandæ cædi aram Iunoni dedicaſſet. *Regina* item Iuno, quæ Vejis à Camillo Dictatore & Victore erepta, per candidatos Iuvenes Romam eſt deportata, poſtquam interrogata: velletne ire Romam? annuiſſet.

§. 22. *Caprotina* Iuno, dicta à Caprifico. nam, poſt occupatam à Gallis urbem, cùm tenues res eſſent Romanæ: Finitimæ gentes collectæ matronas virgineſque à Romanis omnes popoſcere, modò ſalutem vellent. obtulit ſe igitur in vicem *Philotis* ancilla, cum multis ſociarum, quæ matronarum ac virginum habitu cultæ acceptæque, poſtquam paſſim ad ebrietatem provocaſſent milites, his ſopitis ſignum ex Caprifico Romanis dedêre, qui imparatos hoſtes facilè obruerunt, diemque victoriæ Nonas Iulias Capratinas dixêre, ſolenni quotannis ſacrificio Iunoni die eodem inſtituto. ita *Plut. & Macrob.* *Moneta* Iuno, ut Suidas, à pecunia, quam Romanis in inopia contra Pyrrhum bellaturis

laturis minimè defuturam conſulta dixerat, modò juſtis armis uterentur. *Soſpita Iuno* à ſoſpitando, cui frequenter ſacrificatum eſt. *Iuga* Iuno ad cujus aram ſponſis jugum imponebatur, unde dicti conjuges. vel injiciebantur vincula in omen concordiæ. *Interdica* quoque, *Domi duca*, *Vnxia*, & *Cinxia* Iuno in nuptiis invocabatur, Calendaris etiam dicebatur, quod omnes ipſi calendæ eſſent ſacræ, & Februata à ſacris ipſi tunc fieri ſolitis. *Opigena* ab ope in partu. *Populona*, quam populus colebat. Quin ut ſuus cuique genius, id eſt vitæ præſes, Romanis erat, ſic & ſua cuique fœminæ Iuno erat, lecti genialis tutatrix. Iunonis quoque, ut & Minervæ, ſtatuam crinibus ornabant, ſpeculumque ipſi tenebant, quod munditiei præeſſe crederetur.

§. 23. Anſeres ipſi ſacræ ſunt aves, tum inprimis pavones, qui currum trahunt. Ateſtoris ſeu Terræ filius, qui *Io* ſeu Ionem [quæ Ægyptiis *Iſis* fuit Inachi primi Argivorum Regis, vel Argi & Iſmenes filia, ab amante fallenteque ſupervenientem Iunonem Iove in vaccam converſa] cuſtodivit: donec ſubmiſſus à Iove Mercurius Argum undique oculatum fiſtula virgaque ſoporem inducens, interfecit, translatis à Iunone in caudam Pavonis oculis. Pavonem vertit, Hierace juvene illius Aſſecla in Accipitrem mutato. Io verò immiſit furias, quæ multa trajiciens materia, ad Nili ripas pervenit, ibique, recepta à Iove forma, ex eodem Epaphum Memphis conditorem ſuſcepit, atque Oſiridi illic Regi nupta, poſt mortem pro Dea Iſide culta eſt.

CAPUT XXV.

De majorum Deorum ex Iove poſteritate.

SEquitur majorum Deorum ex Iove ſoboles, quam diſtinctionis gratia ſeorſim dare maluimus.

§. 1. Ex *Latona* Saturni, vel Cœi & Phœbes, filia *Apollinem* & *Dianam* Iupiter in Delo ſuſcepit. Huc enim Iunonem de cœlo fugiens Latona in coturnicem verſa Neptuno licet obſtante pervenit. Pythonem verò ſerpentem à Iunone fugienti ſubmiſſum Apollo recens natus ſagittis confecit. quanquam alii addant Aſterien Latonæ ſororem in Ortygiam [quæ poſtea Delos dicta eſt] inſulam verſam fugientem excepiſſe: ubi Dianam primò enixa ſit, quæ ſubitò obſtetricatus officium Apollini naſcituro præſtiterit, cui haud multò poſt, cum Pythonem interfeciſſet

feciſſet Io Pœan, acclamatum eſt. unde hæc ſolennis in re læta acclamatio,& Pœanes hymni.

§.2. Poſtquam verò adultior ex Coronide,ſeu Lariſſa aut Plegya Nympha *Æſculapium* ſperaret,illam,quòd Iſchyn adamaſſet,ſagittis confodit,exſecuitque de utero Æſculapium,qui in re medica à Chirone eſt inſtructus Corvum verò facinus Coronidis indicantem , ex albo in nigrum convertit. Æſculapius verò *Hippolytum* à *Phædra* noverca turpiter appetitum , criminiſque quod fugerat,accuſatum, atque ab equis diſcerptum vitæ reſtituit. Sed à Plutone ob vim morti illatam , apud Iovem delatus Æſculapius fulmine percuſſus interiit. In Epidauro tamen cultus , ac peſtis tempore ſub ſpecie ſerpentis Romam traductus, honorem illic & templum meruit , filios habuit *Machaonem* & *Podalirium*,medicâ arte præſtantiſſimos.

§.3. Apollo filii necem ulturus Cyclopes fulminis fabricatores ſagittis confecit. Verùm à Iove cœlo & divinitate ſpoliatus, egens miſerque Admeto Theſſaliæ Regi in cuſtodia armentorum ſervire coactus eſt. Vbi per otium citharam, Muſicam, ac poëticam artem reperit;ut iccirco Muſis etiam præficiatur. Aſt ubi ad Spartam *Hyacinthum* dilectum ſibi puerum per ludum diſci jactu interfeciſſet illo in florem ſui nominis verſo (quod factum alii *Zephyro* tribuunt) Trojam ſe in Laomedontis Regis ſervitium contulit., operamque cum Neptuno in exſtruendis mœnibus collocavit.quæ nonnulli,lapidibus ad citharæ numeros affluentibus,ſurrexiſſe tradunt.

§ 4. Quod idem *Orpheum* ipſius ex Calliope , & Linum ex Terpſichore filium potuiſſe aſſerunt. quorum ille præterquam, quod ſaxa & ſilvas flecteret, ac Sirenes ſolo cantu ab Argonautis averteret , etiam *Eurydicen* uxorem ab inferis Plutone flexo retraxiſſet, niſi illam (quod cautum erat) priuſquam ad Superos ventum , reſpexiſſet. ſed cum deinde mulierum amorem omnibus diſſuaderet, à Bacchis ad Hebrum diſcerptus, à Muſis Orphei membra colligentibus ſepultus eſt, Lyrâ in cœlum translatâ.

§. 5. *Linus* verò ab Hercule, quem agreſtius ludentem riſerat, impactâ in caput lyra occubuit. Porrò *Marſyas* Thiagnidis filius inſignis tibicen,qui tibia Minervæ fretus (quam illa ob deformem in facie inflantium tumorem abjecerat) Apollinem eâ lege provocarat,ut victus in victoris arbitrium cederet:ſuperatus arte excoriatuſque ad pinum arborem ſuſpenſus eſt. quem fratres

fratres Satyri ac Nymphæ flentes, flumen Marſyam dictum profuderunt.

§. 6. *Daphnen* amaſſe legitur, quæ cum illum fugeret ab eo in laurum converſa, ſacra eidem manſit. Divinandi arte excelluit. unde cum Delphos veniſſet; tripus, ſive vas aureum, quod Mileſii piſcati fuerant, monitique ab Apolline, ut Græciæ ſapientiſſimo deferrent, Thaletis judicio ad ipſum relatum eſt; ex quo deinde oracula celeberrima reddita ſunt à variis ubi cultus eſt locis (de quibus alibi) dictus eſt. Vnde Delius, Delphicus, Cyrrhæus, Pataræus, Lycius, Thymbræus, Clarius, ut & à ſerpente occiſo Pythius. In cujus quoque facti honorem certamina apud Græcos inſtituta, in quibus victor lauro coronaretur, Pythia dicebantur, Latinis ludi Apollinares. In cœlo Phœbus etiam dicitur, idemque cum Sole cenſetur: quanquam nomine hoc, inter Muſas quoque donetur. Rarò eum cultu in monte Soracte Sacerdotes venerabantur, per ardentes prunas nudis pedibus, quos certo medicamine contra ignem munierant, incedendo quod idem cultus genus *Feroniæ* nemorum præſidi memorant exhibitum. A muribus quoque Sacerdoti ſuo Crinide, vel potius in militum Cretenſium clypeos noctu immiſſis Smintheum dictum volunt. Moniti enim, ut eo loco urbem conderent, ubi de terra geniti obſtitiſſent, compererunt clypeorum lora noctu ad Helleſpontum ſibi à muribus devorata.

§. 7. *Diana* ſoror Phœbi (quam alii cum fratre ex Cerere & Dionyſio, alii etiam ex Iove natam ferunt) in cœlis Luna etiam, atque in terris Hecate, & Proſerpina eſt credita: quanquam diverſis formis officiiſque. Nam in ſilvis perpetuo virginitatis cultu venando ſeſe oblectaſſe fertur, ſociis Nymphis aliiſque venatricibus arcus caneſque ductantibus. unde & Dictynna à retibus eſt appellata Cum verò adverſari honeſtæ caſtitati crederet, quod *Actæon* Ariſtæi & Autonöes filius Venator egregius ſe lavantem nudamque conſpexiſſet. hunc in cervum converſum propriis dilacerandum canibus objecit. Parturientibus quoque præeſt, quod obſtetricata matri fuerit.

§. 8. Et hinc *Lucina* (quam alii Iovis, ſeu Iunonis filiam aſſerunt) dicitur. Apud Eleos hoc titulo inprimis culta, quod Arcades avertiſſet, puero in ſerpentem hoſtibus terribilem commutato quem deinde Elei *Soſipolim* [ſervatorem urbis] dictum, templo erecto, hymniſque coluere; ad quod nulli Sacerdoti, niſi

vetulæ, capite & facie velo candido obtectæ, aditus patebat. Lucinæ verò ſimulacrum ſolis mulieribus ſacrificaturis contueri fas erat. contra quàm Dianæ virgini, cui jam nuptæ virgines ſacrificia in caniſtris deportabant, ac deinde gravidæ zonam ſolutam deponebant.

§. 9. Porrò Dianam *Tauricam* humanis placabant victimis, cui & *Iphigenia* devota fuit: ſed Romani ad ſe delatam, quamvis aliquamdiu immolatis ſervis, tamen Laconibus demum tranſmisêre, ſummâ apud ſe veneratione habitam. [uti & Ægyptiis fuit, apud quos Bubaſtis dicta eſt] Huic *Servius*, aliis etiam victimis placandæ, in Aventino templum, pro aſylo communi gentium inviolabili, condidit; ubi quotannis ſacrificio pacifico omnes offenſiones ponebantur ſociorum latè confluentium. Fortè illuc è Sabinis Autron Coratius vaccam candidam immolandam duxerat, oraculo monitus, ſummam ſacrificanti hanc vaccam poteſtatem deferendam. quâ re Servius per famulum cognitâ ſacrificaturum monuit, in Tiberi prius lavandum eſſe, intereaque in templo ipſe hoſtiam obtulit, bovisque illi præfixit cornua; cùm reliquis Dianæ templis cervina præfigantur, cujus etiam currus aureus cervis vectoribus ferebatur. De Hecate & Proſerpina, quos plerique à Diana diſtinguunt, rectius agetur in Cerere.

§. 10. Ex Iunone Iupiter Vulcanum & Martem [quos tamen alii ex ſola Iunone putant] ſuſcepit. *Vulcanus* ob deformitatem à matre in Lemnum inſulam præcipitatus, alteram fregit tibiam, unde claudicationem traxit. illic à Simiis enutritum ferunt. Porrò igni præpoſitus, eorum, quæ igne potiſſimum elaborantur, artificioſorum operum inventor dicitur: Et Ioui quidem cum famulis cyclopibus, Bronte, Sterope, ac Pyracmone cudit fulmina. Pandoræ etiam fabricandæ adhibitus. Canem æneum, cui vitam dederat, Iovi obtulit. Monile Hermiones, Corona Ariadnes, currus Solis, Achillis & Æneæ arma, ejus labore perfecta ſunt. Quin & Iunoni ſedem doloſam obtulit, [ſuum vindicaturus exilium] cui inſidens, quibuſdam machinis reſolutis, pertinaciter implicita hæſit.

§. 11. Nulla Dearum huic nubere voluit, quare à Iove, in fulminis contra Gigantes ſuppeditati gratiam Minervæ conjugium poſtulavit, quo indulgente, Minerva promiſſam ſibi, ab eodem Iove, virginitatem obtendens, Vulcani libidini eſt obluctata. Excepto proinde terrâ ſemine *Erichthonium* profudit, qui

qui cum ſerpentinis eſſet pedibus[en libidinis fructû] ut deformitatem tegeret, primum curru uſus fertur. Denique tamen levicula Venus ad Vulcani nuptias adducta eſt; ſed quæ Martis, quàm mariti amantior, in adulterio deprehenſa à Sole, atque aperta eſt: *Gallo*, quem Mars præ foribus vigilem locaverat, in ſomnum verſo. Proinde à Vulcano ſuperveniente, adamantinis inter ſe vinculis conſtricti, omniumque Deorum conſpectui & ludibrio expoſiti ſunt. *Hermionem* hìc Venus [Semeles atque Inus matrem] concepit. Gallus verò in animal ſui nominis à Marte verſum, hodiedum venientem Solem indicare cogitur. *Lampadophoria*, certamina accenſis facibus currentium in Vulcani honorem inſtituta olim fuêre, in quibus victor erat qui accensâ lampade reliquos prævertiſſet: cui victi, ſeu extinctâ lampade, ſeu curſu poſteriores, lampades tradebant.

§. 12. *Mars* frater Vulcani cælebs, vagus Thracibuſque inprimis delectatus, ferox ingenio; multas paſſim, & in conjugiis, & in vita civili turbas dedit. Filios ex diverſis habuit bello celebres, Ænomaum, Aſcalaphum, Parthenopæum, Tlepolemum, tum Strymonem, ex quo Thraciæ fluvius, & Biſtonem ex quo regio ejuſdem: denique & alium Thraciæ ac Daulidis Regem *Tereum* ex Biſtonide Nympha genuit, qui cum *Prognen* Pandionis Athenarum Regis filiam haberet conjugem, ejus etiam ſorori *Philomela* vim intulit, ac præciſâ linguâ, ne facinus proderet, arctæ cuſtodiæ incluſit. Sed illa acu in tela factum adumbravit, ac ſorori aperuit. quæ ultione in Orgiorum tempus dilatâ, mulierum Bacchantium inſtructa cohorte, Philomelam vinculis eximit, atque *Ityn* ſuſceptum ex Tereo filium diſcerpit, patrique in epulas coctum proponit: quas cum denique infelix ex appoſito filii capite agnoſceret, atque in Prognen ferrum ſtringeret, illa in hirundinem, ipſe in upupam, Philomela in Luſciniam, Itys in Phaſianum avem mutatus fingitur.

§. 13. Ceterum & Mars cum *Halirrhotium* fil. Neptuni, Alcippæ filiæ ſuæ vim intentantem occidiſſet, cauſam capitis apud Deos 12. coactus dicere, evicit. quo deinde loco, Areopago, à Martis colle, dicto ſanctiſſimum totius Græciæ penes duodecim viros judicium fuit. *Cygnus* Martis ex Cleobulina filius (alii dicunt Apollinis) cùm advenas occideret, ut ex cæſorum capitibus patri templum erigeret, ab Hercule denique ſublatus, atque in ſui nominis avem verſus fingitur. Ab Achille alius ante Trojam occiſus, Alium ex Sthenelo cognatum Phaëthontis ferunt,

runt, qui ejus caſum ad Eridanum deflens, in cygnũ tranſierit.

§. 14. *Phlegyas* fil. Rex Lapitharum pater *Ixionis* & Coronidis, quam cùm Apollo violaſſet, hujus templum Delphis incendit, ideóque ad inferos damnatus, lapſurum perpetuò lapidem ſub rupe formidat. Porrò *Ixion* cum *Diam* à *Dejoneo* magnis promiſſis impetraſſet, ſocerum promiſſa poſtulantem, in doloſam foſſam, igne ſubſtrato, pertraxit. quod facinus, cùm nullus Deorum expiare poſſet, denique eum Iupiter non modò in gratiam, ſed & aulam admiſit. ubi Iunonis pudicitiam tentare auſus, ex objecta per Iovem nube, ſeu *Nephele* in ſpecie Iunonis *centauros* Theſſaliæ pop. (ex quibus *Hippocentauri* Equi-homineſque nati) genuit. qui à Theſeo in Pirithoi nuptiis cæſi ſunt. Quare Ixion in terras rurſum ejectus, cum illam Iunonis familiaritatem ſtultè jactaret, fulmine ad inferos præceps, rotæ ſerpentibus implexæ, perpetuoque motu volutæ illigatus tenetur.

§. 15. *Bellonam* Mars ſororem (alii ejus aurigam dicunt) habuit, quæ flagello furens pugnam concire putabatur. Sacerdotes ejus Bellonarii ſeipſos cultris feriebant, ac furentes vaticinabantur. Terror & Pavor equi currum Martis trahere; Timor, Ira, & clamor comitari crediti. Gramine hunc Deum, tanquam ſacrâ ipſi herbâ, coronabant. Picus eidem, & Gallus aves conſecrati. Humanis illi primo victimis, poſtea equo, lupo, cane, pico, gallo & vulture ſacrificatum eſt.

§. 16. Salii dicti Martis 12. Sacerdotes quòd pictis tunicis æneoque thorace ſalientes per vicos ancilia (ſcuta erant ad exemplum illius quod è cœlo ſub Numa lapſum ferebatur, cum promiſſione; fore ut potentiſſima urbium eſſet, quæ hoc ſcutum poſſideret) circumferrent. Nemeſin cum victoria, alatas utraſq; Marti ſociabant, quem & Romani Gradivum, fortè à gradiendo dixêre Vltori etiam Marti ædes in capitolio erecta fuit.

§. 17. *Bacchus* ex Iove & *Semele* (quanquam nonnulli Iſide putent) prodiit: Ita tamen, ut cùm Semele mortalis, Cadmi filia, Iovem ſibi talem, qualis Iunoni adeſſet, optaret, hoc facto interierit fulmine, Bacchus tamen ex utero ſalvus, in Iovis femur inſutus, iſtic maturuerit: unde bis genitus & bimater, ac dithyrambus, quaſi duabus egrediens januis, dictus eſt à Nyſæ Nymphis in antro haud procul à Nilo educatus, Nyſæus quoque & Dionyſius eſt appellatus. Vites vinique uſum inveniſſe fertur, cujus pampino *Amphisbænam*, à Iunone fugientis pedibus immiſſam, occidit.

§. 18. In.

§. 18. In pugna Gigantum pro Iove in leonem verſus, quoſdam laceravit; ſed denique occumbens à morte & ſepulcro eſt revocatus, poſtquam cor etiamnum palpitans Minerva Iovi exhibuiſſet. Bellicoſus, & audax: nunc juvenili & imberbi vultu; nunc viriliter barbato fingitur. cornutus etiam, ac capite taurino. currui à lyncibus & tigribus vecto inſidens. nunc varia pardalis, nunc cervi pelle, quam Nebrida vocant amictus, pro habenis pampinos, pro ſceptro thyrſum, haſtamque pampinis ac hederâ implexam gerit.

§ 19. Ceterùm toto orbe victor, Hiſpaniam inprimis, Indóſq; Orientales, ex agricolis mulieribuſque (quas *Bacchas Mænades*, *Thyadeſque* à furore; *Baſſarides* ab urbe Baſſaro dicunt) conflato exercitu ſubjugavit, atque in Oriente ad Gangen victoriæ terminum, columnas duas erexit, primuſque omnium triumphavit, Indico vectus elephanto; ac diademate regali caput vinxit. Bacchæ circa illum, aut Mimallones (ſic à Mimante Thraciæ monte dictæ) cum tædis furibundæ diſcurrebant, cornua in capite angueſque comis implicitos ferebant, crudiſque veſcebantur leonibus: & cum ſitirent, terram aut ſaxa ferulis percutientes, vinum, lac, aut mel; prodigioſâ fraude, eliciebant.

§. 20. Talis inter Deos cultus eſt. Quam ob rem indignata *Alcithoe*, Thebana mulier, in veſpertilionem mutata dicitur; quin & *Ciſſum* comitem moriturum in hederam, *Sycam* & *Staphylam* Nymphas, in ficum & pampinum transformaſſe memoratur. Hunc Deum cum *Midas* Gordi bubulci filius (poſtea Rex Phrygum ditiſſimus) hoſpitio excepiſſet, voti cujuslibet ab illo compos factus, optavit ſtultè, ut omnia quæ tangeret in aurum verterentur, unde cum ipſi etiam cibi, quos tangeret, indureſcerent: ſupplex rurſum, abſolutus eâ lege eſt, ut in Pactolo ſe lavaret. unde aureas hic arenas voluit Idem Midas quòd certantem cum Phœbo Pana in cantu prætuliſſet, aſininis auribus ab illo multatus eſt quas ſtudioſè texit capillitio, ſolo tonſore gnaro, qui rem inauditam continere neſcius, in foſſa eam ſilveſtri proclamavit, quâ deinde clauſâ, ne emanaret; cannæ tamen innatæ, ventoque motæ vocem tonſoris: *Rex Midas Aſininas habet aures*, reddiderunt.

§. 21. *Lycurgo* Edonorum Regi contemptori ſuo furorem Bacchus immiſit, ut pampinos ſe ratus cædere Dryantis filii crura obtruncarit, ac denique ab equis laniatus ſit. Scythæ tamen (ut Herod.) Dionyſiaca ſacra reſpuerunt; quòd indignum putarent,

tarent, Deum inſaniæ autorem colere. hæc porrò ſacra *Orgia* à furore dicta in quibus Thyaſus genus ſaltus ridiculum erat. & *Trieterica* quod ſingulis trienniis magna celebritate haberentur. præter hæc varia à variis temporibus quibus peragebantur, ſua etiam nomina ſortita ſunt. ut *Lenæa*, quæ in vere, cum vina fecibus exempta; *Epilenæa* quæ vindemiæ tempore, *Ambroſia* quæ dum vina inveherentur habita ſunt: prioribus quidem Lenæis ſtrenuè bibitum, in Epilenæis circum torcular agitatæ choreæ.

§. 22. *Aſcolia* erant quando in utribus Hircorum Baccho mactatorum [quod viti noceant]ſaltu certatum eſt Bacchique ſtatua cum ebrioſo applauſu circum vites lata, arboribuſque ejuſdem icunculæ, oſcilla dictæ appendebantur. *Apaturia* à decipiendo ſic dicta, quod à tergo pugnaturi ejus[qui ſuum ducem provocarat] apparens, reſpicientem occumbere feciſſet. *Phallica* parum honeſto nomine, Phallis thyrſo alligatis, celebrabantur. Erantque hæc ſacra Bacchi non rarò nocturna, unde & à nocte Nyctelius dictus eſt. Naupliæ verò non Baccho tantùm, ſed & Aſino: tum, quòd is arrodendo ſalubrem vitis putationem oſtendiſſet: tum quòd eo ſit uſus *Silenus* ſenex ebrius, Bacchi nutritius ac comes, cujus poſteri grandævi & Satyrorum maximi Baccho adverſus Tharſenſes in bello adfuêre. His Silenis ſtatuæ vinum in utris ferentes erigebantur. Icaro tamen Oebali fil. quem Bacchus vitem plantare docuit, ejus cultus, & vinum in convivium illatum malè ceſſit; cum hoſpites ebrii venenum ſeſe hauſiſſe arbitrati, hominem occiderint. porrò & Bromius à ſtrepitu, & à clamore Iacchus, & à libertate Lyæus, & ab acclamationibus Baccharum Evan, Evæus, Euhius &c. eſt nuncupatus.

§. 23. *Hymen* vel *Hymenæus* Bacchi ex Venere ſeu Vrania fil. Deus nuptiarum eſt, quem Latini Talaſſium vel Talaſſionem dixere. *Ariſtæus* fil. Bacchi & Theramenes, vel Apollinis & Cyrenes à Nymphis nutricibus, olei & mellis conficiendi rationem didicit, omnis humanitatis cultor.

§. 24. *Oſiris* & *Iſis* conjunx Ægyptiorum Dii, hoc loco adjiciendi: tum quòd ille ex Iove & Niobe Phoronei Regis Argiv. fil. tum quod habiti ſint iidem cum Baccho & Cerere, à nonnullis: ab aliis tamen cum Sole [pro quo & Bacchus nonnunquam, quòd Sol vinum maturet] & Luna: quæ ab Ægyptiis inprimis culta fuêre. Oſiris cùm Io, ſive Iſidem, jam Rex Ægypti

factus

factus duxiſſet, & hæc, & ille variis artibus rudem populum erudiêre; ſed ille invidia, & vi fratris *Typhonis* occubuit. quem diu quæſitum Iſis, haud procul Memphi ſepeliit, paludemque juxtà ſtygem, ſeu mœrorem, dixit. quo loco cum Bos deinde apparuiſſet, ſub hujus imagine coli cœpit, idemque cum illo à pleriſque *Apis*, ſive *Serapis*, eſt creditus.

§. 25. *Anubis* verò, quem Cuſtodem (alii etiam filium) Oſiridis faciunt, canino erat capite, Mercuriique loco. *Hermanubis*, uti & *Hermes*, in triviis viarum cuſtos. *Horus*, ſive *Horapollo*, Oſiridis fil. ſine oculis natus dicitur. Hi Ægyptiorum Dii præcipui habentur.

§. 26. *Mercurium* ex Iove & Maja Atlantis filia genitum, educatumque ferunt, in Cyllene monte Arcadiæ haud procul Tegea oppido, & alio monte Mænalo. unde dictus eſt Atlantiades, Cyllenius, Arcas, Arcadius, Mænalius, Tegeæus. Ante Ganymedem raptum, Iovi, ad quæque officia domeſtica, ſervus aderat. tum mortuorum animas ad inferos atque eas, quæ in Elyſiis verſabantur campis, ad nova corpora deducebat. Legatus, & caduceator Deorum, fœderum induciarumque rationes primò inveniſſe fertur. palæſtris etiam, Muſicæ, negotiationibus, ac furibus denique præfectus, nam ad furta vix natus aſſuevit, Vulcano adhuc infans fabrilia ſubduxit inſtrumenta. Cupidinem etiam poſtquam eo, quo natus erat, die palæſtrâ ſuperaſſet, Veneri ſeſe victorem amplectenti cingulum rapuit. Iovi poſt ablatum jam ſceptrum, etiam fulmen erepturus erat, niſi flammas metuiſſet.

§. 27. *Apollini*, Admeti boves paſcenti, unum avertit, cumque ad ſagittas ille reſpiceret, jam eaſdem cum Pharetra ſubduxerat. cui tamen in gratiam redeunti lyram (quam recens, in teſtudine mortua inductis chordis, repererat) donavit; virga ab Apolline recepta, quâ pax inter diffidentes conciliari poſſet, ut ſerpentes, mox virgâ interpoſitâ, ſeſe complexi probavêre; quæ caduceus dicitur, etiamnum Mercurio tributa. *Batto* paſtori furtum obſervanti, vaccam, ut taceret, largitus fuit: cujus datam fidem, ut exploraret, mutatâ ad illum forma rediit, dupliciſque præmii oblatione ſecretum extorquens hominem perfidum in ſaxum convertit quod indicem vocant.

§. 28. Tonorum differentias tres, acutum, gravem, & medium inveniſſe: Aſtronomiæ item, obſervatis ſiderum curſibus, tum Philoſophiæ, & Religionis autor Thebanis, dicitur.

Tricipi-

Tricipitem etiam fecêre, vel ob tria jam dicta; vel quod terræ maris & cœli potens eſſet; vel quod cum Mercurio *Triſmegiſto* Ægyptio ejus nepote, qui & Rex, & Sacerdos, & Philoſophus maximus fuiſſe memoratur, philoſophiâ etiam ſcriptâ, & vaticiniis præclarus. Nonnulli illum quoque cum *Gallico* confundunt *Hercule*, qui catenulis ex ore defluentibus, auribuſq; gentium innexis, eas, eloquentiæ ſcilicet vi, credebatur trahere.

§. 29. *Hermæ* porrò Mercurii, parvæ erant ſtatuæ, paſſim in triviis ac præ foribus collocari ſolitæ, quod Deus furum, fures arcere putaretur. In ſacrificiis illi vitulus, lac, & mel fundebatur. quin & in omnibus ſacrificiis, linguam ultimo in ignem conjectam ſibi Mercurius vendicabat. Filiorum unus *Autolycus* fuit Laërtæ pater & avus Vlyſſis, quem ex Chione Dædalionis filia [Apollini eandem ambienti prævertens] habuit, ubi eam, admotâ virgâ, in ſomnum dediſſet. hic à patre furandi edoctus artem, brevi, diſcuſsâ paupertate, ex Iro Cræſus fuit. tam ſolers, ut pro equo rapto ſcabioſum aſinum, pro culta ſponſa rugoſam anum, ne ſentientibus quidem ſubſtituiſſe dicatur.

§. 30. *Pan* eodem Mercurio [nonnulli Iove putant] & Penelope natus capripes & cornutus barbatuſque, Hircorum more [quâ ſpecie Mercurius Penelopen greges paſcentem adiiſſe fertur] Pardalis aut leporis indutus pelle, fiſtulâ & baculo inſtructus, montibus armentiſque ac Paſtoribus præeſt. Fuit maritus Echus atque *Iryngem* ex ea filiam habuit, quæ Medeæ dedit philtrum, quo Iaſonem cepit. Sed & *Syringe* delectatus Nympha, cum hæc fugiens in calamos paluſtres verſa eſſet, ex his, colliſione ventorum modulantibus, unum apprehendens, orique admovens, fiſtulæ cantum reperit. Iiſdem Arcadiæ locis quibus Mercurius, ut Lycæo, & Mænalo jugis cultus eſt.

§. 31. Apud Latinos cum *Silvano* paſtorum Deo, qui, cum *Silenis* & *Satyris* infrà hircis, ex *Fauno* Latinorum Rege [Martis de Pico nepote] natus creditur. Huic Fauno *Euander* Arcadum Rex, Italiam ſubiens, ſacra in Palatini montis antro, *Lupercalia* à loco dicta, inſtituit, in quibus ſuccincti juvenes immolatarum caprarum pellibus, mulieres fœcunditatis avidas pellium loris verberabant. Satyri caprinis incedere pedibus, humanâ tamen ſpecie in ſilvis crediti, à quibuſdam Dæmones habiti, uti & Sileni, de quibus in Baccho. *Pales* his jungi poteſt, Paſtorum Dea, cui Parilia, ſeu Palilia, calendis Maji in agris à Paſtoribus ad morbos lupoſque à pecore arcendos celebrata ſunt, quibus

quibus circa & per accenſos palearum acervos ſaltum agebant.

§. 32. *Sterculius* ſeu *Picumnus*, ex eadem ſtirpe, ſtercorationi agrorum præerat *Tutanus* & *Tutilina* tuendis agris, *Seja* ſationi, *Segeſta* frugibus, *Robigus* rubigini auertendæ, *Hippona* equis, *Bubona* bobus, *Mellona* melli, *Feronia* ſilvis, *Collina* collibus, *Rurina* & *Satina* ruri, *Vallonia* vallibus, *Terminus* agris.

§. 33. Poſtremò *Lara* ſive Larunda Mercurii addenda eſt. hæc cum Iovis adulteria detexiſſet, abſciſsâ linguâ à Mercurio ad inferos deducenda, in via ex eodem *Lares* [quibus domus & focus inprimis ſacer] ſuſcepit. ex quibus aliqui unum *Genium bonum*, alium *malum* eſſe dicunt, vitæ noſtræ gubernatores. [quos tamen alii Iovis, & Terræ fil. volunt] His in ſacris, quæ compitalia dicebantur, primum pueri, denique pro his, papaverum & alliorum capita immolata ſunt. Dii *Penates* his accenſentur, quos patrios, & domeſticos vocant, per quos ſpiramus cognoſcimus, vivimus. hi natos infantes ſuſcipere, & non modò regnis, urbibus, domibus, ſed & animantibus ac plantis omnibus præeſſe crediti ſunt.

§. 34. *Æolus* ventorum Deus, ex Aceſta, aut Sergeſta, Hippotæ Trojani filia [unde Hippotades dictus] Iovi natus eſt. Alii tamen Hippotæ filium, ex Menecla ſeu Ligya putant. Æolias habitavit inſulas, quarum una Hiera, altera Lipara ob perpetuos ignes ſtrepituſque Vulcani officina eſt credita. Varios, ſive hic, ſive alius ejus nominis Æolus ſuſcepit filios filiaſque, ex quibus *Halcyone* [quam alii Mæoli & Canobes fil. dicunt] uxor *Ceycis* Regis Thraciniæ. qui cum ob cauſſam fratris in accipitrem, mutati, ad oraculum Delphos aut Claron navigaſſet, ſeque Iovi ſuperbè, uxorem verò Iunoni comparaſſet, naufragio periit, cujus intuita Halcyone cadaver, gemebunda ad maritum in mare exoſculandum proſiliit; ſed in avem cum marito verſa etiamnum mari innatant. quod tamen illis nidulantibus mitigatur, diebus, ut vocant, Halcyoneis.

§. 35. *Athamas* ejuſdem Æoli filius, Rex Thebarum, *Nephelen* uxorem duxit, ex qua *Hellen* & *Phryxum* genuit. Verùm cùm Nephele inter Bacchas ſilvis erraret, *Ino* Cadmi filia ab Athamante thalamo inducta eſt, quæ adeò privignis infeſta fuit; ut pater aureo illis Ariete conceſſo, indulſerit abitum. hoc igitur vectore dum Aſiam per mare petunt, Helle caſu ſubmerſa Helleſponto nomen dedit. Phryxus verò incolumis in Colchidem ad Regem *Æeten* perveniens, Arietem Iovi, vel Marti,

Marti, immolavit, vellere in templo (quo deniqne Iaſon rapuit) ſuſpenſo, quanquam & Iupiter Arietem in cœlum extulerit. Sed à Iunone in furias verſus Athamas, Ino cùm filiis venientem, Leænam catulóſque arbitratus eſt, Learchum fil. ſaxo illiſit. quod conſpicata Ino, ſe cum altero fil. *Melicerta* in mare præcipitem egit, mox in Deos marinos verſi. & hæc quidem Leucothea, ſeu Matuta, vel Aurora; ille Græcis quidem *Palæmon*, Latinis verò *Portumnus* dicitur, ac portus cuſtodit.

§. 36. Huic Theſeus *Iſthmia* inſtituiſſe primus, ob peſtem inhumati Melicertæ causâ natam, fertur. in quibus funebri certamine victor apio vel pino coronabatur. Et hæc inter quatuor Græciæ ludos celebriores habita ſunt Nam duo Diis immortalibus, ut *Olympia* Iovi, *Pythia* Apollini: duo mortalibus, ut Palæmoni Iſthmia, & Nemea Archemoro *Nemea* Regis filio, à ſerpentibus in gramine occiſo, celebrata fuerunt. quanquam & Neptuno Iſthmia, & Herculi, poſt leonem occiſum, *Nemea* tribuantur.

§. 37. Alter fuit Æoli filius *Macareus* Canaces ſororis conſuetudine infamis, quæ ubi partum ex fratre ſacris frondibus tectum ad nutricem deſtinaret, vagitu puer Æolo proditus eſt, atque ab eo canibus objectus, ſubmiſſo deinde à patre enſi filia incubuit, Macareus profugus Apollinis apud Delphos Sacerdos factus eſt. Tertius *Salmoneus* Rex Elidis, qui in ponte æneo Iovis tonitrua ac fulmina imitatus, ut divinitatis ſibi opinionem arrogaret, cum multos igne petitos ſuſtuliſſet, ipſe denique cœleſti fulmine concidit.

§. 38. Quartus *Cephalus* (alii Dejonei fil. volunt) *Procrin* Erichthei Athen Regis à Pallade educati filiam duxit, cujus fidem cum Aurora inſtigante, negotiatoris in habitu exploraſſet, illaque tandem conceſſiſſet victa, perfidiam eidem exprobrans, venator ſilvis, inhærebat fruſtra invitatus, dum conciliata uxor atque à ſilvis quoque retracta, accepta illi à Diana dona amoris rurſum firmandi gratia obtulit: videlicet canem Lælapem, & ſpiculum omnia feriens. Quibus cum iterum ſilvas oberrat, feſſuſque Auram implorat. Vxor hac voce accepta, propiuſque inſecuta, ut ad Auroræ conſortium. viciſſim exploraret fidem, inter dumos pro fera latitante habita à Cephalo transfigitur. *Miſenus* adhæc Æoli filius præſtantiſſimus, Hectoris tubicen Æneam ſecutus periit, ubi cum *Tritone* in certamen deſcendiſſet. ab Ænea in Campaniæ promontorio ſepultus, cui & nomen dedit.

§ 39. Deni-

§.39. Denique filiorum Æoli maximè celebris eſt *Siſyphus*, homo vafer, atque, ut memorant, in hoſpites vario ſuppliciorum genere mactatos crudelis, Atticamque latrociniis infeſtans, dum Theſeo ultore ſublatus eſt. qui, vel in ſcelerum pœnam, vel ob prodita Deorum ſecreta, vel deceptos inferos, apud quos detentus, dimiſſuſque ad uxorem, ut oraverat, caſtigandam, ultro non redierit; lapidi apud inferos in montis verticem evolvendo damnatus eſt, ſaxo identidem ad ima relabente.

§. 40. *Pallas*, ſive *Minerva*, à pleriſque ex cerebro Iovis, cum armis & haſta nata fingitur ad amnem Tritonem, unde & Tritonia dicta eſt ibidem loci puellarum inter ſe decertantium ludi ſunt inſtituti, in quibus virgo ac victrix credebatur, quæ integra conſtantia & vita plurima pertuliſſet vulnera. Hanc & Lampadophoriis, & indomitæ juvencæ victima venerabantur. Belli, ſapientiæ, artiumque plurimarum præſes: Olivæ etiam, ædificiorum, tibiæ, Muſicæ, lanificii, texendique inventrix memoratur.

§. 41. Vnde nonnunquam ab *Arachne* Lydia Idmonis filia nendi texendique certamine provocata, victam abs ſe in araneam vertit, perpetuiſque texendæ telæ laboribus damnavit. Virginitatis uſque adeò ſtudioſa cuſtos fuit, ut *Tireſiam*, qui furtim lavantem obſervarat, cæcitate inflictâ ultus ſit (quod cum Ovid. alii Iudicio ejus temerario imputant. de quo vide c. 30. §. 21.) denique tamen miſerata, mente illum ad vaticinia perſpicaci donarit.

§. 42. *Pallantem* quoque alatum Gigantem (vel ut alii patrem proprium) vim ſibi machinantem interfecit. unde Palladis illi nomen obtigerit, alas verò eidem detractas pellemque, tum ſcutum cryſtallinum ablatum ferunt, quod deinde ſibi Pallas vendicaverit, & Perſeo adverſus Meduſas conceſſum fuit. Galeæ ejuſdem non rarò gallus, pugnax avis, inſidebat; noctuam familiarem gratamque habuit; fortè quòd in tenebris ſapientia videat. cornicem ob garrulitatem averſata eſt. *Palladium* Deæ ſimulacrum, Trojæ, cum ipſi templum erigeretur, per apertum adhuc tectum, de cœlo, illapſum putatur, eo artificio compactum, ut oculos haſtamque, quam manu ferebat, moveret, datumque ab Apolline oraculum eſt, civitatem non antè perituram, quàm mœnibus illud efferretur. quod, obſidentibus urbem Græcis, à Diomede & Vlyſſe, per cloacam in arcem enitentibus,

tibus, factum legitur. Poſtea Romam ad ædem Veſtæ tranſlatum eſt.

CAPUT XXVI.

De Iovis fratribus, ac ſororibus, eorumque poſteritate.

§. 1. NUnc de Iovis fratribus, ſororibuſque agendum, ut ſunt Neptunus & Pluto, Ceres & Venus. *Neptunus* mari præpoſitus, à Rhea matre inter Cyliones clam educatus eſt. pro quo Saturnus Pater pullum equinum, ſibi pro filio oblatum, devoraſſe fingitur. Vxorem, Delphino conciliante (quem inter aſtra ob id retulit) *Amphitriten*; vel, ut alii, Veniliam; alii, Salaciam, accepit. Vbi conjurationis adverſus Iovem, cum Diis ceteris, eſſet convictus, ipſe & Apollo in pœnam ad extruenda Trojæ mœnia damnati fuère. Sed cùm nullam à *Laomedonte* Rege mercedem ex pacto acciperet, cetum horrendum immiſit agro, qui evomito latè mari totam regionem merſit, dum Laomedon ex oraculi monitu *Heſionem* filiam Ceto devorandam exponeret. Nudum, vel certè veſte ornatum cyaniâ, in concha exhibent, aut curru ab equis quatuor, aut marinis vitulis, vel ceto tracto. primus enim equorum reperiſſe uſum, equumque, cum Minerva, olivam producente, de præſtantia operis certans, produxiſſe; uti & taurum, cum Vulcano ſimul & Minerva contendens, fertur; cùm ille hominem, Pallas domum excogitaſſet. Hæc animalia eidem ſacra, uti & piſces, inter ſigna etiam cœleſtia relata ſunt.

§. 2. Multas illi *Amphitrite* proles dedit, in quibus *Triton* ſupernè homo, infra piſcis, quem buccinatorem ſuum fecit, qui & curru & cæruleis equis vehi fingitur. *Belum* etiam ex Libye Nympha ſuſcepit. cui *Danaus* quinquaginta filiarum, & *Ægyptus* totidem filiorum futurus parens, natus eſt, de quibus hoc memorabile; quòd illæ his nuptui traditæ, ex Danai patris conſilio, maritos unâ nocte omnes occiderint; unâ demptâ Hypermneſtrâ, quæ Linum ſponſum, proditâ fraude, ſervavit. omnes igitur ob patratum ſcelus ad inferos damnatæ, coguntur pertuſo dolio exhaurire puteum, *Danaides* à patre, ab avo *Belides* nuncupatæ. *Buſiris* Belii ex iiſdem parentibus frater, crudelis Ægypti tyrannus, qui hoſpites Iovi immolabat, ad ſuam denique mactatus aram ultore Hercule.

§. 3. Eidem ex *Amymone* natus Nauplius eſt Palamedis pater, & ex

& ex Æthra Theſeus de quibus infra. *Proteus* etiam Neptuni ex Phœnice Nympha fil [quanquam ex Oceano & Tethy alii dicant] omnem induere formam gnarus, uti in Pomona ſibi conciliandâ feciſſe ajunt, Phocis ille in mari paſcendis aderat, *Vertumnus* Latinis dictus. *Aſopus*, cujus filia Ægina à Iove rapta, atque indignans ideo Aſopus fulmine ictus, in varios rivos ſparſus eſt.

§. 4. *Arion* eidem ex Ancæa natus citharœdus & Poëta nobilis, hic ex Italia arte quæſitas opes in Græciam reportaturus, ob illas in navi ad necem poſtulatus, oravit, antè ſibi leſſum ſuo funeri liceret præludere, quàm in mare ejiceretur. Quare à Delphino ſuavitate cantus allecto exceptus dorſo, & in Tænarum tranſportatus eſt, ubi Periandrum Regem ſuæ habuit mortis, poſt advectos nautas, vindicem. *Glaucus* ex eodem, non ille, qui cum equas humanâ carne paſceret, ipſe denique ab iiſdem eſt devoratus: nam is Siſyphi fil. fuit; ſed urinator egregius, qui cum piſces, guſtatâ quadam herbâ animatos, ſeque rurſum in mare ejicientes ex litore cerneret, eandem ipſe guſtans aquis immerſus inter Deos marinos haberi cœpit. Incertum verò eſt; hic, an alius, Glaucus Ephytæ Rex, is fuerit, ex quo natus Bellerophon [Hipponous alias] ob Bellerum Corinthium occiſum ſic dictus. juvenis fortiſſimus, quem, cùm *Sthenobœa Præti* uxor de ſcelere interpellaſſet, recuſantem apud Prætum violentiæ accuſat. Hic, ne hoſpitii jura violaret, in Lyciam ad *Iobatem* ſocerum, cum literis, interficiendum deſtinat. Hinc ad pugnam Solymæam, indeque victor ad *Chimæram* domandam miſſus eſt. [quæ monſtrum erat in monte Lyciæ ignivomum pectore leonis, ventre Capræ, cauda Draconis] Quo facto elatus, cœlum Pegaſo vectore conatus aſcendere, æſtro à Iove immiſſo excuſſus in campum eſt, poſtea Alejum nuncupatum. equus verò inter ſidera relatus fuit.

§. 5. *Euphemum* quoque è Mecionica habuit, cui facultatem perinde in undis ac terra incedendi fecit. *Peliam* ex Tyro Salmonei Regis fil. fratrem Æſonis cujus filium Iaſonem metuens ad expeditionem Colchicam deſtinavit, de quo poſtea. *Aſtræum*, qui cum Alcippa ſorore per ignorantiam delinquens, errore per annulum acceptum cognito, ſe in flumen præcipitem egit, quod à *Caico* Mercurii filio poſtea nomen accepit, ante Aſtræum nuncupatum.

§. 6. *Orionem* verò etiam ex Brylle ſuſceptum ferunt; quanquam

quam hic ab aliis, ex Ipſius Iovis & Mercurii lotio, in bovis corium effuſo, natus fingatur, adeóque & Vrion dictus. Cum enim hi tres Dii ad pauperem *Hyreum* divertiſſent, iſque bove, quem habebat unicum illis mactato, ſibi gratiam prolis ſalvo cœlibatu rogaſſet fieri, ita voto potitus fertur. Sed degener à patre fil. libidinem fruſtra Plejadibus, in cœlum translatis, intentatam, malè in Æropen Oenopionis Chii uxorem vertit, ut icirco oculorum effoſſione ſcelus luerit, quos ubi à *Cedalione* Vulcani famulo recepiſſet, denique etiam Dianam tentare auſus, (ut alii, ei ſe venando comparans) vel ejus ſagittis, vel ſcorpione de terris emiſſo ſaucius, occubuit. à Diis tamen in cœlum ad tauri caput translatus nimboſum ſtellarum ſedecim ſignum eſt.

§. 7. *Pegaſum* equum quidam ex Neptuno & Meduſa, alii ex Meduſæo ferunt ſanguine, qui evolans (ut erat alatus) Helicona montem ungula feriit, unde fons proſiliit *Hippocrene* dictus. Hunc equum, *Bellerophon*, contra *Chimæram* deſtinatus, ad fontem Corinthi Pirenen intercepit. Sed & *Harpijæ* Stymphalidis paludis aves, ut Ocypete, Celeno & Aello, ex Neptuno & Terra (alii Thaumante & Electra) natæ ſunt. quæ auribus urſi, corpore vultures, facie virgines, alatæ, humanis pedibus & brachiis, ſed monſtroſis unguibus formidandæ, *Phinei* ad perpetuam famem, ob crudelitatem in filios, damnati menſam cibis ſpoliarunt. donec Argonautæ, humanitate magnâ excepti, Borea ſubmiſſo, eas confecerunt.

§. 8. Pluto frater Inferis præeſt. fortè quòd funerum & exequiarum rationes primus reperit. Manibus idem præſidet. unde & Summanus, quaſi ſummus Manium, dictus. quin & divitiis, quæ ex terra eruuntur, præficitur. quanquam communius *Plutum*, ex Iaſione & Cerere oriundum, præponant: cœcum, quòd in malos potius, quàm bonos opes prodigat; timidumque, quòd opes ſecurum eſſe non ſinant. Pluto pro inſigni claves gerit. Sacra illi cum Diis Manibus communia, in quibus ipſe Februus appellatus eſt. Coronæ ejus ex Narciſſo, Cypariſſo. & Adianto. Colebatur in Pylo. Ad fluvium verò Corallum ara illi communis cum Pallade. Equi quibus vehebatur ſunt Nycteus, Æthon, & Alaſtor, omnes colore nigri.

§. 9. Supereſt ut infernum Plutonis regnum deſcribamus. *Tartarum* etiam (à ταράττω conturbo) dictum. & *Tænarum*, quod hoc Laconiæ promontorium fauces inferni, ubi Hercules Cerberum eduxit, complecti dicatur. Fluvii inferorum varii.

Primus

Primus *Acheron* accedentes ad inferos mortuorum animas excipit, quos *Charon* ſenex nauta cymba excipere, atque ad alteram tranſmittere ripam dicitur. Cereris Acheron aut Terræ filius in Bithynia natus, ſic dictus, quòd ſine gaudio ſit, ad inferos damnatus eſt; quia Titanibus contra Iovem pugnantibus aquam præbuit. Ex Gorgyra nympha *Aſcalaphum* ſuſcepit, in bufonem mutatum, quod Proſerpinam de guſtatis inferorum cibis accuſaſſet.

§.10. *Styx* Acherontis (ſeu ut alii Oceani) filia, in Arcadia nata, frigidis peſtilentibuſque aquis potantes enecat. ex Pallante illa vel Pirante hydram peperit. ex Acheronte patre filiam Victoriam, ut quæ multos in mortem præcipitet. Hæc ubi cum ſororibus Vi, Robore, & zelo Iovi contra Titanes opem tuliſſet, Matri Stygi hunc obtinuit honorem; ut ſanctiſſimum jusjurandum per illam fieret. *Cocytus* frater (à κωκύειν gemere) in Epiro natus, *Minthem* filiam habuit, quam Proſerpina in Mentham herbam convertit. *Phlegethon* (à φλέγω uro) eodem ſpectat, & *Lethe* (à λήθη oblivione) Africæ fluvius, qui terrâ abſorptus ad Berenicen urbem revomitur, potuſque præteritarum rerum oblivionem inducere creditur. *Avernus* item (quaſi ἄορνος ſine avibus) peſtilenti odore in Campania, etiam aves ſupervolantes enecans. uti denique & *Orcus* Theſſaliæ fluvius Plutonis regno tribuuntur.

§. 11. Ceterùm *Nox* Dearum antiquiſſima, ex Chao nata ibidem habitat. quæ ex Erebo primò *Somnum* alatum peperit. ex quo nepotes *Morpheus*, *Icelus* [ſeu *Phobetor*] & *Phantaſus*, qui inſomnia creant, omneſque inducere formas norunt, ac per corneam quidem portam vera putantur immittere ſomnia, per eburneam falſa. *Momum* ex Nocte Somnus habuit, qui cum ipſe nil dignum ageret, cenſere tamen curioſè, ac carpere etiam Deorum opera ſolitus fuit. Altera Noctis filia *Mors* eſt alata, habitu atro, ſed ſtellis diſtincto. quæ ſola Deorum nullas aras aut ſacrificia obtinuit; quòd implacabilis eſſe credatur. Alias præterea filias habuit. ex quibus *Rabies, Rixa, Contentio, Invidia, Fatum* & *Parcæ*, ut ſunt *Atropos* [à τρέπω] tanquam immutabilis. *Clotho* quaſi vertens & nens [à κλώθω) *Lacheſis*, id eſt ſortiens [à λαγχάνω] Hæ à quibuſdam Deorum ſcribæ, fata illorum excipientes, ſunt creditæ; vitæ autem humanæ terminos figunt, ſingu-

finguntur que velut aniculæ ad colum ſedentes, quæ cum filo vitam mortalium abrumpant: per antiphraſin ſic dictæ, quòd nemini parcant.

§. 12. Sunt & ſui Inferno Iudices, tres Iovis filii, ex Europa *Minos* & *Rhadamanthus*, ex Ægina verò *Æacus*. primus Minos Cretenſium Rex & legislator fuit, cujus uxor Paſiphaë Minotaurum Dædali arte & miniſterio ſuſcepit. quem iccirco eſt perſecutus donec à Cocali Regis Siciliæ filiabus, hoſpitio exceptus Dædalus, aquâ bulliente eſt interfectus. Rhadamanthus verò laudatæ temperantiæ vir, ob fratrem interfectum, patriâ exulare coactus eſt. *Æacus* Pelei pater tantæ exiſtimationis fuit, ut in gravi ſiccitate oraculo reſponſum ſit, hoc ſolum deprecatore Iovem placandum. cui etiam, poſt extinctos peſte Æginæ inſulæ colonos, Iupiter indulſit, ut formicæ ejus loci in homines verterentur, qui *Myrmidones* dicti ſunt. Porrò tres illi propter æquitatem, apud Inferos in prato trivioque, ex quo altera ad orcum via, altera ad beatorum inſulas duceret, conſtituti, Vrnam habent, ex qua ſorte judicandorum nomina educunt.

§. 13. His tanquam pœnarum in nocentes adminiſtræ *Furiæ* [*Diræ* quoque & *Erinnyes*, ac per antiphraſin etiam *Eumenides* dictæ] adſiſtunt, *Tiſiphone*, *Alecto*, & *Megæra*, Noctis & Acherontis filiæ, crinitæ ſerpentibus, facibuſque hominum animos inceſſantes In veſtibulo inferorum habitant, ſceleratis adeò infeſtæ; ut ſiquis impius earum templum ſubiret, in amentiá præcipitaretur, uti Oreſti factum eſt. Vinum his in ſacrificio diſplicebat, nigræ victimæ, &, cum junipero, cedro, & Rhamno, varia cremabantur herbarum genera. *Cerberus* denique triceps, ex Typhone & Echidna natus, inferni obſervabat oſtium: blandus intrantibus, ſed exituris infeſtus atque implacabilis. Præter hæc monſtra *Eliſium* veteres, locum ſcilicet amœniſſimum, quo piorum animæ migrarent, conſtituebant. de quo Virgil. 5. Æneidos.

§. 14. *Ceres* Dea frugum, ſoror Iovis ex Rhea & Saturno. Hæc ex Neptuno prolem habuit, quam nominare nefas crediderunt; *Heram* tamen hunc partũ ſimul, & matrem dixerunt. Alii equũ fuiſſe memorant, cujus partus pudore Ceres, deindeabdita, latuerit. Ex Iaſione Iovis filio Plutum ſuſcepit, de quo ſupra. Ex Iove *Proſerpina* illi nata eſt, quam in Ætna Siciliæ monte flores legentem, Pluto [cum nulla ei Dearum vellet nubere] vi rapuit.

Cerere

Cerere fruſtra toto orbe facibus natam accenſis cum dolore quærente. Curru hæc vecta, apud Eleuſium Regem hoſpitio accipitur, filiique ipſius *Triptolemi* educandi curam ſuſcipit, ac denique currum largita eſt, quo ille, Draconibus ferentibus, orbem circumiens, frugum ſerendarum rationem mortales docuit.

§. 15. Ceres ubi Arethuſæ demum Nymphæ indicio comperiſſet de raptu Plutonis, à Iove impetravit, ut ſi nihil apud inferos guſtaſſet, rediret ad Superos. verùm *Aſcalaphi* indicio compertum eſt, ex malo illam punico in hortis Plutonis ediſſe. Obtinuit denique, ut dimidia ſaltem anni parte apud Superos Proſerpinæ liceret eſſe. (hanc alii lunam; alii terræ ſemen, unde fruges, interpretantur, *Perſephone* quoque hæc dicta eſt, cui ſepeliendorum crines præſecti dedicabantur. Porrò Ceres Ægyptiis Iſis eſt appellata.

§. 16. Theſmophoros quoque nuncupata eſt; quòd mortalibus varias leges dediſſe crederetur. Hinc varia eidem inſtituta ſunt ſacrificia. quædam cum facibus ad raptus memoriam, flores verò à ſacrificiis hiſce (ut quibus legendis Proſerpina periiſſet) abeſſe debebant. Poſt meſſem primitiæ frugum dedicabantur. Ambarvalia veris initio pro earum fertilitate circum agros inſtituebantur. hoſtia ter circumducta, quam quernæ ornabant coronæ. quibus etiam familiæ coronatæ totum diem feſtis tripudiis gaudiiſque exigebant. Theſmophoria quoque, per Eumolpidas Sacerdotes in Eleuſo, iidem fiebant, quæ ſine vino, à Virginibus perpetuæ continentiæ devotis, vite coronatis, ſacroque libro caput gravatis, peragebantur.

§. 17. Porca ipſi & aries immolari ſolebat, ſpiceæque & papavereæ coronæ templi foribus appendi. Lac & mulſum in ambarvalibus oblatum eſt. Delubra eidem quoque ac nemora ſacrabantur. quale cum *Eriſichthon* Theſſalus abſcidiſſet, Dea ipſi perpetuam implacabilemque immiſit famem, cui filia Metra, beneficio Neptuni in quamlibet formam verſa, venditaque diverſis, ac mutata brevi forma rurſum dilapſa, utcunque ſubveniebat. Sed & eadem Ceres *Abantem* puerum, ſua ridentem ſacrificia, in ſtellionem, lacertæ genus, commutavit.

§. 18. Hecaten multi Iovis & Cereris aut etiam Latonæ filiam faciunt, neque à Proſerpina diſtinguunt. (alii Iovis ſeu Perſæ & Aſteriæ) corpore illa terribilis: quod ad dimidium etiam ſtadium extendere credita eſt: anguicoma & ſerpentinis pedibus.

Canes in comitatu aderant, qui eidem immolabantur. unde & canivora dicta eſt. triceps, canino, equino, & humano capite. in triviis culta, in cœlo Luna, in terra Diana, ſub terris Proſerpina credita. Veneficiis præerat, fortè Hecate dicta; quòd centum placaretur hoſtiis. Ante fores etiam pro arcendis veneficis, ut Mercurius adverſus fures collocari ſolita.

§. 19. Venus ex Saturni ſectione & ſpumâ maris; aut certè, in concha marina concepta, ad Cyprum primò appulit. ab illo Aphrodite, ab hoc Cypria dicta eſt. Nonnulli, aliam cœleſtem à Cœlo patre ortam, cui nefas ſit vinum immolare; aliam terreſtrem ex Iove & Dione faciunt, quæ Vulcano nupta, ex Mercurio tamen vel Zephyro *Cupidinem* blandum, alatum, ſagittiſque inſtructum puerum ſuſcepit: Ex Marte verò Anterotem, qui cum Erote, ſeu Amore cupidineo pugnat, continenſque Amor eſt. Ex Baccho Veneri *Priapus*, obſcænus ac deformis puer, obſtetricante Iunone, veneficiiſque nocente, Lampſaci natus eſt. hortis ille præpoſitus eſt, Aſinumque ſibi immolari voluit, poſtquam hic Loridi Nymphæ inſidiantem prodidit.

§. 20. *Eryx* eidem ex Neptuno obtigit. fortiſſimus ille pugil, poſtquam multos ceſtu ſtraviſſet, ab Hercule denique victus, in templo quod Veneri matri in monte condidit ſepultus eſt. Vnde & monti nomen relictum. *Adonis* Cinyræ Cyprii Regis & Myrrhæ filius, dilectus Veneri adoleſcens, à Marte Zelotypo, immiſſo apro, occiſus Diis miſerantibus in florem ſui nominis verſus eſt. denique ex Anchiſe Æneam, de quo nonnulla inferius ſuſtulit. Horas nutrices, Charites ſocias habuit. Currum, vel Cygni vel columbæ, vel paſſeres, ſalaciſſimæ volucrum, traxêre.

§. 21. Varia à locis duxit nomina: hinc Paphia, Cytherea Aſcræa, Gnydia, Acidalia, Idalia, Salaminia; Sed & Romanis e[illegible] *Cluacina*, à cluo id eſt luceo, dicta: Murtia, quòd homines mur[illegible] ceos, id eſt, ignavos reddat. *Calva*, erecta. cum ex mulierum ca[illegible] pillis machinæ certæ ad Gallos urbe pellendos flexæ eſſent. *Li*[illegible] *bentina* à libendo: cui crepundia & pupas offerebant, qui pue[illegible] ritiæ annis exceſſerant. & *Libitina* cujus in templo apparatu[illegible] funereus vendebatur, ærarioque pro ſingulis mortuis nummu[illegible] inferebatur. His & *Verticordia*, & *Victrix*, & *Genitrix* adjun[illegible] poterunt.

§. 22. Hæc de genealogia præcipuorum Deorum ſuffecerin[illegible] Invenies & alios quoſdam minoris æſtimationis Deos: ut F[illegible] dius, qui fidei præerat, *Bonus Eventus*, *Ridiculus*, *Vitunus*, qui v[illegible]

ta

tam tueretur. tum & Deas, ut *Angeronam* Silentii, *Lavernam* Deam furum, *Naniam* funerum, *Levanam* naſcentium. Denique *Virtutis* & *Honoris* ædes, *Libertates*, *Concordiæ*, & *Salutis*. quin & Febris *Tempeſtatis* &c. quæ expoſitionis vix egeant, adeóque prætereuntur. *Flora*, quam Græci Chloridem appellant, florum Dea eſſe memoratur. Conſtat hanc apud Romanos prædivitem fuiſſe meretriculam, quæ hac lege populum Rom. heredem inſtituit, ut ſibi quotannis feſtus dies ludique celebrarentur. adeóque, ut factum ornarent Romani, Deam finxiſſe.

CAPUT XXVII.

De ſignis cœleſtibus fabuloſè in cœlo conſtitutis.

Signa cœleſtia à fabulis deſumpta, ordine hic aliquo accenſere volui.

1. *Arctos* ſeu *Urſa major*, quæ & *Helice* dicta eſt, Lycaonis Arcadis filia, *Calliſto* Iovis pellex credita, adeóque à Iunone Zelotypa in urſam mutata eſt.

2. Quam dum *Artophylax* filius, tanquam feram inſequutus in Iovis Lycæi templum fugit, ubi mors ex lege intrantibus decreta erat, Iupiter eorum miſertus, & hunc & illam in cœlum tranſtulit. Quorum hic Bootes, etiam plauſtro vehi, & ſica, galea, bipenni, ferreoque thorace, ac pera inſtructus dicitur.

3. *Arctos* ſeu *Urſa minor*, quæ & Phœnice, ac *Cynoſura* appellatur, ex Iovis nutricibus fuiſſe à quibuſdam exiſtimatur.

4. *Serpens* qui majorem urſam cauda, minorem capite cingit, quemque Artophylax ſequitur, horti Heſperidum cuſtos atque ab Hercule ſublatus, à Iunone, ob fidelem ſui horti cuſtodiam, in cœlum tranſlatus eſt.

5. *Corona* Bacchi à Venere accepta, cujus ille luce fretus ad inferos, ut matrem Semelen Deorum indulgentia reduceret, progreſſus eſt. quin & Theſeus eâdem, ab Ariadne Bacchi conjuge acceptâ, labyrintho egreſſus putatur, quæ denique à Baccho in cœlis repoſita eſt.

6. *Engonaſis* eſt Hercules Draconem vincens, quem ex æmulatione Iunonis Iupiter, poſt evectum ad aſtra Draconem, huc quoque tranſtulit.

7. *Lyra* Orphei à Mercurio reperta, qua ille inferos reducta Eurydice flexit, ac deinde omnium Deorum laudes præter-

quam Bacchi concinuit. unde à Bacchis ipſe diſcerptus, tranſlatâ in cœlum Lyra, eſt.

8. *Olor*, ſeu Cygnus ille, cujus ſpecie Jupiter Nemeſi vel ledæ adfuiſſe fingitur, ac rurſum ſeſe in cœlum extuliſſe.

9. *Cepheus* cum Andromeda filia, Perſeo genero, & Caſſiopea uxore in cœlum tranſlati.

10. *Caſſiopea* tamen vincta illic tenetur; quòd Nereidas vinci à ſe formâ gloriata ſit.

11. *Perſeus* cum talaribus Mercurii Galeâ & falce.

12. *Andromeda* libera.

13. Heniochus auriga, ſeu Erichthonius, ex Vulcano anguinis pedibus natus, ludos Minervæ primus inſtituiſſe fertur, ideóque in cœlum elatus Amaltheæ capræ hædos, alterum in humero, in manu alterum habere fertur.

14. *Ophiuchus anguitenens* Deus, vel eſt Hercules anguem in Lydia interficiens, vel Getarum Rex, Triptolemi in curru, Draconem interficiens.

15. *Sagitta* quâ Hercules dicitur Aquilam Promethei jecur rodentem interfeciſſe.

16. *Aquila* Iovis, quæ Ganymedem rapuit, vel in quam Merops Rex uxoris mortem lugens, à Iunone converſus eſt.

17. Delphinus, vel Neptuni cum Amphitrite nuptias conciliens, vel Arionis citharœdi vector.

18. Pegaſus Bellerophontis vector.

19. Deltoton ſidus triangulare, ſuper caput arietis.

20. Aries velleris aurei, Phryxi, & Helles vector.

21. Taurus Europæ vector, in cujus capite, ante genua Plejades Stellæ.

22. Gemini, Caſtoris & Pollucis ſunt ſidera.

23. Cancer, qui Herculis in Lernæa palude læſit pedem, à Iunone huc elatus.

24. Leo Nemeæus ab Hercule occiſus, & Iunone tranſlatus.

25. Aſtræa Virgo Aſcræi & Auroræ filia, poſt aureum ſeculum huc tranſvolans. vel ut alii Erigone Icari filia, quæ cum dolore patris interfecti ſe ſuſpendiſſet, in cœlum tranſlata eſt.

26. Scorpius qui Orionem de venandi celeritate apud Dianam gloriantem repreſſit, à Iove cum ipſo Orione inter ſidera relatus, quorum dum hic oritur, ille occidit.

27. Sagittarius equinis pedibus eſt, qui in Helicone mor-

eq

equo ad venationem arcuque & ſagittis uſus, Muſarum quoque delectatus conſortio, aſtra meruit.

28. Capricornus, cum Iove à Capra nutritus, qui panicum terrorem incuſſiſſe Titanibus contra Iovem pugnantibus dicitur.

29. Aquarius, vel Ganymedes eſt pollicitator Iovis, vel Deucalion tempore diluvii exiſtens, vel Cecrops. cujus tempore vinum etiam in ſacrificiis ignoratum.

30. Piſces illi ſunt in quos Venus cum Cupidine, in pugna & fuga belli Gigantei, timore verſi dicuntur.

31. Cetus vel Piſtrix miſſus à Neptuno, ut Andromedam interficeret, ſed à Perſeo eſt interfectus.

32. Eridanus, ab aliis Nilus dictus in figura muliebri. cui Canopus ſtella infernè adhæret: quæ inſula eſt ad quam Nilus affluit.

33. Lepus, hic canem venantis Orionis fugere dicitur, elatuſque in cœlum.

34. Orion venator jactabundus cui Diana infenſa ſcorpium immiſit, à quo interfectus, cœlos tenuit.

35. Canis Lælaps Cephalo ab Aurora (aut, ut alii, Procri uxori) venationis ſtudioſo oblatus omnia capiens. Dicitur Cephalus cum hoc Thebas veniſſe, ubi vulpes erat quæ à nullo cane poterat capi. Iupiter ergo utramque feram in lapidem vertit, & Canem inter aſtra retulit. In lingua habet ſtellam Sirium dictam. Alii hunc Icarii, vel Orionis canem aſſerunt.

36. Procyon alius in cœlo canis eſt, qui tamen, ut ille, leporem non ſectatur: canicula uſitatâ voce appellatus.

37. Argo navis illa eſt, quâ Argonautæ ad vellus aureum progreſſi ſunt.

38. Centaurus, vel Phillyrides Chiron, Æſculapii in arte medica, & Achillis in muſica inſtructor. qui ſemitaurus ab Herculis hoſpitio ſuſcepti, ſagitta, in pedem excidente, læſus, occiſuſque, in cœlum à Iove translatus eſt, quem alii cum Sagittario confundunt.

39. Ara opus Cyclopum, ſupra quam Dii adverſus Titanas conjurarunt.

40. Hydra ad ficum poſita, ut corvum inhiantem impediat, qui aquam Apollini ſacrificanti ferre juſſus, malè ficubus adhæſerat. Alii volunt Maſtuſium eſſe, qui, cùm Demiphon Rex Plaguſæ filiam ab Apolline, pro vaſtitatis remedio, offerre juſ-

ſus eſſet, unicam Maſtuſii, ſuis parcens, obtulit: hic contra ſimulata amicitia Demiphontis filias invitans, omnes immolat, venientique Patri ſcyphum illarum ſanguine plenum exhibet; ſed cum cratere in mare projectus, ac mox inter aſtra poſitus fertur, tanquam ſimulatæ amicitiæ exemplum.

39 Piſcis Notius, qui aquam ore ab Aquario videtur accipere, evectus eſt, quòd Iſim ſervaſſe memoretur.

Nota. Alias præterea ſtellas quinque conſeri, certis Diis attributas Ita 1. ſtella Iovis nomine Phœton appellatur: ut qui inter homines à Prometheo fictos pulcherrimus, à Iove in cœlum evocatus ſit. 2. Stella Solis, vel Saturni dicitur, qui Phäeton [ab aliis Phœnon] putatur 3. Martis ſive Herculis Venerem ſequentis, quæ Vulcano adhæret, Marte neglecto. unde ab ardore Amoris Pyroënta dicitur. 4. Veneris eſt, quæ manè Lucifer, veſperi Heſperus nuncupatur. 5. Stilbon Mercurio aſſignata ſtella eſt.

Nunc ad Semideos, & heroes Græcorum potiſſimum, veniendum eſt quorum plerique, vel in Argonautica expeditione, vel in bello Trojano, aut Thebano verſati ſunt. In certas verò progenies ſeparari poſſunt, quod more hiſtoricorum in pleriſque faciemus.

CAPUT XXVIII.

De Tantali poſteritate in Græcia regnante, ſeu ſtirpe Pelopidarum.

§. 1. TAntalus, de quo ſupra in Iove actum, ex uxore Taygete filium ſuſcepit *Pelopem*, qui maturior ad *Oenomaum* Elidis Regem, *Hippodamiam* filiam poſtulaturus, adiit; ſed is, quòd ſe moriturum oraculo didiciſſet cum filia nuberet, procis tamen artem omnem pervincendi tentantibus non poſſet reſiſtere, ut erat curuli certamine peritiſſimus, equorum etiam ex Ventis procreatorum celeritate fiſus, provocavit Amatores: victis hinc morte, inde victoribus filiâ propoſitâ. Pelops diffiſus ſibi *Myrtilum* Oenomai Aurigam corrupit, ut curru Oenomai in curſu ſoluto ipſe obtritus ſit. Ita Pelops cum regno Peloponeſi, à ſe dicto, filiam nactus eſt Myrtilo pactam ſceleris mercedem poſtulanti in mari ſubmerſo, quòd ab illo Myrtoum dicitur. Par prope *Atlanta* à procis, curſu cum illa certantibus, appetitæ

appetitæ fabula. quæ Schænei vel Iaſii Argivorum Regis filia præſtans venatrix & curſu celeris, victos curſu morte plectebat, dum tandem *Hippomenes* Veneris conſilio victor, cum ea in Magnæ Matris æde conſueſceret, in leonem iccirco, ut illa in Leænam, commutatus.

§. 2. *Atreum* & *Thyeſtem* filios habuit. hic fratris uxore Ærope abuſus, ab illo in exilium pulſus eſt; ſed revocatus, veluti in gratiam recipiendus, ipſis quoque filiis in epulas venturo Thyeſtæ præparatis, atrociter paſtus eſt, ſole, ut ajunt, ad tantum facinus ſeſe recondente. Porrò Thyeſtes, ſcelus ſcelere ulturus, ex Pelopeja filia *Ægiſthum* ſuſtulit, quem, infamiæ metu in ſilvis abjectum, Paſtores aluère, ubi tamen adoleviſſet, impellente patre Thyeſte, Atreum ſuſtulit, ipſumque etiam filium *Agamemnonem* Regem Mycenarum occidit, poſtquam, hoc in Trojano bello abſente, uxorem illius *Clytemneſtram* ſibi, contra virum, ſceleris familiaritate adjunxiſſet.

§. 3. *Oreſtes* tamen Agamemnonis filius fruſtra ad necem quæſitus, Electræ ſororis ope, ad *Strophium* Patris affinem Principem Phocenſium evaſit. unde poſt annos duodecim reverſus, fictè de morte Oreſtis nuntium defert; moxque gratias Diis in Sacello Apollinis perſolventes obtruncat. *Pyrrhum* Achillis filium ſub hæc etiam, ante aram, ope Macarei Sacerdotis, interfecit; iccirco, quòd *Hermionem* Menelai Regis filiam, ſibi promiſſam, Heleno Priami filio uxorem tradidiſſet. Igitur furiis miſerè agitatus eſt, dum ſocio *Pylade* Strophii fil. individuoque ſuo comite ad aram Dianæ Tauricæ immolandus duceretur, ubi Pylades pro Oreſte ſeſe, mutuâ contentione ad mortem offerebat.

§. 4. Hærebat illic *Iphigenia* ſoror, ſub *Thoante* Rege, in templo Dianæ Sacerdos; quam olim abſtraxerat à matre Vlyſſes Achilli nupturam ſimulans, ſed immolaturus, ut tempeſtatem à Græcorum navibus averteret. pro qua, Diana cervam ſubſtituit, translatamque in Scythiam ſacerdotio initiavit. Hæc agnito fratre, illoque in libertatem aſſerto, poſt Thoantem occiſum, fugam cum eodem arripuit, ſecumque in faſce lignorum ſimulacrum Dianæ (quam Faſcelidem iccirco dixerunt) in Italiam tranſtulit, atque in Aricino collocavit nemore, templo eo loci erecto. Oreſtes verò in finibus Rheginorum reperto fluvio, qui cum ſeptem aliis confundebatur, lotus reſipuit. Cum denique Athenas rediiſſet, ſororem Pyladæ fidiſſimo ſociorum uxorem

dedit, ipſe Hermionem duxit, habitavitque Oreſtiam Arcadiæ urbem, ubi à ſerpente ictus occubuit.

§. 5. *Menelaus* patruus Oreſtis, & frater Agamemnonis, cum Helenam Ledæ ex Iove filiam raptam à Paride amiſiſſet, fraternis ceteriſque Græcorum Ducum adjutus copiis, Trojam ad ultionem facinoris bello petiit, quâ poſt decennium expugnata, Helena à Menelao Spartam ad priſtinum regnum eſt reducta.

Hæc familia à Pelope Tantali filio Pelopidarum in Græcia dicta eſt, tenuitque aliquamdiu regnum Mycenarum. quod, dum Euryſtheus (Stheneli ex Perſeo geniti & Aſtydamiæ Pelopis natæ filius) cum Heraclidis Herculis filiis pugnat, ejecto cognato, occuparunt. Verùm denique ab Heraclidis proturbati ſunt. De his igitur modò agendum eſt.

CAPUT XIX.

De Hercule ejuſque poſteritate in Græcia, ſeu ſtirpe Heraclidarum.

§. 1. Hercules cenſentur varii, verùm ad unum Thebanum propè omnia referuntur, hic ex Amphitryone Alcei Thebani filio & Alcmena genitus eſt, quatuor cubitorum & pedis unius Gigas fortiſſimus, quem icci rco ex Iove natum, unâ nocte in trinoctium extenſa memorant, Iunonis haud parvâ offenſione, quæ icci rco plurimos in Herculem hoſtes ac monſtra concitavit. Fortè illa Iovem affirmantem audierat, poſtquam *Euryſtheus* jam menſibus ſeptem conceptus eſſet, & novem Hercules, illum ex duobus imperaturum alteri, qui prior natu fuiſſet: atque icci rco maturavit Euryſthei partum, Herculiſque in primum decimi menſis diem tranſtulit.

§. 2. Vix deinde unius diei infanti geminos immiſit angues, quos puer apprehenſos ſuffocavit. Iam major natu literas à *Lino* Apollinis filio didicit. quem, quòd ab eo vapulaſſet, impacta in caput cithara peremit. Iaculandi artem, vel à Teutato Scytha Paſtore, vel ab Euryto, Muſicam ab Eumolpho, luctam ab Harpalyco, agitare currum ab Autolyco, equitare ab Amphitryone doctus eſt. Deinde cùm, pro Thebis earumque Rege Creonte, Erginum Minyaſque hoſtes profligaſſet, Euryſteo Mycen. Regi ejus virtus ſuſpecta eſſe cœpit, quòd jam præmii loco *Megaram* Regis Creontis filiam accepiſſet.

§. 3. Accerſito igitur Euryſtheus varia imperavit certamina,

ratus

ratus aliquo illorum periturum; ſed Hercules oraculi monitu impulſus, obſequitur; cum præ duodecim annorum ſervitute & laboribus immortalitatem promitteret. Igitur armenta (quibus Leo infeſtus) in Cythærone monte cuſtodire juſſus, leonem invulnerabilem, quem neque clava, neque ſagittis conficere poterat, in ſpelunca bifori conſtrictum, manibuſque arreptum ſuffocavit. Sed & Leonem Nemeæ ſilvæ, in Achaja, juxta Cleonas & Phliuntem fuiſſe aſſerunt, qui à Iunone in cælo Lunæ enutritus, immiſſuſque in montem Opheltum ab Iride adverſus Herculem fuerit, cujus deinde ipſe exuviis veſtitus inceſſit & hunc invulnerabilem fuiſſe ferunt. Lesbium tamen præterea, & Heliconium etiam leonem confeciſſe dicitur.

§. 4. In Lerna palude *hydram* ſepticipitem, quæ reſectis capitibus ſemper pullulabat uberior, denique per torres ardentes à Iolao Auriga ſuppeditatos, aduſtis capitum truncis, oppreſſit, *Cancrumque* in hydræ ſubſidium venientem pedibus obtrivit. *Cervam* æripedem, auratis præditam cornibus, poſtquam anno integro eſſet inſecutus, demum in Artemiſii vel Mænali montis caverna deprehendit. *Aprum* in Erymantho Arcadiæ monte, qui ob neglecta Dianæ ſacra latè omnia vaſtarat, captum Euryſtheo adduxit; ſed in via à *Pholo*, Ixionis filio, hoſpitio exceptus Centauros in ſe & hoſpitem irruentes confecit. Pholus tamen occubuit, Nube matre fruſtra viam pluviâ lubricante filiumque protegente.

§. 5. *Augiæ* Elidis Regis *ſtabulum*, quod trium millium boum fimo appletum erat, Alpheo flumine ingenioſè ſuperinducto, uno die perpurgavit. Sed Augiam pretium laboris negantem occidit, atque ex Elidis ſpoliis Iovi Olympio certamina, quinto quoque anno reditura, inſtituit, (unde Græcorum Olympiades ortæ) in quo Pentathlo, hoc eſt cæſtu, diſco, ſaltu, curſu, palæſtrâ omnes ipſe prior invitabat. *Stymphalidis* paludis aves, quæ roſtro atque alis munita etiam ære corpora perfringerent, humaniſque veſcerentur carnibus æreo crepitaculo à Pallade accepto in Aretiam rejecit inſulam, vel, ut plerique alii, ſagittis confecit.

§. 6. *Diomedem* Thraciæ Regem equos ſuos humanis paſcentem carnibus iiſdem in pabulum propoſuit. *Vulturem* Promethei, ipſo liberato, trajecit. Elidem intercepit, poſtquam obſtantes *Actoridas* (ab Actore Patre ſic dictos) unum bello currum junctim moderantes, arte magis, quàm vi ſuperaſſet. tantâ erat,

tamque firma illorum conſpiratio; ut iccirco, uno pectore, gemino capite, quadrimanus Gigas fuiſſe dicantur. Juſſus ab Euryſtheo *Hippolytæ* Amazonis ferre cingulum, nolentem ſponte cedere, prope Themiſcyram ad Thermodoonta filio ſitam, prælio cum ſuis vicit, & Menalippæ Reginæ baltheum ſuſtulit. Deinde ad *Geryonis* tricorporis boves auferendos miſſus, (quem Diodorus Chryſaurum Iberorum Regem, tres filios, fortiſſimos duces, habentem fuiſſe dicit) & canem bicipitem, ac ſepticipitem, ex Echidna & Typhone obſtantem *Draconem* ſuſtulit, puniceoſque boves hoſpitum carnibus paſtos ſuſtulit. *Libym* verò etiam & *Alcyoneum* objicientes ſeſe interemit, & hujus quidem ſaxum in ſe immiſſum, quod duodecim plauſtris moveri non poterat, clavâ avertit, atque in Iſthmo collocavit.

§. 7. *Dercylum* Neptuni filium, ejus boves in Hetruriam abigentem; tum *Erycen* Siciliæ Regem reliquoſque Siculos bobus inſidiantes occidit. Ipſum etiam Solem radios acrius intendentem, tum Neptunum tempeſtate infeſtum, intentato arcu, compeſcuit. Contendit verò etiam ad Heſperidum hortos, & *Dracone* horti pervigili cuſtode ſublato, pomis aureis potitus eſt.

§. 8. Pro Atlante quoque cœlum tantiſper humeris ſuſcepiſſe dicitur, dum poma pro ſe ille decerperet. Cum Iaſone Argonautiſque ceteris ad aureum vellus rapiendum profectus, in reditu per Helleſpontum ad Phrygiam minorem Trojamque allapſus, liberatam abs ſe à marino ceto *Heſionem*, Laomedontis Regis filiam, poſtulat, quâ negatâ, urbem occupat, Regemque occidit, ac *Telamoni* ſocio, qui primus muros conſcenderat Heſionem tradit, Priamoque regnum patris relinquit.

§. 9. *Tmolum* & *Telegonum* Protei filios, qui luctâ ſuperatos hoſpites necabant, certamine victos ſuſtulit. *Sarpedonem* Neptuni filium, hominem contumelioſum, ſagittis confecit. ita & *Buſirim* ejuſdem fili hoſpites immolantem, ſuis aris mactavit victimam. *Antæum* 64 cubitorum gigantem peregrinis infeſtum, luctâ provocatum ter proſtravit; ſed ubi ex contactu Terræ matris fortiorem ſemper anim advertiſſet ſurgere, manibus elatum avulſumque terrâ facilè fregit.

§. 10. *Onei* Regis *Pincernam*, quod manibus affudiſſet aquam, quâ alii pedes laverant, pugno inflicto ſuſtulit. *Tyrrhenum* Eubææ Regem victum equis diſcerpſit. *Theodamantem* quoque ob cibum negatum ſuſtulit: *Hylamque* ejus filium ſibi magnopere dilectum amiſit aquas haurientem, fruſtra deinde quæſitum.

Maximâ

Maximâ verò Libyæ parte peragratâ , ad Oceanum Gadeſque conſtitit, *columniſq;* in utraque parte continentis poſitis, *Calpen* & *Abylam* montes, ſtupendo opere, Oceano pervios reddidit.

§. 11. In Hiſpania, Gallia, ac denique Italia, Tyrannos ſuſtulit barbaroſque hominum mores correxit. *Gallicus* quidem *Hercules*, idcirco catenis aureis ex ore profluentibus, atque hominum auribus innexis celebratur ; quòd eloquio illic magis, quàm vi in obſequium gentes traxerit.

§. 12. In Italiam ad Aborigines , illuc ubi nunc Romani degunt, tranſgreſſus, humaniſſiméque cultus, perpetuam ſui reliquit memoriam. Ab Euandro Hoſpitio acceptus, amiſit boves, quos *Cacus* Vulcani filius per caudas retrogradè in antrum traxit. Vndè deluſus fuiſſet inquirendo Hercules , niſi mugitu ſe prodidiſſent. qui denique in effractum vi antrum proſiliit, & Cacum, receptis bobus, interfecit. Hinc ad Veſuvium acceſſit, ac *Gigantes* in campis Plegræis aggreſſus cecidit. Denique, vel quod Avernum Campaniæ lacum obſtruxit, vel quod in Epirum tranſiens *Orcum* Moloſſorum Regem expugnarit, Inferos adiiſſe dicitur : ut Theſeum amicum ac ſocium veterem, cum Pirithoo huc digreſſum captumque liberaret, quod præſtitit, educto ſimul ex inferni faucibus cerbero. *Leuthonymum* inferorum bubulcum ſibi adverſantem interemit.

§. 13 Mors verò deterrita ejus conſpectu *Alceſten* reddidit, quæ ex indulto Apollinis pro Admeto marito mortua ejus vitam produxerat. *Cerberus* ubi lucem aſpexiſſet nauſeans vomuit. unde aconitum natum eſt. Viſum porrò Cerberum Euryſtheus averſatus Inferis reddi juſſit. Ipſe redux, immiſſo à Iunone furore, liberos, quos ex Megara ſuſceperat, occidit, *Lycumque* Thebarum Regem, Megaram ambientem, confecit. Ante hanc verò Meliten Ægei fluminis filiam, ex qua Hyllum ſuſcepit, ac Iolen uxores habuit. Poſtea etiam *Omphales* Lydorum Regis filiæ amore captus, eidem triennio ſub habitu fœminæ turpiter ſervire non erubuit.

§. 14. Denique pro *Dejanira* Oenei Ætoliæ Regis fil. cum *Acheloo* ejus ſponſo certamen aggreſſus, hunc in variis formis ac tauri præcipuè pugnantem, evulſo cornu, proſtravit, quod denique reddidit, Amaltheæ cornu pro dote cum ſponſa accepto. Sed *Neſſus* Centaurus Dejaniram, Hercule jam flumen tranſgreſſo, in navi ſubvecturus, eandem violare fruſtra conatus, ſagittis Herculeis hydræ ſanguine infectis transfixus eſt, qui ſe

 moriturum

moriturum ſentiens, togam ſuo infectam ſanguine Dejaniræ tanquam certum contra alienos amores remedium obtulit. Hanc poſtquam Herculi (ut à Iole Euryti filia abſtraheret) per Lycham famulum dono obtuliſſet, ille in furorem verſus Lycham in Euboicum mare præcipitat, quem in ſcopulum mutatum fingunt: ipſe arcu & ſagittis Philoctetæ commiſſis eâ lege, ne cuiquam ſui locum ſepulcri proderet, ardenti in Oeta monte pyræ ſeſe injicit, atque inde in cœlum, ut fingunt, ſublatus, Heben Iuventutis Deam conjugem meruit. Dejanira verò dolore & amore plena, ſeſe Herculis clava conficit, ex cujus ſanguine nymphæa ſeu heracleon herba eſt.

§. 15. *Iphiclum* Hercules fratrem ex Amphitryone habuit, eodem natum partu, tantæ celeritatis agilitatiſque, ut per ariſtas etiam veloci curſu provolare fingeretur. hunc innoxium præcipitavit, gravi iccirco damnatus morbo, quem pecuniis, ex ultronea ſervitute comparatis, Iphiclique liberis impenſis, redimere Apollinis ſuaſu coactus eſt. Ex his filiis *Iolaus*, laborum ſocius, Sardiniæ demum regnum eſt auſpicatus.

§. 16. Ceterum Euryſtheus poſt ſublatum Herculem, filios bello petiit, in quo Iolaus Theſeo Hylloque adjutoribus Euryſtheum cum liberis victoriâ vitâque ſpoliavit. Deinde bello Pelopidas, Atreo duce fretos, aggreſſi ſunt. Ex quibus *Hilus* aliquem duello, ad rei, bellique litem finiendam, eâ lege provocavit; ut victori cum ſuis regnum Mycenarum cederet. Quo certamine contra *Echemum* Regem Tegeatarum Hilus occubuit, & Pelopidas regnum manſit. Heraclidæ Corinthum reverſi ſunt, donec Cometen denique, Oreſtis ex Penthilo nepotem, regno potiti, ejecerunt.

CAPUT XXX.

De ſtirpe Trojanorum, & fatali eorum bello, Græciſque huic bello implicitis.

§. 1. D*Ardanus* ex Iove & Electra Atlantis filia natus cum fratrem Iaſium occidiſſet, fugit in Aſiam, locaque illic coluit Helleſponto vicina, & Caduciam Teucri Regis filiam duxit, amplificatamque urbem Teucriam, ſuo nomine Dardaniam appellavit: quam *Tros*, Erichthonii ex Dardano filius, poſtea

poſtea à ſe Trojam, & natus de Troe Ilus Ilium dixit. Hic *Laomedontem* filium habuit, ex quo *Priamus*, cum Tithono Memnonis patre (de quo ſuperius)

§. 2. Multarum Priamus ex *Hecuba*, Ciſſei Thraciæ Regis filia, prolium pater fuit ex quibus *Paris* maximè celebris. (nonnulli Alexandrum vocant) Hunc paritura mater facem ſeſe utero portare credidit. quod cum ex conjectoribus didiciſſet ad patriæ à filio evertendæ exitium ſpectare, Archelao cum ſervo Priamus quidem exponendum tradidit; ſed amans mater ſurreptum paſtoribus in monte Ida dedit educandum. ubi adultior ex *Oenone* duos ſuſcepit liberos, cauſiſque diſceptandis adhibitus, magnâ æquitatis famâ claruit, adeóque poſtquam Eridis pomum aureum inter Deas, Iunonem, Venerem, ac Palladem, cum inſcriptione, *Detur pulcherrimæ*, projectum eſſet; ipſe arbiter hujus litis decidendæ accitus fertur, ac pro Venere tuliſſe ſententiam, quæ pulcherrimam ipſi fœminarum promiſerat, Pallade ſapientiam, ac Iunone regnum fruſtra deferentibus.

§. 3. Deinde cum paſtoritio habitu in agone apud Trojam, fortiſſimus cum ipſo Hectore victor concurriſſet, atque is gladium indignabundus in paſtorem, ut putabat, ſtringeret, Paris fratrem ſeſe eſſe allatis crepundiis probavit. Ita à Priamo receptus, cum 50 navibus in Græciam, tanquam Heſionem ſororem à Telamone. repetiturus abiit, revera ut *Helenam* Menelai Regis Spartani uxorem raperet, â quo, ut ajunt, hoſpitio acceptus, hanc rependit abſenti gratiam. alii, Spartâ per vim expugnata, raptaque hinc Helena Trojam repetiiſſe autumant. *Menelaus* poſtquam fruſtra per legatos uxorem poſtulaſſet, bellum cum fratre *Agamemnone* Rege Mycen. aliiſque Græciæ totius Principibus Aſiæ intulit; ſed ad Trojam regni caput, decennio toto hæſit. In hoc bello quatuor duces maximi, Hector & Æneas Trojani, Achilles & Vlyſſes Græci celebrantur.

§. 4. *Æneas* ex Anchiſe patre (cujus pater Capys, avus Aſſaracus filius Trois) & matre, ut fingunt, Venere Creuſam Priami natam uxorem habuit, Romanæ ſtirpis progenitor, & Rex Latinorum, poſt fata Trojæ, atque in Italiam tranſitum, debellatumque Turnum, effectus. de quo Virgilius latè in ſua Æneide. *Hector* Priami filiorum fortiſſimus, quo ſtante

Troja capi non potuit, uxorem habuit *Andromachen* Regis Theban. Ætionis filiam, virilis animi fœminam, poſtea à Pyrrho Achillis filio in Græciam abductam Ex illa Hectori *Aſtyanax* natus eſt, quem Vlyſſes capta Troja è turris faſtigio dedit præcipitem. Græcorum terror Hector fuit, ex quibus Proteſilaum & *Patroclum* interfecit; ſed hujus mortem ulturo Achilli victus palmam vitamque ceſſit, crudeli ſpectaculo, ter circum Trojæ mœnia & Patrocli ſepulcrum, bigis raptatum cadaver, auro denique à Priamo redemptum eſt.

§. 5. *Achilles* Pelei ex Thetide filius, nepos Æaci, à Chirone inſtructus in citharâ, uſu herbarum, medendi, venandique ac legum æquitatiſque peritiâ. Poſtquam *Calchas* vates Græcorum pronuntiaſſet, Trojam ſine Achille capi non poſſe, qui in Scyrum à matre delatus latuit inter Lycomedis Regis filias habitu muliebri è quarum una *Deidamia* Pyrrhum filium ſuſtulit. Hinc tamen Vlyſſis æſtu extractus ad bellum Trojanum venit; ſed cum ob ereptam ſibi à Rege Agamemnone Briſeidem ſeu *Hippodamiam*, digreſſus à bello rurſum eſſet, Patrocli amici mortem ulturus rediit, poſtquam arma Vulcanus impenetrabilia illi fabricatus eſſet.

§. 6. Neque Hectori, licet *Pentheſileâ* Amazonum Reginâ ſtipatus in Græcos erumperet, impune fuit cum Achille congredi. Sed amores demum inconſulti etiam Achillem perdidere, cum *Polyxenam* Priami filiam deperiret: hanc enim ducturus, cùm in lucum Apollinis veniſſet, *Deiphobus* Polyxenæ frater illum quidem amplexus eſt; ſed Paris inermem occidit.

§. 7. Haud multò poſt & ipſe à *Philoctete*, Herculis ſagittis inſtructo jaculandique peritiſſimo, provocatus occubuit, fruſtra Trojanis in auxilium properantibus, qui Menelai illum manibus nuper exemerant. cum in fatis eſſet Paridem Herculis ſagittis periturum. Philoctetes verò pede illo, quo contra fidem datam Herculis ſepulcrum oſtenderat, caſu ſagittæ vulneratus intolerabilis Græcis propter fœtorem vulneris erat. adeòque ex Lemno, ubi relictus fuit, per Vlyſſen reductus eſt, denique poſt bellum Trojanum à *Machaone* ſanatus. Ceterum impuri amoris in Paride ultores, peccabant ipſi hoc ſcelere, quod in hoſte perſequebantur. Nam & Agamemnon *Aſtynomen* Chryſis Sacerdotis filiam rapuit, ob quam cauſam Græcorum caſtra peſte conſumenda erant: niſi Achilles coëgiſſet reddere, ſuâ ipſe idcirco Briſeide ſpoliatus.

§. 8. *Vlyſſis*

§. 8. *Vlyſſis* tamen prudentia, & aſtus, (fuit is Laërtæ Regis Ithacæ, & Dulichii filius) magnopere Græcis profuit. Hic cum amore uxoris Penelopes ex qua *Telemachum* fil. ſuſceperat, bellum averſaretur, inſaniam ſimulans litus, diverſis animalium generibus ſub jugo ſociatis, arabat, ſalemque ſerebat. quem tamen *Palamedes* Nauplii Eubœæ Regis fil. prodidit, objecto aranti Telemacho, quem ne læderet aratrum flexit, ſimulatamque inſaniam profeſſus eſt. Hinc ad bellum pertractum, poſt Achillem & Philoctetem eodem traductos, cinerem Laomedontis ſuper Scæam Trojæ portam ſervatum clam ſuſtulit. Palladium quoque (ſtatuâ Palladis erat, cœlo lapſa, quæ haſtam oculoſque vibrare ferebatur) cum Diomede ex arce Minervæ cuſtodibus deluſis rapuit, miſſus verò cum eodem explorator, Rhæſo Thraciæ Rege occiſo, equos, priuſquam Xanthi aquas deguſtaſſent, ad ſuos traduxit: quibus infectis Troja, ut in fatis erat, capi non potuit.

§. 9. Fuit verò *Diomedes* Rex Ætoliæ Tydei, & Deiphiles fil. poſt Achillem & Ajacem fortiſſimus, qui cum Hectore & Ænea ſingulari etiam certamine concurrerat, Martemque ac Venerem, in hujus protectione, vulneraſſe ferebatur: ut iccirco Deâ indignante, *Ægiale* Diomedis uxor cum Cyllabaro Stheneli filio conſueverit. unde domum averſatus exul in Apuliam abiit, ubi Socii Venerem convitiati in Diomedæas aves (dentatas, corpore candidas, puerorumque more vagientes, in inſulis Gargano appoſitis à Diomede etiam nuncupatis) converſi fuerint.

§. 10. Porrò Vlyſſes poſtquam frumentationis gratia ipſe in Thraciam miſſus ſine fructu eſſet; *Palamedes* verò inde rediens multum frumenti adveheret: ſtimulatus invidiâ, fictas Priami ad Palamedem literas inſtruit, in quibus conceptæ proditionis gratiâ pecuniam ſe miſiſſe commemorat, (quam Vlyſſes, corruptis ſervis, in tabernaculo defoderat) interceptis literis, cum reus proditionis ageretur, Vlyſſes defenſionem ſimulat, negatque de tali viro credendum quicquam, niſi pecuniæ repertæ fuerint. quæ ubi in tabernaculo erutæ eſſent, lapidibus obrutus, periit. Aſtrologiæ hic inprimis peritus, Solis eclipſin in caſtris viſam, minimè eſſe formidandam docuit. menſes primus ad curſum Lunæ aptaſſe fertur. præterea aciei ordinem, excubiarumque idoneas vices, per gruum obſervationem, didiciſſe: quarum etiam in volatu figuris inſtructus literarum formas quatuor aliis Cadmi literis, ut θ φ χ ξ adjecerit. unde Palemedis aves grues ſunt dictæ.

§. 11. Eis

§. 11. Lis eidem Vlyſſi cum *Ajace* filio *Telamonis*, Græcorum poſt Achillem fortiſſimo, fuit, pro armis Achillis contendente. in quâ, cùm eloquentiâ & favore Agamemnonis ſuperaſſet, Ajax ex indignatione in furorem verſus, gladio (quem ab Hectore in duello, pari virtute decertans, acceperat, repenſo Hectori baltheo) primum in muta ſævìit pecora, ratus ſe Atridas conficere; poſt ubi deluſum ſe animadverteret, majori ſibi criminis vitam ſuſtulit, cruore ut fingunt in Hyacinthum florem verſo. ita miſero fatale donum inimici fuerat, uti viciſſim oblatus Hectori baltheus, ex quo tractum ipſius cadaver pependit.

§ 12. Hoc eodem bello tamen & alter *Ajax Oilei* Regis Locrenſium natus fuit, velox pedibus, haſtæque vibrandæ inprimis peritus. qui, Trojâ captâ, Caſſandram Virginem in templo violavit, cauſaque tempeſtatis fuit, quâ, per ulciſcentem facinus Minervam, Græcorum claſſis, juxta Caphareum promontorium, cum Ajace periit. Vlyſſes denique & Orſilochum Idomenei Cretenſis Regis filium, obſtantem ne legitima pars prædæ ſibi decideretur, interemit poſtremò & *Polyxenam* ad Achillis tumulum jugulatam, tum & *Aſtyanacta* Hectoris fil. de turri præcipitatum, inferias miſit, poſtquam jam Troja Græci eſſent potiti.

§. 13. Hæc enim decennio obſeſſa eſt: donec, Helena Priami filio exitium prævidente, ac transfuga, fatalis *equus*, per *Epeum* artificem, & directorem Helenum, erectus eſt; quo, ſimulatè diſcedentes Græci, tanquam in obſequium Palladis relicto, armatos continebant. Hunc cùm Religionis cauſa, per murorum ruinas (portæ enim capaces non erant) Trojani per rotas in urbem admoviſſent; Græci, *Sinone* ex arce Palladis ſignum igne dante, versâ claſſe adfuêre, atque ingenti omnium clade urbem invasêre.

§. 14. Ante cujus deditionem *Antenor* & *Æneas* cum hoſte pacti, Palladio, ut nonnulli ferunt, tranſportato, diſceſſerant. quanquam Virgilius magis honorificum Æneæ per medios hoſtes egreſſum inſtruat, quo & Anchiſen parentem humeris ſuſceptum ſervarit, Creuſam tamen uxorem amiſerit, Aſcanio ex illa filio incolumi. Hoc Italiam denique (poſtquam Drepani Anchiſen ſepeliiſſet) comite, poſt varios in mari errores attigit, (quanquam Didonem Carthaginem extruentem, ut fingit Virgilius, non viderit; ut quæ multò poſt tempore ædi-

ſicata eſt) cui Latinus partem agri Laviniamque filiam jam Turno promiſſam Fauni Patris oraculo monitus addixit. quam Æneas, Evandro Aboriginum Rege adjutore, contra Turnum Camillam, Mezentiumque bello victos obtinuit. Hæc poëticè à Virgilio ut primo lib. oſtendimus diducta ſunt.

§. 15. Ceterùm *Priamus*, captâ Trojâ, à *Pyrrho* Achillis fil. (quem *Neoptolemum*, tanquam recens ad bellum venientem, dixêre) ad Iovis Hercæi aram interfectus eſt. Filium verò Priami *Polydorum*, quem *Polymneſtori* Thracum Regi cum magna vi auri educandum tradidit, perfidus Rex interfecit. cujus ad tumulum Æneas ut Virgilius libro 3 hæſit. *Hecuba* mater, auditâ morte, diſſimulatâque; plùs ad ſe auri pro filio reconditum Polymneſtori indicat. qui, cum adveniſſet, Hecubæ indignantis unguibus excœcatus eſt. ipſa verò Hecuba ob convitia tum Polymneſtori, tum Græcis captivam abducentibus intentata, in canem mutata fingitur Fuit & *Laocoon* Priami filius, qui erumpens ex arce, cùm haſtam in equum Trojanum infixiſſet ab hoſtibus, cum duobus filiis, oppreſſus eſt.

§. 16. *Helenus* Priami filius Græcis ad quos tranſiit, ob conſilia patriæ occupandæ, tum etiam vaticinia, quibus inclaruit, Pyrrhumque à navigatione (quâ reliqui perituri eſſent) prohibitum, gratus: cui etiam iccirco Pyrrhus. *Andromachen* fratris Hectoris uxorem, regnique ſui partem conceſſit. in qua urbem ad ſimilitudinem Trojæ condidit, ad quam profugus Æneas appulit. libr. 3. Æneid. *Caſſandra* Priami filia, cum fruſtra ab Apolline vaticinandi facultate oblatâ, ad facinus ſollicitata eſſet: feciſſe is dicitur, ut, licet vera prædicenti, fides nulla haberetur.

§. 17. Hæc *Chorœbum* parum ſanæ mentis hominem ſponſum nacta eſt, quo in excidio Trojæ pereunte, Agamemnoni ceſſit. cui etiam, non credenti, eventura prædicens domi mala; cum eodem, Clytemneſtræ inſidiis, ſublata eſt. *Deiphobum* alium Priami filium Helena (poſt mortem Paridis) uxor, perfidè admiſſis ad dormientem Græcis, ſuſtulit: ipſa denique, hoc pacto, utcunque Menelao conciliata, ac reducta eſt. Poſtremò Græci, poſt everſam Trojam, & ipſi plerique tempeſtate periêre. ulciſcentibus eadem in his facinora Diis, quæ ipſi in Trojanis plexuerant. Aliqui

longa

longa etiam octennii jactatione, vix quietem ſunt aſſecuti.

§. 18. *Pyrrhus* ubi in patriam rediiſſet, avum Peleum ab *Acaſto* Peliæ filio regno pulſum, atque in ſpelunca latentem reperit. qui ab Atalanta Acaſti conjuge appetitus, cùm adulterium recuſaſſet, de illo innocens accuſatus, belloque profligatus erat. Sed Pyrrhus Peleo contra Acaſtum in Theſſaliæ regnum reſtituto, fratribuſque Acaſti in venatione aditis, ficto habitu, ſublatiſque, *Neſtorem* quoque ſub Acaſti ſpecie circumvenit, regnoque exuit, ipſe demum ab Oreſte in Hermiones ambitu periturus. Porrò Neſtor, Nelei & Chloridis filius, jam ſenex triſeclus, apud Trojam, cum Græcis, tantâ prudentiæ & eloquentiæ laude verſatus eſt, ut Agamemnon diceret, brevi ſe expugnaturum Ilium, ſi decem ſibi contigiſſent Neſtores.

§. 19. Ad *Vlyſſem* poſtremò redeamus quem per varios errores Homerus, ut primo libro vidimus, domum reducit. Principio ille ad Ciconum litus appulſus, ſimilique poſt tempeſtate ejectus in Africam, ad Lotophagorum gentem, pleroſque illic Sociorum, loci dulcedine illectos, reliquit. Hinc in Siciliam appulit, ubi à Cyclope *Polyphemo* ſex ſociorum devorati, quem, oblato liberiore hauſtu, præuſto titione excæcavit; mox cum reliquis, arietum tectus pellibus, ſeſe antro ſubduxit Inde Æoliam delatus, ventos ab eo omnes utri incluſos, præter Zephyrum, accepit, mox amittendos, cum ſocii ſpe latentis theſauri aperuiſſent; ita jam Ithacæ propinquus rurſus in Æoliam, atque inde ad Læſtrigonas anthropophagos rejicitur; ubi aliquot iterum ſociorum devorati ſunt.

§. 20. Socii, hinc ad *Circen* miſſi, in porcos mutati ſunt. quos redempturus, ſumpto à Mercurio adverſus veneficia pharmaco adfuit, coëgitque, ſtricto gladio, formæ eos priſtinæ Circen reſtituere. cujus deinde amore & conſuetudine detentus *Telegonum* ex ea filium & filiam Ardeam ſuſcepit. Fuit *Circe* Solis & Perſes Nymphæ filia, ſoror *Æetæ* Regis Colchorum, quæ, marito Sarmatarum Rege ſublato, tyrannidem occupavit. quâ mox deturbata, in Circæum extremum Italiæ montem profugit, ubi *Glaucum* marinum Deum deperiens, Scyllam, ab ipſo dilectam, in monſtrum convertit. quin & *Picum*, Latinorum Deum, in ſui nominis avem commutavit; quòd uxorem ſibi propriam prætuliſſet. Quo loco & Vlyſſem hoſpitio excepit. à qua ægrè dimiſſus, peractis apud Oceanum ſacris, ad Inferos deſcendit, ubi ab Anticlea matre, & Elpenore ſocio (qui è lapſu ſcalis cervicem fregerat)

fregerat) tum etiam vate Tireſia de ſibi eventuris plura edoctus eſt.

§. 21. Fuit autem *Tireſias* Thebanus. qui cum fœminam Draconem, in Cithærone monte, confeciſſet, in fœminam verſus eſt: iterum marem interficiens, maris formam recepit (quanquam paulò aliter Ovidius) unde cum diſceptatio inter Iovem Iunonemque orta eſſet: iſque pro Iove cenſuiſſet: à Iunone eſt excœcatus. cui in ſolatium Iupiter divinandi poteſtatem conceſſit. Reverſus ab hoc vate Vlyſſes Iunoni & Proſerpinæ columnam erexit. Sirenes deinde obturatis ſociorum auribus prætervectus, Scyllamque ac Charybdin magno periculo tranſiens, Siciliam appulit: ubi cùm armenta Solis, contra mandatum Vlyſſis dormientis, Eurylocho autore, ſocii rapuiſſent, omnes naufragio factum luerunt, uno Vlyſſe, qui navis malo inclinatus ad Ogygiam ejectus eſt, ſalvo.

§. 22. Hic à *Calypſo* Nympha ſeptennali hoſpitio & thalamo exceptus, Nauſithoum & Nauſinoum reliquit filios, dum jubente Mercurio dimiſſus, & jam in conſpectu Phæacis, novâ tempeſtate merſus, periiſſet, niſi Leucothoe maris Dea naufrago tabulam ſuppeditaſſet, quâ ad Phæacum litus enitens, latenſque ſub frondibus à Nauſicae *Alcinoi* Regis (cujus celebres à fertilitate & copia fructuum horti & pomaria bifera triferaque) filia, veſte & hoſpitio donatus, naves etiam ſocioſque ab Arete illius matre adeptus, Ithacam pervenit, habituque mendici, ex Palladis conſilio, uſus ad Porcarios venit, ex quibus Eumæus incognitum adduxit domum. ubi à Procis multas perpeſſus injurias, tandemque ab *Euriclea* nutrice agnitus, arma ex compoſito cum filio, & duobus ſubulcis in procos vertit, omneſque trucidavit, *Penelope* ſibi vendicatâ, quæ inviolatam thori fidem, quamvis inſido marito, inter tot procorum illecebras ſervarat. Subinde cum filius ex Circe *Telegonus* patrem inviſurus domo prohiberetur, contentione orta, incognitum patrem ſpina venenoſa trigonis piſcis transfixit. Vlyſſis peregrinationem, uti & Ilii everſionem, Homerus eleganti poëſi heroica complexus eſt.

CAPUT

Caput XXXI.

Thebanorum Principum linea & poſteritas.

§. 1. A*Genor* Beli ex Neptuno orti filius, Taygetam uxorem Tantali & Europam Iovis, tum natos Cadmum Phœnicem & Cilicem habuit, ex quibus *Cadmus* ad Europam inquirendam miſſus. hâc minimè repertâ, redire ad patrem veritus, in Aonia prope Parnaſſum conſedit, Bœotiamque regionem dixit, ac celebres olim Thebas extruxit: ubi cum nonnulli ſociorum ad Dircen fontem pro aqua miſſi, à cuſtode illius ſerpente occiſi eſſent, hoc confecto ſparſiſque ipſius per agrum dentibus, armati de ſulcis viri ſubitò enati, mutuis in ſe telis graſſati ſunt, dum quinque ſuperſtites Cadmo ſocii accederent.

§. 2. Cadmus verò, literis ex Phœnicia translatis, remp. excoluit, quas reperit omnino ſedecim. (quibus Palamedes θ φ χ ξ & Simonides deinde ζ ψ η ω adfecit) Filias habuit, *Semelen* Baccho nuptam, *Ino* Athamanti, de quibus ſupra actum; tum etiam *Agaven* Echionis Thebani uxorem, quæ inter Bacchos furens *Pentheum* filium Bacchi ſacra, quòd abſtemius eſſet, aſpernantem diſcerpſit; denique Autonöen Actæonis ex *Ariſtæo* (mellis repertore & cultore apum) matrem. Porrò & Cadmus, poſt Orpheum carminum repertorem, proſaicam orationem inſtituiſſe primus fertur: tandem ab Amphione, potente citharœdo, Zethoque ejus fratre regno ad Illyrios pulſus ceſſit donec miſeratione, ut fertur, Deorum ipſe cum Harmonia uxore in ſerpentem mutatus fingitur. *Harmonia* verò, Iovis & Electræ, vel certè Martis & Veneris, filia, Deos in nuptiis habere præſentes meruit, doniſque eorum culta eſt. Pallas enim monile, peplum & tibias; Mercurius lyram; Ceres fruges; Electra cymbala & tympana magnæ matris largita eſt. Ipſe Apollo citharâ luſit, Muſis tibias inflantibus.

§. 3. *Phœnix* Agenoris filius Phœnicibus Syriæ populis nomen dedit. hic ex Caſſiopea *Phineum* ſuſcepit, Sthenobœæ, ſeu Cleopatræ, maritum. hic Phineus Orythum & Crambum filios ſuaſu novercæ *Harpalyces*, ſeu Idææ, poſt Cleopatram ductæ,

ctæ, excæcavit. unde & ipſe in ultionem à Diis excæcatus, Harpyjaſque perpetuò ſuæ infeſtas menſæ perpeſſus eſt: dum Calais & Zetes hoſpitio ſuſcepti eas fugarunt. ab Hercule denique filiorum exilium & cæcitatem vindicante occiſus eſt. Alius præter hunc *Phineus* Athen juſtitia celebris, fabuloſè in avem mutatus fertur lib. 7. Metam. Alter Phœnicis filius *Labdacus*, qui Thebis regnavit, filiumque celebrem Lajum habuit Oedipi patrem.

§. 4. Hic *Lajus* ductâ Creontis Thebani filiâ *Iocaſta*, cùm oraculum de filio naſcituro conſultum reſpondiſſet; illius manu occidendum patrem: Lajus Iocaſtæ præcepit, ut partum ſuffocaret. Iocaſta miniſtro interficiendum tradidit, qui plantis vimine trajectis, in ſilva ex arbore ſuſpendit, inedia periturum, niſi Phorbas Polybii Corinthiorum Regis paſtor deprehenſum Reginæ liberis carenti obtuliſſet, quæ *Oedipum*, à pedum tumore appellatum, diligenter educavit. Hic grandior, poſtquam conſulto Apolline cognoviſſet, in Phocide ſe patrem reperturum, illic fortè, tumultu inter cives orto, medius accedens, Lajum imprudens occidit, ac deinde Iocaſtam matrem neſcius uxorem duxit: hâc occaſione.

§. 5. *Sphinx* Echidnæ & Typhonis filia in agrum Thebanum à Iunone immiſſa erat, pectore & facie humanâ, extremâ parte leo, alis volucris, quæ in Phyceo colle reſidens, hoc ænigma proponebat. quod animal, mane quadrupes, meridie bipes, veſpere tripes eſſet, vitamque non ſolventibus extorquebat: dum, Regina regnoque in præmium ſolutionis propoſito, Oedipus acceſſit, ac propoſitum ad hominem applicatum ſolvit, Sphinge (ut erat in fatis) ſeſe ex dolore in præruptam voraginem præcipitante. Oedipus tamen ubi intellexit, matris ſeſe inceſtis nuptiis, patriſque cæde commaculatum, utrumque ſibi eruit oculum, ſolaque duce filiâ *Antigonâ* Athenas in exilium conceſſit, quæ à præcipitio quæſito patrem prohibuit.

§. 6. Præter Antigonam & Iſmenem ex Iocaſta *Etheoclem* & *Polynicem* filios habuit, qui regnum eâ lege partiti ſunt, ut alternis præeſſent. quod cum major natu Etheocles primò ſuſcepiſſet, cedere Polynici ſucceſſuro noluit. quare hic ad *Adraſtum* Argis imperantem confugit, quo tempore eodem *Tydeus* Oenei Calidoniæ Regis filius

ob

ob fratrem Menalippum à ſe ſublatum, pervenit. uterque Adraſto tam gratus, ut ille Argiam, hic Deiphilen filiam duceret (ex qua Diomedem in Trojana obſidione celebrem habuit) exercituque regio adverſus hoſtes muniretur. Polynici reducendo primo adlaboratum eſt. Miſſus ad Etheoclem legatus Tydeus; ſed durius inter convivas habitus, quoslibet ad quodvis certaminis genus interritus laceſſebat, quem idcirco revertentem juvenes Thebani quinquaginta ex inſidiis aggreſſi, omnes ſunt profligati, uno Mæone ad nuntiandam cladem relicto. Adraſtus igitur, Polynices, & Tydeus, quatuor aliis belli ducibus ſecum ad armorum ſocietatem contra Etheoclem aſſumptis, progreſſi ſunt.

§. 7. Ex his *Amphiaraus*, Oeclei, vel Lini filius, vates, cùm ſe hoc bello periturum animadverteret, adduci non potuit, dum uxor *Eriphyle*, Adraſti ſoror, judex conſtituta, aureo torque à Polynice inducta, contra virum ſententiam dixit, vel, ut alii, latentem prodidit. quocirca Amphiaraus diſcedens *Alcmæoni* filio mandat, ut poſt obitum ſuum Euriphylen occideret. quod, oraculo etiam probante, factum eſt. alter dux *Capaneus*, qui urbium per ſcalas oppugnationem, primò ante Thebas, cœpiſſe dicitur; ſed lapidibus obrutus periiſſe. ideóque in fabulis fuit à Iove, tanquam Deorum contemptorem, fulmine cecidiſſe. His Meleagri & Atalantæ filius *Parthenopæus* & *Hippomedon* acceſsêre.

§.8. Fuit *Meleager* Tydeì frater ex Oeneo & *Althæa* Theſtii filia, qui cum aprum Dianæ occidiſſet, caputque apri Atalantæ Ioſii Argiv. Regis natæ detuliſſet, Althææ fratres indignati, Plexippus & Toxeus, dum Virgini caput auferre moliuntur, à Meleagro occiſi ſunt quo facinore Althæa irritata fatalem Meleagri ſtipitem, cum quo ipſe conſumendus ferebatur, in rogum conjecit, filiumque, conſumptis viſceribus, extinxit. Parthenopæus fil. in bello Thebano occubuit. Nam ex his ſeptem Ducibus nemo incolumis præter ſolum Adraſtum evaſit. ipſi fratres, Etheocles & Polynices, mutuis vulneribus ceciderunt. qui cum eodem impoſiti rogo conflagrarent, flamma, velut odiorum particeps, à ſe invicem diviſa eſt. Poſthæc etiam nepotes parentum neces ulturi, Duce Alcmæone, vel ut Statius, Theſeo contra Thebanos profecti, eos denique ſubjugarunt, urbe captâ funditusque ſubversâ, De Athamante Thebarum Rege alibi viſum.

CAPUT

Caput XXXII.

De Regibus Athenienſium eorumque poſteritate.

§. 1. Poſt Cranaum & Amphitryonem Athenis Erechtheus ſeu Erichthonius præfuit, cujus filia *Pandora*, cum *Protogenia* ſorore, ingruente bello Bœotico, ſeſe pro ſalute patriæ devoverunt ad aras victimam. Harum frater & ſucceſſor Erechthei *Pandion* Philomelam & Prognen filias habuit luxitque, de quarum fortuna ſuperius actum eſt. hujus filius regnique hæres *Ægeus*, qui ex Æthra Pithei Træzeniorum Regis filia Theſeum ſuſcepit. Illi cum *Minoe* Cretenſium Rege, ob occiſum illius filium Androgeum, grave intercesſit bellum, quo ſuperati Athenienſes coacti ſunt quotannis adoleſcentes ſeptem, totidemque puellas Minotauro, in Cretenſi labyrintho, devorandos mittere.

§. 2. Erat verò *Labyrinthus* opus miris ambagibus *Dædali* architecti ingenio elaboratum, ex quo nullus pateret ad Minotaurum ſemel immiſſis exitus; ſed Dædalus artifex, cum uxori Minois *Paſiphae*, ad Minotauri conceptum faviſſet, Minoem perſequentem coactus, cum Icaro filio, fugere, ut mare ſuperaret, ſibi filioque alas fabricatus dicitur, quibus *Icarus* juveniliter exultans, propiuſque ſolem advolans, ſolutis Sole ceris aliſque, mari, à ſe Icario dicto, hauſtus periit. Sed *Theſeus* Minotauro fatalis fuit. Hic enim ſorte inter adoleſcentes immolandos delectus, conciliatâ ſibi *Ariadne* Regis Minois filiâ, ſuppeditato per illam filo ingreſſus, poſt occiſum monſtrum, ductu fili exitum reperit; ſed Ariadne per ſomnum in Chio perfidè relictâ, Phædram ejus ſororem ſecum abduxit. nigris tamen revertens in patriam velis (quæ, impetrata victoriâ & vitâ, pater mutare in alba juſſerat) conſpicatus ita redeuntem navem *Ægeus* ratuſque filium periiſſe, ſeſe in mare dedit præcipitem, illique nomen reliquit.

§. 3. Iam puer Theſeus documenta magnæ indolis dabat, cùm exuvium Leonis in Hercule, ceteris fugientibus, ultro, tanquam feram, jaculis impeteret. *Procruſten Scironem* & *Schinim*, Atticæ latrones, jam adultior confecit. quorum, cum illius oſſa in mare ſparſiſſet, hinc Scironia ſaxa extitiſſe Poëtæ fabulantur. hunc verò, homines curvatis laxatiſque arboribus diſcerpentem, pari ſupplicii genere ſuſtulit. Cum Adraſto adverſus Creontem

Creontem Thebarum Regem, cæſos in bello ſepeliri prohibentem, fatali illius clade, depugnavit Amazones quoque debellavit, captamque ex eis duxit Hippolyten, ex qua filium Hippolytum ſuſcepit.

§. 4. *Pirithoum* Ixionis, ex legitima uxore, filium præcipuâ coluit amicitiâ. unde cùm ei Hippodamé, ſive ut alii Hippodamiá, ipſo nuptiarum die Centauri Lapithæque eripere conarentur, Theſeus ſocio Hercule omnes profligavit. Hac tamen mortuâ, convenit inter utrumque, ne quam aliam niſi Iove natam ſibi conjugem vendicarent. Et Theſeus quidem ſibi Helenam raptu adjunxit. deinde cum Pirithoo, Proſerpinam Plutoni erepturus, ad Inferos contendiſſe fingitur; ubi hic à Cerbero devoratus, Theſeus à Plutone captus eſt, dum ſuperveniens Hercules libertatem redderet. Poſtremò jam ſenior Athenis, quas moribus legibuſque excoluerat, pulſus, in Scyro inſula vitam clauſit. poſtquam Panathenæa, hoc eſt, celebres Minervæ ludos Athenis, funebreſque in Iſthmo inſtituiſſet.

§. 5. *Hippolytus* Theſei fil. *Phœdræ* novercæ primùm quidem amoribus, deinde, poſt repulſam, improbis ipſius odiis, falſiſque apud Patrem calumniis, agitatus, in venatione oberrans, propriis equis, à Neptuno, ut fingunt per Phocas incitatis, diſcerptus eſt. hunc tamen Æſculapius reductum ab Inferis vitæ reſtituit; ſed declinatâ patris irâ, in Italiam tranſeuntem: ubi ſe Virbium, quaſi bis virum, dixit, Ariciamque, ab uxoris ductæ nomine, urbem excitavit.

Caput XXXIII.

De Theſſaliæ Regibus, & Argonautarum expeditione.

§. 1. P*Elias* Neptuni filius, ex Tyrone Salmonei Regis filia, Rex Theſſaliæ, fratrem habuit uterinum Æſonem ex Tyrone & Æolo (alii, Critheo Æoli filio) natum. Ex Æſone verò & Alcimede nepotem *Iaſonem*. Quem, cum Pelias ſibi ab Æoli ſtirpe mortem imminere intellexiſſet, ideoque decreviſſet tollere. *Alcimede* filium Peliæ inſidiis ſubtractura, eum in arca tanquam mortuum extulit, & clam Chironi educandum tradidit; qui terram adultior, ad Anaurum flumen arare cœpit Interea cum Pelias iterum oraculo accepiſſet, ab illo ſibi caveret, quem altero pede conſpexiſſet nudum, idque Iaſoni, ad Neptuni ſacrificia venienti, in conſpectu Peliæ eveniſſet; ut inhærens luto, alte-

rum pedem, relicto calceo, nudum educeret; quæſitus ex Pelia eſt; quid homini, à quo ſibi pereundum ſciret, facturus eſſet? reſpondit. eum ſe ad rapiendum vellus aureum dimiſſurum. quæ res eo tempore fieri non poſſe exiſtimabatur.

§. 2. Placuit, & decrevit hoc Iaſoni faciendum. Qui, ut erat gloriæ cupidus, ſumpto Hercule laborum ſocio, aliiſque compluribus heroum, navi, conſilio Palladis ab Argo inſtructa (quæ hinc *Argonavis* dicta eſt) cujus malus ex quercu Dodonæa, arbore fatidica, erat, ipſaque demum inter ſidera relata eſt; expeditionem hanc feliciter in Colchidem ſuſcepit. Porrò res ardua prorſus erat: nam *Æëta* Colchorum Rex, Solis & Perſæ filius, à Diis monitus, ſibi tunc pereundum eſſe ſciret, cum externi Phryxæum hoc vellus ſuſtuliſſent: illud deauratum, ut tantò lateret facilius, temploque Martis incluſum, accitis ex Taurica regione, ſub Dracone duce, fortiſſimis cuſtodibus (unde fabula de Tauris ignivomis & Dracone per Argonautas Medeæ opera occiſo) locum munivit.

§. 3. Iaſon verò iter ingreſſus, primò ad Lemnum hæſit, *Hypſipyles* Reginæ Thoantis filiæ hoſpitio & thalamo delectatus, cui gemellos ex partu reliquit. Fuit hæc poſtea pietate in virum celebris, quæ una hunc ſervabat, cum reliquæ in Lemno mulieres ex pacto viros ſuos interfeciſſent. quocirca profuga, Lycurgi in domo, alendis filiis præfuit. Ex quibus, cùm Archemorum alumnum, ipsâ abſente ſerpens interemiſſet; Adraſti, adverſus Lycurgum, defenſione ſervata eſt. Cum hac Lemno relictâ, Iaſon ad Phineum Regem divertit, cui poſtquam infeſtas Harpyjas ſuſtuliſſet, muneris loco intellexit, quâ viâ, inter Cyaneas petras, tutum iter in Colchidem teneret.

§. 4. Huc cùm perveniſſet, *Medea*, Æetæ filia, hoſpitis amore capta eſt. quæ, quòd à Circe, patris ſorore, herbarum vim, atque omne veneficii genus didiciſſet, facilè artem venenumque invenit, quo doceret Iaſonem æripedes Tauros perdomare, ac pervigilem Draconem ſopire deniq; & armatos viros ex ſparſis in agro Draconis dentibus ſubnatos mutuis ſe vulneribus (jacto in medium lapide per Iaſonem) conficere coëgit. His ſuperatis Iaſon accepto vellere, cum Medea clam abitum molitus eſt, quibus cum ſuperveniret Æeta Abſyrtum fratrem Medea diſcerpſit, ſparſis hinc inde membris, ut patrem inſecutum moraretur.

§. 5. In reditu, alii ad Trojam cum Hercule allapſum, illâque

potitum ferunt: alii ad Iſtri pertigiſſe Oſtium: cumque adverſo flumine eò veniſſet, ubi Danubius Liburniæ montibus proximus eſt, navim ſuis, ſociorumque humeris, trans montes, in mare Adriaticum deportaſſe, atque inde appuliſſe in patriam. In tempeſtate memorant, Diis invocatis, ſuper *Caſtoris* & *Pollucis* ſociorum humeros, ſtellas apparuiſſe, bono omine. atque inde manaſſe uſum; ut his in periculo ſimili, vota nuncuparent.

§. 6. Iaſon à Medea in Græciam adducta, ſibi conjugio ſociata, impetravit primo, ut parentem Æſonem herbis potentibus (quibus etiam oleæ ſtipes aridus refronduit) recoctum, juventuti reſtitueret. quæ idem etiam beneficium Liberi nutricibus præſtitit, & vetulo arieti in conſpectu filiarum Peliæ, ut iccirco & hæ idem beneficium pro ſene Patre poſtularent. ut Ovidius. vel, ut alii aſſerunt anili, per medicamenta, formato vultu, & Dianæ ſumptâ imagine, lymphata per urbem ingrediens, religionem omnibus injecit, ductaque in regiam, Dianæ ſeſe auxilio Regis ſenium reparaturam aſſerit, experimento in ſeipſa id probans, cum abſterſo ſenilis faciei fuco, ſubitò adoleſcens apparuiſſet. Credulus iccirco Pelias filiabus imperat, ut Medeæ in omnibus morem gerant. Suaſit hæc Peliæ corpus, igne, ut revireſcat, excoquendum, adeóque occidi, & aheno mandari jubet. quo impetrato, facibus ex arce erectis, invadendi ſignum Argonautis dedit, qui urbe ac Regia ſine capite facilè potiti ſunt.

§. 7. Iaſon tamen pius in Acaſtum Peliæ filium, regnum eidem tradidit. In Medeam verò impius, pulchriorem illi Glaucam, vel *Creuſam Creontis*, ex Siſypho nati, Regis Corinthiorum filiam, poſt geminas ex illa proles prætulit. Sed Medea diſceſſu ſibi imperato, unâque tantùm ad colligendas ſarcinas nocte impetratâ, graviſſimo facinore repulſam ultra, regiam cum ſponſa & Rege Creonte, ſolo Iaſone ſalvo, igne ſepelivit, natoſque ex Iaſone ſuſceptos, in oculis patris, tecto domus inhærens, diſcerpſit conflagraſſe ſponſam, dono veſtis à Medea ſubmiſſæ ignemque concipiente, primùm ferunt. ipſa, curru à Draconibus vecto, per aërem Athenas tranſportata dicitur, atque illic nupſiſſe Ægeo Regi, unde Medum, à quo dicta Media genuerit. Iaſon voluntaria morte vim juſti doloris abrupit.

INDEX

INDEX

Præcipuorum Nominum, de quibus in Mythologia agitur.

Abas c.26.§.17.
Acaſtus c.30.§.18.
Acheron c.26.§.9.
Achelous c.22.§.15. & c.29. §.14.
Achilles c.30.§.5.
Acriſius c.24.§.7.
Actæon c.25.§.7.
Actorides c.29 §.6.
Adonis c.22.§.2. & c.26.§.20.
Adraſtus c.31.§.6.
Æacus c.26.§.12.
Æeta c.33.§.2.
Ægeus c.32.§.12.
Ægiſthus c.28 §.2.
Ægis c.24 §.1.
Ægiale c.30.§ 10.
Ægyptus c.26.§.2.
Æneas c.30.§ 4 14 &c.
Æolus c.25.§ 34.
Æſculapius c.25.§ 2.
Agamemnon c.28.§ 2.
Agave c.31.§.2.
Agenor c.31 § 1.
Ajax Oiles c.30.§.12.
Ajax Telamonius c.30.§.11.
Alceſte c.29.§.13.
Alcyonius c.23.§.8. & c.29. §.6.
Alcinous c.30.§.22.
Alcithoe c.25.§.20.
Alcmæon c.31.§.7.
Althæa c.31.§.8.
Amalthea cornu c.24.§.1.
Amphiaraus c.31.§.7.
Amphitrite c 26.§.1 & 2.
Amphion c.24.§.6.
Andromeda c.24.§.8.
Andromache c.30.§.4 & 16
Anubis c.25.§ 25.
Antiope c.24.§.6.
Apis c.25.§ 25.
Apollo c.25
Aquila Iovis c.24 §.1.
Ara in cælo c.23.§.3.
Ara lani ib §.17.
Arachne c.25 §.41.
Argus c.24.§ 23.
Ariadne c.32 § 2.
Arion c.26 § 4.
Ariſtæus c.25 § 23.
Arte ſubtili facta c.25 § 10.
Aſcalaphus c.26 § 9 & 15.
Aſopus c.26.§ 3.
Aſtræus c 26 §.5.

Aſtyanax c.30 §.4.
Aſtynome c.30 §.7.
Atalanta c.28. §.1. & c.30. §.18.
Athamas c.25. §.35.
Atlas c 23. §.11.
Atreus c.28. §.2.
Avernus c.26. §.10.
Augiæ ſtabulum c.29. §.5.
Aurora c.22. §.6.
Autolycus c.25 §.29.
Bacchus c.25. §.17.
Bacchæ ib. §.19.
Batto c.25. §.27.
Belus c.26 §.2.
Belides ibid.
Bellerophon c.26. §.5.
Bellona c.25. § 15.
Briareus c.23. §.10.
Buſiris c.26. §.2.
Cacus c.24 §.13.
Cadmus c.31. §.1.
Calchas c.30. §.5.
Calliſto c.24. §.12. & c.27. §.1.
Calypſo c.30. §.22.
Capaneus c.31. §.7.
Caſſandra c.30. §.16.
Caſſiope c.24. §.8.
Caſtor & Pollux c.24. §.5.
Cedalion c.26. §.6.
Centauri c.25 § 14.
Cephalus c.25. §.38.
Cerberus c.26. §.13.
Ceres c.26. §.14.
Certamina varia c. 25. ut *Pythia* §. 6. *Lampadophoria* §.11 *Iſthmia, Olympia, Nemea* &c. §.36.
Ceyx c.25. §.34.
Charon c.26. § 9.
Charybdis c.22. §.14.
Chimera c.26. § 5.
Chiron c.23. §.10.
Chorœbus c.30. §.17.
Circe c.30. §.20.
Ciſſus c.25. §.20.
Clytemneſtra c 28. §.2.
Clytie c.22. §.21.
Cocytus c.26. § 10.
Cœlus c.22. & c.23. §.4.
Corvus niger factus c.25. §.2.
Creon c.33. §.7.
Curetes & Corybãt c.23. §.1.
Cybele c.23. § 1.
Cyclopes c.23. §.5.
Cygnus c.25. §.13.
Danaus c.26 §.2.
Danae c.24. §.7.
Daphne c.25. §.6.
Dardanus c.30. §.1.
Dædalus c.32. §.2.
Dejanira c.22. §.15. & c.29. §.14.
Deidamia c.30. §.5.
Deiphobus c.30. §.6. & 17.
Deucalion c.23. §.15.

Diana c.25.§.7.
Dii minores c.26.§.22.
Dii ruſtici c.25.§.32.
Dii in animalia verſi c.23.§.7.
Diomedes c.29.§.6.
Dirce c.22.§.15.& c.24.§.6.
Dodone c.24.§.16.
Draco c.29.§.6.
Echemus c.29.§.16.
Elyſium c.26.§.13.
Enceladus c.23.§.8.
Endymion c.22.§.5.
Epeus c.30.§.13.
Epimetheus c.23.§.14.
Ephialtes c.23.§.8.
Erichthonius c.25.§.11.
Eriphyle c.31.§.7.
Eris c.22.§.21.
Eriſichthon c.26.§.17.
Eryx c.26.§.20.
Etheocles c.31.§.5.
Evander c.25.§.31.
Euphemus c.26.§.5.
Europa c.24.§.4.
Eurydice c.25.§.4.
Euryſtheus c.29.§.1.&c.
Faunus c.25.§.31.
Feronia c.25.§.32.
Flora c.26.§.22.
Fortuna c.22.§.19.
Furiæ c.23.§.4.
Gallus c.25.§.11.
Galli Sacerdotes c.23.§.1
Ganymedes c.24.§.17.
Genius, bonus & malus c.23.§.33.
Geryon c.29.§.6.
Gigantes c.23.§.6.
Glaucus c.26.§.4.& c.30.§.20.
Gorgones c.22.§.12.
Gratiæ c.24.§.9.
Grææ c.22.§.13.
Halcyone c.25.§.34.
Halirrhotius c.25.§.13.
Harmonia c.31.§.2.
Harpalyce c.31.§.3.
Harpyiæ c.26.§.7.
Hebe c.23.§.13.& c.24.§.17
Hecate c.26.§.18.
Hector c.30.§.4.
Hecuba c.30.§.2.& 15.
Helena c.30.§.3.
Helenus c.30.§.15.
Helle c.25.§.35.§.28
Hercules c.29. *Gallicus* c.25.
Hermes c.25.§.25.& 28.
Hermione c.25.§.10.& c.28.§.3.
Heſione c.26.§.1.
Heſperus c.23.§.11.
Heſperides ib.
Hippodamia c.28.§.1.& c.30.§.5.
Hippolytus c.25.§.2.& 32.§.5
Hippocrene c.26.§.7.

Hora c.24.§ 9.
Horus c.25.§.25.
Hyacinthus c.25.§.3.
Hyades c.23.§.12.
Hydra c.29.§.4.
Hylas c.29.§.10.
Hyllus c.29.§ 16.
Hymen c.25.§.23.
Hyperion c.22.§.3.
Hyreus c.26.§.6.
Ianus c.23.§.17.
Iaſon c.33.§.1.&c.
Icarius c.31 §.2.
Io vel Iſis c.24.§.23.& c.25.§.24.& 26.§.16.
Iobates c.26 § 5.
Iocaſta c.31.§.4.
Inachus c.24.§.23.
Ino c.25.§.35.
Iphigenia c.25 § 9.& c. 28.§.4.
Iris c.24.§.20.
Itys c.25 §.12.
Iupiter c.24 § 1.&c.
Ioves varii ib.§.13 &c.
Iuno c.24 § 17.&c.
Iunones variæ ib.§.21.
Iuventas c.24.§.14.& 17.
Ixion c.25.§.14.
Labyrinthus c.32.§.1.
Lacedæmon c.24.§.12.
Lalaps c.27.§.35.
Lajus c.31.§.4.
Laomedon c.26.§.1.& c.30.
Laocoon c.30.§.15.
Lares c.25.§.32.
Latonia c.25.§.1.
Leda c 22.§ 18.& c.24.§.5.
Leo Nemeæ c.29.§.5.
Linus c.25 §.5.& 29.§ 2.
Licina c.24 §.21.& 25.§.8.
Luna c.22.§.5.
Lycaon c.24 § 12.
Lycus c.29.§.13.
Lycurgus c.25.§.21.
Macareus c.25.§.37.
Mars c.25.§.12.
Marſyas c.25.§.5.
Medea c.33.§.4.&c.
Meduſa c.22.§.12.
Megara c.23.§.4.
Megara c.29.§.2.
Meleager c.31.§ 8.
Menelaus c.28.§.5. & c.30.§.3.
Memnon c.22.§ 8.
Mercurius c.25.§.24.
Meſtra c.26.§.17.
Metus c 24.§.8.
Midas c.25.§.20.
Minos c.26.§.12.
Minotaurus c.32.§.1.
Minthe c.26.§.10.
Mnemoſyne c.22.§.2.
Momus c.26.§.11.
Morpheus c.26.§.11.

Mors ibid.
Mures cõtra milites c.25.§.6.
Muſa c.22.§.2.
Myrmidones c.26.§.13.
Myrtilus c.28.§.1.
NArciſſus c.22.§.17.
Nemeſis c.22.§.18.
Nephele c.25.§.14. & c.25.§.35.
Neptunus c.26 §.1.&c.
Nereus c.22.§.10.
Nereides ibid.
Neſſus c.29.§.14.
Neſtor c.30 §.18.
Niobe c.24 §.10.
Niſus c.22.§.14.
Nox c.26.§.11.
Nympha mont. & fl. c. 22. §. 20.
OCeanus c.22.§.9.
Oedipus c.31 §.4.
Oenomaus c.28.§.1.
Oenone c.30.§.2.
Omphala c.19.§.13.
Orcus c.26.§.10.
Oreſtes c.28.§.3.
Orion c.26.§.6.
Orpheus c.25.§.4.
Oſiris c.25.§.24.
PAlamedes c.30.§.8.& 10
Palæmon c.25.§.35.
Pales c.25.§.31.
Pallas c.25.§.40.
Pallas vir c.25.§.42.
Pan c.25.§ 29.
Pandora c.23.§.14.
Pandion c.32.§.1.
Parca c.26.§.11.
Paris c.30.§.2.
Parthenopæus c.31.§.8.
Paſiphae c.32.§.2.
Patroclus c.30.§.5.
Pegaſus c.26.§.7.
Pelei nuptiæ c.22.§.21.
Pelias c.26.§.5.
Pelops c.28.§.1.
Penates c.25 §.33.
Penelope c.30.§.22.
Pentheus c.31.§.2.
Perſeus c.22.§.12. c.24.§.8.
Phaeton c.22.§.4. Sorores ib.
Phineus c.26 §.& c.31.§.3.
Philomela & Progne c, 25.§. 12.
Philatis c.24.§.22.
Philoctetes c.30.§.7.
Phlegethon c.26 §.10.
Phlegyas c.25.§.14.
Phædra c.32.§.5.
Pholus c.29 §.4.
Phorcus c.22.§.11.
Phryxus c.25.§.35.
Picus c.30.§.20.
Pirithous c.32.§.3.
Plejades c.23.§.12.
Pluto c.26.§.8.& 15.

Plutus ibid.
Pollux c.24.§.5.
Polydorus c.30.§.15.
Polyphemus c.30.§.19.
Polymneſtor c.30.§.15.
Polynices c.31.§.6.
Polyxena c.30.§.6.& 12.
Pratus c.26.§.5.
Priamus c.30.§.1.
Priapus c.16.§.29.
Procris c.25.§.38.
Procruſtes c.32.§.3.
Promethous c.23.§.13.
Proſerpina c.26.& 14.15.& 18.
Proteus c.26.§.3.
Pylades c.28.§.3.
Pyrrhus c.28.§.3.& c.30.§.15.& 18.
Pytho c.25.§.1.
R*hadamanthus* c.26.§.12
Rhea c.23.§ 1.
S*acra Bacchi* c.25.§ 20.
Cereris c.26.§.16.&c.
Salmoneus c.25 §.37.
Saturnus c.23.§.1.
Satyri c.25.§.31.
Schinis & Sciron c.32.§.3.
Scylla c.22.§.14.
Serapis c.25.§.24.
Servius ſacrificans c.25.§.9.
Sphinx c.31.§.5.
Sileni c.23.§.10.& 25.§.22.
Silvanus c.25.§.31.
Sinon c.30.§.13.
Sirenes c.22.§.16.
Siſyphus c.25 § 39.
Sol & ejus equi c.22.§.3.
Stellæ & ſigna cœleſt. c.27.
Somnus c.26 §.11.
Sthenobæa c.26.§.5.
Strophius c.28.§.4.
Stymphalidis aves c.29.§.5.
Styx c.26.§.10.
Syca & Staphyla c.25.§.20.
Syrinx c.25.§.30.
T*antalus* c.24.§.10.
Tartarus & Tanarus c.26.§.9.
Telegonus c.30.§.22.
Telemachus c.30.§.8.
Templa Romæ celebria c.24.§.14.&c.
Thetis & Thetys c.22.§.21.
Tereus c.25.§.12.
Terminus Deus c.24.§.14.
Thamyras c.22.§.2.
Theſeus c.32.§.2.&c.
Thoas c.28 §.4.
Thyeſtes c.28.§.2.
Tireſias c.25.§.41.& 30.§.21.
Titanus c.23.§.2.&c. *Titanes ibid.*
Tithonus c.22.§.8.
Tityus c.24.§.11.

Tripto-

Triptolemus c.26.§.14.
Triton c.22.§.11.
Triſmegiſtus c.25.§.28.
Tros c.30.§.1.
Tydeus c.31.§.6.
Typheus c.23.§.7.
Typhon ibid. & c.25.§ 24.
VEnti & eorum nomina c.22.§.7. (& 21.
Venus c.23.§.4. & c.26.§.19.
Vertumnus c.26 §.3. (& 21
Veſta c.24.§.2.
Via lactea c.24.§ 18.
Vlyſſes c 30.§.8 & 19.
Vulcanus c.25 §.10.
Vultur Promethei c.29.§.6.
ZEthus c.24.§.6. (§.7.
Zetes & Calais alati c.22.

APPLICATIO FABULARUM PRÆcipuarum ad exempli, vel ſimilitudinis Poeticæ uſum, ordine Alphabetico.

ACclamatio fauſta, ut Io Pæan, Apollini Pythonis victori, c.25. §.1.

Adulator nocens. ut Cerberus blandus intrantibus, c.26.§.13. Circe, c.30 §.20. Sirenes, c.22 §.6.

Adulterium publicè notatum. ut Martis cum Venere, c.25, §.11. In Paride exitioſum Reip. c. 30. §. 3. morte plexum in Lyco, c.29.§.12. & in Neſſo *ib*.§ 14.

Æmuli Zephyrus & Hyacinthus, c.25.§.3. Euryſtheus & Hercules, c.29.§ 1. Æmula Heroum, Herculis & Æneæ, Iuno fuit, varia iis mala concilians.

Ænigma Sphingis ab Oedipo ſolutum, c.31.§.5.

Æquitas rara Iaſonis, Acaſto, Peliæ hoſtis ſui filio, regnum reſtituentis, c.33.§.7.

Æſtus vehemens, dum Phaethon cecidit, c.22.§.4.

Ætas mundi aurea ſub Saturno, ſub Iove argentea, poſtea ferrea, c.23.§.16 &c.

Amantum dona inſidiæ, ut Iovis Ledam dono captantis, c.22.§.18. Neſſi toga Dejaniræ data, c.29 §.14.

Amici fideles uſq; ad mortem, ut Theſeus & Pirithous, c.32.§.4. Pylades & Oreſtes, c.28.§.3. Patroclus & Achilles, c.30.§.4.& 5. Hercules & Theſeus pro quo ille infernum adiit, c.29.§.12.

Amici ficti Atreus & Thyeſtes, c.28. Demiphon & Maſtuſius, c.27.§.38. Deiphobus & Achilles, c.30.§.6.

Amor. Patris in filium, ut Ægei in Theſeum c.32.§.2. Et *Matris* Cereris in Proſerpinam c.26.§.14 *Sororis* Iphigeniæ in Oreſtem. c.28.§.4. Et *ſororum* in Phaethontem c.21.§.4. *Conjugis* Alceſtes pro Admeto mortuæ c.2..§.13. *Conjugum* amor paternum ſuperat, ut in Scylla Niſum prodente, c.22 §.14. & in Medea c.33 §.4 Et patriæ, ut in Hypſipyle, c.33.§ 3.

Amor *humanus* cum divino pugnat, c.26.§.19. Amore Narciſſi Echo contabuit, c 22 § 17. *Amor Dei* immortales facit, ut Tithonum Aurora, c.22.§.8.

Amore *ſui* ipſe Narciſſus, ibid. Amoris impotentia Iupiter omnem formam induit, c.2.§.2.&c.

Amor *Zelotypus* Clyties & Apollinis, c.22.§.1. Polyphemi & Galateæ, c.22 § 11. *vide Zelotypia*. Amore Omphalæ Hercules ſervit, c. 29. §. 13. Et Penelopes Vlyſſes inſaniam fingit, c.30. §.8.

Anima à Diaboli ſervitute liberatur, ut Andromeda ope Perſei, c.24 §.8 & Heſione à Ceto, ope Herculis, c.29 §.8.

Anima Deo grata, per Ganymedem raptum ſignificata, c. 24. §.17.

Anni figura in Iano, c. 23. §. 17. Anni computati in clavis Romam, c.24.§.17.

Ara crudelis Buſiridis, c.26.§ 3. Dianæ Tauricæ, c.25.§.9. Minotauri, c.32.§ 1. Ara fœderis divini, c.23.§.3.

Architectus artificioſus, ut Dædalus, c.32.§.2. Et Epeus in equo Trojano, c.30.§.12. Argonavis c.32.§.2.

Arma rariora Martis, Achillis & Herculis, deniq; & Philoctetæ. *vide indicem ſupra*. Armati ex Draconis dentibus nati, c.31. §. 1.

Artes Mechanicæ cum liberalibus non æquantur. unde Pallas Neptunum vicit, c.26.§.2. Variis artibus excultus à Chirone Achilles, c.30.§ 5. Et Hercules à diverſis, c.29.§.2.

Aſtuti & vafri, ut Argus, Sphinx, Vlyſſes, Mercurius, Prometheus &c. *vide indicem*. Aſtu Vlyſſes ſe pelle ſubduxit, c.30.§. & Majori aſtu Palamedis reducitur, c.30.§ 8 *vide fraus*.

Aſylum gentium Iovis in monte Albano, c.24.§.15. Dianæ in Aventino, c.25.§ 9.

B*Acchantium* ritus in myſtis Cybeles, c.23.§.1 & Bacchis, c.25. §.19

Beatorum immortalis juventus, unde Hebe Herculi in cœlum aſſumpto nupſit, c 29 §.14.

Belli

Belli duces Iupiter, Mars, Bacchus, Hercules, Achilles, Hector, Iaſon, Perſeus, Tydeus &c. *vide indicem.*

Bellum celebre Trojanum ob Helenæ raptum cœpit, c. 30. §. 3. Thebanum celebre & funeſtum ob regnum, c. 31. §. 8. Ob Hippodamiam Pirithous cum centauris pugnat, c. 32. §. 4. Belli tempore ad Deum confugiendum. hinc Iani templum ſemper patens, c. 23. §. 17.

C *Ædes* perfida Achillis à Paride, c. 30. §. 6. Cædes ignoti *Patris*, ut Vlyſſis à Telegono, c. 30. §. 22. Acriſii à nepote Perſeo, c. 24. §. 7. Laji ab Oedipo, c. 31. §. 4. *conſanguineorum* cædes à Meleagro, c. 31. §. 9. *Amici*, ut Herculis dilectum puerum Hylam interimentis, c. 29. §. 10. *hominis infamis* ut Leuthonymi bubulci, c. 29. §. 12. *ob leve* alterius *delictum* commiſſa: ut Pincernæ, ob impuram aquam manibus affuſam, ab Hercule occiſi, c. 29. §. 10. Et Theodamantis ob negatum cibum, *ibid.* *caſu facta* ut Hyacinthi per diſcum, c. 25. §. 3.

Cantores, Apollo, Muſæ, Thamyras, Marſyas, Orpheus, Amphion &c. *vide indicem.*

Cantu Orpheus inferos flexit, receptâ Eurydice, c. 25. §. 2. Arion à Delphino ſervatur, c. 26. §. 4. Muri Thebani ad cantum facti & deſtructi, c. 24. §. 6.

Captivitas animæ, per Andromedam Ceto expoſitam, figuratur, c. 22. §. 12.

Caro noſtra adverſus ſpiritum pugnat. In Scylla & Charybdi, c. 22. §. 14.

Caſtitas conjugalis in Penelope, c. 30. §. 22. *Virginalis* in Daphne triumphat, c. 26. §. 6. In Bellerophonte à Sthenobæa appetito c. 26. §. 5. In Hippolyto à Phædra, c. 32. §. 5. In Peleo ab Atalanta, c. 30. §. 18. Caſtitas *Sacerdotum* in Cybeles Myſtis caſtratis c. 23. §. 1. Caſtitas *ſimulata*, c. 26. §. 22.

Celeritas Atalantæ, c. 28. §. 1. Ajacis Oilei, c. 30. §. 18. Herculis cervam captantis, c. 29. §. 4. Iphicli ſuper ariſtas procurrentis, c. 29. §. 16

Citharœdi Orpheus, Amphion, Chiron *vide indicem.*

Claſſis Græcorum ad Caphareum Eubœæ promontorium periit, c. 30. §. 12.

Claudus ut Vulcanus, c. 25. §. 11.

Concilium æquiſſimum Areopagi, ubi Mars capitis coram Diis abſolutus, c. 25. §. 13.

Concordiæ & ſocietatis humanæ templum Iovis Latialis, c. 24. §. 15.

§.15.Ita & Pantheon Deorum erat.*ibid.* Fratrum concordia in Actoride & Geryone,c.29 §.6.
Conjuratio Deorum adverſus Iovem ſervitute plexa eſt,c.26.§.1.
Conſcientia ſceleris, Oreſtem torquet,c.28.§.3. & Oedipum,c.31. §.4. Semper infeſta eſt, ut in Phinei menſa Harpyjæ,c.31.§.3. Conſcientia ſcelere liberata, ut Prometheus à vulture per Herculem,c.29.§.6.
Concilium acceptum ſapientem facit. ut Iupiter ex Meti devorata Palladem concepit,c.24.§.8.
Continentia oculorũ neglecta in Actæone,c.25.§.7.& in Tireſia *ib.* §.41.punitur.In Perſeo à Meduſa averſo, c.22. § 12. uti *aurium* contra Sirenes obturatio in ſociis Vlyſſis, *ibid.*§.16, laudatur.
Cooperatio noſtra cum Deo requiritur: uti ſine mortali Hercule Iupiter non vicit,c.23.§.6.
Contumelia morte plexa,in Sarpedone,c.29.§.9.
Crines mulierum Rom. fortiter in tormenta contra hoſtes impenſi,c.26.§.21.
Crudelitas parentum in filios Tantali in Pelopem fil. Diis coctum, c.24.§.10 In Oedipum,c.31.§.4.Progne in Ityn,c.25.§.12. Agave inPhineum,c.32.§.2 Medeæ in natos,c.33.§.7.Et *fratrem* Abſyrtum,*ibid.*§.3. Peliæ in *patrem fratrem* matrem que Iaſonis,c.33.§.6.Sub pietatis ſpecie malè exercita in Cygno, c.25. §.13.Crudelitas *Latrocinantis*Lycaonis in lupũ verſi,c.24.§.12 Buſiridis *in autorem retorta*, c. 26. § 3. & Glauci, *ibid.* § 4. Et Diomedis,c.29.§.6.Et Schinis,c.32.c.3.Minois Regis *in tributo proleum* immolandarum, c 32. §. 1. Achillis *in exanimem* Hectorem,c.30.§.4 Oreſtis in Pyrrhum,c.28.§ 3.
Curioſitas Tantali ſcelerata, c. 24. §. 10. Epimethei noxia., c. 23. §.14. Tireſiæ cæcitate plexa,c.25,§.41. Orphei Eurydicen reſpiciente orbitate punita,c.25.§.4.
Curvum origo in Erichthonio pedes ſerpentinos obtegente, c.25.§.11.
Dæmonem opprimere,ut Hercules draconem horti cuſtodem, c. 29.§.7 cœlo deturbati dæmones furunt in homines, uti Furiæ ex cœli ſunt ſanguine,c.23.§,4. Adverſus Deum pugnant ut Gigantes,c.23.§.6.
Deformia Megæra, c.23.§.4. & Meduſa c.22 §.12. & Hecate,c 26. § 18.
Defenſio innoxiæ Hypſipyles, c.33.§.3. Pholi ab Hercule, contra Centauros,c.29.§ 5 contra Alcyoneum Gigantem, *ibid.* §. 6. contra Dercylum & Erycem fures,*ib.*p,7.

Delator Proſerpinæ Aſcalaphus in bufonem verſus, c.26.§.9.
Detractor coronidis corvus ab Apolline denigratus, c.25.§.2.
Deus tuetur adverſus omnem hoſtem & omne malum. ut patet in Hercule, c.29. §.3. &c. Domitianus in ſinu Iovis collocat, c.24. §.15. Deus *proviſor* pro Iphigenia cervum immolandum ſubſtituit, c.28. §.4. Deus *omnia videt*, ut Sol Veneris adulterium, c.25. §.11. Deus gentilium Horus ſine oculis, c.25.§.25. Dei contemptor Capaneus fulminatur, c 31.§.7.
Diſcordia & Rixa Noctis filiæ, c. 26. §. 11. Ex Eridis pomo inter *Deas* orta, c.22.§.21 *fratrum* Etheoclis & Polynicis, c.31.§.8. & Atrei ac Thyeſtæ, c. 28. §.2. funeſta. Inter Deum & homines Gigantes nempe & Iovem nata, c.23.§.6.
Divinitatis affectatione Salmoneus malè Iovem fulminantem exprimit, c.25.§.37. Hercules ſeſe in pyra abſumit, c.29.§.14. Thamyras & Marſyas cum diis certant.
Divitiarum amantes cæci, ut Plutus, c.26.§ 8. Stolidi ut Midas, licet honorati, c.25.§ 20.
Doctrina homines extollit. ut Thamyram, & Marſyam, c.22.§.2. & 25.§.5. unde & ipſæ Muſæ montem incolunt, c 22 §.2.
Dolor fratrum & ſororum Marſyam flentium, c. 25. §.6. Phaethontem (in alnos verſæ lugentium, c.22.§ 4. in Diomedeas aves verſorum, c.30. §.9. *vide Metam.* Dolor *de prole mortua*, Niobes, c.24.§.10. Pandionis, c.32.§.1. Cereris, c.26.§.14 De *amiſſa conjuge*, ut Orphei de Eurydice, c.25.§.4. Admeti de Alceſte, c.39. §. 13. *contra* Dejaniræ de Hercule. *ib.*§.14. & Iſidis de Oſiride, c.25 §.24.
Dolus vide *Aſtus* & *fraus*. Doloſâ ſede à Vulcano incluſa Iuno, c. 25. §. 10. Doloſa foſſa ſublatus ab Ixione ſocer Dejoneus, c.25 §.14. Dolo Polyphemus ab Vlyſſe jam ebrius excæcatur, c.30 § 19. Polymneſtor ab Hecuba, mortem filii ulciſcente, tollitur, c.30 §.15. Vlyſſes Trojam per latrinam arcis illabitur & Palladium ſubtrahit, *ibid.* §.8. per equum ligneum urbs intercipitur, *ibid* §.13.
Duellum imparium ut Memnonis, & Achillis, c.22.§ 9. Herculis & Erycis, c.26.§.20. *Parium* ut Ajacis & Hectoris, c.30 §.11. *Fratrum* in ludicro Paridis & Hectoris, c.30.§.3. *Provocans cadit*, ut Hilus ab Echemo, c 29.§.16.
Durities hominis ex Deucalionis lapidibus nati, c.23. §.15.
EBrius Polyphemus excæcatur titione ab Vlyſſe, c 30.§.19.
Eloquentia celebris in Herculis Gallici catena, c.29.§.12. & in Neſtore, c.30.§.14.

Epulæ crudeles Tantali Diis filium apponentis, c.24.§.10. Atrei & Thyeſtæ, c. 28. §. 2. Phinei ab Harpyis infectæ, c. 31. §. 3.

Equi Celeres Solis, c.22.§.3. Bellerophontis alatus, c.26.§.7. Plutonis nigri, *ibid.* §.8.

Errores Vlyſſis, & Æneæ, c.30.

Erroribus viarum implicitum Labyrinthi opus, c.32.§.1.

Excubiarum neglectarum pœna in Gallo ad vigilias damnato, c.25.§ 11.

Expeditio prima Argonautica pro aureo vellere, c.33.§.2.

Exul, ob pietatem in virum, Hypſiphyle, c.33.§.3.

F*ames* Phinei in filios crudelis, c.26.§.7. Eriſichthonis implacabilis, c 26.§.17.

Fata ſuperûm fruſtra declinantur. ut patet in Atlante Perſeum vitante, ne occideretur, c.23.§ 13 In Perſeo ſervato & Acriſium avum occidente, c.24.§ 7. In Iaſone Peliam tollente, c.33 § 1. & 6. In aureo vellere Æetæ ſublato, c.33.§.2.

Fides conjugis Penelopes, c 30.§.22. Hypſipyles, *ibid.* §.3. Hypermneſtræ erga Linum ſponſum, c.26 §.2.

Fidelitas in Dominas Ancillarum pro illis ſe hoſti offerentium, c.24.§ 22.

Filii parentis Lycaonis delictum luunt, ſimul in lupos verſi, c.24.§.1.

Fingere perſonam, ut Cephalus Procrin fefellit, c.25.§.38. Et Achilles apud Lycomedis filias latuit, c.30.§.5 Et Medea anus fatidicæ ſpecie Peliam decepit, c.33.§.6. Pyrrhus fratres Acaſti, hoſtes ſuos, ſuſtulit, c.30.§ 18. Vlyſſes mendici ſpecie domeſticos procos occidit, c.30.§.22

Formam fingere, aut mutare, ut Proteus, c 26.§.3. Meſtra, c.26.§.17. Tireſias vir & fœmina, c.30.§.21. Morpheus formam in ſomno inducit, c.26.§ 11.

Formoſi ut Caſtor & Helena, ex ovo, c 24.§ 5. Phœton à Prometheo fictus, c.27.§.39. Narciſſus, c. 22. §. 17. Adonis, c. 26. §.2.

Fortuna inconſtans, hinc filia Oceani dicta. Varia variorum eſt ſtatuum, c 22.§.19.

Fortes bello Trojano Hector, Achilles, Ajax, Diomedes, c. 30. Æneas, *ib.* §.14. In bello Thebano heroes, eorumque interitus, c 31. Vnus Tydeus plurium Thebanorum victor, c. 31. §.6.

Fortitudo cum ingenio in Hercule hydram opprimente, c.29.

c.29. §.4. manuum, in Hercule leonem ſuffocante, c.29. §.3. fortitudinis præmia, *ib.*§.11.

Fraus contra Superos *in ſacrificio* Promethei punita, c. 23. §. 13. fraus Caci *furis* Herculis fortitudine ſuperata, c. 24. §. 13. Fraude *bona* conciliata Iuno Iovi, c.24. §.19. Fraudis Myrtili *infelix* exitus, c.27.§.1. Fraude Paris Achillem ſtravit, c.30.§.6. & Æneas Diomedem ſuſtulit, c.30 §.9. Vlyſſes Palamedem *in judicio* perdidit, c.30.§.10.

Fuga periculoſa in Phryxo Helle, Palœmone & Ino, c.25.§ 35.

Funus triſte Phaethontis, c 22.§.4.

Fur, ut Mercurius, c.25.§.24. Autolycus. c.25.§.29. Eriſichthonis Meſtra, c.26.§.17. Fur furi invidet & adverſatur, ut Mercurii ſtatuæ præ foribus fures arcent, c.25.§.29.

Furor Bacchi tigribus vecti, Baccharumque, c.25.§.19. Oreſtis, c.28 § 3. Athamantis, c.25.§.35. Lycurgi, c.25.§ 20. Herculis, c 29 §.14.

Furia, c.26.§.13. *Furioſa Medea*, c.33.§.7.

G*Ratia* ſine fuco eſſe debet, lætaque & refundi copioſius, c.24.§.9.

Gratitudo erga Superos in Romanis, Iovi tanquam victoriarum autori varia templa & ſacrificia dedicantibus eminet, c. 24. §.13.&c.

H*Æreſis oppreſſa* in hydra & cancro per Herculem preſſo, c.28.§.4.

Haſtam ſcitè vibrare, c.30.§.12.

Hauſtus Stygiæ aquæ mortalis eſt, c.26.§.9. Lethes fluvii oblivionem cauſat, c.26 §.10.

Herbæ vis in animandis piſcibus, & Glauco transformando, c.26 p.4.

Heroes Hercules, Theſeus, Cadmus, Perſeus, Bellerophon, Iaſon, Achilles, &c.

Heroides Amazon Hippolyte, c.28.p.6. Pentheſilea, c.30.p.6. Atalanta, c.28.p.1. Philotis ancilla, c.24.p.22.

Hominis appetitus inferior beſtialis, ut in centauris, c.23.p.10.

Homunciones Myrmidones ex formicis, c.26.p.12.

Honor Deo ſervientium in Aquila & Capra Iovi ſervientibus ideóque in cœlum translatis: cùm *honore* etiam *præmium* ut in apibus aurei coloris melle donatis, tum Amaltheæ cornu ſemper abundanti, c.24.p.1.&c.

Honor ingens Olympionicis habitus, c.24.p.16.

Horæ

Hora novarum rerum nuntiæ, c.24.§.9.
Hoſpes gratus. ut Iaſon Phineo cui Harpyjas ſuſtulit, c.33.§.3. amorem hoſpitæ meritus, ut Æneas Didonis, & Vlyſſes Calipto, c.30 §.22. *Ingratus*. ut Paris Menelao Helenam auferens, c.30. §.3. *Hoſpitalitas* in Hyreo a diis prole repenſa, c.26.§.7.
Hoſtis improborum Hercules, c.29. *Exilis non contemnendus*, ut mures Sminthei, c.25.§ 6.
Humanitate celebris Ariſtæus, c.25.§.23.
IActantia. *de forma* Caſſiope, c.24.§.8. *de prolibus* Niobe, c.24. §.10. male elatæ. Sic Arachne *in nendi artificio*, c.25.§.41. Marſyas *in cantu*, c.25.§.5. Ixionis *de ſcelere* punita jactantia c.25.§.14.
Ignis extinctus Veſtæ, c.24.§.2.
Induſtria in Pallade, Prometheo, Mercurio, Cadmo, Dædalo &c. *vide indicem*.
Infamatio Coronidis corvum nigrum fecit, c.25.§.2. Infamis natalibus Ægiſthus, c.27 §.1.
Infans fortis, ut Apollo ſerpentes vincens, c 25.§.1. & Hercules, c. 29.§.2. Pallas armata, c.2 .§.40. *Infans obſtetrix* Diana, c.25.§.1
Infernus intrantibus facilis, & contra, c.26.§.13. & 15.
Ingratus diſcipulus, ut Hercules, occiſo Lino, c 29.§.2. Ingrata patria ſuo Servatori, ut Theſeo Athenæ, quibus pulſus eſt, c.32. §.4.
Inhoſpitalis Atlas, c.23 §.11. Polyphemus, c.30.§.15. Buſiris, c.26. §.2.
Innocens vitæ redditus, ut Hippolytus, c.25.§.2. Innocentis Palamedis accuſatio, c.30.§ 10.
Inſania ficta in Vlyſſe, c.30.§ 8. *vera* in Oreſte per ablutionem curata c.28.§.4. In Chorœbo ob ſtupiditatem *naturalis*, c.30. §.17. Ex *indignatione* orta in Ajace ob Achillis arma Vlyſſi tanquam fortiori adjudicata, c.30.§.11.
Iunonis Iunonis Herculi ſerpentes immittuntur, c.29.§.2. Typhonis, Oſiris frater ſublatus eſt, c.25.§.24.
Irati imago ſunt Gorgones, c.22.§.12. *Ira & cæcat, ibid.* Iraſci Deo ſtultum & fulmine dignum, ut in Aſopo plexum eſt, c.26.§.4. Iratus conſilio frangendus, ut Perſeus averſus Meduſam tollit, c.22.§.12.
Iudex æquus, Paris inter Paſtores Idæ, c.30.§ 2. *Iniquus*, Midas inter Phœbum & Pana canentem aſininis auribus multatur, c.25.§.20. *In re ad ſuum officium non pertinente* judicans Tireſias

reſias excœcatur, c. 30. p. 21. *Ignorans* contra ſe ſententiam profert, ut Iaſon, c. 33. p. 1. *Rigidi* Iudices, ut Minos Rhadamanthus, Æacus, c. 26. p. 12.
Iusjurandum ſanctiſſimum per ſtygem, c. 26. p. 9.
Iuſti Reges ut Saturnus, Minos &c. c. 26 p. 12. Iuſti etiam quandoque offendunt, ut Rhadamanthus, *ibidem*.
Iuventus longa ex moderata Venere. Ita Hebe juventutis Dea ex Iunone ſine viro eſt, c. 24. p. 17. Ab hominibus ad ſerpentes translata, c. 23. p. 13. Fruſtra illam Medea Peliæ ſeni excoquendo promittit, c. 33. p. 6.
Labor in Hercule, c. 29. Vlyſſe, c. 30. Theſeo 32. Iaſone 33. Immortale nomẽ parit. ita Tithonus ab Aurora evectus eſt, c. 22. p. 8.
Latrones Procruſtes, Schinis, & Sciron, c. 32 p. 3.
Legatus Iovis & Deorum Mercurius, c. 25. p. 26. Iunonis Iris fuit, c. 24. p. 20.
Libertas ab inferno Theſeo per Herculem reddita, c. 32. p. 2. Eurydice ab Orpheo, c. 25, p. 4.
Libido brutalis monſtrorum cauſa. In Paſiphae Minotaurum pariente, c. 32. p. 2. In Erichthonio, c. 75. p. 11. in Scylla à Circe mutata, c. 30. p. 20. *Punita* in Tereo, c. 25. p. 12. in Halirrhotio, *ib.* p. 13. Ixione p. 14. Pallante p. 42. Tireſia p. 41. Orione, c. 26. p. 6. in Thyeſte, c. 28. p. 2. Paridem in judicio Dearum excæcat, c. 30. p. 2. In Tityo Latonam ambiente, fulmine, ac vulture punita, c. 24 p. 11.
Ludibrium magnorum haud impunè, in Lino Apollinem ridente, c. 25. p. 5. Ab a puero ſacra Cereris ludificante, ideoque in Stellionem verſo, c. 26. p. 17.
Ludorum Olympicorum *genera*, c. 24. p. 16. Ludi puellares, *ib.* p. 20.
Luctu ſqualere, ut Hyades, c. 23. p. 12. obrigeſcere ut Phaethontis ſorores &c. c. 22. p. 4.
M*Agnarum rerum* tardus proventus. ut Hercules poſt novem menſes, Euryſthus poſt 6 natus eſt, c. 29, p. 1. A minimis magna nonnunquam tardantur, ita Herculem cancer læſit, c. 27. p. 23. Scorpius Orionem, *ibid.* p. 26.
Medici Apollo, Æſculapius, Chiron, Podalirius, Machaon &c. c. 25. p. 2.
Meretrix ut Scylla & Charybdis, c. 22. p. 14. Siren, *ib* p. 16. Deo inviſa unde templũ Iunonis nefas erat hanc tangere, c 24 p. 18.
Metamorphoſis Pulchrorum in flores, ut Adonidis, c. 26. p. 20. Hyacinthi, c. 25. p. 3. Narciſſi, c. 22. p. 17. *Caſta* Daphnes in laurum,

laurum, c.25.p.6. *fidelis* comitis, ut Ciſſi in hederam, Sycæ & Staphilæ in ficum & pampinum, c.25.p.20. *Vigilantes* Argi in pavonem, c.25.p.23. *non vigilantis* in Gallum, *ibid*.p.11. Bellicoſi Bacchi in Leonem & Taurum, c.25.p.18. *Leviculorum hominum* in aves, ut Pici, c.30.p.20. & Terei, Itys, Philomelæ, Prognes, c.25. p.18. Ita & ſuperba Halcyone cum Ceyce verſa, c.25. p. 34. quanquam & Niobe in lapidem, c. 24. p. 10. *Crudelis* Lycaonis in Lupum, c.24.p.12. *Duri* Cygni in cygnum c.25.p.13. *Curioſi* Tireſiæ in fœminam, c.30.p.21. *Voracis* Charybdis in voraginem, c.22.p.14. *Invidia* Alcithöes in veſpertilionem, c.25.p.20. Arachnes in araneam, c.25.p.41. *Rapacis* Hieracis in accipitrem, c.25.p.23. *Amantis* Iovis in varias formas, c.24. *Egentis* item Meſtræ in varias ſpecies, c.26. p.17. *Inconſtantis* denique Protei in omnes, c.26.p.3.

Mors immatura in Adonide, c.26.p.20. Hyacintho, c.25.p.3. Narciſſo, c.22.p.17. *voluntaria* in Iaſone, c.33.p.7. & Ægeo, c.32 p.2 Hercule, c.29.p.14. *æterna* in Ixione, c.25.p.14 Tantalo, c.24. p.10. Tytio, p.11. *Pro altero adita*, ut Alceſtes pro Admeto, c.29. p.13. Pyladis pro Oreſte, c.28. p.3. *Ficta* Iaſonis in arca elati, c.33.p.1 Morti, ut implacabili, nemo ſacrificavit, c.26.p.11.

Mulier bonorum plena, ut Pandora, c.23.p.14. *malarum* affectionum *plena* à Prometheo eſt formata c.23, p.13. Omne malum ab illa, ut ex Pandoræ pixide, c.23.p.14. *fortis* mulier, ut Iuno Martem pariens, (*vide fortis*) c.24.p.17. *fraudulenta*, ut Helena Deiphobum, c.30 p.17. & Polyxena Achillem, p 6. circumvenit. *variabilis*, ut Meſtra, c.26.p.17. *fœda* & *furioſa* ut Lamiæ, Bacchæ, Gorgones &c. Multarum inimicitiarum & cædium, cum *formoſa* eſt, cauſa, ut Helena, c.30. & Briſeis, pro qua ab Agamemnone Achilles deficit, *ibid*.p.7. Mulierum *amorem diſſuadens* Orpheus à Bacchis diſcerpitur, c.25.p.1.

Munera corrumpunt, ut Aurum Danaen, c.24 p.7. Munera *nuptialia*, c.22.p.21. & c.31.p.2.

Muſices periti, ut Amphion, & Zethus, c.24.p.6.

N*Atales* magnorum à multis ſibi vendicantur. ut Iovis, c.24. p. 1.

Nativitas portentoſa Orionis, c.26.p.6. Erichthonii, c.25. p.11. Bacchi, c.25.p.17. Centaurorum p 14 Hebes, c.24.p.17. Palladis, c.25.p. 40. Furiarum c.23.p.4. Ariaehne & Phalangis, c.22.p.12.

Naufragus & nudus Vlyſſes, c.30.p.21.

Navem

Navem humeris Argonautæ trans montem ferunt, c.33.p.3.
Nobiles antiqui invident novorum hominum virtutibus. ut Iuno Herculis & Æneæ, c 29. & 30.
Noverca odio fere privignos *habet*. ut Ino Phryxum & Hellen, c.25.p.35. Harpalyces & Phinei Patris in Orythum & Crambum, c.31. p.3. *Odio habita*, ut ab Amphione & Zetho Dirce, c.24.p.6. *Amor in odium verſus*. ut Phœdræ erga Hippolytum c,25.p.2.
Nuptiæ honoratæ à Diis præſentibus, Pelei & Thetidis, c.22.p.21, Et Harmoniæ ac Cadmi, c.31.p.2. *imparium*, ut Meropes & Siſyphi, *Inceſta*, Oedipi cum Iocaſta, c.31 p.5.
Nuptias illuſtrium aſpernans quandoque ab ignobili tenetur, ut Thetis à Peleo. *ibid.*
Numus pro ſingulis mortuis Libitinæ Veneri oblatus, c.26.p.21.
OCcultum adeo nihil quod non reveletur, ut de aſininis Midæ auribus, c.25.p.20.
Oculis captis facilè vincitur, ut Polyphemus ab Vlyſſe, c.22.p.11
Odium fratrum Thebanorum vix morte compoſitum, c.31.p.8. Novercale *vide ſupra* deinde *Ira* & *Crudelitas*.
Odor peſtilens averni aves enecat, c.26.p.10.
Oratoriæ facultatis inſtitutor, uti & literarum in Græcia repertor, Cadmus, c.31.p.2.
Ope & ductu alterius pericula evadere, ut Theſeus Ariadnæ, c.32. p.2. Iaſon Medeæ, c.33.p.4. Theſeus Herculis, c.29.p.12. Pirithous Theſei, c.32.p.4.
Parentum nati imitatores, ut Machaon & Podalirius in re medica Apollinis, c.25.p.2.
Parricida ignoranter factus, ut Telegonus Vlyſſis, c. 30. p. 22. Oedipus Laji, c.31.p.4. Parricida Meleager à matre plexus, fatali ſtipite, c.31.p 8.
Paſtor boum, Apollo Admeti, c.25.p.27. Batto, *ibid.*
Patientia vulnerum in ludis Apollinis virgines vincunt, c.25. p.40.
Partus infamis Hera ex Cerere & Neptuno quem nominare nefas, c.26.p.14. *Nobilis* ex ovo Ledæ, c.22.p.18. Ex capite Palladis, ex femore Bacchi &c. *vide Nativitas*.
Perfidia erga parentes Medeæ punita, per viri perfidiam, c.33.p.7. *conjugum*, ut Eriphyle adverſus Amphiaraum ab eodem vindicata, c.31.p.7. Danaidum in conjuges, c.26.p.2. *In hoſpitem* Achillem Deiphobi perfidia conjugis Helenæ repenſa, c.30. p.6.

p.6. & 17.Item à Philoctete repoſita, *ibid.*p.7. Polymneſtor Polydorum hoſpitem ob pecunias ſuſtulit, ulto aſtutè per Hecubam facinore,c.30 p.15.

Pietas erga Deum. Sacerdotum Apollinis qui per ardentes prunas incedebant, c.25.p 6. Iphigeniæ Dianæ ſimulacrum auferente, c.28. p.4. *Erga patrem* ut Anchiſen Æneæ, c.30.p.14. Antigonæ in Oedipum,c.31.p.6.*Erga patriam*:ut Pandoræ & Protogeniæ,pro illa ſe devoventium,c.32.p.1.*Erga peregrinum* ut Didonis erga Æneam;Calypſus erga Vlyſſem &c. denique paſtoris Phorbæ & Reginæ Corinthiorum in Oedipum, c.31. p. 4.

Pœna voluntaria ſcelerum incautè admiſſorum, ut Aſtræi ſe ob inceſtum cum ſorore ſubmergentis,c.26.p.5. & Oedipi ſe excœcantis,c.31.p 6.Pœna *libidinis* in Tereo Ixione &c.*vide libido.* tum in Canace, c.25.p.37.in Orione,c.26.p.6. *Latrocinii* in Siſypho,c.25.p.39.*Violata fidei*, in populis Inarimes Inſulæ in ſimias verſis, c.24.p.3. *Violata virginitatis*, ut defoſſio vivæ Veſtalium,c 24.p.2. *Audaciæ Deo ſe objicientis*,in Gigantibus, c.23.p.8.Pœna citò adeſt.hinc alata eſt Nemeſis,c.22.p.18.

Poſteritas majoribus *deterior.* Ita ex Meduſæ ſanguine Arachne &c.c.22.p.13.

Potator Bacchus,Silenus &c.

Providus & prudens Prometheus, donum Pandoræ aſpernatus eſt,c.23.p.14. improvidus Epimetheus acceptat,& aperit, *ib.* Providi item Ianus,Saturnus,Mercurius,Vlyſſes&c.*vide ind.*

Pueritiæ annis excedentes Libentinæ Veneri pupas offerebant, c.26.p.1.

Pulchritudo in Pallade, Iunone, Venere, c. 30. p. 2. Diana item, Gratiis,Muſis,Sirenibus,Cupidine,Narciſſo &c. *vide formoſi.*

R*apaces*,Harpyjæ,c.26.p.7. Stymphalidis aves, ab Hercule repreſſæ,c.29.p.5. *Rapere Deo ſacra* grave eſt crimen; undè Vlyſſis ſocii,ob ſolis boves ablatos, pereunt,c.30.p.21. *Raptus* Heſionis ab Hercule,c 29.p.8. Helenæ à Paride, c.30. p.3. ob quos Troja ſemel ab Hercule, atque iterum à Græcis everſa. Raptus Aſtynomes ſeu Chryſeidis ab Agamemnone: ob quem Græci peſte puniti,c.30.p.7. (p.16

Redemptio generis humani in catena Homerica figurata, c. 24.

Rebellio in Titanibus & Gigantibus punita,c.23.p.2.& 6.

Regni orbis *diviſio* inter Saturni filios, c.23. p 16. Regnum duos non patitur in Atreo & Thyeſte,c.28.p.2. In Eteocle & Polynice,

lynice,c.31.p.6.Regni Rom.perpetuitas in Termino Iovi non cedente,c.24.p.14.

Rex infelix Priamus,c.30.p.15.

Sacrificium crudele,ut Dianæ homines mactabantur, c.25.p.9. Item Marti,*ibid*.p.15. ſacrificium *ridiculum* Saliorum, *ibid*. p.16.*Furentium*,ut in Bacchi orgiis,c.25.p.20. *Ebrioſorum, ib. Fraudulentium* & *libidinoſorum,ibid*. Ambarvalia *agreſtium* tripudiantium. Teſmophoria Cereri *à Virginibus* dicata, c. 26. p.16.

Sagittæ Herculis Lethales Neſſo,c.29.p.14. Exitiales Philoctetæ, c.30.p.7.

Sapientia divina eſt humana major, hinc Apollini Tripus oblata,c.25.p.6. ſapiens eſt ſenex ut Neſtor,c.30.p.18.Sapiens furente fortior, ut Perſeus Meduſa, c.22.p.12. Sapere ſed ſerò ut Epimetheus,c.23.p.15.

Salvator puer Soſipolis,c.25.p.8.

Scelerati adverſus Deum pugnant,ut Gigantes,c.23.p.6.*De ſcelere in ſcelus* prolabuntur, ut Ægiſthus adulter occidit Agamemnonem &c. c.28.p.2. *Reſipiſcentia à ſcelere* & emendatio rarior,ut Macarei,c.25 p.27. Vnius ſæpe ſcelere multi plectuntur,c.28.p.5.

Scutum Iovis Ægis dictum, c.24.p.1. cœlo lapſum ancile, victorias & imper.Rom.portendens,c.25.p.16.

Senex repueraſcens, ut Tithonus ad cunas relatus, c.22.p.7, *Inſanus & ebrius*,ut Silenus, c.25.p.22. Sapiens, ut Sibylla, & Neſtor,c.30.p.18.

Servitus fortium, ut Herculis, c.29. p.1. in re ſordida, ut Augiæ ſtabulo expurgando,c.29.p.5.

Somnia vera per corneam, falſa per eburneam portam immiſſa, c.26.p.11.horum formatores,*ibid*.

Superbia ruinæ obnoxia. ut in Phaethonte,c.22.p.4. in Bellerophonte,c.26.p.5.In Thamyra Muſas provocante,c.22.p.2. In Amphione elatio *in cantu* peſte punita, c.24.p. 6. In Niobe ſe Latonæ præferente plexa, c.24.p.10. In Ceyce,cum Halcyone,ſe Diis conferente,c.25.p.34.Salmoneo fulmina Iovis imitante,c.25.p.38.

Temeritas in Icaro,c.32.p.2. In Epimetheo magni mali cauſa, c.23.p.14.de Phaethonte,& Bellerophonte &c. *vid.ſuperbia*.

Tempeſtatem,Caſtoris & Pollucis Stellæ avertunt,c 35.p.5. tum Halcyon in mari nidificans,c.25.p.34.

Templum

Templum illuſtre & ingens Iovis capitolini, c.24.p.14.

Tempus omnia *conſumit*. unde Saturnus liberos ſuos devorat, c.23.p.2. præterit, neque aliud præter hoc erit. Vnde Cœlum exſectum fingitur, c.23.p.5.

Terror inanis, ut Aſini ruditu Gigantes, Iovem non metuentes, territi, c.23.p.9.

Texendi artifex, Pallas & Arachne, c.25.p.41.

Transfuga Helenus, c.30.p.16. Antenor & Æneas, *ibid*. p.14.

Tubicen præſtans Miſenus, qui cum Tritone certans occubuit, c.25.p.38.

Turpitudinis cauſa ingratus, ut Vulcanus, cui nulla Dearum nubere voluit, c.25.p.11.

Tutor infidus Iaſonis Pelias fuit, c.33.p.1.

V *Africies virtuti ſuccumbit* ut Achelous Herculi, c.22.p.15. *In ſcelere illaudata* ut Siſyphi, c.25.p.39. Ad cautionem ſceleris adhibita à Cephalo Procrin ficto habitu tentante, c. 25. p. 38. *Militâris* contra hoſtes laudata, ut Sinonis arcem per equum Trojanum occupantis, c.30.p.13.

Variabiles ut Nereus, c.22.p.10. Proteus, Glaucus, Meſtra. *vide forma*.

Vates vera ſed cui nil crederetur, ut Caſſandra, c.30.p.16. Helenus futura prævidens, ideoque ad Græcos tranſiens, c.30. p.13. Calchas, *ibid*. p.5. Nereus, c.22.p.10.

Venator infelix Hippolytus, c.32.p.5. Et Orion, c.26.p.6. Diana 25 p.7.

Venefica Hecate, c.26.p.18. Circe, c.30.p.20. Medea per Dracones avecta, c.33 p.7.

Veneno infecta toga Herculis à Neſſo, c.29.p.14. Creuſæ à Medea c.33.p.7. Venenum Stygiæ aquæ, c.26.p.10. ex Cerberi ſpuma, c.29.p.13. Neſſi & hydræ ſanguine &c.

Via occulta arcem occupare. ut Vlyſſes & Diomedes per cloacam c.25.p.42.

Victoria exitialis multis, c.26.p.10. *Vnius* adverſus plures, ut Herculis, c.29. p. 6. & Tydei, c.31.p.6. *Aſtu per Rom. ancillas* obtenta, c.24.p.22. Pelopi *per* Myrtili *fraudem* parta, c.28.p.1. Victoriæ Herculeæ *monumenta* Calpe & Abyla, c.29.p.10. Victoriis ſtultè *elatus* Bellerophon, c.26.p.5.

Victor Iupiter, Bacchus, Apollo, Perſeus, Hercules, Achilles &c. *vide indicem*. Victores in Lampadophoriis, qui lampade accenſa curſum abſolverent, c.25.p.11.

Vitus

Vices alterius in gravi obire munere, ita Hercules pro Atlante fert cœlum, c 29 p. 8.
Vigil cuſtos, ut Argus, c. 24. p. 23.
Vinum repertum Icario exitiale, c. 25. p. 22. vino cœleſti Veneri non eſt ſacrificandum, c. 26. p. 19.
Vindicta in autorem redit: ita Ino cum Melicerta mergitur poſt Hellen &c. c. 25. p, 35. Vindices libidinis Græci ob eandem rei puniti que, c. 30. p. 7.
Virginitas perpetua, Dianæ, c. 25. p. 7. Palladis, *ibid.* p. 11. Daphnes, *ibid.* p. 6. Muſarum, c. 22. p. 2. Charitum, c. 24. p. 9. Veſtalium, c. 24. p. 2. Plejadum Orionem fugientium, c 23. p. 12.
Virtus immortalis, in Hercule, c. 29. & Memnone, c. 22. p. 8. liberat à morſu conſcientiam, ut Hercules à vulture Prometheum, c. 23. p. 14. Virtutis multi hoſtes, c. 29.
Vitia 7 capitalia, contra Dæmonem & Carnem, opprimere, ut Hercules Draconem ſepticipitem, c. 29. p. 7.
Vltor paterna injuria, Oreſtes, c. 28. p. 3 & Ægiſthus, *ibid.* §. 2. *amici occiſi*, ut Achilles Patrocli, c. 30. p. 4. & Philoctetes Achillis, *ibid.* p. 7. Vltio improba Ixionis, Apollinis templum ob violatam ſororem incendentis, c. 25 p. 14.
Voluptas virtutis curſum *retardat*: ut Atalanta Hippomenem projectis malis, c. 28. p. 1. Et Vlyſſem Sirenes, c. 30 p. 21. & Circe, *ibid.* p. 20. Et ſocios Vlyſſis loto captos, *ibid* p. 19. *Superata* tamen ab eodem Vlyſſe & Orpheo, c. 22. p. 16. Muſarum amore eadem vincitur, c. 22. p. 16.
Votum ſtultum, æquari Diis velle, quo Semele periit, c. 25. p. 17. Tum patet in Marſya, Miſeno, Thamyra, Arachne, Phaethonte &c. *vide indicem*. Votum avari Midæ ſtultum, c. 25. p. 20.
Vrbis Thebanæ conditor Cadmus, c. 31. p. 1. Ejuſdem urbis per ſcalas oppugnatio, c. 31. p. 7.
Vrinator Glaucus, c. 26. p. 4.
Z*Elotypia cruenta* in Æſculapio Lariſſam conficiente, c. 25. p. 2. ob Zelotypiam Procris periit, c. 25. p. 38. *vide Amor.*

Vniverſim verò de comparationibus conſule librum ſequentem cap. 18. & 19. ubi plura reperies.

ACcipe ſtudioſè Lector hunc laborem meum, quo non modò tuæ eruditioni, verùm & otio conſului. dum & fabulas præcipuas ad hiſtoriæ ordinem, facilitatemque compendiò reductas

ductas offero, & viam rationemque eaſdem in opportunum uſum traducendi præbeo, quo utroque vaſti ceteroquin, moleſtique ſtudii tædium in te ſublevare, non abſque meo tædio, conatus ſum. Verùm tamen, eâ, quâ ſupra docui, cautione his utendum erit, ut Chriſtianum te eſſe ubique memineris, & veterum Poetarum fabulas, ſuis erroribus expurgatas, probè non minus, quàm eruditè uſurpes. Ceterùm elegantiſſima quoque Poeſios ſchemata, nec ſpernendæ eruditionis materiem ſacræ tibi, veteris inprimis Teſtamenti, literæ ſuppeditant. In quibus hac ætate multos inſigni laude verſatos comperies. Quæ ſi novis fictionibus juxta leges noſtras ornaveris, nihil ab optimis Poetis alienum aggredieris.

LIBER II.

DE ELOCUTIONE.

CAPUT I.

De cultu ornatuque ſermonis, ejuſque haud difficili aſſequendi ratione.

DE corpore poëſios hactenus; nunc de cultu ornatuque ſermonis agendum. In hoc, neque affectatè nimium ad obſcuritatem uſque efferenda oratio; hoc enim ſibi tantum loqui eſt: neque ad vilem humilitatem dejicienda; cum Poëtarum ſit, admirationem delectationemque non minus rebus, quàm verbis ſectari. quæ, ſi de trivio hauſta fuerint, minimè aſſequentur. Nec hic anxia longaque diſquiſitione opus. Exempla ſcribendi ex aureæ ætatis eloquentia, Virgilius, Ovidius, Horatius, Terentius ſubjiciunt. ab his quantò quiſque deflexerit longius, tantò aliis magis eſt declinandus. Apud hos & elegans & purè exquiſita oratio, quæ, licet in arduo poſita ſit, extra vulgi uſum; mediocribus tamen etiam ingeniis pervia, nec intellectum fugit, nec admirationem. Hos conſecuti Lucanus, Statius Claudianus aliique, qui ſublimioris eloquentiæ affectatione elati, cum admirationem raritate captarent, amiſerunt arroganti, vel tumore, vel obſcuritate gratiam, & victi potiſſimum ſunt, quia vincere contenderunt. Hi tamen & ſuos hodie, ut diverſa ſunt hominum ingenia, ſectatores reperiunt, quibus iſtæ verborum ſententiarumque phaleræ arrident. Verùm inanem hunc ſtrepitum prudentiores faſtidiunt, equumque præ phaleris ſpecioſum malunt. Agnoſces hæc ignorantium vitia, ubi nobiſcum penitius hujus eloquentiæ adita penetraveris. Ab ipſo te limine primùm ducam, & quanto poterit artis compendio.

Primus eſto labor, ut intelligas, quibus potiſſimum verbis ſententiiſque Poëta ab oratore diſſideat. Eſt enim omnino diſ-

crimen, ut in ſuo etiam Oratore à Tullio obſervatum. *Grandis inquit & ornata vox est Poetarum, atque majorem licentiam habent faciendorum jungendorumque verborum; voluptati enim inſerviunt aliquando magis, quàm verbis.* Hoc verò diſcrimen obſervare atque etiam dicendo aſſequi, uſque adeò difficile non eſt, ut, mediocria licet ingenia, etiam ſine Magiſtro, obtinere nequeant. Vni te exercitio adſtringam potiſſimum. cui ſi diligenti aliquamdiu animum conſtantia addixeris, abeſſe hic tuus labor à profectu non poterit

Sume Poëtam facilem principio, florentemque, qualis eſſe Ovidius poterit, hujus tu elegiam de triſtibus (nam à facilioribus ordiendum) diſſolve, atque hiſtorico ſtylo numeroque expone, eis aut præciſis, aut mutatis, quæ ſolutæ orationis proprietati adverſantur. invenies magna ipſum orationis parte cum hiſtorico ſcriptore facere. cetera expende, & quomodo epithetis, tropis, ac metaphoris præſertim, tum adſtrictione ſententiarum & nonnunquam periphraſi ab hiſtoricorum ſtylo diſcrepet, animadverte Id ubi aliquot ſcribendi argumentis expertus fueris, tu viciſſim hiſtoriam, aut diverſum ſolutæ dictionis genus, paribus adjunctis ad poëticum characterem extolle. neque ut numeris te in hoc exercitio adſtringas neceſſe eſt. Prius facultatem hanc ſtyli gravitate aſſequere, quam de numeris anxia, ac plerumque in rudioribus ſterili ſolicitudine labores. Error hic multorum eſt, qui in numeris antè, quàm verbis ſententiiſque inquirendis tirocinium occupant. Poſtquam enim obſervaris, quibus potiſſimum hæc poëſis phraſibus à vulgari ſtylo extollatur, facilè numeris aptabitur, non repugnans oratio. Quin & illud, quod à poëſi ad ſolutam eloquentiam manat commodi, ut extollere nonnunquam in rebus gravibus majeſtate pari verborum orationem liceat, hâc præcipuè viâ obtinebitur. Porrò, ut de Ovidio, ſic de Virgilio, Horatio aliiſve ſtatuendum eſt. In his verò plura ab hiſtorica facultate aliena, majoremque verborum ac ſententiarum, cum diſcrimine, delectum invenies. Fueritque operæpretium eandem quandoque rem ab elegiaca facilitate, ad heroicam majeſtatem, aut Lyricam attollere: cum in lyricis præſertim menſuræ ac pedum diſparatio, magnopere ad ſcribendi varietatem faciat. Quam obſervare Poëtæ ad omnia expedito inprimis neceſſe eſt.

In materia autem exercitationum illa præcipuè eſt deligenda, quæ locos communes naturalium, moraliumque rerum com

complectitur: nam hic proprius eſt Poëtarum campus, in quo niſi amœna fecundaque copia ſcriptor abundet, Poëſi minus idoneus futurus eſt. Quocirca Poëſin noſtram ad hunc uſum ita comparavi, ut plerarumque exempla ſufficerem, in Anno quidem naturalium, in heroicis verò (quæ altera parte dabimus) moralium rerum, in Lyricis utrarumque. Phraſin denique ſectatus ſum, veteri claſſicorum ſcriptorum autoritate fulcitam; quam unicè, ſi quicquam in Priſcis obſervandam cenſeo: ne ad invaleſcentem multorum ſcriptis barbariem, frigido inanique tinnientium verborum ſtrepitu capti, degeneremus.

Porrò, ut ea, quæ dixi facilius, & aſſequi & dijudicare poſſis, Regulas tibi duas, à perſpicaciſſimis hujus artis magiſtris, ipſiuſque poëſios inſtituto ac natura traductas, præfigo; ad quas tutò, citra aberrandi periculum, expendere lecta ſcriptaque abs te, aliiſque poteris.

Prima præcipuaque eſt. Dictionem poëticam ita eſſe magnificam atque à vulgi oratorumque ſermone remotam debere, ut & tumorem declinet, & maneat perſpicua; ita perſpicuam, ut ad humilitatem non abjiciatur. breviter Ariſtoteles *lib. de Poet. c. 22.* Λέξεως ἢ ἀρετὴ σαφῆ καὶ μὴ ταπεινὴν εἶναι. Dictionis virtus eſt perſpicuam, non humilem eſſe. Quod perſpicua ſit; cum omni illa oratione, & commune eſt; & neceſſarium: ita quidem, ut ſi per obſcuritatem hac dote excidat, fruſtra omnino ſit inſtituta. Quorſum enim oratio, niſi ut ſenſa mentis noſtræ occulta exponat? Hoc igitur niſi poëta effecerit, aërem inſano labore verberat; cum nihilo plus muto aut tacente aſſequatur: tantò his etiam deterior, quòd ſe audienteſque inutili conatu fatiget. Quod verò magnifica, atque à vulgo ſemota, hæc ſit oratio; hoc artis poëticæ obtinet proprium, atque illâ inprimis dote à ſolutæ orationis indole ſubmovetur. Et quamvis iſta etiam ſuam loco ac tempore majeſtatem exigat, inſigni tamen à ſe invicem ligatæ ac ſolutæ dictionis majeſtas diſcrimine internoſcitur: illa enim tropis inſolentior, epithetis affluentior, novatis crebrior, figuris rarior, dictis nervoſior, ſententiis vibrantior, periodis adſtrictior, numeris modulatior. Quæ, pro cujuſque ingenio carminis, ſuis præterea rationibus ita diſcernuntur, ut tanquam per gradus plus minuſque à liberæ orationis natura diſcedant. prout ſingularibus de unoquoque poëmatum genere diſſertationibus conſtabit. Parcius

cius enim his in Elegia, quàm Epopœja utendum: cum illud quod hic dignitatis laudem merebitur, illic tumoris vitium non effugiet. Quare ut ſuo cultu oratio ſoluta juxta Ariſtotel. *lib.3.Rhetor.cap.1.* à vincta diſtinguenda eſt, ac meritò damnantur imperitiæ ab eodem Philoſopho, qui cum Gorgia Rhetore poeticis dictionem iſtam phaleris ornandam cenſent; ita pari jure perſtringentur illi, qui ſolo numero ligatam à libera oratione diſcriminant. Siquidem admirationem voluptatemque habitura non eſt protrita oratorum ſermonibus in poeſi elocutio, quæ ſuo aliquid inſtituto exquiſitè cultum promittit.

Admiratio itaque per eruditam raritatem majeſtatemque eo, quo breviter monui, diſcrimine concilianda; inprimiſque idoneo metaphoræ ac ſimilitudinum uſu detinendus animus. hæret enim in apta translatione, & velut in objecta rerum propoſitarum imagine defigitur; quæ ſi appoſitis lineamentis dicta repræſentet, ſuavis quædam cum admiratione voluptas in animo conſiderantis ſubnaſcitur, qui aſſuetis minimè tangeretur atque inhæreſceret. Verùm ut ſua virtutibus æmula proximè incumbunt vitia; ita cavendum, ne affectatione majeſtatis, aut in tumorem, aut obſcuritatem devergat oratio quod imperito potiſſimum troporum uſu magni etiam nominis Poetas haud ſatis declinaſſe poſtea intelliges; quando te per ſingula ornamentorum genera ducam ordine, delibando illud, quod ubique ſeſe offeret maximè delicatum. Ad tumorem, & audacior troporum, & crebrior grandiorum epithetorum uſus faciet: ad obſcuritatem denſæ nimium remotæque metaphoræ atque allegoriæ; notæ minus perſpectæque, cùm hiſtoriæ, tum fabulæ, & inducta paſſim rubiginoſa antiquitas. quibus dum cogitatio eruendis moleſto labore affligitur, omnis effugit gratia ſi minus aſſequatur; ſi tamen penetrat: aliæque poſt alias rerum cognoſcendarum imagines objiciantur, multitudine facilè intellectus & confunditur, & defatigatur; ut pro voluptate tædium auferat. Inſcitæ quorundam voces ſunt. Admirentur, dum non intelligunt. Hoc enim, ut pueris, ſuæ ignorantiæ non ignaris utcunque congruere indulſero, quemadmodum viris, Romano ſermone imbutis, conveniat non intelligo. Stupeant licet pueri; at nemo prudens admiratur, dum illud non aſſequitur, quod eo tantum fine illuſtrius proponitur, ut animo inſideat altius, ac cum voluptate illabatur.

tur. Ornatum in oratione requirimus, non qui perſonas rerum noſtris eripiat oculis; ſed eximia magis ſpecie ac decore iiſdem inferat. ſpeculum eſſe metaphoræ atque allegoriæ debent; non objectæ luminibus nebulæ. Omnes ab alieno ingenio invectæ in orationem tenebræ prudentibus ſunt odioſæ.

Quæ cauſa eſt, cur ornatus ille univerſim, qui aut illuſtrior, aut etiam à vulgato uſu remotior eſt, minus eſſe creber in oratione expolita queat. nam, cùm in illius amplexu, in hujus verò etiam veſtigatione diutius immoretur audientis animus, quiete ac voluptate quæſita ſpoliabitur, ſi ab eis importunè avellatur. ne jam illud tangam, quòd rara quæque, crebritate ipsâ, & nomen, & exiſtimationem ſuam profundant, interque viliora plerumque illuſtrium magis rerum ſplendor enitеſcat. Vnde & hoc cultiſſimo literarum ævo nonnulli cùm Poetæ, tum Oratores hallucinantur gravius, dum prope erubeſcunt propriis rerum ſignificatarum uti vocabulis, ſed paſſim per accerſitos undecunque tropos orationem non tam illuſtrant, quàm obſcurant, & vela potius obtegendæ, quàm ornamenta excolendæ dictioni congerunt, præcipuamque eloquentiæ dotem perſpicuitatem prodigunt, dum minus neceſſariam admirationem conſectantur.

Altera regula eſt, ut decorè & concinnè compoſita ſit oratio, ea tamen membrorum ordinata ſimul ac numeroſa conjunctione, quâ ab oratione ſoluta diſcrepet, rerumque affectiones idoneè exprimat. Hac dote poeſis hoc obtinet, quod ante omnia perſonis, temporibus, locisque conveniat; deinde verò pulchro etiam ordine nexuque membrorum ipſa in decorum quoddam orationis corpus aſſurgat. Per hanc regulam & ſuperfluum ornatum opportunè rejicere, & neceſſarium cum res perſonæque requirent adſciſcere doceberis. Per hanc item ſingula velut in ſtatione verba digerere, ſententias periodoſque nunc circumſcriptè in rebus florentibus diducere; nunc in præruptis impetuoſiſque inciſim præcipitare: nunc in juvenili exultantique licentia crebris luxuriare metaphoris; nunc in ſenili maturitate ab his remittere.

Vis exemplo, ut facilius aſſequaris, doceri. Audi Senis Latini ad Legatos Æneæ orationem *lib.* 7. vix à ſoluta oratione, ſi verborum proprietatem ſpectemus, diverſam.

Vos contra Regi mea nunc mandata referte.
Eſt mihi nata viro gentis quam jungere noſtræ,
Non patria ex adyto ſortes, non plurima cælo
Monſtra ſinunt: generos externis affore ab oris,
Hoc Latio reſtare canunt, qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferant. Hunc illum poſcere fata
Et reor, & ſi quid veri mens augurat, opto.

En ſenili aptatam modeſtiæ dictionem. Quod decorum à Statio in ſimili perſona materiaque etiam minus obſervatum agnoſces, cum ubique penè ampullas loquatur. Sic *lib.2.* Adraſtus futuros generos compellat.

1. *Egregii juvenum, quos non ſine Numine regnis*
2. *Invexit nox atra meis,* quibus ipſe *per imbres*
3. *Fulminibus mixtos, intempeſtumque Tonantem,*
4. Has meus uſque domos veſtigia fecit Apollo.
5. *Non equidem obſcurum vobis, plebique pelaſgæ*
6. *Eſſe reor, quantis connubia noſtra procorum*
7. *Turba petat ſtudiis: geminæ mihi namque,* nepotum
8. Læta fides, *æquo pubeſcunt ſidere* natæ.
9. *Has* tumidi *ſolio & latè dominantibus armis*
10. *Optavêre* viri. *Longum enumerare Phareos,*
11. *Oebaliosque duces, & Achæa per oppida* Matres.
12. Spem generis &c. *Vobis hic ſanguis, & aula*
13. *Cura mea, longo promittitur ordine fati.*

Compone, & expende, quanto hic præ Virgiliano ſene verborum ambitu circumferatur; ut oſtentantem ſe vanè juvenem præ ſene audire videaris. Quorſum enim in principio orationis *v.2.* deſultorius iſte & levis numerus? quam parum apta, & frigidè circumducta conſequens (*v.2.3. & 4.*) phraſis? Quid ſibi vult *v.7. Nepotum læta fides?* quid v. 9. viri *tumidi*, pro heroicis? quid v. 11. & ſeq. his junctæ *Matres ſpes generis*, quæque his malè aſſuta obſcuraque & ampullata præterii? Maro, ut decorum tueretur, cultum neglexit. Idem prudentiſſimum Poëtam in moratis aliis orationibus, hoc eſt iis, quæ mores affectuſque humanos exponunt, præſtitiſſe accommodè ad res perſonaſque animadvertes: ita iratos, timidos, amantes tropicis rarius coloribus depinget; ne ſcilicet, dum verba ornatè fingit, ut minus propriè, ſic parum verè loqui videatur. contra verò ornamenta comparationum his locis uſitata ſunt. Sic *Virg. lib.6.* Amatam furentem deſcribit.

Tum

Tum verò infelix, ingentibus excita monſtris,
Immenſam, ſine more, furit lymphata per urbem.
Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo &c.

Mox etiam de Turno per eandem Furiam inflammato, ait

Olli ſomnum ingens rupit pavor, oſſaque, & artus
Perfudit toto proruptus corpore ſudor.
Arma amens fremit, arma toro, tectiſque requirit.
Sævit amor ferri, & ſcelerata inſ nia belli:
Ira ſuper. magno veluti cum flamma ſonore &c.

Rectè *Ariſt. in poet. c. 24. In partes poëmatis otioſas, quæque moribus ac ſententiis vacant, ornatus dictionis conferri debet. Dictio enim illuſtris ſuâ luce moribus & ſententiis officit.* Quæ ſanè lex negligenda non eſt. Porrò, quâ inter ſe arte orationis membra ſocianda ſint, magis obſervatione optimorum Poëtarum, quam longis præceptionibus aſſequeris. Nos tamen iis de rebus loco ſuo agemus diſertius, ut in ſeqq. capitibus conſtabit.

CAPUT II.

Quæ in ipſo vocum delectu ac compoſitione obſervanda ſint.

AGe Poëſios candidate, ut facilius aſſequaris, quid in eloquentia ligata Poëta diverſum ab oratore ſectetur. Per ſingula te ordine ducam facemque in obſcurioribus præferam. Vniverſim conſtat rariora illos atque illuſtriora, idque tam in verbis, quàm ſententiis, in collocatione, ac numero ſectari. Præter hæc quatuor enim aliud omnino ſe nihil offert. Nos per ſingula incedemus.

Verborum grammatica prima eſt. In his natura ipſa ſyllabæ atque elementa expendenda erunt, ac deinde adjuncta cetera. quæ res à multis præterita, maximi ad poeſin, & cujuslibet ſtyli efformationem momenti eſt, ut jam nunc intelliges.

Cum vox quælibet ex literis ac ſyllabis conſtet, quò illæ graviores ſonantioreſque fuerint, tantò & vox quælibet futura eſt.

Vocales igitur grandiores conſonantibus ſunt. unde, quò vox plures continet vocales, hòc ſonantior eſt. ita grandius ſonantiuſque verbum eſt *avo, vivus*, quàm *meus* aut *tuus*: *Maurus*, quam *morbus taurus*, quàm *torus*: *aureis* quam *aures*.

Ex vocalibus a & o grandiorem, e & i tenuiorem, u obſcuriorem ſonum habent: unde priores in grandi oratione, aliæ in

in tenuiori captandæ erunt. Hinc *arat, orat, vorat, tonat* grandiora longè, quàm *erit legit, ſtrepit, tinnit. Fas* & *nefas* quàm *jus* & *ſcelus, olli* & *oho*, quàm *illi*, & *eho.*

Ex conſonantibus M eminet imprimis grandi ac ſuavi majeſtate ſoni. Vnde genitivi illi plurares *rerum*, *morum*, *undarum*, *Muſarum* à Poetis amantur, longè ſonantiores quam *rebus*, *moribus*, *&c.* tum in magnificis geminatum m ut *immenſum*, *immanis &c.*

Duplices item ut z & x moram gravitatemque adferunt. ita *zelus vixit, vox.* Quo & contractæ aliæ in eadem ſyllaba, ſeu vocales ſeu conſonantes ſpectant, quæ cum tarditate majeſtatem augent. Sic *Dii* & *Nerius* grandius quam *Dis* & *Nereus*. *cautus* quam *catus*. *temnunt*, *claudunt*, *aſpectant*, *incumbunt* grandiora ſunt, quàm *temnere, claudere, aſpiciunt, incubuère.* licet hæc plures ſyllabas, quàm illa involvant.

Litera l contrà, ſingularem in vocibus lenitatem & mollitudinem adfert, ut *mollia Luteolâ pingit vaccinia caltha.* adeo etiam, ut cum aliis, mutis, præſertim conſonantibus, juncta ſyllabam mitiget. ita *clemens, replet flebilis, gloria, &c.* nihil durioris moræ adferunt.

N præterea lenem ſonum edit, ut *concinnus*, *annalis*. R aſperum & ſtridulum eſt: ut *aſperrimus armis*. S ſibilat: ut *ſale ſaxa ſonabant*. grandius tamen quam R eſt: ut, *honos* & *lepos* quàm *honor* & *lepor*. F ſimul flatum exprimit, ut *loca fœta furentibus auſtris.* Alia ut B, C, G, P, T obſcuri & preſſi ſunt toni, unde & mutæ dicuntur. H aſpiratione etiam voces extollit, ut, *halat*, & *honos* gravius, quàm *alat*, & *onos*.

Literæ ſibi in vicinis ſyllabis cohærentes, vocales præcipuè eædem ob difficultatem pronuntiandi orationis gravitatem augent. ita *coortum, coopertum*, graviora quam *coactum* & *coapertum*; *deero* quam *deiero galea alta* quàm *galea elata*: *latera ardua* quàm *latus arduum.* Idem in conſonantibus, præſertim gravioribus, uſu venit; ut *immitis, attritus altum mare &c.* Vnde liquet, in uno ſimul ac verbis pluribus huic obſervationi locum eſſe.

Vt plurium litterarum ſyllabæ, ita plurium ſyllabarum verba, ceteris paribus, grandiora ſunt, orationemque elevant. quo ex capite compoſita & derivata plerumque ſimplicibus graviora habentur. talia ſunt *compellare, colluſtrare, clareſco, luceſco.* ſic implacata fuerit, *Formidata ruit. inclementia ferri.* non tamen

affectatè

affectatè excedendum, ut principio Achilleidos Statius: *Magnanimum Æaciden formidatamq; Tonanti Progeniem.* nam ſyllaba *qua* adjecta nimium producit. Ipſa tamen verbi productio longior, ſi in re ipſa moram oſtendat, grata erit: ut *inextricabilis error.* & *ineluctabile fatum.* Dixi, ceteris paribus. nam ſi graves vocales ac ſyllabæ defuerint: vox paucarum ſyllabarum alia grandior eſſe poteſt. Sic *quatit oſſa pavor.* grandius eſt, quàm, *concuſſis intremuère oſſibus.* Et *vaſtum æquor arandum*: quàm *Oceani ſpatiis ingentibus errant.* Ac prius quidem hemiſtychium ob vocales, alterum ſimul ob conſonantes & ſyllabas longas grandius eſt. Ita & hoc carmen *Innumerabilibus ſolicitudinibus* grande non eſt; cum & literis & ſyllabis grandibus deſtituatur. Quandoque, & literæ l, & n grandia mitigant: ſic *lamentabile,* & *formidabile,* minus grandia ſunt (grata tamen, quia ſyllabis, ut priora, non non excedunt) quum *lamentata* & *formidata.* Ita *lacrymabile, inamabilis &c.* infracta nonnihil granditate placent.

Syllabis in ſe repetitis, ingrata vox redditur. ut *vacca, taxat, Abraha, occo. ſolos.* Duriores etiam ſyllabæ quædam in fine polyſyllaborum diſplicent, ut, *Evax, dicax, amatrix, cogens, coëmens. adamans, inſpiciens.* quanquam hæc regula generalis non ſit; cum *audax felix &c.* tum etiam participia illa à Virgilio inprimis (quamvis non pauci declinent) uſurpentur: ut hic delectu aliquo, & cultarum aurium judicio utendum ſit.

CAPUT III.

Facilis ad vocum delectum, varietatemque via aperitur.

VT hic vocabulorum delectus inſtitui poſſit, copia aliqua eorum ſtudioſo poeſios comparanda erit, inprimis epithetorum (de quibus poſtea) deinde & ſubſtantivorum. his enim affluentibus, verborum minus difficilis ubertas futura eſt: cum ferè ab his deriventur, aut certè eadem pariant, adeóque ſua affinitate, non omnino rudibus innoteſcant, ac ſolis præpoſitionibus crebrò varientur.

Subſtantivorum varietas ac copia aliqua ex tropis petitur, atque inprimis ex illa Synecdoche, quæ pro toto partem uſurpat Sic v. g. *Navem* variabis, ſi dicas *Prora, puppis, carina, roſtra, trabs, alnus &c.* vel quæ pro genere adhibet ſpeciem: ut ſi pro *nave* dicas. *Phaſelus, Cymba, ratis, biremis, triremis* &c. Sic pro *curru*, per ſynecdochen partis, uſurpabitur

axis,temo,rotæ &c. per ſynecdochen ſpeciei, *Eſſedum, plauſtrum, biga, quadriga, &c.* Quæ libertas Poetis magnam ſufficit copiam; Quanquam cavendum inprimis ſit, ne tropis hiſce ad illuſtrandam orationem repertis, ad illius potius vim dignitatemque infringendam utamur, ut infra Statii aliorumque exemplis malè factum declarabimus.

Rerum tamen maximè in uſu ſermonis humani occurrentium nomina, ſuâ varietate, nota eſſe Poetæ debent. ut ſi aliquod carmen reſpuat, aliud atque aliud in promptu quamprimum ſit: qua facultate ſi deſtitutus ſit, hærebit non raro, &, puerorum more, dictionaria conſulet, ac minus ſæpe convenientia verſibus intrudenda erunt. Quo malo, ut Poetam utcunque eximium, non magno verſuum numero pleraſque voces, Scripturis, vatibus paſſim obvias, cum ſua varietate complexus ſum; ut facilè memoriæ inſideant, & ſubveniant canentibus. Rudioribus tamen illa, non peritis in verſus coëgi, ut quantitas ſimul ac copia in promptu eſſet.

Aer. Iupiter, aura, æther, nubes, vel inane, vel æthra.
Ager. Arva, novale, ſolum, glebæ, rus, jugera, campus.
Agricola. Ruſticus, agreſtis, ruriſque colonus, arator,
Amor. Flamma, calor, fervor, fax, æſtus, & ignis, & ardor.
Amor impurus. Flamma, Cupido, Venus, furor, ac laſcivia, luxus, Luxuria, illecebræque, libido, Protervia, Amores.
Angelus. Aliger, ac genius, cœli legatus, & ales.
Animus. Cor, vigor, ac virtus, pectus, generoſa voluntas.
Antrum. Antra, caverna, ſpecus, ſpelæa, cubile, receſſus.
Ly ſtraque cum latebris, ſpelunca, vorago, tenebræ.
Aqua. Fons, aqua, lympha, latex, humor, liquor, unda, fluentem.
Arbor & frondes. Crine cromâque arbor, foliis viret atque capillis.
Radix, ac truncus, cortex & brachia, pars ſunt.
Laurus ovat, victrix palma eſt, ac myrtus amatrix,
Pro ratibus ſervit abies, tum pinus, & alnus.
Iuniperus, cedrus, cariem fugit, atque cupreſſus,
Funeribuſque favet, piceâ, taxoque ſodali.
Vmbra juvat platani. fecundaque ficus, oliva eſt.
Aratrũ. Buris, aratra, jugum, ſtivæ, cum vomere, raſtra.
Arma. Pila, ſariſſa, haſtæ, tum lancea, geſa, bipennis.
Cum telo, jaculum, cum ſpiculo, arundo, ſagitta.
Pugio. Mucro, enſis, gladius, ſub acinace, cuſpis.

Parma,

Parma, umbo, ſcutum, clypeus. lorica, chalybſq;.
Criſta, jubæ, galeæ, caſſis, tum conus, apexque.
Munimentum, agger, ſunt propugnacula, valla.

Avis. Alituum genus, & volucris, grex penniger, ales.
Avium ſedes. Hoſpitium, cunæ, nidi, caſa, tecta, cubile.
Auxilium. Præſidium, favor, ops, vires, tutela, levamen,
Perfugium ſolamen, & ara, juvamen, aſylum.
Bellum. Prælia, conflictus, mars, & certamina, pugnæ.
Bellica vexilla. Minotauri, Aquilæ, Gryphes, ſonipeſq;, Dracones.
Belli ſigna. Tympana, claſſica, cum lituis, tuba, buccina, cornu.
Belli machina. Vinea, teſtudo, balliſta, aries, catapulta.
Bos. Bucula, cum vitula, bos, taurus, junge juvencus.
Benignus. Pacatus, mitis, blandus, comis, faciliſque.
Beneficium. Officium, munus, meritum, benefactaq;, donum.
Cœlum. Aſtra, æther, cœlum, polus, axis, ſidus olympus.
Calathus. Fiſcina, fiſcellæ, calathus, cum corbe, caniſtrum.
Cantus. Muſica, & oda, melos, carmen, modulatio, voces.
Cantus inſtrumenta. Fiſtula, arundo, tubæ, calamuſq;, & avena, cicuta.
Cum citharâ teſtudo, chelys, lyra, barbitos adſit.
Plectra, fides, calami, pecten, digitiq; pererrent.
Catena. Sunt manicæ, pedicæ, compes, ſunt vincula, nodi.
Cauſſa. Principium atque caput cauſſarum fons, & origo.
Cibus. Eſca, dapes, epulæ, cibus, & convivia, menſæ.
Clade. Pernicies, damnum, exitium, diſpendia, noxæ.
Clamor. Vox murmur, ſtrepitus, fremitus, clamorque, tumultus.
Conjugium. Connubium, torus, & thalamus, fax, tædâ, hymenæus.
Conſpectus. Os, facies, vultus, gena, mentum, lumina, malæ.
Corona. Infula, cum ſerto, diadema, corona, tiara,
Crudelis. Trux, immanis, atrox, truculentus, barbarus, aſper.
Deſiderium. Spes, ardorque, fames, ſitis, exſpectatio, votum.
Dolus. Vafricies, dolus, inſidiæ, fraus, techna, vel aſtus.
Domus. Hæc ædes, limen, ſedes, lar, tecta penates.
Atria, regaleſque aulæ, Palatia, turres.
Mandra, caſæ, tugurî culmen, magale, mapale.
Exercitus. Agmen, turma, phalanx, acies, legioque, caterva,
Copiæ, & ala, cohors, bellator, caſtra, maniplus.

Miles adhæc, pugnator, eques, pedes, atque ſagatus.
Famulus. Aſſecla, verna, puer, famulanſque, pediſſequa, ſervus.
Flores. Lilia, flos Bellis violæ, roſa, caltha, liguſtrum,
Narciſſus, Cyanus, Hyacinthus, nardus, achantus,
Solſequiumq; Amarantus, amaracus atq; papaver.
Filius. Progenies, ſoboles, proles, ſtirps, nata, propago.
Forma. Forma, decor, ſpecies, ornatus, grata venuſtas,
Fluvius. Stagna, palus, torrens, lacus, amnis, flumina, rivus.
Fucus. Pigmentum, ſtibium, minium, ceruſſaque, fucus.
Gemma. Purpureus amethyſtus, onyx, cyanuſque, & Achates.
Chryſolithoque, pyrope, micans; beryllo adamaſque
Iungeris infractus, jaſpiſque virenſque Smaragdus.
Helluo. Ventripotens, gurgeſq;, vorax, lurco, atq; barathrũ.
Herba. Herba, torus viridis, ceſpes cum gramine, muſcus.
Honores. Fama, decus, tituli, laus, gloria, nomen, honores.
Hoſtis. Nos inimicus atrox premit, adverſarius, hoſtis,
Ignis. Flamma, ardor, calor, ac fervor, incendia, & æſtus.
Vulcanus, ſcintilla, focus, caligo, favilla.
Ignominia. Dedecus opprobrium, pudor, ac infamia, probrum,
Inconſtans. Mobilis, inconſtans, varius, mutabilis, anceps.
Infernus. Tænarus ac erebus, ſtyx, tartarus, orcus, avernus.
Inſanus. Vecors ac ſtolidus, fatuus, delirus, & amens.
Invidus. Lividus, obtrectator; & æmule, Zoile zelas.
Ira. Ira, æſtus, rabies, furor, indignatio, bilis.
Labor. Cura, labor ſtudium, vigilans ſolertia, ſudor.
Lacryma. Stilla, imber, ros, gutta, latex, aut lacryma, gemma.
Lectus. Strata, torus, thalamus, lectus, conclave, cubile.
Lex. Fas, æquum, jus, decretum, lex, regula, pactum.
Liber. Charta, volumen, opus, faſti, pagella, papyrus.
Lis. Iurgia, lis, rixæ, convicia, prælia, linguæ.
Litera. Cera, tabella, notæ, vel epiſtola, litera, ſcriptum.
Litus. Cum portu, ripâ, margo, oraque, litus, arena.
Loquela. Dictio, vox, verbum, ac oratio, ſermo, loquela.
Luctus. Lamentum, lacrymæ, gemitus, ſuſpiria, planctus,
Cum queſtu, luctus, ululatus, junge, querelas.
Luſus. Lude pila, diſco, curſu, luctâ atque palæſtrâ.
Turbo placet, puerique nuces, trochus, atque flagellum.
Lux. Lux, jubar, & fulgor, radius cum lumine, ſplendor.

Fax,

Fax,lampas,teda ac ceræ,funale,lucerna.
Macula. Labes,ſigna,notæ,nævi,cauteria,ſordes.
Mons. Collis,apex,cautes,rupes,juga,mons ſcopuluſque.
Monſtrum. Prodigium,monſtrum,portentum,degener ortus.
Morbus. Contages,peſtiſque,lues,infectio,tabes.
Mors. Mors,lethum,interitus,obitus,nex,fata,ciniſque,
Vrna,rogus,loculus,funus,libitina,feretrum,
Buſtaque cum tumulo,marmor,monumenta, ſepulcrum,
Næniæ,& exequiæ,lacrymæ,funebria,júſta.
Navis ejuſque partes. Navigium,claſſiſque,biremi junge triremem.
Et Scapha,cum lembo,rate,cymbâ,lintre,phaſelo.
Puppis,prora,carina;abies,trabs,pinus,& alnus.
Remigium,remus,tonſæ,vel palmula,clavus.
Carbaſa,vela,alæ,vel ſuppara,lintea,lina.
Malus & antennæ,uncus,& anchora fida,rudentes.
Nauta. Navita,Tiphys agit,Palinurus,portitor alnum.
Nobilitas. Nobilitas,tituli,ceræ,ſub imagine,ſigna.
Nubes & Nox. Nubila,nimbi umbræ nebulæ,caligo,tenebræ,
Onus. Sarcina,pondus,onus,cumulatur acervus.
Oriens. Phoſphorus,Eous,oriens,aurora,vel ortus,
Oſculum. Oſcula da preſſis,da ſuavia,baſia,labris.
Parentes. Majores,proavi,patres,ſtirps,gentis origo.
Paſcua. Paſcua,prata,herbæ,tum pabula,gramina campi.
Paſtor. Vpilio,paſtor,caprarius,atque bubulcus.
Paſtor ſeu Pontif. Præſul & antiſtes,& paſtor,epiſcope,papa,
Pontifici junctus flamen,tum myſta,ſacerdos.
Pauper. Pauper egenus,inops,nudus mendicus inanis.
Peccatum. Noxa,nefas,vitium,crimen,ſcelus,error,& auſus.
Flagitium,facinus,delictum,culpa,probrumque.
Peccator. Sons,reus,atque nocens,ſcelerate,& noxie,nequam.
Pellis. Exuviæ,ſpolium,pellis,ac tergora,vellus.
Piger. Deſes,iners,ſocors,ſegnis,piger otia quærit.
Piſces. Delphines,ceti,Phocæ,Balænaque,Priſtis,
Lucius,anguillæ,muræna,mullus,aſellus,
Auratæ,gobii,Salmones,aſtrea,congri.
Pocula. Pocla,calix,cyathus,pateræ,carcheſia,crater.
Preces. Supplicium atque preces oratio,vota querelæ.
Regnum. Imperium, ſceptrum, moderamen, habena, poteſtas.

Regis habitus. Regem ornet murex, oſtrum, vel purpura, coccus.
Retia. Retia, lina, plagæ, calamus, naſſa, hamus, arundo.
Sanguis. It cruor, & ſanguis, ſanies, ex vulnere tabum.
Senex. Decrepitus, cani, ſenium, rugæ, atque ſenectus.
Senatus. Ordo, magiſtratus, proceresque, patresque, ſenatus.
Senſus. Mens, animus, ſeu judicium, ſententia, ſenſus.
Serpens. Vipera dipſas, hydrus, coluber, draco, cum angue,
cerasta.
Seges. Far, frumenta, ſatum, fruges, cum meſſe, Cereſque
Cum ſpicâ, calamus, ſtipulæ, tum culmus, ariſtæ.
Solatium. Fomentum, auxilium, ſolatia, opiſque levamen.
Statua. Effigies, ſignum, ſpecies, ſimulacra & imago.
Stabulum. Septa, & haræ, ſtabulum, mandræq;, & ovilia, caulæ.
Silva. Silva, nemus, ſaltus, lucus, vel Theſſala Tempe.
Vepres, ſente, rubi, dumi, virgulta, fruteta.
Tempeſtas. Tempeſtas, fluctus, furor, æſtus, turbo, procellæ.
Terra. Terra, ſolum, tellus, mundus, globus, orbis, humuſ-
que.
Timor. Formido, pavor atque metus, trepidatio, terror,
Hinc tremor, & ſudor, pallor, ſtupor, occupat hor-
ror.
Triſtitia. Mœror, dolorque, luctus, ægrimonia.
Vas. Amphora, teſta, cadus, vas, pocula, dolia, & utres.
Ventus. Ventus, flabra, Euri, Notus, auræ, flamina, flatus.
Vulturnus, Eurus Cæcias, *ortum tenent.*
Eteſiæ Favonius Zephyrus *habent*
Solem cadentem, ut Africus, Caurus *truces.*
Adverſus Auſter Boreæ, & Aquiloni Notus.
Velum. Tegmina, tela, ſinus, veſtis, velamen, amictus.
Verbera. Verbera cum plagis, flagra, lorum, virga, flagella.
Veſtis. *Militia* chlamys eſt, ſaga, Rheno, & abolla, lacerna.
Pallia, læna, togæ, tunicæ, ſtola, penula, *pacis.*
Caſtula, palla, cyclas, ſtrophium, multitia, *Marthæ.*
Victoria. *Ille* triumphat, ovat, *cui* laurus, adorea, palma eſt.
Vinum. Meſſica, vina, merum, Bacchuſque, falerna, lyæum.
Vinea. Vinetum, vites, palmes, vindemia, botri.
Vis. Vis, virtus, vigor, ac robur, violentia, nervi.
Vlva. Iuncus, & alga *levis* canna, ulva, ac vimen arundo.

Non facilè dixero, quantum hæc copia auſpicaturum Poetam levatura ſit, ſive promptitudinem, ſive ornatum ſpectet. Ra-

riora

riora in his illa cenſentur, & Poetis digniora, quæ minus obvia uſitataque ſunt. Artium præcipuarum inſtrumenta, rei veſtiariæ, nauticæ, domeſticæ, chirurgicæ ac medicæ voces hìc proprias non adduxi; ne importunè lõgus eſſem in re minus neceſſaria. In hanc enim materiam cum Poeta inciderit, facilè Nomenclatorem aliquem conſulet, qui copiam illam ſuppeditet.

Cavendum tamen inprimis, ne inſcitè his utamur ſynonimis, & cuivis loco quodvis aptum credamus; uti enim propria in multis ſignificatio variat, ita videndum, ne temerè adhibitum, vim dictionis enervet. Quod eveniſſe maximo etiam Poetæ Statio, Claudiano & Lucano *infra c.5.* intelliges.

Cavendum deinde erit, ne dum rara ſectamur, peregrinis ac barbaris adhæreat oratio. Peregrina autem, vel illa ſunt quæ antiquitate exoleverunt, ut *duere* pro dare, *aulai* pro *aula*, *betere* pro *ire*, *perbitere* pro *perire*, *moriri* pro *mori*: niſi quod his, ſi affectatam aliquam, aut priſcam perſonam, in comœdia præſertim, exhibeas, locus eſſe opportunè poſſit. Sic neque Ovidius moriri, neque Virgilius *olli*, neque adeo Cicero averruncare, muginari, noctuabundus &c. reformidat. Imo quædam ob antiquitatem à Fabio Quint. proſcripta ut exantlare, proſapia, ærumnæ contra ipſius cenſuram, meritò locum obtinent: cum neque ærumnoſus Ciceroni, neque proſapia Saluſtio diſplicuerint. Plautus in comicis paſſim antiquitatem amat.

Peregrina deinde vox eſſe poteſt novitate; ſive illa novetur derivatione, ut Virgilius à ramus dixit *ramoſa cervi cornua. Ecl.7.* & Pacuvius *Clypeat brachium*; & apud Gellium eſt *columbatim*, à columba: ſive compoſitione aliqua noviter coëat. Sicut dixit Pacuvius:

Repandi roſtrum incurvicervicum pecus.

Comicis tamen & Scazontes Satyraſque ſcripturis hæc nonnunquam libertas laudi vertitur. Ita pugnos appellat Plautus *dentifrangibula*. In Pœnulo Hannonem vocat *biſulci linguam*. In Trinummo *turpilucricupidum*: Sic Auſonius *volucripes* & *lentipes*, & Catullus, ſus *nemoricultrix*; etiam extra comœdiam Satyraſque dixêre.

Poſtremo peregrina ab aliis deducta linguis non facilè Latinæ admiſcenda, niſi fortè uſu obtinuerit locum, ut Gaza. Vnde *Guardia, Advocatia, Credentia &c.* elimanda erunt. Græcis tamen in defectu latii ſermonis aut vocis idoneæ locus non erit præcludendus. Ita Iuvenali placuit.

Rabidam

—*Rabidam facturus orexin.* Sat.6.

Nec eliminari poterunt quædam officiorum ac dignitatis vocabula, quibus hoc ævo neceſſitas & communis uſus indulget. Vt ſunt *Papa, Cardinalis, Abbas, Marchio, Baro. Scabinus &c.* Nam huic obniti velle, temerarium magis, quàm utile futurum eſt.

De ornatu vocum, illo præſertim, qui à metaphora ducitur.

CAPUT IV.

HÆc de vocum natura ac varietate; nunc de adjunctis. in quibus ſignificatio propria, vel impropria, facilè princeps eſt. Nam Poetæ, cum rara ſectentur, & ornata ſimul ac grandia, elatis per tropum verbis delectantur. Hinc apud illos Synecdoche uſitata eſt, ut cum pars pro toto, aut totum pro parte uſurpatur Sic dicunt impellere puppes: id eſt, naves, fontemque ignemque ferebant: id eſt, aquam, & fomitem accenſum. Maſſica vina, pro quovis generoſo vino accipiunt.

Metonymia etiam frequens eſt. Sic pro vino Bacchum; Cererem pro pane; Pateram aut lancem, pro cibo aut potu; Togam pro pace; Faſces pro magiſtratu; luxuriam pro luxurioſo: verbo, cauſam pro effectu, ſubjectum pro accidente, continens pro contento, ſignum pro re, & contra, accipiunt. quæ libertas, apud oratores rarior eſt. Synecdoche vix etiam permiſſa.

Sequitur Metaphora quæ in omni quidem eloquentia locum reperit; in poeſi tamen inprimis dominatur, & plus ſibi libertatis atque audaciæ vendicat; certis tamen legibus eſt adſtringenda: cum remota, aut frigidam, aut vanè tumentem orationem depravet. Lex ad quam omnis, ex Cicerone & Ariſtotele *l. Rhet. 3. c. 2. &* 3. metaphora exigenda eſt, hæc eſſe debet: ut expendatur, ac ſimilitudinem aptam includat? illa enim quantò aptior, tantò & futura metaphora eſt. Vti igitur omnis ſimilitudo ad rem illuſtrandam, extollendamque, aut deprimendam adhiberi Solet; adeóque, ut extollat, à re nobiliori; ut verò deprimat, ab ignobiliori ducenda eſt: ita metaphora omnis à rebus, idonea comparatione collatis eſt, deſumenda. Sic Herculem ac leonem eruditè pro forti uſurpabis; uti canem & muſcam pro impudenti. Quia fortis rectè cum Hercule, aut leone, (qui in fortitudine præſtat homini) impudens cum

muſca,

muſca, aut cane comparatur. In his, quamvis Poetis longius ſeſe efferre liceat, fixis tamen ſimilitudinis limitibus non erit excedendum. Vnde malè dicet *cœli fornices* & *plorare nubes*; quia à re nimis minuta translatio petitur, adeóq; hoc verbum translatum proprio illuſtrius non eſt. Ita & *lacrymas polorum* non rectè pro imbre; rectè tamen pro rore cœleſti uſurpabis: quia hic guttatim ſenſimque, ut lacrymæ, defluit. contra *Irrorare genas lacrymis* non inſcitè dicturus es. Malè iterum ſtellas appellabis *flores prati ætherii*. contra non ineptè flores *pratorum ſidera*. quia hæc comparatio ab illuſtriori, ſecus quam illa, ducitur.

In Virgilio quidam notarunt dictum illud. *Florentes* ære catervas, id eſt, fulgentes. quod per analogiam defendi magis, quàm commendari poteſt.

Iterum Ariſtoteles à rebus notioribus potius, quàm peregrinis vult duci metaphoras. Naſo dixit - *Montes volvuntur aquarum*. Tu ſi pro montibus Alpes, Ætnam, aut Atlantem poſueris, ridiculum te facies. Quod ſi tamen ignotum montem, ob altitudinem, Atlantem voces; aut voraginem aliquam Charybdim; contra hanc regulam non peccabis: quia, cum particulari monte, aut voragine comparata, notiora cenſentur.

Denique ab honeſtis rebus, quæque ſenſus minimè lædunt; niſi fortè in reprehenſione, & rebus comicis translationes vocum ſumendæ ſunt: Ita *caſtratam morte Camilli Rempublicam* malè dices. aut mare intumeſcens, *hydrope laborans*: vel montes pruinoſos, *lepra brumali albentes*. Quintilianus non probat. *Reipublica vomicas*. verùm illud ego Poëtis indulſerim in vituperio, præſertim dramaticis. Imò & Cicero de amicit. auſus dicere. *Evomit virus acerbitatis ſua* haud longè diſpari metaphora. Illa priora etiam de hydrope, & lepra, magis contra ſimilitudinem, quàm honeſtatem peccant. Illud: *Stercus curia Glaucia* nemo honeſtè dicat; ſed magis *purgamentum*.

Magnopere triumphant Poetæ in metaphoris à rebus florentibus, pulchris, ſenſuumque ferientibus, deductis. multò verò maximè in illis, quæ rebus inanimis ſenſum vitamq; tribuunt. cum ab illuſtri aliqua re, ad minus illuſtrem voces transferantur. Et in his optimi quique Poetæ luxuriant. *Ita Virg.* 1. *Georg.* ait:

Infelix lolium & ſteriles dominantur avenæ.
Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola. *ibid.*
Sic dominum ſterilis ſæpe fefellit ager. *Ovid.* 1. *de art.*

Non

Non prata viridi læta facie germinant, *Senec. Herc. fur.*
Nec adulta leni fluctuat Zephyro ſeges.
Mendaci credere ſomno *Tib. l. 3.*
Te ſomnus fuſco velavit amictu. *ibid.*
Miratur nemus inſuetum fulgentia longè
Scuta virûm. *Virgil. 8. Æneid.*
Olli remigio noctemque diemque fatigant. *ib.*
Exanguis timor occupat artus, *Idem.*
Iamque faces & ſaxa volant, furor arma miniſtrat. *Idem.*
Reſpuet inviſum juſta cadaver humus. *Ovid, in Ib.*
— Triſtes Amaryllidis iras, atque ſuperba pati faſtidia. *Virg.*

Animadvertes opinor non tantum ad res inanimas, verùm etiam ad affectus humanos, ſeſe translationum hoc genus extendere, quos veluti perſona aliqua induit: ut cum dicitur *furor miniſtrat, timor occupat*. Eleganſque inprimis eſt, huic translationi per allegoriam inſiſtere.

Sic Tibul. l. 2. — Credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper, ait.
Spes alit agricolas, ſpes ſulcis credit aratis Semina —
Spes etiam validâ ſolatur compede vinctos.

Et Senecæ hæc placent. *In Thy. act. 3.*
Ira cum magnis agitata cauſis
Gratiam rupit, cecinitque bellum:
Opprimit ferrum, manibuſque junctis
Ducit ad pacem pietas negantes.
Iam minæ ſævi cecidere ferri &c.

Illuſtrat & extollit mirificè orationem hac translationum continuatio. Rarum quidem illud ex metaphora Horatii eſt.
Albus ut obſcuro detergit nubila cœlo Sæpe Notus.
Rarius illud Ovid. 5. Met. — *Victoq; Aquilonibus Auſtro,*
Fuſca repurgato fugiebant nubila cœlo.
Rariſſimum ex allegorica fictione perſonæ illud Ovid. 1. Met.
— Madidis Notus evolat alis,
Terribilem piceâ tectus caligine vultum.
Barba gravis nimbis, canis fluit unda capillis,
Fronte ſedent nebulæ: rorant pennæque ſinuſque.
Vtque manu latè pendentia nubila preſſit,
Fit fragor, & denſi funduntur ab æthere nimbi.
Nuncia Iunonis, varios induta colores,

Concipit Iris aquas, alimentaque nubibus affert.

Non omiſerim hoc loco de hyperbole, metaphoræ affini, & Poetis per quam familiari, ut orationem rerum admirabilium narratione efferant. Sic de tempeſtate Virgil. lib. 1. cum allegoria hyperbolen miſcet.

— Totumque à ſedibus imis
Vnà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africus, & vaſtos volvunt ad ſidera fluctus &c.
Eripiunt ſubitò nubes cœlumque diemque &c.
Hi ſummo in fluctu pendent, his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit, furit æſtus arenis.

Et lib. 3.

Tum mihi cæruleus ſupra caput adſtitit imber,
Noctem hiememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Continuò venti volvunt mare, magnaque ſurgunt
Æquora.

Ovidius 1. Triſt.

Terribiliſque Notus jactat mea verba, preceſque
Ad quos mittuntur, non ſinit ire Deos &c.
Me miſerum quanti montes volvuntur aquarum!
Iam jam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto ſubſidunt æquore valles!
Iam jam tacturas tartara nigra putes.

In hac materia ferè omnes fidem excedunt, ut in pleriſque deſcriptionibus rerum grandium. Vide Senecam in Agam. Horat. l. 1. Od. 14.

CAPUT V.

Cenſura de veteribus aliquot magni nominis Poetis, ad rectum metaphoræ aliarumque tropicum propriumve vocum uſum à vitio ſeparandum.

IUverit & Poetarum errores, metaphora inprimis, allegoria, atque hyperbole abutentium, expendere. Non ut venerandæ in illis antiquitati quicquam derogemus; ſed ut appareat quo elocutionis delectu, hi autores eloquentiæ ſtudioſis legendi imitandique ſint; ne (quod irrito noxioque multorum labore factum vidimus) vitia pro virtutibus hauriantur. Quod qui expenderit, intelliget, non detrahendi libidine, ſed neceſſitate hujus artis perfectè aptéque ad uſum tradendæ hanc provinciam

à me

à me ſuſceptam eſſe. Occurrit verò in his Statius Papinius, qui haud rarò leviterque audaci elatione impingit. Exemplo in propoſita de tempeſtate materia utamur. *Sic V. Thebaid.* Scribit:

Iamque aberant terris, quantum Gortynia *currunt*
Spicula. cæruleo gravidam cum Iuppiter imbri
Ipſa *ſuper nubem ratis armamenta* pelaſgæ
Siſtit agens. Inde horror aquis, & *raptus* ab *omni*
Sole *dies, miſcet* tenebras, *queis* protinus unda
Concolor. Obnixi lacerant cava nubila venti
Diripiuntque fretum. *Nigris redit humida tellus*
Verticibus, totumque, Notis portantibus, *æquor*
Pendet, & *æquato jam* jam *prope ſidera dorſo*
Frangitur. Incertæ *jam nec prior impetus* alno,
Sed labat. *extantem noſtris,* modò *gurgite imo*
Nunc *cælo Tritona ferens.* Nec robora profunt
Semideûm heroum, puppemque *inſana flagellat*
Arbor, & inſtabili procumbens pondere *curvas*
Raptat aquas, remique cadunt in pectus inanes.

Sanè hi verſus epithetis, metaphoris, & hyperbolis ad tumorem & obſcuritatem implentur. Improbo metaphoram hanc *currunt ſpicula.* quia minor eſt celeritas currentium, adeoque à minus illuſtri translatio petitur. Par ferè ratio in iis, quæ ſingulis vocibus involvunt vitia: *Inſana flagellat arbor,* & *curvas raptat aquas.* malè *arborem* clavum, aut remum appellat; cum tot in navi res ſint, quæ hac ſynechode accipi poterant. cur verò *flagello* leviculo illam comparat? cur *inſanam* nuncupat? inſano inquit epitheto Scaliger l. v. poet. nimius ceteroquin Statii admirator. quid venuſtatis in *curvis* aquis? cur aquas *raptat,* & non captat potius clavus? Sed priora non omittamus. *Super nubem ratis armamenta ſiſtit* ſignificat ratem ſupra nubes evectam. non contra, ut Poeta voluit. nam alias, *ſuper armamenta* dictum oportuit: aut certè vitari ambiguitas. Deinde malè armamenta cum rate, hoc eſt, partem rei ponit, cum totum enunciaſſet. quod erat non extollere, ſed imminuere orationem. quis enim non rideat in grandi tempeſtate, qua nubes totum eripiant diem, ita loquentem. nubes ſuper navis, puppim apparuit? quid penè aliud, ſuper navis inſtrumenta? Diſſimulo quod *ratem* appellet, quam ante vaſtitate cum Ortygia inſula comparaverat. Quæ deinde locutio? *raptus dies ab omni ſole.*

an ſol diem rapit? an potius ereptus toti ſoli dies? &, quam hoc dictum impropriè? quomodo dies, qui abeſt *miſcet* tenebras? quomodo tenebris unda eſt *concolor*? quomodo *nigros*, ſub diducto freto, tellus oſtendit *vertices*? quomodo æquor *aquato dorſo* prope ſidera *pendet*? quid ſociantur *jam jam & prope?* Quomodo, poſt tam horrendam maris confuſionem, de navis periculo adeò tenuiter incipit, ut neget illam priorem retinere impetum. quid *Tritonis* ſimulacrum, elatum depreſſumque, in tam vaſtæ navis, totque hominum diſcrimine, tanquam res ingens, memoratur? Certè per Synecdoches metaphoraſque rectè nemo tantam ſcribendi licentiam probaverit. Non enim ad obſcuritatem, ſed ornatum hæc in poeſin accerſuntur. Ejuſmodi heterologiis Statius præclara multa, atque ad heroicæ poeſios laudem reperta, confudit. nec, qui ſibi non rarò cecinit, à ſeipſo ubique intellectus eſt.

Claudian. quanquam obſcuritate minor, translationum audacia par Stat, cēſeri poterit. Audiamus in l 2. de rapt. de loco amœno differentē,

Viderat herboſo ſacrum de vertice *vulgus*
Ætna parens florum, curvaque in valle ſedentem
Compellat Zephyrum. Pater ó gratiſſime veris
Qui mea laſcivo regnas per prata volatu
Semper, & aſſiduis irroras flatibus annum,
Reſpice Nympharum cœtus, & celſa Tonantis
Germina, per noſtras *dignantia ludere* campos.
Nunc adſis faveaſque precor: nunc omnia fetu
Pubeſcant virgulta *velis*; ut fertilis Hybla
Invideat, vinciq; ſuos non abnuat hortos.
Quidquid thuriferis ſpirat Panchaïa ſilvis,
Quidquid odoratus longè *blanditur Hydaſpes*,
Quidquid ab *externis* ales longæva *colonis*
Colligit, *optati referens exordia ſècli*
In venas diſperge meas, & flamine largo
Rura fove, ut merear divino pollice carpi,
Et noſtris cupiant ornari Numina ſertis.
Dixerat. ille novo *madidantes* nectare pennas
Concutit, & glebas fecundo rore maritat.
Quáq; volat vernus ſequitur color: omnis in herbam
Turget humus: *medioq; patent convexa ſereno*.
Sanguineo ſplendore roſas, vaccinia nigro
Induit, & *dulci* violas *ferrugine* pingit.

Par-

Parthia quæ tantis variantur cingula gemmis
Regales juncturâ ſinus? quæ *vellera* tantum
Ditibus Aſſyrii *ſpumis fuſcantur* aheni?
Non tales volucris pandit Iunonia pennas.
Nec *ſic* innumeros, arcu mutante, colores
Incipiens *redimitur* hiems, cum *tramite flexo*
Semita diſcretis interviret humida nimbis.

Elegans hæc ſanè fictio, multaque variè translata, ac ſtylo ipſo egregiè ad amœnitatem comparata; ſed gemmæ nonnullæ minus ſunt expurgatæ. Principio Deas, ut Venerem, Dianam, Palladem, & cum Proſerpina Nymphas, nimis humili phraſi, *ſacrum vulgus* nuncupat: minus verò rectè poſtea, eaſdem, *Germina dignantia ludere*: nam, ut, *dignor ludere* Latinum habeatur: hoc tamen Germini non convenit: translationi enim oportebat, dum ſenſus conſtaret, inſiſtere. taceo, quod *germen* ſine venuſtate ab ignobiliori translatum ſit. Sequitur *Velis*, quod magis implet verſum, quam ornat; uti *ſemper* paulò antea etiam ſupra veritatem adjectum. Nec probo, *quidquid longè blanditur Hydaſpes*: potius *quocunque* dixerim. quin & *longè* ſupervacuum eſt, & Hydaſpes, auro magis, quàm odoribus celebratus. Ita pro *externis colonis*, quod univerſè nimis & parum propriè dictum, alii rectius legunt *extremis Sabæis*. Par ratio in ſequenti verſu *optati referens exordia ſecli*. quanto ſatius dicas: *emerita repetens exordia vitæ*. Familiare id quidem Claudiano, ſed extra laudem eſt, quod generalibus inſiſtat, quæque facilem mutationem admittant, quo Ovidius, Horatius, atque inprimis Virgilius abſunt remotius: quorum hic tam adfert propria, vel tam apte translata, ut ægrè aliquid par, aut elegantius ſubſtituas. Pergo. *In venas diſperge meas* de ſemine quidem florum aptè, ſed de carpendis mox floribus, à præſentibus Nymphis, parum opportunè. diſſimulo, quod *diſperge*, exilis & inamœna hoc loco vox ſit. cur non placeat, *per venas effunde*. aut *per campos affunde meos*? Quid deinde ſibi vult *madidantes nectare pennas*? Nempe Grammaticam quandoque, & Syntaxin novat, non ubique Latine purus. conſultò proinde alii *madefactas* ſupponunt. Denique quid inter flores naſcentes ponitur. *medioque parent convexa ſereno*? majori ſanè gratia eliminaretur, præſertim cum ſine laude, duo adjectiva ſubſtantivè uſurpentur. Pergit *ſanguineo ſplendore roſas*. parum ſanguis ſplendet: unde malim *purpureo*. ſequitur, *dulci ferrugine*. certè dulcis ferrugo non eſt (nec translati excuſabi-

excuſabit, cum deſit ſimilitudo) *grata* ſaltem oculis in flore eſſe poterit. Quid nunc de comparationibus parum idoneis dicam? hic eodem quæ in metaphoris lex eſt. ab illuſtriori ducendæ ſunt, ut orationem illuſtrent. à Parthico cingulo gemmis diſtincto, florens Ætna extollitur, à purpura, à Pavonis cauda, ab Iride denique: omnibus ſanè ad tantam loci amœnitatem depingendam exilibus; niſi fortaſſis Iridi aliquid fuerit concedendum: mallem cœlo ſideribus variato compoſuiſſet. Accedit quod carptim, ac ſine dignitate ſimilia, more ſuo, perſtrinxerit. magis etiam elato, quàm culto ſermone. cur enim adeò delectent *vellera* quæ *ſpumis fuſcantur aheni*? An ſpumis fuſcari, eſt ornari coloribus? Progredior. *Nec ſic hiems redimitur arcu colores mutante.* *Sic* pro *tali* diſplicet. nec aptâ metaphorâ hiems *redimiri* dicitur *arcu*, ſed cœlum potius, aut terra. Poſtremò quomodo *tramite flexo ſemita nimbis interviret*? cum trames ſit etiam ſemita, ſed tranſverſa; qualis nulla in Iride: quocirca & *flexo* otiosè ſupereſt, meliuſque, à quibuſdam ſupponitur *picto*: ut trames pro ipſa habeatur Iridis ſemita, verùm picta. Quare hæc malim.

——— Cum tramite picto
Thaumantis variis interviret humida nimbis.

Nolui illa de Zephyri *laſcivo volatu*, & quod *glebas maritet*, & quod Hybla *vinci non abnuat*, ad cenſuram vocare; tolerandas magis, quam laudandas metaphoras, quas certè Virgilius ſuas eſſe nolit. In illo quod fetu pubeſcere virgulta, quodque vaccinia dicat flores nigros, ceteroquin purpureos, Maronem ſecutus eſt. quem hoc ultimo vix ſatis excuſes. Nolo & illud perſtringere, quod Zephyrum invitet abſentem; quem tamen ſemper, aſſiduiſque ſibi flatibus adeſſe fatetur. Ex his facilè animadvertes, quâ cautione legendus Claudianus ſit, ne cum virtutibus vitia orationis haurias.

Lucanus utriſque & ſenſu clarior, & in metaphoris caſtigatior, Latinus magis: ſententiis atque argutè dictis rarior: in hyperbolis tamen non raró audacior, membris inciſus, ſuperbo ac militari penè numerorum inceſſu, quem tamen ſupra meritum faſtidit Scaliger. Stylo illum (nam fictione, parcè uſurpata, minus agit Poetam) & Claudianum, & Statium univerſim ſuperare extra controverſiam erit, ſingulos ad leges ſanæ dictionis expendentibus. quamvis illi ſuperent in partibus, & robuſtiori judicio ſuperflua præciderint. hic paſſim juvenili luxurie exundet,

det, caſtiganda facile licentia, ſi ab adoleſcentibus legatur, proderit copia: ſi à maturis otioſa rejicientur. Vtriſque ad imitationem, præſertim languidioribus, non diſſuadendus. Audiamus in paucis illum verſibus, quibus à Scaligero notatus, in deſcriptione Padi. Adeò, inquit lib. 5. Crit. exundans eſt Lucanus, ut & ipſum furentem ſuperet Padum, cui Duro ore *os* attribuit.

Sic pleno Padus ore tumens, ſuper aggere *tutas*
Excurrit ripas, & totos *concutit* agros,
Succubuit ſiquæ tellus, cumulumque furentem
Vndarum *non paſſa*, ruit: tum flumine toto
Tranſit, & ignotos aperit ſibi gurgite campos.
Illos terra fugit dominos: his rura colonis
Accedunt donante Pado.

Carpit iterum Scaliger dictum *Terra fugit*: auſertur, ait, non fugit. Ego verò utroque loco aptè per metaphoram locutum aſſero. Rectè enim os fluvii dicitur, quo ſe ille effundit. eleganter etiam dictum, terram hanc Dominos fugere, quæ illos latet: non minus, quàm, res meos fugit oculos, id eſt, latet. imò *terra fugit*, ſeu *recedit*, æquè dictum appoſitè, quàm Virgilius de navigantibus dixit. *Terraque urbeſque recedunt* plus etiam hic laudis ex oppoſitione ſequenti meretur. Scaligerum ingenio judicioque magnum, verùm & ſuis indulgentem affectionibus miror. tam offenſum, quàm ubique cum Lucanus patitur, ferre non meruit, mihi in poſito carmine diſplicet. quod *tutas* appellet ripas, quomodo enim tutæ ſunt, quas Padus ſuperat? nec ſat placet *excurrit*, quod tenuioribus vocalibus conſtet, ac lentum ſit ex ſpondæo verbum, neque impetum aquæ tranſcendentis aut ejus mali gravitatem ſatis exponat. Vnde malim. *Victos tranſvehitur* (*exſuperat*) *riparum obices vaſtator agrorum.* ita enim vox *concutit* exilis, atque impropria (quia domus & arbores, non toti agri, undis quatiuntur) etiam eliminabitur. Eſt hoc vitium Lucano familiare: verba, numerum ac phraſin, non ſatis rerum momentis ac naturæ aptare; ut in levibus humilius in magnis incedat gravius. exultim ubique, eodem penè verborum apparatu fertur tantùm res ipſas ſupra fidem extollendo grandeſcit. Sequitur *non paſſa*, parum ſignificanter, cum potius ſit paſſa. Quare gravius veriuſque dicturus erat: *cumuloque furentûm undarum ſuperata, ruit.* Cetera quæ ſequuntur non modo ornata translationibus, verùm & arguta ſententiis oratione

invidias

invidiam potius, quàm reprehenſionem merentur. Illud tamen uſitatum quoque Lucano vitium, eadem vel repetendi, vel certè turbato ordine in deſcriptionibus progrediendi, non diſſimulabo: quale & hic videri poteſt, quod poſtquam dixiſſet *totos agros concutit*, denique primùm dicat, *tum flumine toto tranſit* &c. Nimirum profuſum eloquentiæ flumen, non caſtigatam ſatis poeſin, quandoque obruit. Hæc de Lucano lectori ſuffecerint, ut cum emolumento ac rerum vitandarum diſcrimine in eo verſari poſſit.

Silius Italicus hoc loco breviter quoque audiendus. Maronis ille imitatione laudem ſimul ac reprehenſionem eſt meritus. fictionum varietate & gratia, hoc eſt, toto poeſios corpore, multum ab eo diſtat; Phraſi & ornatu nonnunquam accedit propius. verùm frigidior languidiorque eſt Poëta, ſive epitheta, ſive proprietates metaphoraſque vocum, atque univerſum orationis apparatum ſpectes. unde impensè illum non ſuaſerim lectoribus, cum in Virgilio ejuſdem generis illuſtriora omnia reperiantur. *Paucis luem deſcribentem videamus. lib.*14.

Ni ſubitò importuna lues, inimicaque peſtis,
Invidia Divum, pelagique *parata* labore,
Polluto miſeris rapuiſſet gaudia cœlo.
Criniger aſtriferis Titan fervoribus auras,
Et patulam Cyanem, latèque paluſtribus undis
Stagnantem, *Stygio Cocyti* opplevit odore:
Temporaque autumni, lætis florentia donis,
Fædavit, rabidoque accendit fulminis igni.
Fumabat craſſus *nebulis caliginis* aer.
Squalebat tellus *vitiato* fervida *dorſo*.

Cenſebo ſtrictim. Paratam nobis peſtem *Divum invidia*, *& labore pelagi*, quis verè & per metaphoram appoſitè dixerit? Rectè quidem de adoleſcente egregio, præmaturâ morte ſublato, dicas. Superi hunc terris invidebant. at pia hæc invidia accuſationem non habet: ut cum dicuntur invidiâ nobis malum paraſſe. *Criniger*, hoc præſertim loco, epithetum eſt, humili nimis translatione uſurpatum uti & illud. *dorſum terra vitiatum*, humilitate, non tam verborum, quàm ſignificationis vileſcit. *Cocyti* & *caliginis* abundant, non otiosè modò, ſed & vitioſe: nam Styx & Cocytus diverſa ſunt flumina. unde *Stygius Cocyti odor* imperitè dictum; cum unum in altero non compre-

hendatur: nec per tropum ſatis excuſabis; cùm utrum metonymicè uſurpetur, non liqueat. Sic *nebula caliginis* non dicimus, ſed caligo nebularum. unde ad explendum carmen, caliginis malè adhibitum eſt. Ceterum hoc Silius obtinuit, ut cum paucioribus vitiis, virtutes etiam minores conjunxerit, parum animoſus & ſtylo, & numero ob vitatam tamen obſcuritatem, & barbariem rudiori illum juventuti non diſſuaſerim.

Vocavi ad examen non metaphoras ſolum, verùm & ſiquæ occurrerent alia: ut tanto majori judicio ac fructu, hi Poetæ tractari ab iis poſſent: Et ne ſtudioſus lector, vitia in illis cum virtutibus amplectatur.

CAPUT VI.

Novi audaciſque in metaphoris Poëtæ cenſura.

AD hanc doctrinam de metaphoræ & hyperbolæ uſu, qui in poeſi & grandiori quavis oratione præcipuus eſt, magis inculcandam, Cornelii (ut ferunt) Nepotis hoc in genere luxuriantis felici nonnunquam audacia, carmina aliquot ex Darete Phrygio ſcriptore Græco verſa expendemus. Ita exorditur

Iliadum lacrymas, conceſſaque Pergama fatis,
Prælia bina Ducum, bis adactam cladibus urbem
In cineres, querimur.

Aptè ſatis. Delibabimus cetera, atque illa, quæ laude inprimis digna ex rara aptáque translatione ducimus, charactere diverſo diſtinguemus.

Confundit mala bonis lib. I. in fine ſilvam deſcripturus.

Idæus conſurgit apex: vetus incola montis
Silva viret, vernat abies procera, cupreſſus
Flebilis interpres laurus, vaga pinus, oliva
Concilians, cornus *venatrix*, fraxinus *audax*,
Stat *comitis patiens* ulmus, nunquamque ſeneſcens
Cantatrix buxus: pauló proclivius arvum
Ebria vitis habet, & dedignata latère
Canicolam poſcit Phœbum, vicinus ariſtas
Prægnantes fecundat ager. Nec plura falernus
Vina bibit: non tot *paſcit* Campania meſſes.

Toleranda in pleriſque audacia etiam quædam laudanda. u quod arboribus ex antiquorum uſu aptè translata epitheta tribuat. Sed quod *ſilvam* vocet *montis incolam*, quod vitiferum

monte:

montem dicat, *vina bibere*, quod *canicolam*, vel à ſenum canis: vel à ſidere cœleſti appellet, hoc vel inepto facit tropo, vel certè quantitate hujus vocis neglecta.

Audi verò continuatis translationibus non invenuſtè luxuriantem lib.2. in deſcriptione lauri quæ minorem ſub ſe ſilvam opprimebat.

Idæi *Regina* ſinus, digniſſima Phœbo
Laurus, inoffenſo frondoſum vertice *crinem*
Explicat, & *nemoris proſcripta plebe* minoris,
Sola viret, nullique ſuas *communicat* umbras.
Cetera *Cyrrheam veneratur* ſilva *juventam*,
Celſum ſubmittens apicem, longéque reducta,
Majorem temerè *poſcentes* aëra frondes
Caſtigat, metuitque ſacris *occurrere* ramis.
Huc Deus, aut caſus, certè *gratiſſimus* error,
Pertulit ereptum ſociis. Hac lætus in umbra
Mirabar laurum vivacis lege juventæ
Nil Iove mutato paſſam, mirabar & Eurum
Murmure *adulantem* foliis, & frondibus auram
Secretum ſpirare ſuum. cum languida ſenſim
Fur oculi ſomnus *invitans* otia, blandum
Pectoris *eluſit* ſtudium, curaſque *feſellit*.

In multis ac planè nimiis metaphorarum gemmis, quædam alſæ magis quam veræ: nam, *ſilvam frondes majorem aëra poſcentes caſtigare*, dictum liberius. Et quid hoc, *vivacis lege juventæ, nil à Iove pati*? Illud *Auram ſecretum ſpirare ſuum* audacius; quamvis olerandum, magis, quàm *Fur oculi ſomnus*. Cetera amplector.

Lib.2. principio ita thurificantem deſcribit ridicula translatione

——————— In ignes
Hybleas inclinat opes. jejunaque ſpirans
Nidor odorifero ſolatur ſidera fumo.

Quid hoc? *Nidorem* (pro odore) *jejuna ſolari ſidera*? quæ hic imilitudo ut dici jejuna queant? & ſi jejuna pro *ſolatur* erat licendum *paſcebat*.

Lib.4 principio ſic blæſum tropicè exhibet.

Texendis vox ægra ſonis, teneroque laborans
Eloquio. linguâ blæſos fruſtratur hiatus

In quo neque *ſonum texere*, neque *tenerum eloquium* pro impeito placet. cum illa translatio ab humili, hæc ab aliena re du- atur. Quod *hiatum fruſtrari* dicat, laudem meretur.

Formoſam Helenam ita Cygno, ex quo natam fabulantur,

æquat candore; ut rideri iterum mereatur primo atque ultimis duobus verſibus.

——Totoſque per artus
Lactea materni ſpirant mendacia cygni.
Nativum frons fundit ebur, gena candida byſſum
Æquat, dextra nives, dens lilia, colla liguſtrum.
Auris inexpleto criſpata volumine, viſus
Excubitor, naſuſque vagi venator odoris.

Lactea mendacia, & *inexpletum volumen*, nemo probet. *Excubitor* ille & *venator* quibuſdam forte placeat, cum ſimilitudo non deſit.

Superbè incedentem ita adumbrat. tolerandane audacia? tuum eſto lector judicium. certè ſaltantem in theatro molliter exhibet. lib.4.

Pes brevis inceſſu, terram libante ſupinam,
Laſcivum ſuſpendit iter, crurumque decora
Mobilitas compto libramine ponderat artus.

De frequenti claſſe, audax ibidem hyperbole, & vix toleranda.

——portum
Argivæ tenuêre rates, ſpatiumque negabat
Terra viris, velis aër, & puppibus æquor.

Iactabundos, at timidos, audacibusq́ne metaphoris extollit.

Ergo animos hebetes mendax audacia frontis
Diſſimulat. clamorq; minax deſpumat in auſus.

Primum equidem ferrem, ultimam vix admitterem, quamvis defenſionem habeat.

Senem bello fortem primo atq; ultimo; verſu non ineptè, ceteris mediis ambiguâ audaciâ depingit. lib.6.

Quin Priamo licet in ſenium dejectior ætas,
Algenteſque negent onerari caſſide cani:
In ſene non marcet Princeps, in Principe vernat
Miles, & imbelles audent certamina rugæ.

Minorem laudem à temeritate meretur, quod ſequitur de perjurio ibid.

———Iuratur, in uſum
Perfidiæ perjura fides: Antenore dirum
Parturiente nefas.

Cur non potius *converſa fides* dicitur, & *invadente nefas*, tranſlatione non minus rara, ſed magis virili.

Recentiorum quorundam hoc vitium facilè incautam ju-

ven-

ventutem, admiratione novitatis, ſeducit. ut mihi evenire adoleſcenti memini. Sidonium Apollinarem, uti & hunc Nepotem venerabar. deſipiebat Maro, talia venabar.

Oſtricolor pepli textus, quem fibula torto
Mendax dente vorat. *Apollin.*

Verum apage hac inſania, quam ſi ſequamur brevi ad barbariem degenerabimus.

Hæc attuli ut intelligeres quò tropi ac metaphoræ præſertim tam ad elegantiam quam inanem tumorem efferre poſſint, ſatis abjectam cetera poeſin. Porrò de hoc ego Poeta ſentio ſuperioris eſſe ſeculi, quique Britannus fuerit. quod carmen deinde ab imperitis Cornelio Nepoti & Romano veterum ævo malè adſcriptum ſit. Quid enim illa ſibi carmina inſerta volunt? Quod, niſi ab Argonautis reperta navis fuiſſet:

Non noſſet Memphis Romam, non Indus Iberum,
Non Scytha Cecropidem, non noſtra Britannia Gallũ.

Iber autem, ſive Hiſpanus, ſuperiori primùm ſeculo Indiam frequentare cœpit. unde neque ex Darete hæc transferri potuere.

CAPUT VII.

In quo carmine tropi & allegoriæ audaciores locum habeant, cum cenſura Perſei.

Concludam illam de tropis diſceptationem, ubi te docuero non in quovis carmine illam, translationum præſertim, audaciam tolerari. cum genere carminum augeri hanc, mitigarive: ad ipſam quoque rerum, quæ tractantur, naturam prudenter aptari. Idemque de Allegoriis obſervandum. In Eclogis atque inprimis in Satyris & Comœdiis plus libertatis atque audaciæ conceſſum eſt. Alias non dixiſſet Virgilius Ecloga 6.

Forte ſub *arguta* conſederat Ilice Daphnis.
Nec ibid. Invidia *rumpantur* ut ilia Codro.

Prima translatione remota, & impropria, altera audaci; Sic in Satyris Horatius Satyra 1. *teſtabitur de avaris loquens.*

—— Sunt qui
Fruſtis & pomis *viduas venentur* avaras.
—— Lacus & mare *ſentit amorem*
Feſtinantis heri, cui ſi vitioſa *libido*
Fecerit auſpicium.

Modeſtè ſatis, longè audacius Perſius Sat. 1. dicit ebrium Poetam verſibus recitandis captare famam.

Sed legens celſa, liquido cum *plaſmate* guttur
Mobile *colluerit, patranti* fractus *ocello.*
Hic neque more probo videas, neque voce ſerena
Ingentes trepidare Titos: cum *carmina lumbum*
Intrant, & tremulo *ſcalpuntur* ubi intima *verſu.*
Tun' vetule auriculis alienis *colligis eſcas?*

An non hæc eſt manifeſta ineptia? Quomodo bibens *plaſmate* guttur *colluit?* cur ebrius cæcutiens, aut oculis fractus, *ocello patranti* eſſe dicitur? quomodo carmina ab audiente ægrè excepta, *lumbum intrant*, & *ſcalpunt viſcera*? Quod eſca aurium dicantur hoc in Satyra toleremus. Sed Perſium præter antiquitatem non multa commendant, quamvis alicubi Satyricum eruditè ſalem ſpargat. Luce dignior niſi obſcuras ubique captaret allegoriarum tenebras

Elegantiori planè audacia Iuvenalis *Saty.* 1. De Poëmatum lectoribus quibus ſe & ipſa ſaxa fatigata hyperbolicè aſſerit.

Semper ego auditor tantum, nequamne reponam
Vexatus toties rauci *Theſeide* Codri? —
Frontonis Platani, *convulſaq; marmora* clamant
Semper, & aſſiduo *rupta* lectore columnæ.

Liberior planè comicis metaphorarum uſus. multa in Plauto ejus generis laudantur. Ita in Trinummo

Nam ſi in te *ægrotant artes* antiquæ tuæ — (vem.
Omnibus amicis *morbum* (dolorem) tu *incuties* gra-
Qui *exædificavit ſuam inchoatam* ignaviam.

Ubi vero res ruſticæ ridiculæ ſordidæ, ad reprehenſionem ſpectantes, metaphoræ quoque à rebus humilioribus ad rem accommodè traducendæ erunt. Unde licet illud Plauti de Rege malè uſu paveris, in re gravi,

Fermento illi increvit pectus Et *Cor ſalit hiſtrionicam.*

Perſonæ tamen humili rectè conveniet. Ita ex eodem, *Crucis Cimelium* de homine improbo, & iratus de ſe *Ætnam quam gero in pectore evomam*, aptè dixerit. Verùm non niſi in comœdia.

Allegoriæ etiam, & quandoque Ironiæ & proverbia, in Eclogis, Satyris (quo & Scazontes revoco) tum & comœdiis locum habent. De Eclogis palam, quæ magnam partem allegorica ſunt In Satyra prima ſtatim Horatius allegoricè queritur, ſe à Mecœnate ad ſcribendum rurſum impelli:

Spectatum

Spectatum ſatis, & donatum jam rude quæris,
Mecœnas, iterum antiquo me includere ludo.

Et mox, ſuaſum ſibi eſſe, ut à ſcribendo jam ſenex temperet.

Eſt mihi purgatam crebrò qui perſonet aurem:
Solve ſeneſcentem maturè ſanus equum: ne
Peccet ad extremum ridendus, & ilia ducat.

Proverbiale eſt, quo ſe Iuvenalis jam puerum negat Saty. 1.

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus.

Ironicum. cum eadem Satyra improbos in Rep. aſſerit malè extolli.

Aude aliquid brevibus hyaris, & carcere dignum
Si vis eſſe aliquid.

Allegoricum ex Plauto eſt, quo ſe hoſtem timere negat.

Si illi machæra, nobis romphæa eſt domi.

Proverbiale quo dicit bene cœptis inſiſtendum.

Exorſa eſt tela perbene, licium ne ruperis.

Elegantiſſimæ allegoriæ illæ quæ puræ non ſunt, verùm interinixtis verbis propriis lucem accipiunt. Suntque comicis inprimis ac Lyricis etiam familiares. Sic *Horat. Ode* 1. *lib.* 3. docet Principes à timore mortis, non eximi.

Æquâ lege Neceſſitas
Sortitur inſignes & imos,
Omne capax movet urna nomen.
Diſtrictus enſis, cui ſuper impia
Cervice pendet: non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem &c.

Eodem libro Horat. Od. 21. *ebrioſorum affectus in amphora deſcribit.*

O Nata mecum Conſule Manlio
Seu tu querelas, ſive geris jocos,
Seu rixam, & inſanos amores
Seu facilem pia *teſta (amphora)* ſomnum;
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumq; duro &c. addis cornua pauperi &c.

Porrò facilè eſt has allegorias reperire; cum ex aptis comparationibus exemplorum aut ſimilium traducantur, ſintque ſolum metaphoræ continuatæ, in quâ ſemel traductâ perſiſtitur. Quod ex Horatii exemplo Odes 2. lib. 4. manifeſtum erit.

Pindarum quiſquis ſtudet æmulari
Iule, ceratis ope Dædalea
Nititur pennis vitreo daturus, Nomina ponto.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem ſuper notas aluêre ripas,
Fervet, immenſuſque ruit profundo Pindarus ore.

In prima ſtropha allegoria eſt, quæ poterat eſſe comparatio, ſi pro *ope Dædalea* ſubſtituas, *velut Icaræis.* contra in altera ſtropha comparatio eſt, quæ in allegoriam vertetur, ſi ſublato *velut*, ſufficias *erat* Ita paulò poſt idem Horatius allegoriæ comparationem ſubjicit,

Multa Dircæum levat aura cygnum, (*intellige Pindarũ*)
Tendit Antoni quoties in altos
Nubium tractus. Ego apis Matinæ More, modoque,
Grata carpentis thyma, per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas, operoſa parvus Carmina fingo.

Non tamen ex ſolis comparationibus (quemadmodum metaphoræ faciunt) omnis allegoria ducitur, verùm etiam ex aliis tropis præſertim metonymia, ut ſupra liquet in exemplo de amphora ex Horatio, ubi effectus pro cauſſa adhibetur: & altero Plauti de Machæra, ubi cauſſa pro effectu ponitur. ſed rarior harum eſt uſus.

Hæc, quibus ultrò immoratus ſum, ubi ſemel apprehenderit Poeſios ſtudioſus, magnum ad varietatem, amœnitatem, dignitatemque carminis profectum fuerit. Concludo eleganti allegoria Senecæ: qui ut oſtenderet, magnam fortunam timendam, amandam mediocrem. *Sic Agam. act.* 1. diſſerit

Feriunt celſos fulmina montes.
Corpora morbis majora patent. felix mediæ
Quiſquis turbæ parte quietus,
Aurâ ſtringit litora tutâ;
Timiduſque mari credere cymbam,
Remo terras propiore legit.

CAPUT VIII.

De facili epithetorum copia & varietate comparanda.

EPithetorum magna in carmine vis eſt, ſive ad varietatem ornatum & copiam, ſive ad deprimendam extollendamve, pro rei dignitate, orationem. Horum inveniendi facultas, ut Poetam propemodum facit: ita ſterilitas aſpirantem excludit.

Error

Error hic quorundam rudem juventutem in hac palæſtra exercitantium eſt. qui libros illi epithetorum ſufficiunt, unde ad complendos verſus idonea hauriat vocabula: quæ proinde ſine diſcrimine quodlibet obvium, ad hiatum carminis complendum maximè opportunum, arripit, parum ſolicita, quâ illud ſignificandi gratia uſurpetur. Quocirca horum nobis imbecillitas fulcienda inprimis erit. Quod fecero, ubi primùm inveniendi copiam; deinde uſum oſtendero.

Epitheta univerſim vel ex re ipſa, vel ejus adjunctis petuntur. Quare inprimis rei ipſius natura, deinde perſona quæ illâ utitur, denique rei actio ac paſſio, quantitas ac qualitas, locus ac tempus expendi poſſunt. quæ hoc verſu complector. *Quis? quid? agens, patiens, quantumq; ? ubi? qualia? tempus.*

1. Res ipſa ejuſque cauſſæ, ut efficiens, materia, forma, ac finis examinata uberem epithetorum ſegetem dabunt. Ponamus exempli loco, *arma movet.* pro qua phraſi amplificanda quærantur epitheta. Age ad rem ipſam attende, & primò cauſſam efficientem.

Quæro. Quis hæc arma *fecit?* reſpondebis poetico more. Vulcanus vel Cyclopes. Appella igitur *Vulcania*, vel *Cyclopea* arma. ut Virgil. Claudian &c. Quæro iterum. ex qua conſtant *materia?* Dices ex ære ferro argento. Dic igitur arma *ahenea, ferrea, argentea* &c. Ita Virgilius

— Latus omne ſub armis *Ferrea* ſcuta tegunt. Et

— Humero ſimul exuit enſem *Auratum.*

Quæro tertio quæ eſt armorum *forma?* reſpondes Thorax v. g. fuit *ſquamatus, pictus* aut *cælatus* figuris. galea *criſtata hamatum* ferrum &c.

— Hamatâ percuſſit arundine Ditem. Ovid. 3. met.

Seu caput abdiderat criſtatâ caſſide pennis Id. 8. met.

Quæro denique. Quis finis armorum? reſpondes, bellum, pugna, victoria, triumphus &c. Dic igitur *bellica* arma, *pugnantia, victricia, triumphantia.*

— Hoſtem *victricibus* obruit armis.

2. Expende actionem ſive illa quæ per arma efficiuntur. ut ſunt profuſio cruoris horror, formido, vaſtatio regionum, cædes & funera, &c. Dic igitur *ſanguinolenta, triſtia, cruenta, vaſtantia, funeſta, lethalia, exitialia, formidabile* telum *horrendum* &c.

Exitium dirum haſta *ferens.* Virg. l. 9. & *Lethifer* arcus. id.

3. Paſſionem, ſive ea quæ arma patiuntur, aut quo

tractari poſſint conſidera. ut cudi ſolent, quaſſari, torqueri, mitti &c. hinc *cuſa vibrata quaſſata torta* manu. aut ferrum *intractabile, vibratile, tortile, miſſile,* aut *volatile* telum.

4 Quantitas rei perpendatur, quam ſcilicet alta, profunda, lata, & longa ſit. aliqua hinc tibi epitheta ſuggerentur. ita *ingens, oblonga, elata* haſta dicitur, *Immenſum* ferri pondus &c. Sic Virgil.

— Validis *ingentem* viribus haſtam Contorſit.

5 Qualitas rei conſideratur, quæ ſi vivens ſit tam illa quæ animi, quàm quæ corporis eſt, & tam affectuum, quàm ſenſuum ponderatur. Vnde ingens manat epithetorum copia. Si enim interrogeris Qualis v. g. Ulyſſes fuerit? quoad animum reſpondebis. Sapiens, aſtutus vafer, animoſus, fortis. quoad corpus, formoſus, robuſtus, ſanus, erectus &c. quoad affectiones cupidus iracundus, audax, libidinoſus: quoad ſenſus viſu acer, perſpicax, lingua promptus &c. Ita de herba vim primo interiorem, quod medica, ſalubris, mordax, amara; deinde ſpeciem externam perpendes. quod viridis florens, comata, aſpera, aut mollis ſit. De armis cum ſint inanima, præter externam ſpeciem nihil hoc loco conſideratione dignum. Vnde cum forma (de qua ſupra) ferè coincidit qualitatis hoc loco examen. Reſpectu ſenſuum noſtrorum ita illud rectè inſtitues. qualia ſunt arma viſu? *ſplendida,* dices *coruſca, rutilantia.* aut contra *obſcura, rubiginoſa, ſqualida,* cruenta. Qualia eadem arma ſunt tactu? *levia,* inquies, aut contra *aſpera*: *dura,* aut contra *mollia. levia* aut contra *gravia.* Qualia auditu? *horriſona* dices *tinnula, horrida, ſonantia* Reliquis ſenſibus non percipiuntur. herbam quoad guſtum & odoratum pari ratione licebit expendere. En ſecundam epithetorum venam.

— Ille *rudem* nodis & cortice crudo
Intorquet ſummis adnixus viribus *haſtam.* Virgil.

6. Locus conſiderandus eſt, ubi videlicet orta, inventa, aut uſurpata res eſt. Ita *ætnea* dices arma, quod in ætna cudi à Vulcano fingantur. *Getica, Scythica, Germana, Itala* à terris unde elata. *Ita Virgil. l. 2.*

Laterique; *Argivum* accommodat enſem
Volat *Itala* cornus Aëra per tenuem &c. *Id l. 9.*

Obſervandum verò eſt Poëtas his inprimis epithetis delectari. nec ſolum à loco proprio rerum, verùm & communi, eoque percelebri, illa accerſere. ita *Noricus* enſis, *Gnoſſia* ſpicula pro

quovis

quovis eximio enſe vel ſpiculo: uti Falernum, vel Maſſicum vinum, pro generoſo quolibet vino ſynecdochicè accipitur. Vt proinde ne hoc ornamento Poëta deſtituatur, loca certarum rerum poſſeſſione celebria in promptu eſſe conveniat.

7. Temporis quoque conſideratio nonnunquam juverit: hoc quod ſubitò, improvisò, quod noctu, aut veſperi &c. factum ſpectat. Vnde *Nocturna Matutina, importuna, ſubita*, arma dixeris. Quæ epitheta *nonnunquam ad ipſas perſonas transferuntur Ita Virg.*

Nec minus Æneas ſe *matutinus* agebat.

8. Denique perſona, ad quam res ſpectat, epitheta ſuppeditat. Ita ab Achille, Hercule, Marte, arma *Achillea, Herculea, Mavortia* dicuntur. Quo loco iterum obſervandum eſt hæc epitheta per ſynecdochen quoque pro quibuſvis armis nobilioribus uſurpari. adeóque fecundo vati expedire, ut & rerum inventores, aut qui quaque in re excelluerint, in promptu habeat: ne elegantioribus epithetis deſtituatur.

Deinde & illud notandum, ubi non rem, ſed perſonam ornandam epitheto habueris, à proavis ac majoribus illa peti quæ patronymica vocantur (quanquam & à patria ſumantur) hinc Æneas Anchiſiades à patre, Dardanius à Proavo, Cythereïus à matre Venere, ut Iliacus & Phrygius à patria nuncupatur. quibus etiam epithetis magnopere Poetæ delectantur

Nondum hic omnis facundiæ exhauſta penus eſt. Plura etjamnum ac ceteris ferè elegantiora epitheta, quæ rebus per metaphoram tribuuntur, poſſuntque ex iiſdem quibus propria hauriri fontibus, Perſonæ tamen & Qualitatis conſideratio inprimis eſt fecunda. Quidquid enim de perſonæ, prout in uſu armorum verſatur, dicitur, id translatè ad arma refereturr.

Quæro igitur quis ille armatus? ſi dicas eſt Gigas, heros, ruſticus, vel miles, hoſtis vel amicus: arma ego *gigantæa, heroica, ruſtica, militaria, hoſtilia, infeſta* vel *amica* dicam

Quæro iterum qualis iſte miles? ſi reſpondes, *ferox, crudelis, ſceleratus atrox*, vel *mitis & clemens, fidus*, aut *infidus, violentus, inviſus, inſanus mœſtus &c* eiſdem ego titulis arma donabo.

Denique quid agit, aut patitur? quæro. dicis illum furere, aut horrere, vel trepidare. unde *horrentia, trepidantia, furentia* appello arma.

Ab aliis etiam comparatis unde translationes petuntur, augere hunc cenſum licebit. ut ſi à tonitru *tonantia*, à fulmine *fulminea* nuncupes.

—Tergo *ſceleratam* intorſerit haſtam. *Virg.l.2.Æneid.*
—Rurſuſq; *trementia* forti Tela manu torſit. *Ov.in met.*
—Duplici ſquama lorica *fidelis*. *Virg.l.9.*
—*Fidoq;* accingitur enſe. *Virg.l.7.*
—*Violentaq;* ſumere tela Rex jubet. *id.*
—*Horrentia* Martis, Arma cano. *lib.1.*

Simili exercitatione per hos epithetorum fontes ducendus poeſios candidatus, ut hanc copiam aſſequatur. ſine qua difficile erit Vatum prenſare lauream. Et verò etiamſi nonnullæ ex his venæ ſteriles fuerint, alicubi ſeſe neceſſaria affundet ubertas, non epithetorum modo, verùm & phraſium ac ſententiarum, ut mox intelligetur. Iam de ornatu, & delectu epithetorum, res paulò erit diſſerenti facilior: & prompta utenti, niſi crudo immaturoque judicio acceſſerit.

CAPUT IX.

De ornatu & delectu epithetorum, cum veterum Poetarum cenſura.

EPithetorum uſus partim ad neceſſitatem, partim ad ornatum eſt comparatus. Neceſſarius primò eſt, ut rem diſtinguat. ut ſi dicam, *Suecica* arma *Teutonicis* illata terris, utrumque epithetum diſtinctivum eſt. 2. Vt rem vel extollat, vel minuat: ut *imbelle* ferrum, minuit: telum *ingens* extollit Quæ paria rebus ſunt epitheta, niſi ornent, otioſa ſunt atque inutilia. Plus in illa re Græcis quam Latinis conceſſum. quod eis mollities luxuſque nativæ linguæ pluſculum indulgere videatur. quanquam Homerus hoc titulo vapulet, quod nimium abundet epithetis, iiſdemque identidem recurrentibus nauſeam moveat. Ita in Odyſſeæ γλαυκῶπις Ἀθήνη *glaucis oculis Minerva*, & in Iliade: Θεὰ λευκώλενος Ἥρη Dea albas ulnas habens Iuno, per unam quandoque pagellam tertiò quartóve reducitur, locis ubi nulla pulchritudinis ratio.

Ornatus orationis, uti corporum, in cultu ac velut colore quodam verborum conſiſtit, quo illa, propter raram elegantiam, legentis ſive audientis animum delectatione perfundant. Duo igitur requiruntur. ut, & rarus ſit cultus (nam vulgaria faſtidio obnoxia ſunt) & illuſtris, qui ſenſum animumque pulchritudine quadam & dignitate teneat. ad quod omnino neceſ-

ſarium eſt, ut rectè ac penitus percipiatur. incognita enim quantumvis illuſtria, oblectare magis nequeunt, quam pretioſæ epulæ, quarum nullus eſt guſtus. Quæ cauſa cur obſcuritas in epithetis ſit evitanda.

Alius ornatus eſt in verbis ipſis; alius in eorum collocatione. In vocabulis ea reliquis præferuntur, quæ & rariora, & ſignificantiora ſunt. Quocirca univerſim translata propriis in carmine præferuntur: cum in dote utraque propriis ferè præſtent. quod aptam ſimilitudinem cum rei ipſius cognitione ſimul animo objiciant, adeoque rem ſenſibus per notius aliquid, ſive illuſtrius magis exponant. Sic *audax* vel *implacabile* ferrum in colla Tyranni ſtringere. *fulminantem* acinacem vibrare, ornatius eſt, quàm ſi *dutum* aut *acutum* ſtrinxiſſe ferrum aſſeras. Eodem ſpectant epitheta per hyperbolen elata. ut *ferrea* vox, *plumbeæ* iræ, pectus *aheneum*: pro *aſpera*, *gravi*, aut *dura* re eleganter uſurpantur. Quæ inprimis ad rem quamlibet, vel deprimendam, vel extollendam faciunt. nam & *Semivirum* Æneæ comitatum Dido per contemptum inſignem dixit: & contra, *Semideum* heroa Iaſonem, Statius eximia laude appellavit.

Alterum locum in ornatu ſibi vendicant epitheta à perſonis per ſynecdochen uſurpata. ut *Mavortia* aut *Herculea* arma: cum translatis præter ſignificationem propriam ſimul exemplum alienæ virtutis complectantur. Vbi vitandum omnino erit: ne ab humilibus aut ignotis perſonis epitheta deſumantur, ſed ab iis tantùm, quæ eam re, de qua agitur, vel inventione, vel tractatione publicam excellentiæ famam meruêre, nullis aut paucis ſecundi. ita *Neſtorea* aut *Druſana* appellare arma, à Neſtore ac Druſo, pro generoſis armis, non permiſerim, cum Neſtor licet notæ fortitudinis, Achilli tamen ſuccubuerit, Druſus etiam minori armorum laude innotuerit. Sic egregiè pictam tabulam *Apellæam* non tamen *Pauſoniam* rectè dixeris, quamvis & Pauſon pictoria celebris arte fuerit: cum ille & minus obſcurus, & princeps artis habeatur. hic in utroque cedat. Huc etiam ſpectant quæ â gente quapiam celebri epitheta per ſynecdochen adhibentur. ut *Scythicus* arcus, *Amazonia* ſecuris, pro quavis inſigni arcu, aut ſecuri. Adde montium, regionum, aliorumque locorum nomina: ut ſi leonem ferocem *Maſſylum*, aut *Marmaricum* appelles; ſtagnantes aquas *lernæa* ſtagna; vitem fecundam, *Falernam* dicas. In quibus lex

eadem te obligat: ne ignota, etiam mediocriter peritis, loca genteſque adhibeas: nam, ut gratia metaphoræ, & oblectatio ex cognitione adhibiti eſt ſimilis (quod non modò illuſtrius, ſed & notius eſſe debet, ut rem præſentius ſignificantiuſque ſenſibus exponat) ita in hac ſynecdoche ſpeciei, quam hæc involvunt epitheta, voluptas ex recordatione illuſtris viri, gentis, aut loci conjuncta rei ſignificatæ exiſtit. nulla autem poteſt ignoti eſſe hominis, aut loci, cum voluptate memoria: neque illius rei intelligi dignitas, quæ eſt incognita. Quare humiles, nec peregrè celebratos, ſuæ patriæ montes aut flumina his adhibere epithetis, vitioſum illi fuerit, qui univerſo Romano orbi poëſin meditatur, qua in re nonnemo hujus ſeculi Poetarum, ceteris dotibus excellens, non rarò impegit. Quocirca aurum cum quibuſdam non appellem *Callaicum*, ſed potius *Ibericum*. quia licet *Callaici* apud Ptolomæum Hiſpaniæ populi ſint: tamen hoc nomine paſſim ignorantur. Poëtæ igitur facundo inprimis eſt neceſſarium, in Geographia, nobiliorumque cum locorum, tum rerum cujuſque nationis cognitione peritum eſſe. In locis præcipuè eminent montes & flumina; in rebus animalia, opes, & artes earumque inſtrumenta. quæ cognitio adeo vaſta non eſt, quin facilè poſſideri queat.

Hoc tamen magnopere obſervandum in graviori poëſi (ut heroica & lyrica eſt) frequentiora hæc eſſe, quam in mitiori carmine epitheta. Deinde epitheta maximè ex re nata deſumenda eſſe, quæque neceſſitate ſimul, atque ornatus gratia accerſantur; ne otioſa videantur. neque producta nimium & grandia coacervanda; ne frigida aut inani tumore inflata credantur. grata omnino varietas: ut alia propria, alia metaphorica, ſynecdochica, alia grandiora, minora alia. quò vitetur obrepens in eadem re faſtidium. Quod tamen accommodè ad ipſius carminis genium dictum volo: cum aliorum alibi ſit uſus frequentior. Audiamus Statium 1. Theb. v. 143. cujus hac in re cura negligentior, nobis offenſionis declinandæ cauſſa eſſe poterit.

Et nondum *craſſo* laquearia fulta metallo,
Montibus, aut latè *Grajis effulta* nitebant
Atria, *congeſtos* ſatis *explicitura* clientes.
Non impacatis Regum advigilantia ſomnis
Pila, nec alternâ ferri ſtatione *gementes*
Excubiæ, nec cura mero committere gemmas,

Atque aurum *violare* cibis. ſed nuda poteſtas
Armavit fratres.

Diſplicet primo epithetum *craſſo* à quantitate deſumptum: cum hoc loco de palatiorum decore ac pretio agatur: adeóque epithetum à forma, vel qualitate: aut certè à locorum æſtimatione deſumendum erat, ut præſtantia aularum commendari poſſet quare *fulvo rutilo* aut *Lydo* aptius dixeris: intelligo enim deauratis fulcris trabibuſque innixa laquearia: nam ſi æreis columnis niti tradat (quod prorſus inſolens) epithetum extra reprehenſionem eſſet. *Montibus Grajis nitebant atria*, id eſt, per ſynecdochen; muris & columnis ex lapidibus montium nitebant; ſed quid Graji montes rurſum, aut lapides ad nitorem? an non rectius Grajo aut Spartano vel Pario marmore? Quid deinde *effulta* cum priori verſu fulta dixiſſet? an non aptius effoſſa? certè atria montibus effulciri, parum eſt dictum propriè; at atria montibus effoſſa, nemo jure culpaverit. Pergo. cur dicit *congeſtos* clientes? ſatis id quidem aptè ſi in arcto tugurium cogerentur: at cum per lata atria explicentur, ſuperbum aliquod & ampullatum regiorum clientum epithetum exſpectarem. malim Aſſyrios, vel Mygdonios purpureos, bullatos, aut prætextatos. Erit forte etiam, cui vox illa *explicitura*, quamvis longa, ſua tamē mediarum ſyllabarum tenuitate diſpliceat. ego diſtichis, quàm huic loco aptiorem habeo. Sequitur carmen granditate epithetorum ſuſpiciendum. neque hoc omnino ad rem accommodè. quæ enim res tanta excubare ad Regis inſomnis oſtium? dixerat explicitura atria, & mox *advigilantia* pila *impacatis* ſomnis: nimis, ut apparet quæſitè longis vocabulis, cum ante duos verſus mora *perduratura* præceſſiſſet. Subjungit *ferri* ſtatione *gementes* excubiæ. quis verò unquam ferro cenſuit militem gemere potius, quàm ſtridere aut ſtrepere? dicendum itaque ſtrepentes. Quod addit *gemmas mero* committere: forte rectius certè apertius erat, merum gemmis committere: cum illud incerto ſenſu fluctuet. Poſtremò quod cibos affuſos aurum *violare* dicat: audacius quàm congruentius facit. Illud, *nuda* poteſtas: apto, de tenuioribus Regibus, epitheto pronuntiatum eſt.

Expendamus & Claudianum, quo nemo Poëtarum in uſu epithetorum tam ad decorem, quam tumorem luxuriantior. Ita in Raptu Proſerpinæ orditur.

Inferni raptoris equos, afflataque curru
Sidera Tænario, caligantesque profundæ

Iunonis

Iunonis thalamos audaci promere cantu
Mens congeſta jubet.

Quædam aut tumidè, aut impropriè dicta. Quis enim non cenſeat tumidè Proſerpinæ *thalamos*, *caligantes profunda Iunonis* dici? quæ enim hic res grandis, atque illis digna verbis, quæ in ipſo ſermonis exordio hiantem ſuſtinent? Deinde *afflata* à curru ſidera, nec propriè, nec tropicè rectè dictum; cum currus non afflet, ſed equi. quos modò nominatos, iteratò non debuit per currum intelligere. Adhęc cur *audaci* cantu promit, rem fabulosè ridiculam, nec heroicis dignam verſibus? Quid denique *congeſta* ſibi vult? neque enim menti convenit. ſi verò rebus congeſtis, ſatis id quidem frigidè, & impropriè. taceo, quòd mens non tam *jubeat*, quàm ſuadeat: & quod univerſim equos & afflata curru ſidera, pro exordio ſuæ expoſitionis adferre, ſatis minutum ridiculumque ſit: ubi de nefando Plutonis raptu, Deorum violentia, ruptis naturæ legumque federibus ſermo auſpicandus fuerat.

Sed ne dignam quoque laudem maximis Poetis denegemus. qui per egregium ſæpe epithetorum uſum, ſublimi pauciſque imitando incedunt paſſu. alibi eodem in libro de ſerpentibus hiſce ſcriptum elegantius:

— Ad Phrygios tendit ſecura penates, (videl. Ceres)
Turrigeramq; petit Cybelen, ſinuoſa Draconum
Membra regens, volucrique per avia nubila tractu
Signant, & placidis humectant frena venenis.
Frontem criſta tegit, pingunt maculoſa virentes
Terga notæ, rutilum ſquamis intermicat aurum.

Quam appoſitè nunc *ſinuoſa* membra, nunc *maculoſa* vocantur. quam apto tropo avia *nubila* & venena hoc loco *placida* dixit. Diſplicet tamen *per nubila ſignant*: ubi conſtructio, ſenſuſque deficit, & *ſignant*, in principio verſus, celeritatem indicandam remoratur. unde malim. *Volucri rapiuntur in avia tractu Nubila, & innocuis humectant frena venenis.*

Idem paulò ante graviter eruditéque dixerat. Plutone loquente tacuiſſe cerberum, & Cocytum, ac Phlegethonem averni flumina ſubſtitiſſe.

—Tremefacta ſilent dicente tyranno
Atria, latratum triplicem compeſcuit ingens
Ianitor, & preſſo lacrymarum fonte reſedit
Cocytus, tacitiſq; Acheron obmutuit undis,

Et Phlegethonteæ requierunt murmura ripæ.

Ipſum penè lectorem hæc attonitum ſilentemque, apta in re tanta gravitate, detinent. quam rectè *tremefacta* atria, *ingens* Ianitor. *preſſo* fonte, *tacitu* undis, dictum! ut eruditas in verbis metaphoras tranſeam. Nihil in hac oratione obelo dignum.

Certat oratione in re pari victor etiam Statius ubi Tiſiphonem lib. I. Theba. ita deſcribit

Talia jactanti crudelis Diva ſeveros
Advertit vultus. inamœnum forte ſedebat
Cocyton juxta, reſolutaque vertice crines
Lambere ſulphureas permiſerat anguibus undas.
Ilicet, igne Iovis, lapſiſque citatior aſtris
Triſtibus exiliit ripis. diſcedit inane
Vulgus, & occurſu Dominæ pavet. Illa per umbras
Et caligantes animarum examine campos
Tænariæ limen petit irremeabile portu.
Senſit adeſſe Dies. piceo Nox obvia nimbo
Lucentes turbavit equos. procul arduus Atlas
Horruit, & dubiâ cœlum cervice remiſit.

Hoc metro ſtyloque ſi ubique incederet Statius, & tam aptis epithetis, metaphoris, phraſibus cum majeſtate lucem afferret, Virgilio haud eſſet inferior. Non expendo. quòd ſingula laudem mereantur, grandia etiam verba in re gravi & difficili adhibita ſint: ut proinde, ex illius Poetæ more, nihil inaniter tumeat. Vt verò in uſu epithetorum, tum in reliquis poeſios docibus, ad rationem dijudicandis, lector paratior ſit: ante ſolutam expendat à numeris phraſin; ita facilius de ea habiturus judicium eſt. quòd numerorum cura ac modulatio nonnunquam ſenſum occupatum fallat. Hoc opinor ſi Virgilius feciſſet, dum Æneam de ſe ad Venerem loquentem introducit, non dixiſſet. *Sum pius Æneas.* Quid enim *pius* hic agit? nimia ſane de ſeipſo laus; neque extra carmen toleranda. quam etiam auget ſubjiciens. *fama ſuper athera notus.* modulata carminis gratia illud *ſuper athera* invexit; ſed non ſatis modeſtum hominem, hæc ſibi tribuentem, laudat Extra numerum hoc ſatis ad memoriam fuiſſet Æneas Trojanus dicor, famâ notus. Nimirum modulatius aures feriebat; *Sum pius Æneas.* Numerus tamen cum Poetam non faciat, ut viſum alibi, ejuſmodi defectus tueri non poterit. Hæc igitur regula ad epitheta inprimis

adhi-

adhibenda, ut appareat: num otioſa, aut idonea minus fuerint, adeóque rejicienda, aut mutanda ſint. ſi epitheto Æneam ornare ob gravitatem placeat, cur non dicamus?

Dardanium Æneam Phrygii dixére parentes.

Ita & ratio major generis peregrinæ venatrici conſtare potuiſſet.

Ornatus qui in collocatione epithetorum conſiſtit, infra rectius de compoſitione orationis tradetur. Hoc loco hanc tractationem abſolvam ubi monuero. Primùm epitheta quandoque per hypallagen licentia poetica permutari. Ita Virgil. De Priamo.

Arma diu ſenior *deſueta* trementibus ævo
Circundat nequicquam humeris. *Et in illo.*
Heu fuge *crudeles* terras, fuge littus *avarum.*

Et alibi. — Odium *crudele* Tyranni.

In quibus elegantiam conciliat tropus, ſine quo minor eſt gratia. ut *in illo Virgil. Æneid. 6.*

Ibant *obſcuri ſola* ſub nocte per umbras.

quod pro *obſcura* nocte dictum. idcirco, quod *ſola* juxta *ſub* ſignificantius eſſet, quam *ſoli*, ob literam a, illic opportune poſitam. ut intelligas quantâ religione ſonus etiam in carmine quæratur.

Alterum quoque obſervandum diligenter, in humili oratione præſertim, pronuntiatis ſententioſis moderatè admodum adhibenda epitheta, neceſſaria tamen ad plenam claramque expoſitionem non eſſe ſubtrahenda. circumſpectam quoque raritatem in ſublimiori dicendi genere uſurpandam; ne vim dictionis, ad affectus graviores quandoque comparandam, mora tarditaſque abſolvendæ ſententiæ elidat, aut certè ornata verborum pompa, attentione animi in ſe verſa, ſuſpendat. Mediocre ſcribendi genus maximè epithetis luxuriat: ut, quod ad voluptatem inprimis eſt inſtitutum. uti infra plenius intelliges. Nunc ex Claudiano verſus aliquot lubet expendere, ut videamus quomodo ad leges præſcriptas epitheta exigenda ſint. quod exemplis faciliùs, quàm præceptis capitur. Id univerſim de Claudiano cenſendum; nimio illum paſſim luxuriare epithetorum apparatu adeóque inter graviores Poëtas vix quenquam imitatu faciliorem eſſe, idcirco quod epithetorum haud difficilis ſit copia, atque delectus. Ad Serenam ita diſtichis ſcribit.

Orphea cum primùm ſociarent Numina tedæ,

Ruraque

Ruraque compleret Thracia feſtus Hymen.
Certavere feræ, picturatæque volucres:
Dona ſuo Vati quæ potiora darent.
Quippe antri memores, cantus ubi ſæpe ſonoræ
Præbuerant dulci mira theatra lyræ.

Primum carmen nimis ab epithetis nudum eſt. Quales enim hæ tedæ? an non connubiales & jugales potius, quàm funereæ: cur hoc indefinitum manſit? cur non, ludentem alias Orphea, modò depingit amantem?

In altero carmine *feſtus* per hypallagen non ineptè à tempore ad perſonam transfertur. In tertio verſu *picturatum* vox inſolens apud Latinos ab hoc loco etiam aliena. quid enim picturatum eſſe, facit ad certamen de conferendis muneribus? cur non ſimile datum feris; aut cur tam grande in elegiaco verſu avibus? In ſequenti diſticho duo epitheta ad *Lyram*, *ſonora* & *dulcis* adhibentur, quorum alterum abundat.

Valet tamen inprimis hic Poëta epithetis ad res extollendas. De ætna alius ita ſtrictim dixerit.

Fœdat nube diem, nimbos movet, aſtra laceſſit.

Ille ſolis epithetis eaſdem conſtructione ad eximiam dignitatem extollit, de raptu Proſerp.

Nunc movet indigenas nimbos, piceâq; gravatum
Fœdat nube diem: nunc motibus aſtra laceſſit
Terrificis.

In his omnia laude digna: *indigenæ* & *picea* aptè transferuntur. *Terrificis* rectè conſequitur, cum grave quippiam & inſolitum inferat.

CAPUT X.

Fontes unde rariora epitheta hauriuntur, ad facilem uſum patefiunt.

CUm in epithetis illa maximè difficilia ſint & rara, quæ à propriis locorum ac perſonarum ſubſtantivis adjunguntur, viſum fuit ea in re non ſine labore noſtro ſingulari, aliorum labori occurrere, & primo quidem verſibus aliquot præcipua orbis loca, unde hæc potiſſimum deſumuntur, ordine rudi, cum fluminum montiumque (à quibus frequens populorum deſcriptio petitur) accenſione, complecti. Tum deinde & quædam ſuis nationibus propria ac nativa percensêre: ut velut in brevi tabella

tabella aliquod imbecillis memoriæ ſubſidium, compendiumque longioris ſtudii propoſitum circumferat.

Itali & Italia.
Auſonii, *a* Oenotrii, Saturnia, gens, Tiberina.
His Ligures, Venetos, Carnos Hiſtroſque, Salaſſos,
Taurinos, Rhetos ſocia. *b* Vmber, Tuſcus, Etruſcus, *c*
Picentes, Marſi Peligni, molle Tarentum
Hernice, Volſce, Æquis, accede Sabine Latinis, *d*
Samnites, Apuli, Salentini, Calabrique
Lucani, Hirpini, Capuani, Brutie tècum. *e*

Inſula vicina Hiſpani & Hiſpania.
Sardinia & Siculi, Trinacria, Corſica juncta eſt.
Celtiber, Heſperius, Tarteſſia, Iberia tellus,
Bœtica, Granata, Andaluſia, Portu-galli.
Caſtilius, Vaſco, Gallæci, Tarraco, & Aſtur.
Atque Navarræus, Catalaunus, Cantaber adde.

Galli & Gallia.
Allobroges, celtæ, tum Vaſco, Nemauſius idem, *f*
Limovici, Alvernus, Picton, Biturix, Aquitanus. *g*
Andegavi, Senones, Turones Hedúi Cenomani. *h*
Lingones, & Sequani, *i* tum Nervius, Atrebateſque.

Germani inferiores in quibus Belgium, Iulia, Clivia, Hollandia &c.
Et Morinos Flandris, Eburones collige Tungris.
Menapios Geldris, Taxandros adde Zelandis.
Agrippinates Vbioſve, adjunge Iugernos.
Da Clivis, Batavos, Vahali, Rhenoque Sicambros,
Vangiones Mœno, Nemetes Spiræ, inde Treboccos.

Germani & Germania vetus.
Germanus, Alemanus erat, cum Thuiſtone, Teuto.
Mattiaci, Vſipii, Cimbri, Tenctri Friſiique. *k*
VVeſtphalus, & Saxo Catti-Melibocus, & Haſſus.
Alſata, Luſatius, Thuringus, Miſnie, Suevus.
Bojus & Auſtriacus, Siriuſque, Carinthius inde, *l*

Illyrici & alii Germanis mixti & affines.
Dalmata, & Illyricum, Sclavonia, Boſnia junge.
Noricus, atq; Gothus, Suecus, Panno, adde Sileſum
Helveti, & Ambrones, Tigurinis junge Tugenos.
Holſata, & inde Danus, Moravus, Pomeranus ibidem.
Hungarus, & Boëmus, Lithuano, junge Polonum.
Norvegos, Finnos, Islandos, Lappones adde.

Scote

a *Auſones etiam ac Auſonida.* b *ad Padum mare & Alpes.* c *ad Apenninum.* d *Romæ propiores.* e *in extrema Italia maritima.* f *in Gallia Narbon.* g *in Aquitania* h *in Gallia Lugdun.* i *in Lotharing.* k *juxta Rhenum.* l *ad Danubium.*

Britan. populi. Scote Caledonius Hiberne Britannus & Anglus

Græcia & ejus partes, populiq; & urbes celebriores.
Argolici, Graji, gens Attica, turba Pelaſga
Cecropii, Argivi, Danai, jungantur Achæi
Ætoli, Doris, Locris, (*Naupactus ibidem*)
Phocis (*ubi Anticyra, Cyrrha eſt, & Pythia, Delphi.*) a
Bœoti, (*Orchomenum, Leuctra hic, atque Aulis*) *Eleuſin*
Dat Megaris, *Marathonem* Attis, ſi jungis *Athenas.*
Aonii ſimul Ogygii, Cadmæis, Hyantis.

Peloponeſi partes, & urbes celeb.
Elis *Olympiacis*, & Achaïa nota *Corintho.*
Stymphalus, Tegea, Arcadiæ eſt *Pylus*, atq; *Corone*
Meſſenîæ. *Spartamq;* Laconia fert & *Amyclas.*
Argolis, *Argos* equis aptum hic, diteſq; *Mycena*,
Et ſilvis *Nemea* eſt, *Epidaurus* Numine, & herbis.

Epiri urbes & populi.
Hic *Dodona* Iovis, *Buthrotum* regia Pyrrhi,
Ambracia, Æacidum *Leucas*, tum Chaones, inde
Actiaci, tandem Phocæa, Moloſſia juncta eſt.

Macedones. Pœones, Æmathii, Pellæi, Mygdones iîdem.

Theſſali & Theſſ. urbes.
Myrmydonum, Æmonii, Magneſia terra, Pelaſgi.
Croja, Dyrrachium eſt, ac *Theſſalonica* celebris.

Creta ejuſque pop. urbeſque
Curetes, Creſſi, Cretes, Dictæáque junge.
Hic *Gortyna, Cydon, Gnoſſus, Manethuſa, Therapna.*

Inſulæ aliæ Græciæ finitimæ.
Corcyra ac Ithace Cephalenia, junge Zacinthus.
Et Scyrus, ac Lemnos, Mitylene, Cyclades, Andrus,
Et Paros, & Delus, Lesbos, Salamis, Sporadeſque,
Icaria, Ægine, Pathmus, leviora tacemus.

Extremi Europæi.
Thrax Valachus, Scytha, Longobardus, Sarmata, Dacus,
Bulgare Silvanus, b Moldavus, Tartare, Mœſus,
Ruſſia, Livonii, Podelaſci, Hunnique, Maſovi,
Caſſubii Samogitii junctique Boruſſi.

Aſia & Aſiatici.
Perſa, Phryges, Medi, Parthi, Lydiq; & Iones
Pamphilii, Cilices, Cares, Bithynia, Pontus,
Aſſyriique Palæſtini, tum cultor Idumes,
Phœniceſque, Petræus, Arabs, Nabathæus, Hebræus.

Inſulæ finitimæ.
Cos, Rhodus, atque Samos, Chios Lesboſque, Cypruſque.

Hic

a *Vrbes diverſo typo diſtincta ſunt.* b *Tranſilvanus.*

Ægyptii & urbes. Hic Peluſiaci, Mareotica, genſque Canopi,
Quique Paratonii dicuntur, Niligenæque
Hic Pharos, & *Thebæ*, tum *Memphu*, *Alexãdria.*
Africani. Maſſyli, Libyci, Mauruſius, & Naſamones,
Getuli tum Marmarici, Mauri, Numidæque.
Gens Africæ minoris. Troglodytæ, Cyreniaci, Garamantes, & Afri,
Æthiopes jungas, Abiſſinuſque Nigritæ.
Carthaginienſes. Punica gens, Pœni, Tyrii, *Carthaginu* heres.
Inſulæ Afr. Gorgades, Heſperides, Fortunatæque virentes.
America merid. Hic Braſili, Caſtella, Peru, nova *a* Spania, Cuba.
Septentr. Florida Virginia, & nova Francia, Mexica tellus.
Hæc Sinæ, regnum Congi, & Monomotapa claudat)
India Orient. Hic Cambaja, Pegu, Malabar, Narſinga, & Orixa.
Septentr. Et Bengala Sian Mogores Septentrio claudit.
Vrbes præcipuæ orbis. *Troja* Phrygi, *Thebæ* Tyriis, *Carthagoq;* Pœnis
Roma Italis, *Babylon* Perſis, Græcis & *Athenæ.*
Gallis *Pariſium*, *Amſtelodamum* porrò Batavis
Germanis *Auguſta* placet, *Antuerpia* Belgis.
Iudæis *Solyma*, *Byzanti* Mœnia Turcis.
Goa, *Malaca*, Indis, *Calecut* celeberrima dicta eſt.

Rudis hæc Coſmographia urbium gentiumque omnino eſt neceſſaria. Poëtis inprimis ac hiſtoricis: ut veró peregrina nomina facilius memoriæ inſiderent, neque ſua quantitate, quantum hanc aſſecutus ſum, ignorarentur, in rudia licet metra coëgi. ignorarentur. Nunc quoque neceſſarium ac perutile duco, præcipua fluminum montiumque adjungere nomina, ut quæ deſcriptionibus epithetiſque perquam ſunt opportuna.

Italiæ fluvii. Duria, Ticiniumque, Atheſis, Padus, *b* Addua, Lyris, Arnus.)
Aufidus, atque Tibris, Vulturne, Metaurus &
Montes. Maſſicus, Apennine, Alpes Gargane, Veſevus.
Siciliæ fluvii & fontes. Hypſa, Himeræ, Cyane, Terias, Geta, Anapus, Elorus.
Montes. Ætna, Pachynus, Eryx, Drepanum, Lilybæe, Pelorus.
Hiſpaniæ fluvii. Bœtis, Anas, *c* Minius, *d* Tage, *e*, Durie, *f* cedis Ibero. *g*

Mons

a *Hiſpania.* b *vel Eridanus dictus.* c *juxta Luſitanos.* d *In Galæcia.* e *in Luſit.* g *juxta Tarraconem.* h *in Tarrac.*

Mons. *Hic Pyrenæus* Sicaris *de montibus ortus.*
Galliæ fluvii. *Tardus* Arar, Rhodanuſque *celer*, Moſa, Sequana,
  Scaldis.
Matrona, cum Ligeri junctuſque Moſella, Ga-
  rumnæ.
Germaniæ fluvii. Luppia, Rura, Amiſis, Mœnuſque, Viſurgis, &
  Albis,
Danubius, Nierus, Lichus, Ænus, Viſtla, Viadrus.
Silvæ. Cæſia, *a* tum Martis, *b* Hercynia, *c* Luna, *d vi-
  reſcunt.*
Montes. Abnobæ, *e* juga, Suditi, *e tum* Rhætico, *f* Tau-
  nus. *g*
Illyrici &c. fluvii ac montes. Dravus & Vna, Driſon, Save, Arrabo, Boſna, Ti-
  macus,
Arſia tum Naron. Iuga Carpathus, Aureus adde.
Græciæ fluvii Phocis & Iſmenus, Cephiſe, Aſopus inundat.
Montes. Hic Helicon Parnaſſus, Othrys, Callidromus,
  Oeta.
Pelopon. fluvii. Eurotas, Penêus, Eraſinus, & Inachus, Alpheus.
Montes. Taygetus, Pholoe, Stymphalus, Tænarus adde.
Epiri flu. Hic Acheron, Acherusia palus, Acheloe, Celid-
  nus.
Montes. Hic Pindus Muſas habet, acroceraunia nubes.
Macedon. flu. Sperchius Strymon, Aliacmon, Chabris, & Ap-
  ſus.
Theſſal. mont. Pelius, Oſſa & Olympus, Hymettus, Athoſque,
  Cithæron.
Extremi Europæ flu. Viſtula, Narva, Chronus, Codánus, Duina, Tu-
  runtus.
Montes. Rhiphæi montes, Obiique, & Carpathus, addes.
Turciæ fluvii. Neſtus, Hebrus, Ciabrus, Tanaiſque, Boryſthene
  juncto,
Mœotis, Tyra, Patiſcus, Hieraſcus & Iſter.
Montes. Boſphorus, Orbelus, Rhodope, ſimul Iſmarus,
  Hæmus,
Aſiæ fluvii Euphrates, Tigriſque, Melas Iordanis, Araxes,
Cambyſes, *Medis* Cyrus, Suſiſque *Oroates.*
Cognitus & Phaſis *Colchis*, *Trojaq;* Scamandrus.

Bithynis

a *Veſalia.* b *Martiana Brunſvici.* c *Moravia.* d *VVirtenbergica.* e *Bohemia.* f *juxta Bennam ad Rhenum.* g *Moguntia oppoſitus.*

Bithynis Mæander Partheniuſque, Caice.
Tuque Caiſtre *tuis Lydis*, Xanthuſque *Chimaræ.* *a*
Et *Cilici* Cydnus, *Syris* Lyce, Belus, Adonis.

Montes. Caucaſus, atque Corax, tum Taurus, Oronta, Niphates,
Caſpius, Oriminus, tum Cadmus, Olympus, Amanus,
Phœnix, Ida, Chimæra, Mimas, Tmolus, Libanuſque.

Africæ fl. & montes. Nilus, Tuſca, *palus* Triton, Rubricate, Nigriſque.
Cinyphus, & Mulúcha. *b* Iugo celeberrimus Atlas.

Indiæ orient. fluvii. Euphrates, Hypaſis, Ganges, *c* ſimul Indus Hydaſpes.

a *Mons in Lycia.* b *Fluvii ſunt.* c *Auriſluvii.*

Nihil Poetis frequentius, quàm ab his nominibus Fluviorum ac Montium gentes, eorumque mores, regiones, ac fructus, merceſque deſignare. Sic Hiſpanos Bœticolas: trucem hominem Sauromatam, aut Thracem: chartam, quâ Ægyptus abundat, à Nilo ejus fluvio, Niliacam dices: aut etiam vinum à Maſſico campaniæ monte appellabis Maſſicum: aurum hydaſpæum dices &c. Quam in rem obſervandum tibi erit, quibus rebus gens quæque, ſeu Fluvii & montes abundent Ego paucis in præſenti ſubveniam, cetera (ne longior ſim) tuo ſtudio permittam.

Armentum Calaber, Friſo, Thrax, atque Britannus.
Datque *Aſinos* Antron, Arcaſque, dat Aſtur, & Argos.
Africa & Armenii *Tigres* dant, atque *Leones.*
Et *Pardus* Libycis, *Elephas* celeberrimus Indis.
Germanis *Vros*, Lituanis credimus *Vrſos.*
Hybla & Hymettus *Apes*, *Apros* Erymanthus habebit.
Hædus ab Ambraciâ, Melitâ *grus*, *Salmo* Aquitanis,
Pavo Samo, Numidis *gallina*, *anguilla* Timao.
Carpio Bænaci, Velitrarumque *ova*, Rhodique
Caſeus, Ægyptique *faba*, *Raphanique* Alemanni.
Iunge venafranum his *oleum*, *porroſque* Phaliſci.
Pomaque Phæacum, *lactucas* Cercellarum,
Et Capuæ *pepones* ſimul *aſparagoſque* Ravennæ.
Pactoluſque Taguſque *aurum* dabit Hermus, Hydaſpes.
Tuſcus *Aruſpicio* celebratur, *aromate* Perſa.
Aſpides Ægypti celebres, *abſinthia* Ponti.

Anguillis

Anguillis Ganges, *Auratis* gaudet Epirus.
Aſpagonum (a) *buxi*, ac *lauri* ſunt, *pomaque vitæ*.
Aſſyria eſt *Bombyx*, ab Hebræâ atque Elide *Byſſus*.
India *Beryllum*, Siculus ſubmittit *Achatem*,
Corycii Ciliceſque *Crocum* naſturtia Babîlon.
Vmber b nare ſagace: Lacon, valet ore *Moloſſus*,
Fidus Amyclæus; Melitæus blandus in ulnis.
Chaoniæ, Syriæ, Idaliæ, Paphiæque *columba*.
Donat Erythræum c conchylia, Lucrinuſque. d
Æs Dodona Cyprus Melite Themeſeque, Corinthus.
Noricus *enſem*, *angues* Calabri, *cygnoſq;* Cayſter,
Bilbilis, Eridanus, Tanais, Mæander, Amiclæ,
Maurus amat *citros*, dat Creta *cydonia*, cumæ
Dant *cepas*, *Ceraſos* Pontus, Phœnicia *cancros*.
Calceus ex Sicyone venit. *Cos* Lydius, & *calx*
Tiburtina placet; Melitæ & Mileſia *lana*.
Gryphes hyperborei, Maſſyli, Indique *Dracones*.
Aſſyrios *ululæ*, ſed Athenas *noctua* quærit.
Gargara, & Appuliæ, Moravi, Siculi, atq; Cremona,
Africa, & Ægyptus, *Cererem* dat Bœtis, Eleuſis.
Phæaces, Capua, ac Vivareſia e *fructus*.
Stat Libano *cedrus*, ſtat Olympo *laurus*, & Ida
Fraxinus atq; *Larix*, *pôplos* dat Creta Paduſque.
Palmam Ægyptus, Idume habet, ac Pharos: Ida *Cupreſſum*.
Saſſina *lac* umbris, datque Inſula Fortunata
Tarraco & Ægyptus Cumæ: dat *lina* Caryſtus. f
Finge Saguntinâ, aut Sâmia tellure *lagenas*.
Lilia dat Syria ac Suſæ g *lepores* Baleares. h
Attica *melle* frequens, Calabri, Siculique, Calydna. i
Vnio Taprobanæ, k *mulæ* laudantur Iberi.
Muranas Siculi, *Rhomboſq;* datura Ravenna eſt.
Dat *mullos* Boreas, Bajæ, Lucrinus, Abydus.
Oſtrea datque *lupos* Tibris, *piſce* Aulis abundat.
Thracia dat, Rhodopeque *nives*, Scytha, Taurus & Othrys.
Sunt Ponti Thaſiæque *nuces*, excellit Avella. l

K *Narciſſum*

a *Sunt Indiæ populi.* b *Canis.* c *Mare rubrum.* d *Lacus Campaniæ.* e *Pars Galliæ ad Rhodanum.* f *Ægypti inſula.* g *Vrbs Perſiæ.* h *Inſulæ.* i *Vna eſt Cycladum.* k *Arabiæ inſula.* l *Campaniæ urbs.*

Narciſſum Lycia,& Babylon *Naſturtia* gignit.
Bœtis & Eurotas,Claros,Sicyonque,Venafri
Dant *oleam*. Aſſyrius,Panchaîa,Sabæaq; *odores*.
Dat Nilus *calamos*,*chartam*,dat *ſtragula*,*vela*.
Pruna Damaſcus habet,Calaber *Pyra*,*porra* Tarentum.
Serpentes Afri,Mauri,Libyci,Sinueſſi.
Parthia,Creta,Cydon,Lycia,ac Gortyna *ſagittas*.
Geſa olim Galli,Macedo tulit antè *ſariſſas*.
Sal Hammoniacus,Biſontius,atq; Tarenti.
Sus Arcas,*Talpa* Bœote,Perſica *tela*.
Bajanas Capuæ,& *Thermas* laudamus Aquenſes.
Sit Parium,Phrygium,Spartanum,*marmor* & Idæ.
Cæcuba *vina*,Falerna,placent,& Maſſica,Chia,
Coa, *a* Moronæa,& Mareotica,Lesbia,Rheni.
Theſſalia,& Colchi,dat Pontus,Iberia *virus*.

De Italia hæc celebrantur.

Vrbs Patavî *ſtudiis*,Venetorum *Mercibus* ampla,
Et Genua eſt *Domibus*,*veterum* ſtat laude Ravenna.
Lucaq; *Marmoribus*, Vincentia Senaq; *ceris* *b*
Tibur amœnum hortis. Sed Roma,Neapolis omne eſt.

Notandum , quod pluribus ſæpe rebus unum tribui poſſit, à nominibus propriis translatum,epithetum.Ita cum Septentrio à frigore,& ferocibus populis celebretur. *gelu* rectè dixeris, uti & *bellum*:

Sithonium,Arctoum,Scythicum,Boreale,Gelonum,
Rhiphæum,Odryſium,Sarmaticumq; gelu.

Convenient igitur eadem epitheta *frigori* , *nivibus* ,*pruina*, *hiemi*,*&c*.nec tantum *bello*,ſed & *Marti*,*furori*,*atroci homini* *&c*. Ita Oſtrum appellas:

Sidonium,Oebalium,Tyrium,Coum,Attalicumque.

Ergo & *purpuram*, & *veſtem*, *Chlamydem* , *paludamentum* , *regiumque* omnem *ornatum* his epithetis donare poteris fecundiſſimus hic igitur adjunctorum campus eſt.

Non excludendi hoc loco rerum inventores , cum non minus epithetis ac deſcriptionibus rarioribus deſerviant. Quocirca præcipua quædam hic mihi delibare fas fuerit.

Muſicus Amphion. *Cithara* Terpander & Orpheus
Luſit. Mercurio *Lyra* ſervit,*fiſtula* Pani.
Palladi oliva virens horæ. logiumq; *c* Thaleti.

Me

a *Cos inſula vitifera*. b *Nobilium*. c *Pro horologio*.

Mel dat Ariſtæus, dat *vites* Bacchus, *aratrum*
Triptolemus, *frugeſq;* Ceres; ſed dura caballis
Frena Peletronii *ſiſtrum* dat Memphis, Apollo
Rem medicam, Navim Iaſon. Palamedis honori
Nonnulla in *Græcis* debetur *litera*, ſignis a
Nota gruum *Ars* Coracis Cadmiq; eſt docta loquendi
Sed dedit Aſſyriis litrâs Rhadamanthus, Anubis
Ægypto, Græcis Phœnix, Carmenta Latinis.
Eſt *tuba* Tyrrhei, Capanei *ſcala*, aſt Anagalis
Ferre pilam, Thymeles *ſaltus* Glyceræq; *corona*.
Purpura ut Alcidæ, ſic eſt *diadema* Lyæi.
Lydorum *tinctura* fuit, *pictura* Cleanthis.
Cum gladiis haſtam galeamq; tulêre Lacones
Tela dedêre Scythæ, *Pilum* Tyrrhenus, & *haſtam*
Velitis. *Amentum, jaculum, tum lancea* prodit
Ætolo Myſis *loricaſcutaq;* Prætis
Debentur. Cares *criſtas* reperêre, *ocreaſq;*.
Eſt *catapulta* Syri, *baliſta* & *funda* reperta
Phœnicum, Diadis *turres*, *aries* ſed Epæi
Artmonis b *teſtudo*, & Amazonis apta *ſecuris*.
Centauris debetur *eques*, tum *Scorpio* Cretæ.
Fœdera dat Theſeus. reperit *venabula* Piſeus.
Germanis *nitreus pulvis*, *Sclopiq;* reperti.
Servius *æs ſignat*, *nummos* Ægina reliquit.
Ægypti eſt *clibanus*, *pictor* Pilumnus habetur.
Cyclopes *ferrum*, ſed *lignum* Dædalus *arte*
Efformare docet, datq; *inſtrumenta fabrorum*.
Æs, aurum, ac lapides docuit nos *fingere* Cadmus.
Primus Erichthonius viſus *conjungere currus*.
Dædale tu *malum navi*, daſq; Icare *velum*.
Hoc, cùm Teuto, *typos reperit*, ſuperavit honore.
Sunt Rhadamantheæ *leges*, Darîq; *tributa*.
Primus *Olympiacis* Hercles *ornatur olivis*.
Hic *diſcus, curſus, ſaltus, pugil* atque *palaſtra* eſt.
Pythia pro pomo c celebrat tibi Græcia Phœbe.
In *Nemeis* apium victor lugubribus aufert.
Iſthmia dat Theſeus Neptuno, ſertaq; pinus.

a *Ex gruum ille volatu Græcas θ φ χ ξ deſumpſit.* b *Pro Arteme-ne.* c *Victori donari ſolita quanquam Ovidius æſculo coronatum di-cit.*

Univerſim his etiam, quæ ſingulis in gentibus, arte vel natura excellunt aut admiranda ſunt adjungi poſſunt.

Aſtrologos Babylon, Ægyptus, Memphis alebat,
Creta *ſagittiferos*, Perſæque, Scythæque geloni.
Andabatæ *clauſis oculis pugnare* feruntur.
Gloria navalis, ſtatuaria tollit Athenas.
Ornant *ſermo brevis*, legumque inventa Lacones
Boetos, fortemque Æginam *athletica* tollunt.
Et *cithara* exornat Mitylenem, *tibia* Thebas.
Chaldæi *vates*, Perſæ ſunt *luxurioſi*.
Vrbs dat Alexandri *Geometras, Grammaticoſque.*
Thuſcus *aruſpicio, magica* ſed Theſſalus *arte*,
Ingenio Græcus valuit, ſed *fallere nato*.
Parva fides Afris, Numidis *conſtantia*. Chius
Eſt *petulans*, Syrus eſt *avidus*, Galatæque *minaces*.
Brutius Argivuſque *latro* eſt, *fur* Anglus habetur.
Formoſi ſimul atque *agiles*. *mendacia fingunt*
Cappadoces, Cretes, Cilices. Perſaſque, vel Indos
Otia delectant. Lydorum crede *labores*,
Atque Phrygum. Ætoli, Locrenſes *fœdera frangunt*.
Sunt Cumani *hebetes* Bœoti, Thebanique
Eſt *levis* atque *alacer* Gallus: *gravis* atque *ſuperbus*,
Et *pius* Hiſpanus: *fortis* Germanus & *aſper*;
Candidus ingenio, ſed *tardior*; Italus *audax*
Et *vafer* & *lautus*, *iras deponere ſegnis*.
Humanus Belga eſt, ſed *mollis, laudis amator*.

Ex his non modo ſuppeditari rariora epitheta, verùm & Ironias eleganter concinnari conſtat. Vnde Punica, vel Afra, vel Græca fides. Cretenſis veritas, Cumana ſubtilitas, Numidarum conſtantia, inter Ironica habentur; uti Germanus candor, Laconica brevitas, luxus perſicus inter ornatiora dicta & vulgi adagia numerantur. Hoc vero loco negligendæ non ſunt regiones monteſque Diis conſecrati. cum frequens eorum in epithetis & deſcriptionibus uſus ſit.

Creta *Iovem* coluit, Tarpejus, a & Elis, & Ida.
Iunonem tenuit Carthago, Proſymna, Samoſque
Tuque Phaliſce refers Argoſque adjuncta Mycenis.
Gryneum nemus *eſt Phœbi* Paros, atque Phaſelis.
Delos, & Ortygia, ac Delphi, Cynthuſque, Claroſque

a *vel Capitolinus Romæ mons.*

Et Patara,& Tenedos Soracte,& Cyrrha,Rhodoſque.
Cynthus habet *Triviam* [*a*] Delos Tauruſque Epheſuſque.]
Sunt *Bacchi* Thebæ,Naxus,tum Nyſa,Cithæron.
Eſt *Veneris* nemus Idalium,Paphos atque Cythera,
Sic Amathus,Gnydus & Memphis ſic Cyprus Eryxque
Et colit Idalium,Colchi,Helleſpontus *Amorem*
Vulcanum Lypara,ac lemnos veneratur,& Imbros. *b*
Thermodoon *Marti* eſt Rhodope,Thraceſque,Getæque.
Pallas Cecropiis Aracinthum *c* jungit Athenis.
Elis *Pluto* tibi,ſed Lampſacos apta Priapo.
Cos,Epidaurus habent *Medicorum*,ut Pergama,*Numen. d*
Herculea Gades,Thebæ,Tyrinthaque,Tibur.
Iris,*Oſiris*,amat Pharon,& Mareotida,Memphin.
Vrbs Enna,ac Catane *Cererem* dat Eleuſis,& Ætna.
Dindymus *eſt Cybeles* Berecynthus,Gargarus,Ida.
Sunt juga Pierii,& Parnaſſi,Cyrtha *Camanis*,
Adjice Libethram,Termeſſum,Pimplam,Heliconem.
Denique Caſtaliis,Aganippen,Pegaſis *e* undam.

a *Dianam. quæ trifermis aut trivia dicta quod olim in triviis coleretur.* b *Inſula.* c *Mons Ætoliæ eſt.* d *Æſculapius.* e *quæ Pegaſi equi ungula excitata Hippocrene etiam Caballina & Pegaſea dicitur.*

Paucis his verſibus frequentem paſſimque obvium epithetorum ac deſcriptionum uſum ſuis fontibus aperui; cum & loca à Diis;&, quod præcipuum eſt, Dii à locis appellationem habeant, ſæpe etiam ſolo epitheto, ſine adjectione ſubſtantivi totam ſignificationem abſolvente, quoties enim Erycina, Cytherea, Cypris aut Cypria, Paphia, Gnydia Amathuntia &c. pro ſola reperias Venere poſitum? quoties pro Hercule Tyrinthius, pro Cybele Berecynthia,pro Muſis Pimpleides, Libethrides, Pierides &c.

Poſtremò his accenſendæ erunt res aliquot Diis conſecratæ, atque iccirco epithetis ſæpe,à Diis traductis,inſigniri ſolitæ,aut etiam circumſcribi.

Aves Diis ſacra. Halcyonem Thetidis,Veneris dic eſſe columbam.
Iunonis Pavo eſt,Aquilæ Iovis: atque Minervæ
Noctua,tum Solis Phœnix,ac picus habetur.
Candidus ut cygnus,ſic corvus Apollinis ater.
Animalia Deorum currus Martis equi,draco Saturni,cerviq; Dianæ
Iunonis pavo,Thetidis delphin juga perfert.

trahentia. Balæna Oceani, Veneris cum paſſere Cygni.
Solis equi, lunæque boves, Cereriſque Dracones,
Et Bacchi tigres, ac Lynces, Cybeleſque leones.
Arma Deorum. Arma Iovis fulmen, Neptuni fuſcina, Martis
Eſt gladius, falx Saturni, Phœbiq; ſagittæ,
Virgaq; Mercurii, clava Herculis, haſta Minervæ,
Fax Pueri, Bacchi Thyrſus, pharetræq; Dianæ.
Arbores Diis ſacræ. Æſculus ac quercus Iovis eſt Sic Herculis arbor
Populus, ac Phœbi lotos, lauruſque. Cupreſſum
Pluto, Bacchus amat vitem, ferulamq; hederamque.
Pan Cybeleque cupit pinum; ſed Pallas olivam.
Eſt myrthus Veneris, Bacchoq; ad ſacra coronam
Suppeditat. Cereri quercus famulatur ad aram.

Hæc univerſa ut epithetis, ita periphraſi juxta ac deſcriptioni rerum, in poeſi, haud levi adjumento futura ſunt ad illius perfectionem aſpiranti.

Poſſent huc referri quæ de patronymicis non mediocrem in poeſi difficultatem adferunt. Verùm quod illa perſonis potiſſimum ornandis ſerviant, ad eum locum, ubi de exemplorum ornatu agatur reſervanda duximus. de quibus inferius. Nunc cum periphraſis ſæpe loco epithetorum à Poetis juxta atque Oratoribus adhibeatur, de illarum quoque copia delectuque providendum erit.

CAPUT XI.

De ſententia ac phraſi poëtica, quemadmodum hæc variari, extolli, amplificariq; variè poſſit.

HActenus de vocibus, quæ componunt ſententiam; nunc ad hanc ipſam propius accedamus. Quo loco non dubito, quin ſi Poëta copiam ornatumque phraſium ſperare poſſet, parem illi, quàm modò ſpectavit epithetorum affluentiæ, magnum rarumque ad eloquentiam haberet præſidium. Age verò ſequere monentem: via te compendioque expedito ducam.

Habes in omni phraſi Latina verbum & nomen, quod ſi fuerit ſubſtantivum, epithetum, ſive adjectivum, licebit apponere, ita tribus minimum vocibus conſtabit phraſis. quarum ſingulæ, ſive propriæ, ſive translatæ fuerint, reſolvi poterunt, atque aliquod ex iis ſubſtantivum erui, præter ipſam in phraſi vocem

ſub-

ſubſtantivi: cui tantum aliud poterit ſubſtantivum ſociari. ita in propoſita ſupra phraſi: *arma movet.* vox arma reſolvi nequit. poteſt tamen adjungi, alio in caſu, ſubſtantivum aliud, ut arma Martis, aut terror armorum, ſed hæc ſubſtantiva ex adjunctis, ſeu epithetis, ut infra patebit habentur. Verbum etiam reſolvi poterit in ſubſtantivum à ſe derivatum: uti in movet eſt motus. unde iterum eſt. motus armorum. Horum verò utrique, aut certè alterutri ſubſtantivorum, ſi epithetum adjunxeris, extolletur magnopere oratio: ut *circumſonantûm gravis armorum terror.* aut *truculenta cruenti Martis arma.* En primam, minuſque frequentem amplificandi variandique rationem. aliam planè fecundam accipe.

Quot adjuncta ſive epitheta ejuſdem rei occurrunt, tot ſe phraſes offerunt, ſi reſoluto epitheto, ejus veluti interpretem agas. Imò, ut variari circumſcriptio poteſt, atque ejuſdem epitheti, alia aliaq; per ſingularia ipſius adjuncta dari expoſitio, ita phraſis de eodem quoque epitheto varia haberi. Quo genere nihil in elocutione haberi poterit copioſius. Exemplo res erit manifeſtior.

Arma diximus Vulcania aut Cyclopea. Expone, cur ſic appelles? Quia, reſpondebis, ſunt *opus arte laboratum Vulcani.* aut cum Poeta

—— *Manibus fabricata Cyclopum.*

Cur ærea, aut aurea, nuncupas? Dices *quia fulgenti ex ære coruſcant.*

Et Tarteſſiaco caſſis veſtita metallo, Fulgurat.

Cur ſquamatam loricam, caſſidem crinitam vocas? Dices *Virgilius l.12. Quia*

—— *Rutilum thoraca indutus ahenis, Horrebat ſquamis.*

De galea Mezentis ita loquetur.

Cui triplici crinita juba galea alta chimæram
Suſtinet, Ætneos efflantem naribus ignes. Aen. lib. 8.
Terribilem criſtis galeam flammaſq; vomentem.

Cur pugnantia aut triumphantia appellas? An non, quia

Atrocem in jugulum capulo tenus impulit enſem?

Et —— paritura triumphum Haſta volat.

Hæc de cauſis. progredior de adjunctorum conſideratione unde epitheta juxta & phraſes manant, majori fecunditate. De libo paucula.

Expende circa actionem, vel epitheta: vel potius eaſdem quæſtiones, unde nata epitheta. Videlicet. quid arma efficiant? dices

 (ut

(ut ſupra) incutiunt formidinem, fundunt cruorem. Ex iiſdem igitur fontibus, unde prius epitheta, inde etiam epithetorum periphraſes fluunt. uti igitur formidanda & cruenta iccirco arma ſunt dicta. Ita dicere licebit,

Nondum expiatis uncta cruoribus Haſta,
Terrorem incuſsis latè vulgaverat armis.

Ad paßionem ſpectat illud Virgilii, l. 6.

Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum.

Qualitatem expendamus, idque diverſa iterum ratione. Qualia ſunt? reſpondes ſplendida. Quæro. unde ſplendent? ex luce, vel ſole; ære aut auro. quid facit hic ſplendor? perſtringit, inquis oculos, terret hoſtes, animat amicos. quàm varia hic circa unum epithetum per ſua quoque adjuncta expenſum ſeſe offert dicendi copia!

Ille coruſcantem ſævis fulgoribus enſem. Evibrat &c.
Arma repercuſſo fulgent rutilantia Phœbo.
Aureus undantem clypei vomit umbo favillam.
—— æraque fulgent
Sola laceßita & lucem ſub nubila jactant.
—— tremulus vibratur in armis
Ardor, & errantes ludunt per cærula flammæ.
latè vibrantibus æther
Fulgurat armorum radiis, tremulaque micantes
Luce natant campi.
—— Adverſas acies ſplendore laceſſunt,
Atque oculos hebetant, animoſque ad prælia fractos.
—— flammaque accendit ahena,
Audaces lorica animos.

Reliqua adjuncta tibi expendenda relinquo. Ceterùm ut in epithetis illuſtria ſunt, quæ metaphoram involvunt: ita & illæ phraſes, quæ per brevem ſimilitudinem, aut mixtam allegoriam expoſitis epithetis, eorundem locum ſubeunt. Sic ubi dictum arma gigantea. rectè dices,

—— Audaxque Gigas torque † ſariſſas viſus.

Pro armis ferocibus, ſceleſtis, fidis, fulmineis ſuppones hæc, aut ſimilia.

—— animoſa ferocia ferrum exacuit.
indignum ſcelus arma regebat.
—— Comes haſta fidelis in hoſtem anteiit.
—— Gladiorum fulmine ſternunt attonitos.

Ferrea

—*Ferrea nubes*
Armorum ſpargit tonitru.

Mirificè hæc quamvis orationem ornant, atque illa inprimis quæ brevem involvunt comparationem. quarum in hoc exemplo minor eſt copia. Aliud paulo in hac materia fertilius exemplum tangam. Sit illud *Apis mel colligit.* Poterit illa venatori in pratis, meſſori in campis, vindemitori, populatori, potori, emptori, artifici Regi &c. componi. unde allegorias plures, velut translationum periphraſes habebis, ut

Exit ad hortorum prædas, & odora ſagaci
Nare terit circum picta veſtigia Floræ.
— *Hæc molli ſæpe reclinis*
Camporum amplexu fruitur.
Gaudet odorifera camporum meſſe.
Hyblei montis vindemitor ales.
Quæ liquidos cœli rores animaſque Favonî delibat:
Quæ florum populatur opes, Regnumque per hortos
Tam martis, quàm pacis amans exercet.
Ebriaque Hybleos latices bibit.
Et plenos haurit calices dulcis Amaraci.
Quæ artifices ceras in officina mellis efformat.
Miles in pratis ſpicula vibrat, prædaſque cogit.
Quæ ſuaves odoræ convehit Arabiæ merces.
Quæ montis Hymettii molle poſſidet regnum.
meritaſque pœnas ac præmia dividit.

Niſi jam pumice aridior fueris, hæc in te venam aliquam ad fecunditatem aliquam, atque elegantiam aperient. Forte deſperabis in tam felici epithetorum periphraſi invenienda. Age verò, & ſi expoſitio tibi erudita non occurrat, eâ ſimplicitate, qua ſupra monui, progredere. epithetum in ſuum reſolve ſubſtantivum, atque alio hoc exorna epitheto verbo congruenti adjecto. ut audis arma *fatalia* vel *lethalia*. Quod eſt hujus ſubſtantivum? Fatum, inquies, aut lethum. Perge igitur, atque aliud huic adde epithetum. reperies atrox, crudele, lamentabile.

Progredere, & verbum adjunge. Dices intentare, vel minari. Quin igitur pro armis fatalibus auctiorem ſubſtituis. ut

— *crudele minantia fatum*
Induit arma ferox.

Quod ſi etiamnum amplificare lubeat, ablativus inſtrumenti

ſive abſolutè poſitus adhiberi ſæpe, haud difficulter, poterit.

Atrocíq; manu crudele minantia lethum, Arma rapit.

Porro ſi rei prolixior deſcriptio placeat, rem in ſuas partes diſtribues, ac per earum enumerationem progredieris. illas etiam ſicubi opus ſimilitudine aliarum rerum illuſtrando. Ita Virgilius Æneid. 8.

Arma ſub adverſa poſuit radiantia quercu,
Terribilem criſtis galeam, flammasq; vomentem;
Fatiferumq; enſem; loricam ex ære rigentem
Sanguineam, ingentem,

(ubi obſerva amplificationem per congeſta epitheta. Quæ, niſi ad rem valde extollendam, vel imminuendam adhibeatur, in vitio futura eſt) *Qualis cum cærula nubes*
Solis inardeſcit radiis, longeq; refulget:
Tum leves ocreas electro, auroq; recocto,
Haſtamq; & clypei non enarrabile textum.

Aut ordinem naturæ & rerum in expoſitione proſequeris. quod in factis exponendis uſitatum. Ita in deſcriptione tempeſtatis, primó ingruere ventos, deinde undas attolli, obluctari nautas, diem eripi, cœlum micare ignibus, denique mortem imminere ordine naturæ & rerum exponit. idem lib. 1.

Incubuere mari, totumque à ſedibus imis
Vna Euruſque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus: & vaſtos tollunt ad ſidera fluctus.
Inſequitur clamorque virûm, ſtridorque rudentum.
Eripiunt ſubitò nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis. ponto nox incubat atra.
Intonuêre poli, & crebris micat ignibus æther:
Præſentemque viris intentant omnia mortem.

Ceterum tam res univerſim, quàm ſingulas rerum partes deſcribendi, amplificandi, accuratior copioſiorque nulla eſt ratio, quàm ſi eâ lege progrediaris, quâ in epithetis inveniendis uſi ſumus: nam ita neceſſario & naturam ipſam, & rei adjuncta proſequeris. quod in perſonis ſeu verè ſeu fictè deſcribendis locum potiſſimum habet.

Ita Virgilius lib. 4. famam deſcribit. ut quæ? qualis? quanta? quando? ubi? quid egerit?

Quæ? & Fama malum, quo non aliud velocius ullum,
qualis? Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo.
* *Quanta.* Parva metu primo. * mox ſeſe attollit in auras

Ingre-

Ingrediturque ſolo & caput inter nubila condit.
Quæ? Illam terra parens ira irritata Deorum
Extremam ut perhibent Cæo Enceladoq; ſororem
Qualis? Progenuit.* pedibus celerem & pernicibus alis.
Quanta? Monſtrum horrendum ingens, cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſurrigit aures.
Quando? Nocte volat cœlo medio terræque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno
†*Vbi?* Luce ſedet cuſtos, † aut ſummi culmine tecti,
* *Quid?* Turribus aut altis. * & magnas territat urbes
Tam ficti pravique tenax, quàm nuntia veri.

Quâ tota periphraſi, aliud nihil dicit, quàm *famam, ſeu rumorem incertum volaſſe.* Vberior etiam ex his venis hauritur ſcribendi copia. nam & una tantum rei ponderata circumſtantia, ſive adjunctum, velut per partes exhibitum deſcriptioni ſervit. Ita Ovidius in rerum graphicè enucleatèque exprimendarum arte facilè princeps. armatos milites ex Cadmeis ſulcis ita ſurgentes, à ſolius *quantitatis* partibus exhibet. l. 3.

Inde, fide majus, glebæ cœpere moveri:
Primaque de ſulcis acies apparuit haſtæ,
Tegmina mox capitum picto nutantia cono,
Mox humeri, pectuſque, onerataque brachia telis
Exiſtunt, creſcitque ſeges clypeata virorum.

Hæc oratio ita paucis abſolvi poteſt. *armatos de terra viros ſurrexiſſe.* Verum in *qualitate* expenſa major plerumque copia affluit. ut idem *Ovidius lib. 8. in famis deſcriptione probabit.*

Quæſitamque Famem lapidoſo vidit in agro,
Vnguibus & raris vellentem dentibus herbam.

(*Hæc de perſona & actione ejus dicta, nunc de qualitate ſeu forma accipe.*)

Hirtus erat crinis, cava lumina, ſqualor in ore,
Labra in cana ſitu, ſcabrique rubigine dentes,
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſent.
Oſſa ſub incurvis extabant arida lumbis.
Ventris erat pro ventre locus: pendere putares
Pectus, & à ſpinæ tantummodo crate teneri.
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis: & immodico prodibant tubere tali.

Ex his facilè intelliget non omnino Bœotus, quemadmodum ex principio à nobis ſupra de epithetorum inventione poſito, & phraſis, & poetica earum amplificatio, tam in veris propriiſque, quàm in fictis allegoriciſque haberi poſſit. Qua re ego, poſt longam ſtudioſamque multorum annorum inveſtigationem, nihil comperi expeditius Tu ſi placet, inventis utere.

Perquam utilis futura erit illa inter rudiores exercitatio, quæ phraſin aliquam modò epithetis varient, modò ſimul etiam exornent metaphoris; denique per adjuncta, ut dictum, amplificent. Pro qua re utcunque diductum ſuperius exemplum juvare poterit.

CAPUT XII.

De Syntaxi phraſis poeticæ ejuſque copia, uſu, & varietate, cum cenſura Statii.

NOndum copiam omnem varietatem, atq; ornamenta poeticæ conſtructioni propria ſpectavimus. In hac alii neceſſitati, libertatique nonnunquam indulgent; alii etiam in raritate ornatum ſectantur, & verba caſuſque à vulgatis Grammaticæ & Syntaxios legibus diversè inflectunt. uſitatiora in hanc rem exempla ante oculos habere juverit. Certè in Lyricis Horatius venuſtè Græcas conſtructiones interſerit. quàm libertatem in Heroicum carmen immoderatius tranſtulit Statius, novator non ſemper imitandus. Virgilii ut moderatio, ſic imitatio laudabilior.

In nominum uſurpatione minor, quàm in verbis libertas.

Nonnunquam ex duobus ſubſtantivis junctis alterum adjectivi loco uſurpant. ut Heroes animi. Et *Virg.* l. 1.

Regales inter menſas, *laticemque Lyæum.*

Contra, & frequentius quidem, ex duobus adjectivis alterum ſubſtantivè adhibetur. Virg. l. 12.

Ante leves jaculo, *longum per inane* ſecutus.

Nonnunquam & ſubſtantivum neutro adjectivo ſubintelligitur. ut *Triſte* lupus ſtabulis. *Virg.*

Genitivi inprimis more Græcorum amantes ſunt cum adjectivis copulandi. Sic dignus imperii, virtutis ſalutis &c. *Virgil.*

Magnorum haud unquam indignus avorum.

Ita

Ita lucis egenus: ſterilis vel fertilis meſſium: Pauper agreſtium *Horat.* Trunca pedum *Virg.* Contentus libertatis *Livius.* Iejunus vini *Lucret.* Viduus teli *Ovid.* Immunis belli *Virg.* Lætus umbræ *Virg.* & frugum, *Saluſt.* Impiger militiæ, ferox ſcelerum, Trepidus metus &c. *Tacitus.* Contra alia adjectiva, quæ communiter genitivum poſtulant, cum ablativo jungunt, raritatis potiſſimum ſtudio. Ita particeps ſtudiis. Expers unguentis. Quin & conſcius facinori. *Cicero* dixit. Ignis aquæ pugnax *Ovid.*

Poetæ etiam, Græcorum more, ex adjectivo & ſubſtantivo, alterum in genitivo ponunt: & modò quidem ſubſtantivum; ut hoſtium Medi: modò adjectivum, ut hoſtes Medorum, id eſt Medi hoſtes. ut eſt apud *Propert.* Sed hoc in illa ſignificatione rarius, illud frequentius. Ita enim Amara curarum apud *Horat.* & acuta belli. Item telluris aperta apud *Virg.* Cæli ſerena *Lucret.* gleboſa camporum *Appulejus* qui cum *Lucretio* id genus locutionum amat.

In verborum tam Grammatica, quàm Syntaxi major licentia eſt Poetarum. Et Comicorum quidem audacia major, de quibus ſuo loco. nunc quæ paſſim magis, ac reliquis etiam uſurpata tangam.

Activa verba paſſivè hæc inprimis uſurpavit Virgilius.

Et lateri *agglomerant* noſtro. pro agglomerantur ut Servius.

Tum verò *ingeminat* clamor. *Paſcit* juventa.

—— Nox humida cœlo *præcipitat.* - Genibuſque *volutans* Hærebam.

Non ita Carpathiæ *variant* aquilonibus undæ. *Propert.*

Vt ſeptemgemini *turbant* trepida oſtia Nili *Lucret.*

Certè hinc Romanos olim *volventibus* annis, Pollicitus. *Virg.*

Mores populi Romani quantum *mutaverint Livius.*

Videntur tamen hæc per Ellipſin accuſativi defendi qui caſus ſubintelligatur. ut, *ſe agglommerant*, *me volutans*: non enim licet hæc verba cum caſu paſſivorum adhibere. ut ſi diceres. *Ab iis clamor ingeminat.*

Neutra activè adhibuit idem *Virgil.* ut *Celerare fugam.* &

Per medios ruit, ac morientem nomine *clamat.*

Et mutata ſuos *requierunt* flumina curſus.

-- Totumq; à ſedibus æquor unà Euruſq; Notuſq; *ruunt.*

Et per quæ poſſunt vitam *conſiſtere* tutam. *Lucret.*

Claraq; gaudentes *plauſerunt* limina cygni. *Statius.*

Si noſtrum *annuerit* nobis victoria Martem.

Abſtinet vim *Horat*. *Erumpere* ſeſe *Virg*.

Paſſiva activè. Bellantur Amazones armis. *Virg*.

Plura horum apud *Nonium* ſed fere exoleta. *Punitus* eſt inimicum *Ciceroni* placuit. *Spectatus* eſt ſuem *Varroni*.

Deponentia paſſivè ſignificantia plura ſunt. Ita *vereor*, *venor*, *ulciſcor*, *vociferor*, *utor*, promiſcuo apud Claſſicos in uſu ſunt.

— Bellaque matribus *deteſtata*. *Horat*.
Nunc *oblita* mihi tot carmina. *Virg*.
Vides *metato* in agello. *Horat*. *Velificatus* Athos. *Iuvenal*.
— Curſuſque dabit venerata ſacerdos. *Virgil*.

Dixit & *Cicero* In uno maleficio omnia ſcelera eſſe *complexa*. Et, *modulata* voce *Gellius*.

Frequens deniq; *deponentia in activa terminatione*, & inflexione uſurpare. Siquid veri mens augurat opto. *Virg*. & Cicero.

Adulo. *Lucret*. & *Val*. Max. cum accuſandi caſu etiam uſurpatum eſt Ciceroni

--- Stygias comitavit ad undas. *Ovid*.

Impertio *Cicero* & Iurgo. & ludifico. Medico *Virg*.

Modero *Plaut*. Munero. *Turpil*. Mutuo *Nonius* opitulo *Livius* Palpo *Iuven*. Partio *Lucil*. Populo *Virg*. Reverto uſitatum & in ſoluta orat.

Rumino *Virg*. Velifico *Plinius*. Priſca alia, ſed pleraque exoleta reperies.

Nec minor in ſyntaxi quam grammatica novanda multorum libertas. De potior, veſcor, fungor cum accuſativis uti & genitivis jungi ſolitis, conſtat. His utor & abutor, inter comicos, junge. Notum item de verbis neutris ſuæ originis caſum tanquam activa uſurpantibus: ut ludere luſum, vivere vitam, lucere lucem, pugnare pugnam, cœnare cœnam Sed latius hæc, à Poetis præſertim, extenduntur. unde olere unguenta, hircum. lucere facem. Horatius Sat. 8.

Nos inquam cœnamus aves, conchylia, piſces.

Pugnare prælia. *Hor*. Plaudere aquas natatu *Statius*

Ciceroni etiam placuit vinum redolere, & prælucere ſpem bonam.

Verba plura affectum ſignificantia imitantur imperſonalia tædet, piget, &c. Ita *Ovid*. Met. 11. --Succeſſorumque Minervæ indoluit. Faſtidimus bonorum *Lucil*. Erubeſcere fortunæ. *Curtius* Mei veretur *Plaut*. & *Teren*. Pendeo animi *Cicer*. falli animi *Lucret*. Voti gaudeo *Appulejus*.

—nec veterum memini, lætorve malorum *Virgil.*11. Æneid.

—Neque illi ſepoſiti Ciceris, neque longæ invidit avenæ. *Hor.Sat.6.*

Iuſtitiæ ne prius mirer, bellive laborum *Virg.*11 Æn.

His accedunt & verba alia, ut abſtinendi, & liberandi ex uſu Græcorum.

—abſtineto, dixit, irarum calidæque rixæ. *Horat.lib.3.* Od.27.

—Deſine mollium tandem querelarum. id.l.11.Od.9.

—Tempus deſiſtere pugnæ. *Virg.*l.10.

—Et morbi miror te purgatum illius. *Hor.*Sat.3.

*Et Livius lib.21.auſus dicere.*levarunt animum religionis.

Verba hæc accuſativum quoque admittunt.

Invideo Trojadas *Ovid.* Invideo florem *Cic.* Medicor morbum, obtrecto laudem. Inſulto inhio & illudo aliquem. I, verbis virtutem illude ſuperbis. *Virg.* Æn. 9. Studeo res meas. literas ſtudet *Cic.* Damnoſas erudit artes *Ovid.* Cetera aſſentior. *Cicer.*

Huc & verba & nomina quæ habitum, ſeu qualitatem aliquam aut paſſionem ſignant, referuntur. Vt indutus galeam. teneras veſtitus lanugine malas, os humeroſq; Deo ſimilis &c.

Lacrymis oculos ſuffuſa nitentes. *Virg.*Æn.1.

Cærula colla tumentem. 11. Æneid.

—Tremit oſſa pavore. *Hor.*Sat 1.

Verba orandi, pugnandi, differendi, propulſandi, invadendi dativo gaudent.

Cui me fortuna precari-- voluit. *Virg.*8.Æn.

Contendis Homero *Prop.* bellare parenti. *Stat.*

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ Cælata virtus. *Horat.*

Diſcrepat iſtis *idem* differre colori. *idem.*

Solſtitium pecori defendite *Virg.* Arcebis gravido pecori. *id.*

Metus his invaſerat acer. *Lucret.* Furor improbis invaſerat. *Cicer.*

Succede penatibus hoſpes. *Virg.*8.Æn. Muroq; ſubibant 9.Æn.

His adde. Tibi pœna manet. *Virg.* Vobis decet. *Terent.*

Hiſpanis jubet. *Claud.* & *Macrob.*

Verbis ſæpe caſus relinquuntur, abjectis præpoſitionibus, in ſoluta oratione plerumque jungendis. Ita *Virgil.* Italiam & Lavina venit littora. *in* & *ad* omiſſis. Ita abire domos, excedere patriam, exire limen. Vrbem adferimur, me quaſcunque abducite

cite terras &c. *Virg.* Maria aſpera juro. 6. *Æn.* Percipe porro' Quid dubitem. 9 *Æn.* currumque rotaſque volucres inſtabant. *id eſt, in currum &c.*

Infinitivus, tam aliorum in verbo temporum, quàm nominum caſuumque partes more Græcorum apud Poetas ſæpe implet.

Vt--ſoli cantare periti. *Virg.* id eſt cantandi.- Ibis frenare cohortes.

--Avidi promittere bellum. Evolvere Thebas incidit. Optimus idem condere divitias. *Statii* ſunt, ad has locutiones profuſi.

--Liceat, quod tangere non eſt, adſpicere. *Ovid. 3. met.*

--Indocilis pauperiem pati. *Horat.* l. 1. Od. 1. Et celerem ſequi. Ajacem Od. 15.

Præſens vel imo tollere de gradu mortale corpus. *ib.*

--amici Ferre jugum pariter doloſi. Od 35. Nec vivere tutum eſt. *id eſt vita.* quæ locutio etiam hiſtoricis uſitata eſt. uti & illa, quæ infinitivum adhibet, cui verbum *cœpit* ſubintelligitur. cujus exemplum mox ex Statio ſubjiciam.

Hæc libertas in comicis lyricis heroicisque, quàm in elegiacis aut tragicis major. Immoderatè tamen illa atque ad affectationem uſque *Statius* uſus eſt. qui ſæpe rarus atque inſolens, quàm planus Latinuſque videri maluit. Sic Thebaidem orditur.

Fraternas acies alternaque *regna* profanis
Decertata odiis, ſonteſque *evolvere* Thebas
Pierius menti calor *incidit*. Vnde jubetis
Ire Deæ? gentiſne canam primordia diræ? &c.

Quam remotum inprimis & inſolens in ipſo orationis exordio, quod clarum perſpicuumque eſſe debet. *decertatum odiis regnum*, ponere. Imò ſine exemplo dictum eſt *decertari regnum*, id eſt, certari pro regno. quamvis enim dicatur certari certamen, aut etiam prælium. eo tamen, quo *Statius*, licentiæ excurrendum non erat. cui proximè ſine nervo, aut gratia dictionis, ſubjungit *calor evolvere Thebas incidit*. In qua phraſi, parùm apta quoque translatio friget. evolvimus enim quod implicatum eſt. quod minus appoſitè ad deſcriptionem Thebanorum Regum inchoandam transfertur. Deinde quid *calor* ad hoc facit, ut evolvat? quomodo etiam *calor incidit*, qui ſurſum natura fertur,

fertur, potiuſque inflammat, & *mentem excitat?* (ut audire maluiſſem) Quomodo ex fonte *Pierius calor* dictus? Iam verò quemadmodum cohæreant ſequentia, & poſt præfinitam dicendi materiam, de aliena ac remota Cadmi fabula inducenda rectè ambigat, lectoris eſto arbitrium.

Eodem lib. de pugnantium duello, ſic habet.

—— Haud *paſſi* ſociis *defendere* noctem
Culminibus, paulum alternis *in verba minaſque*
Cunctantur: mox ut jactis ſermonibus iræ
Intumuêre ſatis, tum verò erectus uterque,
Exertare humeros, nudamque *laceſſere pugnam*.
Celſior ille *gradu procera in membra*, ſimulque
Integer annorum. ſed *non* & *viribus infra*
Tydea fert animus.

Quos ad limen ſuum noctu pugnantes Adraſtus Rex ita compellabat.

—— Quæ cauſſa furoris
Externi juvenes? (neque enim meus *audeat* iſtas
Civis *in uſque manus*) Quiſnam implacabilis *ardor*
Exturbare odiis tranquilla ſilentia noctis?
Vſque adeone anguſta dies, & *triſte* parumper
Pacem animo ſomnumque *pati?*

Prima phraſis durior, ob caſum ſimul verbi, & præpoſitionem nominis omiſſam, dicendum enim erat *paſſi noctem ſub culminibus ſe defendere.* alteram, ut *cunctari in minas*, id eſt, minis; & tertiam *exertare humeros* ſubintellige, *cœpit*: laude dignam habeo, uti & paulò poſt ſequentem. *Integer annorum*, id eſt annis: quod hi genitivi, & accuſativi, orationem majeſtate ſoni extollant. verùm Syntaxin proximam, ut *gradu in membra celſior*, id eſt, membris celſior: & illam, *animus non fert infra Tydeum viribus.* hoc eſt, animum Tydeus non fert inferiorem, parum probo, etiamſi per hypallagen, (Virgilio quoque uſitatam) dictum ſit. cum pari gratia potuerit dici: *Fert animum Tydeus*. Neq; illam, frigidam nimis impropriamque. *audeat iſtas civis in uſque manus.* id eſt, mea in manu. ſeu me præſente, meiſq; in oculis auſit. Cetera non reprehendo, licet in ſyntaxi peregrina Illud ſentio hoc loco *Statium* nimia inſolentium phraſium coacervatione peccaſſe. Quæ *rara* eſſe debent: quem tueri non poterunt titulum, ubi paſſim adhibitæ vulgares eſſe inceperint.

Sanè

Sanè ſi reliqui Poetæ *Statio* ſimiles, has paſſim inſeruiſſent, nemo eas rarioris ornamenti nomine habiturus eſſet.

CAPUT XIII.

De inventione, uſu, & elegantia, ſententiarum gnomicarum.

REliquum eſt, ut de eximio quodam orationis ornamento, quod modò à ſententiosè, modò ab argutè dictis habetur, diſſeram Sunt qui illud magni non æſtiment, atq; in virili oratione etiam aſpernentur, ingenio ferè ipſi ad hoc parum dicendi genus inſtructo, ut proinde in aliis contemnant, quod ſe aſſequi poſſe deſperant. Sanè qui loco ac tempore utuntur, egregiam in re ardua, raráque laudem merentur. Neque diffitendum putidos hujus ornatus ſectatores, tantò magis notari, quantò illa orationis virtus omnium in ſe animos convertit amplius vicina enim magnis virtutibus vitia, maximè, illâ, quâ deſtituuntur luce, eminent. Quocirca hæc nobis dos cultæ Poeſios non erit negligenda.

Atque ut primum de ſententioſis dictis, quæ gnomas appellamus, pauca afferam, duplicem illa potiſſimum vim habent, finemque, ut ſcilicet orationem vel ethicam, ſive ad mores hominum formandos idoneam reddant: vel patheticam, id eſt ad affectiones concitandas accommodam.

Inventio earum ſententiarum uſque adeò difficilis non eſt ut prima ſe fronte offert. Propriæ quidem ſunt virorum ſapientium & gravium, quique longâ experientiâ docti, generales quaſdam concluſiones formant, quibus vitam actioneſque humanas ex præſcripto rationis inſtituunt. unde hæc pronuntiata quædam univerſalia ſunt, quæ particularia facta perſonaſque non tangunt, adeoque in ſententiis ab his ſemper avocanda eſt oratio. Ita e. g. obſervatum, quod opes curam in poſſeſſoribus augeant, neque fructum ſui indulgeant avaris, futurarum rerum ignoratione tumidis ſuſpenſiſque. Hoc cum in Euclione uno, alteroque, ac tertio animadvertit, denique hanc concluſionem generalem infert. Ergo.

Creſcentem ſequitur cura pecuniam
Majorumque fames. Horatius lib.3.Od.16.

Vel ſeipſum, aut alium cum eodem Horatio erudit.

Contracto melius parva cupidine.

Vectigal

Vectigalia porrigam, (potuiſſet dicere porriges)
Quàm ſi Mygdoniis regnum Halyattici
Campis continuem. *Multa petentibus*
Deſunt multa, bene: eſt, cui Deus obtulit
Parca, quod ſatis eſt, manu.

Admirabilem hæ ſententiæ gratiam obtinent, ſimulque altè animis defiguntur, ubi acutè dictis eædem exornantur. Vnde mira Horatii eſt in eadem Oda exquiſitaque elegantia. audi, & amplectere:

Quantùm quiſque ſibi plura negaverit,
A Diis plura feret. Nil cupientium
Nudus caſtra peto: & transfuga divitum
Partes linquere geſtio.

Prior ſententia ex oppoſitione; altera licet gnomica non ſit, ex aliena & inſolenti hominum conſuetudine exſpectationem audientis eruditè fallit. Addit

Contemptæ Dominus ſplendidior rei;
Quàm ſi, quidquid arat impiger Appulus,
Occultare meis dicerer horreis,
Magnas inter opes inops.

Quid iterum magis ab homine ejuſque facto alienum, adeoque præter exſpectationem: quàm ex contempta re ſplendidum eſſe? inter ipſas opes, inopem eſſe? Hæc ex una Horatii Oda libuit attexere ut eorum confunderem, per tot ſententias congeſtas, opinionem, qui avarè nimis ac parcè eas carminibus admetiuntur. Nondum ex una hac Ode, quæ omnem criticorum audaciam facilè contemnit. enumeravi ſententiosè dicta omnia. Ita planè in rebus moralibus res habet. placent ea, quæ vitam univerſim inſtruunt.

Quocirca de cauſis harum ſententiarum ita conſtitues: ut quidquid ad vitam humanam in actionibus dirigendam ſpectat, atque in illa fugiendum appetendumve occurrit: hoc earum eſſe materiam ſcias, adeoque non cadere in contemplationem, ſcientiamque ſpeculantem rerum ſolummodo naturas. Ita hæc propoſitio. Tigrides catulis ſublatis magis ſæviunt. gnome non eſt: quia non eſt regula, ad quam homo mores vitamque poſſit componere. contra hæc eſt. *Tyrannum, quem læſeris, vita.* Deinde propoſitio ſemper de re univerſali eſſe debet. nam ſi dicas Petrum, ſi læſeris, vita. non loqueris ſententiam: quia debet eſſe regula omnibus præfixa, & perpetua: in his enim

enim verſatur uſus ſapientiæ. at Petrus, neque omnibus notus, neq; perpetuus eſt. Licebit tamen nomina quædam ab uno homine ad totam ſpeciem trãslata adhibere: ita gnome futura eſt. *Neronem, ſi læſeris vita*: nam Nero pro quovis Tyranno ſumitur. Vnde fit, ut ex varia rerum particularium notitia v. g. multorum hominum qui aut divites, aut Tyranni fuerunt, quorum illi opibus, hi potentia malè ſunt uſi, generatim concludam. ab opibus curam in hominibus, à potentia augeri ſævitiam. Ex qua cognitione ſuperius pronuntiata exiſtunt. Hæc verò, cum à probatæ experientiæ viris, ut plurimum habeantur: ſenibus facilius graviſque ætatis, exiſtimationis, ac doctrinæ viris tribuendæ in oratione ſententiæ, quam adoleſcentibus, rudiorique plebeculæ: neque aliæ ruſticis, quam ex agro petitæ: aut adoleſcenti, quàm ex hauſta diſciplina. quibus tamen tantò minus ponderis inerit, quantò auritus teſtis oculato habetur inferior.

Hæc de materia, ac cauſa efficiente: nunc de ſententiarum forma, ac ratione (nam de fine, qui eſt inſtructio morum, vel affectionum excitatio jam ante dictum) dicendum paucis. Verbis gnome, vel propriis, vel translatis effertur. Ita ex ſupradictis propria ſunt. *Quantum quiſque ſibi plura negaverit, à diis plura feret*. Sed quod præceſſit. *Creſcentem ſequitur cura pecuniam, majorumque fames*. translatum, ut apparet. Imò reſolvi etiam metaphora, aut allegoria in ſimilitudinem poterit, gnomæ vim ſenſumque obtinentem. ut avarities comparatur ſiti, quæ expleri nequit. unde ſententiosè dictum: *ſitis inexplebilis auri eſt.* atque iccirco, & illud de avaro acceptum.

Nempe ſitit medias Tantalus inter aquas. vel
Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ.

Ita res omnes naturales, earumque ſcientia gnomis quoque ſervire poterit: nam & illud ſupra de tigride, rectè pro Tyranno vitando uſurpaveris. *Tigridem, quam læſeris, vita*. totum enim illud allegoricè ſumptum gnomam conficit, ſenſumque: Tyrannum, quem læſeris, vita. Quæ quidem ſententia plus habet venuſtatis & gratiæ ob ſimilitudinem appoſitam, qua rem oculis magis exponit. In his mirus artifex Ovidius. Sic quod alius dixit. *Non omnes poſſumus omnia*. ipſe per ſimile præſtat. *Non tellus eadem parit omnia*.

Principiis malorum in prima ætate obſiſtendum eſſe. ita docet, geminata ſententia

Opprim

Opprime dum nova ſunt, ſubiti mala ſemina morbi.
Et tuus incipiens ire, reſiſtat equus.

Alibi paria habet

Principiis obſta. ſerò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

Et rurſum

Vidi ego quod fuerat primo ſanâbile vulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

Quandoque ipſa expoſitio per rei propriam ſententiam ſubjungitur.

Nec quæ præteriit curſu revocabitur unda:
Nec quæ præteriit, hora, redire poteſt.

Vel præmittitur ut in illo

Caſus ubique valet. ſemper tibi pendeat hamus,
Quo minimè credis gurgite piſcis erit.

Cavendum verò ne ſcita aut placita veterum; ut de fato fortunaque, atq; alia à Chriſtiana doctrina aliena tradantur. Non tamen requiritur, ut univerſim, atque in caſu vera ſint pronuntiata. nam ſatis ad cautelam inſtructionemque futurum eſt. ſi plerumque ita res habeat. Vnde nonnunquam in ſpeciem oppoſitæ reperiuntur ſententiæ. ita *Heroum filii noxæ*, adverſatur illi, *Fortes creantur fortibus.* quæ ut concilientur, illud de vitiis animi, hoc corporis viribus erit accipiendum. Quædam etiam gnomæ ex certorum tantum hominum v. g. Tyrannorum ſententia veriſimiles ſunt: Ita Senec. in Troad.

Quodcunque libuit facere victori, licet.
Cujus oppoſitum tantum verum eſt.
Minimum decet libére, cui multum licet.
Hæc in Thebaide prorſus falſa.
Imperia pretio quolibet, conſtant benè.

Gnomæ igitur in probabiles, quales prædictæ ferè ſunt, & neceſſarias dividi poterunt. qualis illa eſt *mors ultima linea rerum.*

Placent ſententiæ, neque notis nimium certiſque de rebus; neque de obſcuris remotiſque ſumptæ. Prioris generis illa de morte eſt. tum illa *ſanitas ingens bonum.* Quis enim hæc neſciat? unde novi inexſpectatique nihil auribus accipit. quare in rebus neceſſariis exploratæque veritatis, ſententiæ minus gratæ accidunt. niſi apta aliqua translatione, fictione, aut argutè dicto exornentur Ita Horatius de morte

Æquâ

—Æqua lege neceſſitas
Sortitur inſignes & imos
Omne capax movet urna nomen. *Et idem.*
Pallida Mors æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres
Et Iuvenalis Sat. 10.
—Mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula.

Obſcuriores ſententiæ aut evitandæ ſunt, aut cauſa vel ratione aliqua appoſita exponendæ, ut intellectum ac fidem habeant. Sic Horatius lib. 4. rem ambiguæ & obſcuræ veritatis ponit, cum dicit:

Miſce ſtultitiam conſiliis brevem.
Dulce eſt deſipere, (*meritò addit*) in loco.

Ita cum dicit

Immortalia ne ſperes (*Exponit hac in vita ſperanda non eſſe cum ſubjungit cauſam*) monet annus, & almum
Quæ rapit hora diem.

Efficaciores hæ ad inſtructionem ſunt, quæ in cauſa pronunciato addita, vim enthymematis continent. Ita Horatius l. 5. faſtum divitis, ſed ignobilis perſtringit.

Licet ſuperbus ambules pecunia:
Fortuna non mutat genus.

Et Seneca in Thyeſte, ignorantem ſui difficili morte vita defunctuum aſſerit.

Illi mors gravis incubat,
Qui notus nimis omnibus,
Ignotus moritur ſibi.

Elegantiſſimæ ſententiarum ſunt, quæ neq; veritatem prorſus obviam, neque ambiguam complectuntur. Vt illa Senecæ *in Hercule fur.*

Quæ fuit durum pati, Meminiſſe dulce eſt.
Mens regnum bona poſſidet. *Idem in Thyeſte.*
Quæ ſcelere pacta eſt, ſcelere rumpetur fides. *In Medea.*
Qui timide rogat, docet negare. *In Hippol.*
Quod ratio nequiit, ſæpe ſanavit mora. *In Agam.*

Augetur magnopere ſententiarum decus, animoque infigitur altius, quod (ut ſupra obiter monui) argutâ dictione ornatur. Huc ſpectat apta oppoſitorum compoſitio in quibus frequens idem Seneca, ut

Fortuna

Fortuna fortes metuit, ignavos premit. *In Medea.*
Amor timere(*serviliter*)neminem verus poteſt. *Ib.*
Curæ leves loquuntur, ingentes ſtupent. *In Hippol.*
Alium ſilere quod voles, primus ſile. *Ib.*
——Qui genus jactat ſuum, Aliena laudat. *In Herc.fur.*
Felices ſequens mors,miſeros fugis. *In Oetao.*
Perdere eſt dignus bona Qui neſcit uti. *Ib.*
Invidus alterius rebus macreſcit opimis. *Horat. epiſt.2.*

Huc referuntur & illæ ſententiæ, quæ alienum aliquid à communi opinione præ ſe ferunt. adeóque præter exſpectationem quippiam prima ſpecie offerunt. re tamen prorſus inſpectâ,veræ deprehenduntur. Tale illud Horatii epiſt.6.

——Vxorem cum dote,fidemque,& amicos,
Et genus & formam Regina pecunia donat.

*De eadem argutè Iuven.Sat.*14.Minus hanc optat, qui non habet. *Tum quæ ſupra ex eodem attuli, huc ſpectant. Et illud l.3.Od. Hor.*

Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Ex Seneca Troade illud eſt.

Eſt nemo miſer niſi comparatus.
Ars prima regni eſt poſſe invidiam pati. *Ex Herc.fur.*
Rex eſt,qui metuit nihil. *In Thyeſte.*
Non capit regnum duos.
—— Scelera non intrant caſas.
Tutuſque menſa capitur anguſta cibus,
Venenum in auro bibitur. *ib.* Pauci reges non regna colunt. *Ex Oetao.*

Huc etiam referes eleganti ſimilitudine expreſſa, quod variè fit. ſtrictim Seneca

Nec regna ſocium ferre,nec tædæ ſciunt. *Ex Agam.*
Pars ſanitatis velle ſanari(*corrigi*)fuit. *Ex Hippol.*

Et Horatio hæc placuêre,ut de Ovidio ſupra monui.

Sincerum eſt niſi vas,quodcunque infundis,aceſcit. *Epiſt.2.*
Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu. *ib.*
Quidquid delirant Reges,plectuntur Achivi. *ib.*

Quod Iuvenalis Sat.2. ita dixit: Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.

Neglectis urenda filix innaſcitur agris. *lib.1.Sat.Hor.*

Uvaque

Uvaq; conſpecta livorem ducit ab uva. *Iuven.* Sat.2.

Denique quæ alluſionem aliquam rerum verborumque habent, adhiberi (quanquam circumſpectè, ne vel levicula, vel putidiuſcula ſint) cum laude poſſunt. Sic Iuvenalis in Sat.

In pretio pretium nunc eſt.

Et Horat. ſupra. Magnas inter opes inops.

Et Seneca in Agam. Det ille veniam facile, cui venia eſt opus.

Et notum illud. Fide; ſed cui vide.

Brevitas præterea laudatur. quamvis non pauca, & oppoſita, aut comparata contineat ſententia. Ita Iuvenalis illud Sat.1. placet:

Probitas laudatur, & alget.

Vnde epitheta ferè à gnomis amovenda ſunt. Numerus denique eorumque rotunditas, gratiam conciliat. eo nomine magis placet, quam ſi diſſolvatur illud *Iuven.* Sat.10.

Rara eſt concordia formæ
Atque pudicitiæ.

Hæc de ſententiosè dictis ſufficere exiſtimamus. Quorum ut ubique tibi copia ſuppetat. unum potiſſimum obſerva, & hypotheſin ad theſin, id eſt, finitam, ſeu particularem propoſitionem, ad infinitam, ſeu univerſalem revoca. Ita Seneca ad Thyeſtem & Atreum dicit.

Quidquid à vobis minor expaveſcit,
Major hoc vobis Dominus minatur.

Hypotheſis hæc eſt, atque ad perſonas particulares reſtringitur. Vis gnomam? muta omiſſis perſonis in theſin, & univerſim enuntia.

Quidquid à magno minor expaveſcit,
Major hoc illi Dominus minatur. *Ecce gnomam.*

Contra theſis eſt, ac gnoma quæ ſequitur.

Omne ſub regno graviore regnum eſt.

Leviter hanc, ſublata gnoma, inflexeris ſi particularibus adſtringas, ut

Veſtrum ſub regno graviore regnum eſt.

CAPUT

CAPUT XIV.

De uſu, & abuſu ſententiarum argutarum; cum veterum, ut Virgilii, Ovidii, Senecæ, tum recentium Poetarum cenſura.

ARgutum dicendi genus tangere hic ſolum lubet. quod integro alibi opuſculo proſecuti ſumus, ubi de epigrammate actum eſt. quo cupidum lectorem remittimus, ut quibus ex fontibus petendum ſit doceatur, & quamcunque etiam ſententiam argutâ eloquentiâ exacui poſſe intelligat. Vſus tamen argutæ dictionis non omnino promiſcuus eſſe debet, in humili potius medioque dicendi genere, quàm in ſummo verſatur. Vt proinde mirum non ſit, parcius Virgilium adhibuiſſe. Ridiculi proinde cenſores illi ſunt, qui quidquid apud Virgilium non reperiunt, id ſubitò ab omni poeſi, etiam heroica, proſcribendum putant Ovidius, Horatius, Iuvenalis, Seneca aliiq; optimæ notæ ſcriptores conſulantur, & præſtantiſſima illic ſententiarum invenies lumina. quæ argutâ dictione, velut radiis animum feriunt, ac penetrant quorum jam ante nonnulla dedimus. Poterat ſanè Virgilius admirandò illo opere, plus etiam laudis mereri, ſi Ovidiano nonnunquam acumine, & Horatiano ſententiarum pondere magis eminuiſſet. Qui in multis Poeſios dotibus vicit: in his victus ſuccubuit: ne unus poſſideret univerſa. Horatii locum aliquem ſupra attuli de gnomis plura non deſunt, licet eum minus argutis abundare, quàm Iuvenalem exiſtimaverit Scaliger. non optimus ubiq; Poetarum in ſuis Criticis ponderator: certè acuminum in utroq; parum acutus cenſor; cum una ex Horatio à me ſignata ode, plura ſuggerat, quàm ex toto ipſe depromat opere. Sed Ovidium audire juvat, in diſtichis multa habet argutè. ut illud prorſus rarum eſt, quod Phyllis fallaci amico Demophoonti in epiſt. Herod accinit,

Demophoon ventis, & vela, & verba dediſti:
Vela queror reditu, verba carere fide.

Nec illud amantis votum ſine argutia eſt.

Et quo non poſſum corpore, mente ſequar.

Acutè quoq; ab oppoſitione veréque dictum.

Candidus in nauta turpis color.

Quam apto verbo, alienaq; rei attributione hac ſententia conſtat!

Noćte latent mendæ: vitioque ignoſcitur omni,
Horaque formoſam quamlibet illa facit.

Arguta ſimilitudine contentioſum perſtringit.

Odimus accipitrem, quia vivit ſemper in armis.

Exquiſita alluſione ita alibi argutatur,

Aurea nunc verè ſunt ſecula, plurimus auro
Venit honos.

Verum his nolo inſiſtere. Ex Heroicis, ut cum Virgilio componatur, deſcriptionem petamus famentis Eriſichthonis lib. 8. met. Famem ut ſupra tradidi adumbraverat. Paulò infra ſubjicit, hac occupatum Eriſichthonem.

Lenis adhuc ſomnus placidis Eriſichthona pennis
Mulcebat: petit ille dapes ſub imagine ſomni,
Oraque vana movet, *dentemque in dente fatigat*,
Exercetque cibo *deluſum guttur* inani.
Proque epulis tenues nequicquam *devorat auras*.
Vt verò eſt expulſa quies, furit ardor edendi,
Perque avidas fauces immenſaque viſcera regnat.

Haćtenus dića Virgilius ſua eſſe cupiat: nihil enim minus virile aut humile nimium: Illa verò ſuapte ingenio, *dentem in dente fatigat*, & *pro epulis devorat auras, non fuerat allaturus, quæ argutè Naſo dixit. Pergit.*

1. Nec mora, quod pontus, quod terra, quod educat aër,
2. Poſcit, & *appoſitis queritur jejunia menſis*,
3. *Inque epulis epulas quærit*: quodque urbibus eſſe,
4. Quodque ſatis poterat populo, non ſufficit uni.
5. Vtque fretum recipit de tota flumina terra,
6 Nec ſatiatur aquis, peregrinoſque ebibit amnes:
7. Sic epulas omnes Eriſichthonis ora profani
8. *Accipiunt poſcuntque ſimul: cibus omnis in illo*
9. *Cauſa cibi eſt, ſemperq; locus ſit inanis edendo.*

Hanc deſcriptionis partem Virgilius ſuam eſſe nolit. quamvis argutiis priori ſit cultior. quam enim argutum. *in plenis menſis quæri jejunia. quærere in epulis epulas cibum ſimul accipere, & poſcere* non acceptum. *Cibum eſſe cauſam cibi: edendo inanem reddi ſtomachum*. hæc enim omnia præter exſpećtationem accidunt. Verùm tamen, tenuiori in ceteris phraſi impar Virgilio eſt. hic molem congeſtorum ciborum magis expreſſiſſet tardiori verſu. ita forte.

Nec mora. quod ponto, terrraque, atque aëre clauſum eſt,
Impor-

Importuna fames poſcit. quodque urbibus amplis
Eſſe cibus poterat; ſtomachi implacabilis haurit
Ingluvies immenſa. velut latè omnia circum
Flumina pontivago Nereus abſorbet hiatu:
Nec ſatiatur aquis, totos licet ebibat amnes.

Cetera faſtidiſſet Virgilius, viro gravi ſimilis, qui ſuperfluum, minuſque majeſtatis in re triſti habentem, verborum luxum averſatur. compara verba, phraſes, numeros, omnia invenies grandiora. Primus verſus Virgilio in re magna, ob levem ſaltum, diſpliceret. quartus quintuſque ob humiliorem phraſin, quod ex reſoluta locutione patebit. Par ratio in tribus ultimis, quæ præter argutiam nihil habent ſublime. Sed nec in antepenultimo epithetum *omnes*, forte etiam, nec *profani* toleraturus fuiſſet. maluiſſet etiam in penultimo *accipiunt ſimul ac poſcunt*: quia gravius eſt ob ſyllabam *ac* & numerum quo ſaltus vitatur. Verum certius, hos tres verſus Maro prorſus, tanquam inutiles; ut qui nullam rem novam explicant, rejecturus fuiſſet.

De Narciſſo ſe in aquis amante ita argutatur Ovidius lib. 3. met.

Spectat humi poſitus geminum ceu, lumina, ſidus —
Cunctaque *miratur quibus eſt mirabilis ipſe.*
Se cupit imprudens, & *qui probat, ipſe probatur:*
Dumque petit petitur: pariterque *accendit & ardet,*
Irrita *fallaci* quoties dedit oſcula *fonti!* --
Spectat inexpleto *mendacem* lumine *formam,*
Perque oculos perit ipſe ſuos.
Ille ego ſum, ſenſi, nec me mea fallit imago,
Vror amore mei, flammas *moveoque feroque.*
Quid faciam? *rogor, anne rogem?* Quid deinde rogabo?
Quod cupio mecum eſt: *inopem me copia fecit.*
Votum in amante novum eſt, *vellem quod amamus abeſſet.*--
Nec mihi mors gravis eſt, poſituro morte dolores.

Hic ex primo fonte oppoſitorum (quem in libello Argutiarum ſtatuimus) luſit, ſed ingenio nequaquam Virgiliano, qui tam minutis vibratiſq; ſententiolis nunquam luderet, etiam in pari materia, quæ hic omnino humilis leviſque eſt. Primum tamen carmen ita legi malim.

Spectat humi poſitus geminum, ſua lumina, ſidus.

Iuvat utrumque paucis inter ſe in ejuſdem peſtilentis luis deſcriptione componere. Ita habet *Ovid. lib. 7. met. de Formicis.*

1. Dira

1. Dira lues populis, irâ Iunonis iniquæ,
2. ncidit exoſâ dictas à pellice * terras. * *Ægina.*
3. Dum viſum eſt mortale malum, tantæque latebat
4. Cauſa nocens cladis, pugnatum eſt arte medendi.
5. *Exitium ſuperabat opem*, quæ victa jacebat.
6. Principio cœlum ſpiſſâ caligine terras
7. Preſſit, & ignavos incluſit nubibus æſtus.--
8. Conſidere infelix validos miratur arator
9. Inter opus tauros, medioque recumbere ſulco--
10. Acer equus quondam, *magnaque in pulvere fama,*
11. *Degenerat*; palmæ, veterumque oblitus honorum,
12. Ad præſepe gemit, morbo moriturus inerti.--
13. Nec moderator adeſt, inque ipſos ſæva medentes
14. Erumpit clades, *obſuntque autoribus artes.*--
15. Fontibus & fluviis puteiſque capacibus hærent,
16. *Nec ſitis eſt extincta prius, quàm vita, bibendo*
17. Pars animam laqueo claudunt, *mortisq; timorem*
18. *Morte fugant*, ultroque vocant venientia fata.--
19. Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignes.

Hac ex longiori deſcriptione ſelegi primos duos verſus Virgilius ita malviſſet.

Quondam dira lues, odio Iunonis acerbo
Involvit dictas exoſâ à pellice terras.

Nam vox *populis* illi, ut ſupervacanea, vox *iniqua*, ut tenuior, & malè poſt *Iunonis* ſtatim collocata: tum *incidit* rurſum, ut tenuis, diſpliceret. Ita in quinto verſu, *opem, qua victa jacebat* (ſeu, ut alii pejus legunt, *opes victaque jacebant*) tanquam abruptam, frigidamque nimis clauſulam aſpernaretur: nam ſuperatam eſſe opem, jam dictum erat. unde inutilis videtur, præſertim cum nimis abrupta, & brevis ſit ſententia, qua carmen lector abſolvendum non ſperat. Plura in hac deſcriptione humilia tranſeo quòd in Virgilio opponenda in pari ſenſu non reperiam. tale illud

— Nulla, quid utile, cura eſt,
Vtile enim nihil eſt. paſſim, poſitoque pudore.
Fontibus & fluviis puteiſque capacibus hærent. *Et illud.*
Lanigeris gregibus balatus dantibus agros
Sponte ſua lanæque cadunt, & corpora tabent.

Quam hic friget, & penè ipſa ægreſcit phraſis. *Vtile enim nihil eſt.* & *balatus dantibus agros.* Dum verò tabentibus corporibus deinde

deinde ſubjicit: *Mira loquar: non illa canes tetigere* mira certè non loquitur. Proinde Ovidius minus ubique purus lectuſque eſt quàm Virgilius: dum auro argentoque ſuam etiam admiſcet ſcoriam, ac viliora metalla optimis confundit. Ceterum, neque inficiamur gemmis quandoque inſertis ſuperare Virgilium. Vt hic, *vitam cum ſiti extinctam eſſe. mortis timorem morte ipſa fugatum.* quæ Virgiliana vel negligit, vel non aſſequitur gravitas. Audiamus & apponamus elegantiſſimam ejuſdem deſcriptionem Ovidio *Sic habet lib 3 Georg.*

1. Hic quondám morbo cœli miſeranda coorta eſt
2. Tempeſtas, totoque autumni incanduit æſtu.
3. Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum.
4. Corrupitque lacus, infecit pabula tabo---
5. Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
6. Et dulces animas plena ad præſepia reddunt.--
7. Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
8. Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem,
9. Extremoſque ciet gemitus. It triſtis arator
10. Mœrentem abjungens fraternâ morte juvencum,
11. Atque opere in medio defixa relinquit aratra.--
12. Labitur infelix ſtudiorum, atque immemor herbæ
13. Victor equus: fonteſque avertitur, & pede terram,
14. Crebra ferit, demiſſæ aures, incertus ibidem
15. Sudor, & ille quidem morituris frigidus, aret
16. Pellis, & ad tactum tractanti dura reſiſtit.--
17. Præterea jam nec mutari pabula refert,
18. Quæſitæque nocent artes. ceſſere Magiſtri
19 Phyllirides Chiron, Amithaoniuſque Melampus.
20. Sævit, & in lucem ſtygiis emiſſa tenebris
21. Pallida Tiſiphone. morbos agit ante, metumque,
22. Inque dies avidum ſurgens caput altius offert.

Dubites jure in partibus quibuſdam utri palmam addicas. In prioribus ſuperat Virgilius, in poſterioribus verſibus ſuperatur. Vt comparanti verba epitheta, metaphoras phraſes ceteraque ligatæ eloquentiæ principia, quæ hactenus expendimus ac mox ſubjiciemus, patebit. apta ſanè metaphora infectionem *morbum* cœli dixit, tum etiam *autumnum æſtu incanduiſſe.* Grandia in re triſti verba ſunt, *miſeranda tempeſtas coorta.* multitudinem & celeritatem morientum tertium carmen volubile appoſitè expreſſit. Taurus ille moriens vivo propemodum

ſpectaculo exprimitur. uti & equus concidens: niſi quod in hoc argutiori eloquentia Ovidius floreat. Cetera de medentibus ab Ovidio v. 4. & 13. & de morientibus in fine exquiſitius propoſita fuère, quamvis Virgilius non inſcita fictione exornaverit. Noli enim exiſtimare: nihil Virgilio fieri emendatius potuiſſe. obſtat ſanè ipſius de ſe judicium Æneidem flammis, ob neglectas in ea labes deſtinantis: neque iccirco quia Princeps eſt, omnia in ipſo lex nobis ac regula ad imitationem eſſe debent. Pauca in politiſſimo hoc carmine quod meritò extollit Scaliger, obſervo. quæ poſtrema ab ipſo manu cultius elimari potuiſſent. Vt in 4. verſu conjunctio *&* vel *que*, omiſſa ſubrogari. unde malim

Corrupitque lacus, ſparſitque in pabula rabum.

Sic in 14 -- demiſſæ aures, incertus *ibidem* ſudor. ubi vox *ibidem* & tenuis ſatis, & parum ſignificativa, cum non tantùm auribus ille ſudor, ſed & reliquo corpori hæreat. malim igitur *incertus adhæret*. vel potius ad Virgilii quoque ingenium

— & frigidus artus
Iam defecturos ſudor rigat. horrida pellis
Aret --.

Nam & hic rotundior, & in antepenultima verſus cadens defectionem ſimul indicat. Suſpenſus verò apud Virgilium ſententiarum numerus hoc loco vim non habet. Deinde in 17 verſu particula *nec* minus placet: tum quia conjungitur illi *jam*, non admodum ad ſenſum requiſitum; ad numerum verò ingratum; tum potius, quia in altero verſu illi *que* reſpondet: ubi magis placuiſſet. *Nec medicæ proſunt artes.* Et prioris verſus major ſic poſiti videretur gratia. *Præterea neq; mutari jam pabula refert.* Denique in ultimis verſibus minus incedit ordine. cum prius dicat ſævire Tiſiphonem, poſtea emitti, & caput extollere altius: primò morbos, deinde metum ponat, hoc eſt, leviora ſubnectat gravioribus. Hæc enim licet poetica excuſet licentia, tamen ſine laude ſunt, ubi optima inveſtigamus. An non ita ordinatius poterat?

Pallida Tiſiphone ſtygiis emiſſa tenebris,
Ante, metum, & triſtes, examina lurida, morbos
Cogit agens, ſævitque horrendum immanibus hydris.

Certè ad Virgilianum hæc etiam genium eſſe intelliget, qui illum novit. Nobis ignoſcet lector, dum ex principiis, vel à ratione, vel ab arte petitis, ad inſtructionem aliorum, & meliorum diſcrimen, obvia quæque ad regulas veritatis exploramus.

neque

neque enim cuiquam bonorum autorum ad favoris odiique affectionem,me obnoxium deprehendo,quales nonnullos comperio. qui ubi perſuaſum habent Virgilium in poeſi habendum Principem: mox velut adulatores aulici, vitia juxta ac virtutes in ſuis Dominis venerantur, atque etiam pro imitationis exemplis illorum utuntur erroribus.

Nunc ut ad argutum ſcribendi genus redeam. Iuvenalis in Satyris non rarò idem conſectatur. Sat.1.

Aude aliquid brevibus Gyaris,& carcere dignum
Si vis eſſe aliquis. probitas laudatur,& alget.
Criminibus debent hortos,prætoria,menſas.

Hac ſanè exſpectationem fallunt: uti & illud

Exul ab octava Marius bibit,& fruitur Dîis
Iratis,at tu victrix Provincia ploras.

Mirum hoc,quod exules triumphent m[illegible]ti[illegible],& victores plorent ob calamitates;illi vitiis felices: hi virtute miſeri. An non & illud rarum. Sat.3.

Quantum quiſque ſua nummorum poſſidet arca,
Tantum habet & fidei.

Sale illud conſperſum acri,quod piſce ingentis pretii habet.

Hoc pretium ſquamæ? potuit fortaſſe minoris
Piſcator,quàm piſcis emi.

Nec minus illud. — Sed quid cuſtodiet ipſos Cuſtodes?

Sanè univerſim Iuvenalis is eſt,qui p[illegible]uo in ſeculo c[illegible]rorum Poetarum locum mereatur. neque mu[illegible]a habet repr[illegible] digna, laude quamplurima, illâ demptâ, quæ ca[illegible] debita.

Seneca tragici carminis Princeps acuto ſcribendi [illegible] primis delectatur. Audiamus in deſcriptione peſtis, quâ O[illegible] ſupra exemplum eſt imitatus in Oedip.

1. Pars nulla regni immunis exitio vacat,
2. Sed omnis ætas,pariter & ſexus ruit,
3. Iuveneſque ſenibus jungit,& gnatis patres
4. Funeſta peſtis. *una fax thalamos cremat,*
5. *Fletuque acerbo funera:* & queſtu carent.
6. Quin iſta tanti pervicax clades mali
7. Siccavit oculos,quodque in extremis ſolet,
8. *Periere lacrymæ* portat hunc æger parens
9. Supremum ad ignem: mater hunc amens gerit,
10. Properatque,ut alium regerat in eundem locum:

11. *Quin luctu in ipſo luctus exoritur novus,*
12. *Suæque circa funus exequiæ cadunt:*
13. Tum propria flammis corpora alienis cremant.
14. Diripitur ignis, nullus eſt miſeris pudor,
15. Non oſſa tumuli ſancta diſcreti tegunt,
16. Arſiſſe ſatis eſt. pars quota in cineres abit?
17. Deeſt terra tumulis, jam rogos ſilvæ negant.
18. Non vota, non ars ulla corruptos levant.
19. Cadunt medentes, *morbus auxilium trahit.*

Argutè, ſimul ac nervosè, facem nuptialem & funeream ſociat; ut Venerem & libitinam in novis nuptis conjungeret. ita & v.8. laudo illud *Periiſſe lacrymas*: ſed quod idem, bis ante ſola phraſi variatâ, dicat, *& queſtu carent*, & *clades mali ſiccavit oculos*: imò, quod parum ſibi conſtans, ante fletum & poſt luctum admittat, ubi queſtum & lacrymas eſſe negat, hoc improbo. Verſu item 11 & 12, & 19 appoſitè ſatis argutatur. Sed frigidè nimis v.13 & 17 Ovidium argutantem ſectatur. qui ſic habet, primo etiam frigido verſu, quamvis de igne.

Deque rogis pugnant, alieniſque ignibus ardent.
Nec locus in tumulos, nec ſufficit arbor in ignes.

Seneca primum verſum per epithetum *propria*, oppoſitum *alienis*, magis acuere voluit, ſed ambiguo ſenſu (cùm ſeipſos rogis non injecerint) magis enervavit. Alium apud Ovidium laudatum verſum, frigido numero, & particula *jam*, otiosè inſerta, deſtruxit. Taceo nunc verſum 10 prorſus, in re gravi, elangueſcentem & phraſi, & numero. tum appendicem ultimam 14 & 16 verſus tortè ceteris adhæreſcentem. verbo. Seneca, non ubique idem, magnis ſæpe virtutibus ſuam etiam admiſcuit vitia. plâ phraſium, in eadem re, varietate nonnunquam otiosè dirtus, interdum languidus enerviſque, atque à ſolata majeſtate eficiens ut proinde ejuſdem autoris omnia eſſe meritò comlures negent.

Statius, ob eximiam gravitatem, argutiarum (quarum in ſtylo tenuiori ſedes aptior) parcus. Claudianus tamen in gravioribus etiam vèrſibus cum laude uſurpavit. De ætna ſic acutè diſſerit. lib.1. de rapt.

Sed, quamvis nimio fervens exuberet æſtu
Scit *nivibus ſervare fidem*, pariterque *favillis*
Dureſcit glacies, tanti ſecura vaporis,
Arcano defenſa gelu: fumoque fideli

Lambit

Lambit contiguas, *innoxia flamma pruinas.*

De Phœnice ita alibi in Epigr. argutatur.

Hic neque concepto fetu, nec ſemine ſurgit,
Sed pater eſt proleſque ſui, nulloque creante
Emeritos artus, fecunda morte, reformat,
Et *petit* alternam totidem *per funera vitam.* --
Victuri cineres, nullo cogente, moveri
Incipiunt, *plumaque rudem veſtire favillam.*
Qui fuerat genitor, natus mox proſilit idem,
Succeditque novus. geminæ confinia vitæ
Exiguo medius diſcrimine ſeparat ignis.

Quis hæc neget ad laudem egregiam argutè ſimul & graviter dicta? Abſolvam igitur, quod ſive ex oppoſitis, aut alienatis, ſive ex comparatis, aut alluſionibus petere argutias libeat, exempla reperturus ſis. Quia tamen exceſſu aut affectatione pronum eſt, hac in parte offendere. lubet paucis exemplis affectati frigidique Poetæ, ad circumſpectam libertatem erudire. aliorum enim vitiorum turpitudine, noſtra facilius emendamus. Sic argutatur Cornelius Nepos de quo ſupra Belli Trojani lib. 1. pag. 1.

— venales quiſquis venatur honores,
Vnde ruit, tabulata ſtruit. Premit ultio noxas,
Tum gravior, cum tarda venit: tunc plena timoris,
Cum terrore caret. blandâ nil ſævius irâ,
Cum floret miſeri felix injuria voti.

Quam frigida & impropria alluſio. *venari venales honores.* Si venales, emendi potius erant. fugaces etiam venari poterat. Quid ad rem ſenſumque facit? *unde ruit, tabulata ſtruit.* an ædificat, dum *ruit* & *ſtruit*? ô frigus, & obſcuritas! tertium hemiſtichium laudo, cetera tolero. Illud. *blanda nil ſævius ira* admirationem loco opportuno mereri poſſet. ſed ultimo verſu, quo hoſtis irati & felicis injuriam metuendam dicit, obſcurior, quàm ornatior eſt.

De Diana, venatoribus offenſa ſic habet eod. lib. p. 4.

Venantes venata viros, prædamque petentes
In prædam petit, & lucos vigilantius ambit.

Primum hemiſtichium minus grata repetitione, quam alterum ludit. Illam ex principio libri non omiſero.

Mento caneſcant alii, nos mente: capillo,
Nos animo, facie, nos pectore. Tempora certè

Virtutem non prima negant, non ultima donant.

Pueriles illi-frigidique luſus nil virile, & heroicum ſpirant, mollieri fortè in verſu tolerandi. Similes illi

Quid hæres

Cœli heres? *lib.2.*

Et litis litui teſtes *lib. 6. Sed illud, quis ſine cachinno legat?*

— Riſu, an lacrymis? an flente cachinno

Ægypti portenta querar? lib. 4. *Nec minus ridiculum, quod de precibus & donis quibus Apollinis oraculum obtinuerunt Inachidæ.*

— aras

Ambit, & has, donis tandem ſolennibus emptas

Inachidis, voces pandit venalis Apollo. *ibid.*

Iterum rideamus novam elegantiam allegoricam.

— ventoque ſereno

In riſum redeunte polo, deterſa meretur

Iuno Iovem, atque hilari ſolatur flentia vultu

Nubila, proſcriptoque Noto, lenique ſuſurro

Dante vias, majora petit ſuſpiria claſſis. *ib.*

Rideo ſanè inſulſum quendam magiſtrum, quem has olim argutias, & inſipidos ſales, in ſcholis, pro Atticis bellariis venditantem, auſcultavi.

Auctarii loco ſit, quod ſine omni venere non eſt.

— Cypris in omnes

Bella ciet, victrixque placet: mundumque ſuperbit

Imperiis ceſſiſſe ſuis. Quippe ardua frangit,

Virus dulce, piæ ſyrtes, amentia ſupplex,

Molle malum, morbus hilaris. Sic vendicat orbem

Exitium venale Venus.

Pleraque admiſerim, ſed quod *pias* ſyrtes Venerem appellet; minus placet: malim etiam hanc ſapientem *amentiam*, quàm *ſupplicem* dictam.

Recentior Poeta, neſcio quis, de vita ſua ita luſit, & vibrantia, cum obtuſis argutiarum ſpicula projecit.

1. Vita mihi ventus, caro navis, navita ſenſus.
2. Pacificum curis interlabentibus æquor.
3. Seditioſa meo reſpublica pectore clauſa eſt.
4. Mens prope, mens procul eſt Spurcâ turpatur amurcâ.
5. Carnis, & immundi guſtat contagia mundi.
6. De petra mihi mella fluunt, de pumice nectar,
7. E ſquillâ mihi nata roſa eſt, è ſentibus uva,

8. De

8. De ſicco fons manat aquæ, de ſtipite gemma:
9. Et frontem in fontem, atq; in flumina lumina ſolvo.
10. Ex iſto torrente tamen bibo gaudia vitæ.
11. Lux perplexa, jubar tremulum, caligo ſerena,
12. Spes exſpes, ſtatus inconſtans, perſuaſio fallax,
13. Lex illex, methodus confuſa, inconditus ordo,
14. Bellica pax, riſus lacrymabilis, impetus excors,
15. Flos deflorеſcens, via devia, cognitus error,
16. Fama infamis, iners ſolertia, dives egeſtas,
17. Mens amens, ratio delira, invita voluntas,
18. Dulce malum, mellita lues, funeſta voluptas,
19. Sors exſors, deforme decus, ſubjecta poteſtas,
20. Plena fames, exoſus amor, deſpecta venuſtas,
21. Triſte melos, probroſus honos, fiducia ficta,
22. Feſſa quies, obſcura dies, victoria victa,
23. Ægra ſalus: animæ ſunt hæc ſolatia mœſtæ.

Quædam aptè ad vitæ rerumque mundanarum inconſtantiam, ac boni malique permixtionem deſignandam. nulla enim fortuna aut gaudium abſolutum eſt. ut proinde ſpes cum deſperatione, decus cum dedecore, fama cum infamia quodammodo ſocientur. Verum illa, tam coacta in uno carmine, omnium coacervatio reſque eadem diverſis tantùm, conciſiſque ſententiolis expoſita diſplicet. Ex quarto ad octavum verſum vix quicquam probo. Ex tribus ſequentibus, noni tantùm hemiſtichium ultimum laudo. cetera pleraque aut probanda in loco, aut certè toleranda erunt. niſi quod ſpes *exſpes* & lex *illex*, eo ſenſu, parum Latinè dictum ſit. quibus tamen libellus quidam, typus mundi, in elegis ſcitius uſus eſt. ut ſunt iſta

Tranſit ἔρως in ἔρις, odium comitatur amorem.

Si captas (ſcilicet amorem) caperis. -- Patieris, non potieris.

Non tamen probavero quod ſequitur affectate argutum.

Non amat iſte, ſed hamat Amor- ſi munera captas,
Prædo miſer, prædæ, præda eris ipſa, tuæ.

Ex comparatione arguta tarantulæ, cujus venenum ridentes extinguit, voluptatis ingenium exprimit.

Stellio luce nocet, Boa frigore, lumine Natrix,
Vi Iaculus, viſu Regulus, igne Draco;
Sed tua (quis tantos, vel Ulyſſes ſentiat aſtus?)
Immodico riſu blanda venena nocent.

His mecum acquieſces ſpero, atque ad ſubtilem hujus virtu-

is in oratione vitiique diſcretionem, maturæ aliquid circumpectæque rationis adferes. ne verba potius, quàm rem ſectatus idearis. Sermo enim non ſui, at rerum gratiâ inventus, tunc iſplicet, cum minus in rebus oſtendit, quàm ſono & compoſione præfert, ut iccirco frigidus affectatuſque habeatur. argu-ım igitur eſt;quod in rebus novam aliquam affectionem, prær audientis exſpectationem oſtendit. quod quemadmodum at ſeparato opuſculo tradidi. Deinde ſi in his luſibus translaones occurrant, aut allegoriæ; hæ ad examen, ut ſupra docui, er reſolutionem vocandæ ſunt. Ceterum pauci in hoc argutiaım luſu idem ſentiunt: cum ex ſuis quique naturæ aut tetricæ, ut lætioribus affectionibus judicet. ut proinde, ad ea quæ dixi rincipia æquo æſtimatori ſit recurrendum; tum etiam illius, juod modò expendemus, decori ratio non ſit negligenda.

CAPUT XV.

De Poëſios decoro, ejuſque ad res affectuſque compoſitione.

VT copiosè, & ornatè in Poëſi loquaris actum hactenus. Nunc ut decorè, ſive congruè ad res, & perſonas orationem componas agendum erit: Rerum igitur & perſonarum conditioni atque affectui accommodandus ſermo. qui alius in Rege, alius in plebejo homine, alius in re, alius in triſti eſſe debet. hoc eſt, verbis, ſententiis, numeris, figuriſque, modò grandioribus extolli, aut cunctanter produci, modò levioribus deprimi, aut præcipitanter incitari: prout res poſtulabit. In hoc decoro Virgilius longè omnibus in heroicis palmam præripit. Ovidius ubique ferè lenis, mollis, facilis, Statius paſſim grandis & elatus Lucanus ſubſultans numeris, conciſus ſententiis & velut in acie pugnans. Claudianus canoris exſultans, grandis: Virgilius tempore ac loco omnia poteſt.

Porrò in rebus, aut perſonis, duo præcipuè adjuncta, quantitas & qualitas occurrunt, quibus accommodanda oratio eſt. quantitas magnitudinem, mediocritatem, aut humilitatem rerum, vel perſonarum complectitur, quibus totidem ſcribendi characteres (de quibus poſtea) ſerviunt. tum longitudinem continet aut brevitatem, quibus tarditas & celeritas accedit. Prior quantitas in oratione potiſſimum exprimitur per grandia,

dia, mediocria, aut humilia verba, de quibus ſupra egimus: poſterior inprimis per ſyllabas, numeroſque, tardos aut celeres, ut mox videbimus. Qualitas in rebus aut perſonis corporum ſpeciem, affectioneſque ſpectat pulchritudinem ſcilicet, amœnitatem, obſcuritatem, aſperitatem, ſuavitatem & cetera quibus ſenſus humani oblectari aut offendi poſſunt; In animatis verò affectus etiam animorum comprehendit: ut præſertim ſunt amor & odium, deſiderium & fuga, gaudium & triſtitia, ſpes & metus, ira & manſuetudo, miſeratio & indignatio, invidia & æmulatio, pudor & impudentia. quibus ceteræ virtutes, ac vitia admiſcentur. qui tamen pro ætate ac conditione hominum expenduntur; cum alii, aliis perturbationibus magis obnoxii habeantur: ut juvenes Amoris, ſenes avaritiæ, pauperes invidiæ, divites gaudiis magis indulgeant. Aptanda his igitur ita erit oratio. ut e. g. amœna & pulchra res florenti ſtylo, numeriſque minimè impeditis ornetur: contra quàm in aſperis, & obſcuris. Idem in affectibus lætis ac triſtibus obſervandum: tum verò maximè, cùm incitatus aliquis indignantis, fugientis, aut exultantis affectio exprimitur, incitanda ſimul per conciſa membra, volubileſque numeros ſententia; cùm verò gravior tardiorque motus dubitantis, hærentis, aſpirantis, aut dolentis exponitur, circumductus magis, numeriſque impeditus & tardus ſermo hæreat. Ceterum in hoc affectuum regno, in quo potiſſimum viget ac dominatur oratio, vis magna figurarum, aptæque inter membra compoſitionis, ac numerorum exiſtit. De quibus proinde agendum eſt.

Caput XVI.

Figurarum in poëſi vis ac varietas.

Figuræ, vel ſunt verborum, vel ſententiarum. Illæ detrahendo, addendo, variéque immutando voces, vel orationem, aut ornant, aut incitant: hæ minuendo, vel augendo ſententiam, ſive id quod per verba ſignificatur, idem præſtent.

Figuræ priores, vel ſubſtantiam verborum concernunt; vel quantitatem, qualitatem, aut ſitum. Subſtantia tangitur, vel per defectum cum ſubticetur verbum aliquod, vel per exceſſum, cum additur aut repetitur. Exempla ex Virgilio depromimus.

Per defectum, primo ellipſis, ſive apoſiopeſis, id eſt, ſubticentia adhibetur: idque vel,

Affectum iræ ſignificando. ut Quos ego; (*punirem*) ſed motos præſtat componere fluctus.

vel Admirationis. O ſtirpem inviſam!

vel Indignationis. Tune duos unâ, ſæviſſima vipera, cœnâ?
Tune duos?

vel Amoris. Me, me, adſum qui feci, in me convertite ferrum.

vel Pudoris. Novimus & qui te, (*deprehenderunt*) tranſverſa tuentibus hirquis.

Secundo per defectum adhibetur aſyndeton, ſeu diſſolutio, quæ præpoſitionis vim extollit, & ſervit,

In re magna. Monſtrum horrendum, deforme, ingens.

In re præcipiti Ferte citi ferrum, date tela, inpellite remos.

Per exceſſum primo uſurpatus pleonaſmus, qui ellipſi opponitur. ita

Vim habet & emphaſin. — Sic ore locuta eſt.
Hiſce oculis egomet vidi. *Terent.*

Deinde polyſyndeton, quod aſyndeto opponitur, & conjunctiones multiplicat, ac modò feſtinationem, modò multitudinem indicat.

— Tectumque, Laremque, Armaque.

Denique anadiploſis, ſeu duplicatio, & iteratio ejuſdem; aut certè affinis terminatione vocis omnino varia, & tam ad ornatum, quàm affectum idonea eſt. Hæc enim repetitio ſi in principio inſtituatur, maximè affectum movet, præſertim cum aliqua exclamatione, aut interrogatione conjuncta ut in hoc affectu.

Deteſtantis. O Corydon, Corydon, quæ te dementia cœpit!

Timentis. Sed fugite, ô miſeri, fugite

Feſtinantis. -- Nunc nunc inſurgite remis, Hectorei ſocii.

Augentis. Felix, heu nimium felix!

Poſt intervalla etiam vim habet variam rem ſeriò inculcandi.

Te nemus Angitiæ, vitreâ te Fucinus undâ,
Te liquidi flevere lacus —.
Sic oculos, ſic ille manus, ſic ora ferebat.
Victus amore tui, cognato ſanguine victus. *Virg.*
Hujus ero vivus, mortuus hujus ero. *Propert.*
Vna dies Fabios ad bellum miſerat omnes.

Ad

Ad bellum miſſos perdidit una dies. *Ovid.* II.*faſt.*

— Timidiſque ſupervenit Ægle

Ægle Naïadum pulcherrima *Virg.*

Sed & ornatus potiſſimùm cauſa, repetitiones adhibentur.

Ambo florentes ætatibus, Arcades ambo. *Virg. Eclog.* 7.

Pan etiam Arcadiâ mecum ſi judice certet,

Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum.

Verùm hæc repetitio humili ſermoni Eclogarum & Comœdiarum aptior, quàm grandi, aut vehementi eſt

Repetitio vero, quæ cum inflexione aliqua vocum eſt, ſæpe etiam ornatui magis, quàm affectibus ſervit. Tale illud *Virgil.* Æn. 2.

Vna ſalus miſeris nullam ſperare ſalutem.

Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam. *In Eclog.*

Cedere juſſit aquam, juſſa receſſit aqua. *Ovid. de art.*

Si pereo, manibus hominum periiſſe juvabit. *Virg. Æn,* 3.

— Intentaque brachia remis

Intenti exſpectant. *Virg. Æn.* 5.

Ornatum vim affectumque hæ repetitiones habent, cum anthitetis.

— Hæret pede pes, denſuſque viro vir. *Virg.* Æn. 10.

— obvia ſignis

Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis. *Lucanus l.* 1.

In comicis ſingul. rem ad ridiculum vim h. bent.

Hoc eſt mel melli dulci dulcius *Plautus in Epidico.*

Optumè, optumo, optumam operam das. *Id. in Amphyt.*

Figuræ aliæ circa adjuncta dictionis verſantur. Quæ quidem erunt quantitatis, ſi vel conjunctas voces dividant, vel diviſas conjungant.

Diviſio ſi cadat in unam vocem Tmeſis dicitur, ſeu diæreſis. *Ita Virg.* 3. *Georg.* Talis hyperboreo ſeptem ſubjecta trioni.

Et 2. Æn. Quo res cunque cadent.

Et 7. Æn. ſi qua ſuper fortuna laborum eſt.

Et 9. Æn. Inque ſalutatam linquo.

Et 10. Æn Ille pedem referens, & inutilis, inque ligatus.

Pro vocibus Septentrioni, quocunque, ſupereſt, inſalutatam, illigatus. Ridicula hic prorſus eſt, neque imitanda Tmeſis Ennii apud Donatum de tropis:

Saxo cere- comminuit- brum. id eſt cerebrum.

Vnde apparet diviſionem hanc in voces compoſitas rectè cadere.

dere, ſi diviſio in conſtructionem cadat: hendiadys, ab ἓν διὰ δυοῖν, ſive *uno in duo* diviſo appellatur. *Ita Virg.l.2.Georg.* dixit

— Pateris libamus & auro, *id eſt aureis pateris libamus.*

Et 1.Æn. --Molemque & montes inſuper altos impoſuit. *id eſt molem montium.*

Et 3.Æn. --In prædam partemq;, *id eſt,in partem prædæ.*

Quæ ita uſurpanda erunt, ut aliquam orationi virtutem tribuant,uti Maro fecit, qui ejus majeſtatem ita extulit: alias ſine laude erunt,ac licentiis potius,quàm figuris adſcribentur.

His figuris opponitur ſynthesis, ſive compoſitio diverſarum vocum.

*Virg.*1.Æn. Neque enim ignari ſumus ante-malorum. *id eſt, præteritorum.*

*Hor.l.*3.*Od.*24. Clarus poſt-genitis.

Seneca in Thy. Quis male-Deoum Tantalo vivas domus
Oſtendit iterum? *id eſt,malorum Deorum.*

In ſententia quandoque etiam conjunguntur inſolita. Ita Virg.
Niveuſq; videri. *id eſt,niveo calore ſpectabilis.*

Qualitatem vocum ſpectant figuræ, quæ aut pronuntiandi ratione, ut facit interrogatio, aut ſimili terminatione ut facit Homæoptoton, aut alia vocis per annominationem, ſive alluſionem inflexione, ut facit paronomaſia, vim ſignificationemque vocis mutant, extollunt,aut ornant.

Interrogatio cum ad alios dirigitur reſponſi gratiâ, non eſt figura orationis: ſed neceſſitatem ex natura rerum habet. Vt, Quo te,Mæri,pedes? *Virg.Ecl.*9.

Cum verò non reſponſi gratiâ fit, vel ut interrogans ſibi ipſi tantum reſpondeat figuratur oratio, viſque illi & ornatus additur. Ita Iuno *Virg.l.*1.Æn.

— Mene incepto deſiſtere victam
Nec poſſe Italia Teucrorum avertere Regem?
Quippe vetor fatis. Pallaſne exurere claſſem
Argivum,atque ipſos potuit ſubmergere ponto? &c.

En quanta vis dictionis à tam peritè adhibita interrogatione, loco. ubi locus illi negari poterat, & ſimpliciter omnia exponi. Hæc figura, quia modo in verbis,modò ſimul in rebus reperitur. ad figuras quoque ſententiarum rejici poterit. Similiter deſinens in ſyllabas aut etiam caſus parum venuſtatis,

aut

aut virtutis extra rhytmos (ſine quibus plerumque diſplicet) habet. Talis ille Ovidii verſus, qui meritò diſplicet in elegia.

Ipſe ego librorum video delicta meorum.

Et ille, Quærebam flavos, per nemus omne, favos.

In ſententiis tamen parœmialibus, tum & Epitaphiis, aut verſibus Anacreonticis parviſque aliis hymnis gratiam reperiunt. Primi generis Buchlerus multa collegit. In quibus illud

Res valet, ars præſtat, ſi res perit, ars mihi reſtat.

Et illud. Tempore felici multi numerantur amici.
Cum fortuna perit, nullus amicus erit.

Anglicæ mulieris breve, ſed non ineptum epitaphium.

Hic jacet in tumba, roſa mundi, non Roſamunda,
Non redolet, ſed olet, quæ redolere, ſolet.

Hæc ſeorſim quidem, non tamen in aliquo poematis contextu laudavero.

Paronomaſia eſt, cum immutata nonnihil repetuntur. quæ in humili potiſſimum elegiarum comœdiarumque ſtylo locum reperit. & ornatum potius, quàm vim habet. Ita *Martialis* lib. 11. epiſt. 14.

— Quo tempore prædium dediſti,
Mallem tu mihi prandium dediſſes.

Nos illud Iudæ quondam dedicavimus.

Chriſtus amice tuum, Iuda, inquit reſpice finem.
Vnica decepit litera, funis erat.

Et illud. Vivus habes loculos, loculum nec mortuus unum:
Vita tibi dives; mors tibi pauper erat.

Ter. in heaut. Tibi erunt parata verba, huic homini verbera.

Et in Andr. Inceptio eſt amentium, haud amantium.

Plaut. in Ciſtel. Amor & melle, & felle eſt fœcundiſſimus.

In gravioribus etiam quandoque locus eſt his luſibus. Ita *Statius* 3. *ſilv.*

— Venies cariſſima conjux
Præveniesque etiam.

Et Auſon. Idyl. 4. Poſſes ornatus, poſſes oneratus haberi.

Et Ovid. 2. de art. Et Venus in Venis, ignis in igne furit.

Sed de his plura dedimus exempla, ſupra in arguta oratione. Magis verò hæc etiam ornant, cum in contrarium ſenſu ac voce inflectuntur. *Ita Virg.* Æn 7 de Trojanis

Num capiti potuère capi? num incenſa cremavit Troja viros?

Et Hor.l.1.Od.34. Inſanientis dum ſapientiæ Conſultus erro.

Et Ovid.met.8. Impietate pia eſt.

Ter.in Enuch.act.4. Tu pol ſi ſapis,quod ſcis,neſcis.

Situ denique figurari voces poſſunt. ut cum per parentheſin quædam interſeruntur,aut per zeugma repetuntur.

Parentheſis, eſt rei quæ abeſſe poſſet, in mediam orationem incluſio. quæ explicat,aut cauſam dat,auget,aut minuit. *Ita de Caco Virg l.8.*

Ille autem(neque enim fuga jam ſuper ulla pericli eſt)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu!)
Evomit.

Zeugma plures inter ſe orationis partes,repetitione nova,ita reddit: ut aliis alia tribuat. Modò ipſas voces repetens,ut *Virg. Eclog.7.*

Compulerant greges Corydon,& Thyrſis in unum:
Thyrſis oves;Corydon diſtentas lacte capellas.

Modò per ſola pronomina repetuntur.Ita cum ſolitario ſene Claudianus vagum comparat *in epig.*

Erret & extremos alter ſcrutetur Iberos.
Plus habet hic vitæ, plus habet ille viæ.

De figuris ſententiarum, nihil eſt, quod in arte poetica magnopere diſſeram: cum illæ in ſoluta magis oratione dominentur , nihilque hic peculiare mereantur. Apoſtrophe tamen inprimis delectat. *Virgilius* 2 Æn.

—Pereuntque Hypaniſque Dymaſque
Confixi à ſociis: nec te tua plurima,Panthu,
Labentem pietas,nec Apollinis infula texit.

Ad inanimata quoque 2.Æn.habetur.

Trojaq; nunc ſtares,Priamique arx alta maneres.

Hypotypoſis,præſertim in heroico ac tragico carmine, Poetis etiam uſitata eſt , quia rem velut præſentem oculis conatur ſubjicere. Ita breviter *Virg* Æn.10. iratum deſcribit

His agitur furiis,totoque ardentis ab ore
Scintillæ abſiſtunt,oculis micat acribus ignis.

Par ratio & uſus in Ethopœja, quando mores perſonis affingunt , tum & proſopopœja , quando ipſæ perſonæ earumque mores finguntur. nam hoc inprimis Poetarum eſt proprium. vide deſcriptionem Famæ, & Famis ſupra. tum heroicam noſtram poeſin.

Gaudent quoque exclamationibus, in rebus magnis, lætis, triſtibus,

riſtibus, quæ per interjectiones ô, heu, evax, jo, vah, &c. non varò extolluntur exempla paſſim ſunt obvia. quæ nonnunquam cum interrogatione miſcentur. *ut Virg.* Æn. 2.

Heu! quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere?

Emphaſis etiam Poetis placet. Virgil. lib. 8. de Caco.

——Iacuitque per àntrum immenſum.

Epiphonema denique. ut *Virgilius* in Æn.

Tantæ molis erat Romanam condere gentem.

Et 2. *Georg.* —— Adeò à teneris adſueſcere multum eſt.

Quæ nonnunquam etiam cum interrogatione miſcetur. ut Virgil. 3. Æn.

—— Polydorum obtruncat & auro
Vi potitur. Quid non mortalia pectora cogis
Auri ſacra fames?

Hac ſententia cum gnome ſæpe, paucis mutatis convenit. Eſt enim pronuntiatum aliquod generale, quo jam dicta concluduntur. unde ſi ex illo *Virg.* 2. Georg. vox *adeo* tollatur, erit gnome. quia non adhibebitur tanquam concluſio dictorum. Imo illud *Virg.* in Ecl. 2.

—Trahit ſua quemque voluptas.

extra carmen à reliquis ſeorſim uſurpatum gnome erit. De hujus verò natura ſupra eſt actum. Licet autem omnis gnome facilè epiphonema eſſe poſſit: non tamen vice verſa id fiet: nam multa epiphonemata circa particularem materiam verſantur, tale illud *Virg.* Æneid. 4.

Tantos illa ſuo rumpebat pectore queſtus.

CAPUT XVII.

Comparationis in poëſi vis & ornatus.

SUnt qui præter figuras rebus intrinſecas, etiam intrinſeca quædam ornamenta ad figurarum cenſum admittunt: ut ſunt comparationes à ſimili, aut diſſimili, exemplo, vel re. Deinde appoſitiones oppoſitorum ſive contrariorum. his enim non tam rem probari apud Poetas, quàm illuſtrari exiſtimant. ſed meo quidem judicio utrumque præſtant. adeóque, ut probant locis; ut illuſtrant, figuris accenſeri poſſunt. Ita hæc comparatio *Virgilii* 1. Georg. non tantùm illuſtrandi, verùm & ſuadendi gratia adhibetur.

Sic

——Sic omnia fatis
In pejus ruere & retro ſublapſa referri;
Non aliter, quam qui adverſo vix flumine lembum
Remigiis ſubigit, &c.

Sæpe quidem non res ipſa, ſed modus rei geſtæ magis probatur, & illuſtratur, cum hoc ipſo, quod illuſtretur, magis etiam ſenſibus & animo inculcetur. Ita *Virgilius* 2. Æn. trepidanten deſcribit

Improviſum aſpris &c. *vide ſeq. capite.*

His comparationibus vix quicquam poeſis habet ad res illuſtrandas nobilius. Cavendum igitur, ne quid obſcurum etiam in exemplis comparatè adhibeatur. nam per illud omnino illuſtrari res clarior non poterit: neque probabitur quicquam magis incognitis juxta logicorum regulas. Manifeſtus igitu multorum eſt hujus ævi poetarum error, qui veterum fabulas, etiam magis reconditas, in comparationem adhibent: cum non modò nota per ignotiora, verùm & facta ſæpe per ficta probare, aut certa per incerta illuſtrare conentur. Veteribu gentilibus: plus hac in re licuit: tum quod fabulæ inter illo paſſim cognitæ: tum quod probabilitatis pleræque ſpecien non amiſiſſent. Vnde illam *Virgil. Æn. 4. comparationem Apollinis cum Ænea* in Chriſtiano *Poëta damnarem.*

Infert ſe ſocium Æneas atque agmina jungit:
Qualis ubi hibernam Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit, aut Delon maternam inviſit Apollo &c.

Nam quomodo illuſtrabit ſimile obſcurum, quomodo probabit falſum?

Nonnunquam tam clarum ſimile eſt (quod in laude cenſetur) ut altera pars comparationis non expreſſa ſatis intelligitur. idque in brevibus, atque etiam cumulatis comparationibus inprimis locum habet. Ita *Ovidius* lib. 1. triſt. & alibi frequenter in elegis.

Terretur minimo pennæ ſtridore columba
Vnguibus accipiter ſaucia facta tuis.
Non procul à ſtabulis audet diſcedere, ſiqua
Excuſſa eſt avidi dentibus agna lupi.
Vitaret cœlum Phaethon, ſi viveret, & quos
Optavit ſtultè tangere nollet equos.
Me quoque, quæ ſenſi, fateor Iovis arma timere, &c.

Hujuſmodi illa ſunt ſimilia, quæ ſupra ſapientis pronuntiati locu obtinere docui.

Qua

Quuandoque & plura ſimilia in eandem ſententiam congeuntur. quod in heroicis & tragicis eſt rarius. ubi unum ferè mile, idque explicatius ad octavum quandoque verſum (qui men non facilè cuiquam excedendus eſt, ut novitii quidam ciunt) extenditur. Ludunt igitur leviora carmina frequentiobus minutioribuſq; comparationibus talis illa quoque *Ovid.* de ponto

Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubiæ navita puppis amat.
Tu quoque Pieridum ſtudio ſtudioſe teneris,
Ingenioque faves, ingenioſe meo.

Et illa ex 3. *de arte.*

Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Par de exemplis in comparatione uſurpandis ratio. plura in vioribus fere carminibus acervantur. quanquam & Claud. iiſq; nonnullis eadem in heroicis, tum & Senecæ quandoq; in agicis exemplorum profuſio placuerit. quod aliquando, prærtim in panegyricis & poëmatis aliis non improbem; extra æc non admodum laudem. In levioribus modò illa breviter ſurpantur. ut Ovid. 1. Heroid.

Nec tibi turpe puta precibus ſuccumbere noſtris:
Conjugis Oenides † verſus in arma prece eſt.

Modò plura, aut prolixius etiam exempla adhibentur. Idem ep. 16.

Certus in hoſpitibus non eſt amor: errat, ut ipſi:
Cumq; nihil ſperes firmius eſſe fugit.
Hypſipile teſtis, teſtis Minoïa virgo,
In non exhibitis utraque falſa toris.
Tu quoque dilectam multos infide per annos,
Diceris Oenonem deſerviſſe tuam.

Hâc verò ratione adhibita probant magis, quàm illuſtrant. ia translatio in comparationibus uſitata non adhibetur. ontra illuſtrabunt potius, quàm probabunt, ſi translatè & mparatè ſolum, velut ſimile, & res diverſi generis, exempla oferantur. Tale illud Ovid. 4. de Ponto eſt.

Vt Venus artificis labor eſt & gloria Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas.
Arcis ut Actææ, vel eburna, vel ærea cuſtos
Bellica, Phidiacâ, ſtat Dea facta, manu.
Vendicat ut Calais laudem, quos fecit, equorum.

† *Meleager à Cleopatra.*

Vt

Vt ſimilis veræ vacca, Myronis opus:
Sic ego ſum rerum non ultima, Sexte, tuarum,
Tutelæque feror munus, opuſque tuæ.

A diſpari quoque tam in exemplo, quàm ſimili poteſt inſtitui collatio. ut fecit Catullus ep. 5.

Soles occidere & redire poſſunt.
Nobis cum ſemel occidit brevis lux
Nox eſt perpetuo una dormienda.

Ab eodem partim pari, partim diſpari comparatio etiam duci poterit. *Ita Propert. lib. 2.*

Non ſic incerto mutantur flamine ſyrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta Noto,
Quam facile irati verbo mutantur amantes.

Denique oppoſita ſimul, paris & diſparis, in eadem comparatione adhibentur. Ita Virg. Ecl. 2.

O formoſe puer nimium ne crede colori:
Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

De exemplis par ratio: nihil enim aliud ſunt, quam ſimili quædam humana actio, aut translatè, aut propriè adhibita quæ paſſim reperies. Verùm cum per ſimilia atque exempla paſſim illuſtriores Poetæ efferantur, paulò nobis enucleatius in hi verſandum erit, & ſufficienda rudioribus cum facultate copia quæ tamen materiæ potius, quàm elocutioni ornandæ ſervit.

CAPUT XVIII.

Comparationum à ſimili varietas ſuppeditata, & facilis copia.

Comparatio eximium poeſios decus eſt rectè uſurpata; ſi quidem illa rem propoſitam, velut in illuſtri quadam idea perſpicua notáque imagine, aut raro admirandoque exempl intuendam objicit. Hujus comparationis varietatem vim a gratiam fusè enucleatéq; ſingulari opere, quod ſpeculum imaginum inſcripſimus, ſymbolicæ artis amatoribus expoſuimu ubi in rem præſentem inprimis ſerviet lib. 4. cap. 5. & 6. Illu univerſim repetam: comparationem, vel à ſimili, vel exempl duci. ad illius copiam omnem rerum creatarum ordinem fa cere: ad hujus vero omnem hiſtoriam. Vis e. c. aulicam homin vitam per ſimilia adumbrare? Dedi lib. 6. c. 15. ib. ex artefact ſymbola 30: Ex rebus naturalibus ac terra terreſtribuſque i

prim

primis 38. ex aqua aquaticiſque 15: ex aëre aëribuſque tum & cœleſtibus 21. Quod ſi rara exempla utriuſque fortunæ poſtu-les, fecundiſſima omnis ætatis hiſtoria eſt. Verbo copia utcunque ſtudioſo homini, neque ſimilium, neque exemplorum defutura eſt.

Potiſſimum verò comparationes illuſtrant, quando res inter ſe naturæ diſſimilis componuntur; iccirco, quod in his minus exſpectata convenientia occurrat. unde pugnantem elegantius cum leone, quàm Achille comparaveris, amantem cum tæda potius, quàm cum Didone. Quæ cauſa, cur ſimilia, in Poeſi, exemplis potiora habeantur, neque in rerum extra hominem, naturalium deſcriptione, tam frequens elegansq; ſit uſus comparationum: cùm in eodem genere atque ordine rerum, minus ſe mutuò illuſtrent. Quòd ſi tamen ab homine aut vivente ad rem inferiorem ſimile traducendum petatur, omnino contemnendum non erit. Ita alibi me Araneam in tela deſudantem, cum textrice, atque etiam funambulone memini componere. Ita cum prædatore milite apes comparabis, cumque earum domeſtico labore, caſtrenſis diſciplinæ, aut civicæ in condenda urbe ſtudia Porrò frequentiſſimæ apud Poetas comparationes à ſimilibus ductæ ſunt, quæ in affectionibus humanis extollendis verſantur. Vt præcipuè ſunt, Amor & odium, deſiderium & fuga, ſpes ac metus, gaudium ac dolor: Ira ac manſuetudo, miratio & indignatio, invidia & æmulatio, pudor & impudentia. quæque ex his virtutes aut vitia naſcuntur. In his vero vehementiores quique affectus, vel exurgentes, vel etiam compoſiti, nullâ perinde re, quàm ſimilibus, & extolluntur, vel deprimuntur. Vis furentis & irati impetum à Poeta deſcribi? tigridem tibi raptis catulis ſævientem, velut in imagine proponet, aut pugnantem in arena taurum, leonem vulnere perſtrictum, ſævientem aprum, aut denique exæſtuans incendium, tempeſtuoſumve atque exundante fluctu ſpumans mare. contra vis placatæ iræ hominiſque adumbrationem? conſopitum leonem, ſedatam tempeſtatem, aut flammam, ventum aut mare tranquillitate compoſitum, tibi exhibebit. Vis timidum repræſentari? agnam, damam, leporem, aut columbam inimicum fugientem depinget. vis tremulum? cum foliis, frondibus aut ſegete ventis percuſſa, componet. atque, ut exemplo rem intelligas, attende, quàm aptè *Virgilius* lib. 2. Æn. ſubitò conterritum exprimat Androgeum.

Impro-

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſque repente refugit,
Attollentem iras & cærula colla tumentem,
Haud ſecus Androgeos viſu tremefactus abibat.

Ex qua imagine ita tibi conſiderandus Androgei terror objicitur, ut ſi coram oculis factum obſervaſſe videaris. cum & nota hæc imago ſit, atque in ſuo genere illuſtris. Enimverò in magna ſimilium copia ſpectandum inprimis, ut loco ac tempore, hoc eſt, non niſi ad rem patheticam, ſive cum affectu conjunctam, aut grandem, adeóque vel extollendam in virtutibus, vel in vitiis deprimendam, adhibeatur. Rebus enim ita aptanda oratio eſt, ut magna ſplendidè, parva leviter ac perfunctoriè exornentur: ne vel ex muſca elephas, vel ex elephante muſca fiat.

Deinde pro re nata videndum ut ſimile deligas, aptè repræſentans, quod faciet ſi notum & illuſtre fuerit. Illuſtre appello, quod in eo genere v. g. iræ aut timoris gravius aliquid excellentiuſque in ſe continet, quàm quod deſcribendum ſuſcepiſti. ſic Tigris leoque percuſſus magis furit, quàm homo; lepus hoc etiam timidior eſt. Adhæc videndum, ne rei ſimilis in comparationem adducta proprietas, alia qualitate, magis, in eadem re, eminente, obſcuretur: ita ſi navum & laborioſum hominem per aſini laborantis imaginem velis deſcribere, ignobilis hæc comparatio futura eſt; quia ſtupiditas tarditaſque magis in aſino eminet.

Deniq; raræ comparationes ceteris magis delectant, illæ præſertim quæ ex rebus notis petuntur. quibus inprimis Ovidiu placuit Ita, ut unius pœna plures terreri doceat, inquit lib. 3. de Ponto:

Cum feriant unum, non unum fulmina terrent.

Et, ut malum principiò exiguum, denique magnum fieri oſtendat ganit lib. 2. de arte.

Naſcitur exiguus, ſed opes acquirit eundo,
Quaſque vehit multas accipit amnis aquas.
Quem taurum metuis, vitulum mulcere ſolebas:
Sub qua nunc recubas arbore, virga fuit.

Quod autem hæc raritas exiſtat, vel ex proportione, vel e oppoſitione, vel alienatione, vel denique alluſione, alibi in ſpeculo imaginum latè tradidi lib. 5. & 6. quo ſtudioſum remitto.

Poterunt tamen quandoque res illuſtres ac raræ, quantum

vis non ſint vulgo notæ, in comparationem adhiberi: modò ita deſcriptione ſua à Poëta elucidentur, ut hac ſatis innoteſcant. Ita Virgilius prædatorem militem, per Aquilam Draconiſque raptum exponit, rem notam per ignotiorem 11. Æneid.

Vtque volans altè raptum cum fulva Draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæſit
Saucius, at ſerpens ſinuoſa volumina verſat,
Arrectiſque horret ſquamis, & ſibilat ore,
Arduus inſurgens: illa haud minus urget adunco
Luctantem roſtro, ſimul æthera verberat alis:
Haud aliter prædam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans.

Poſtremò, ſi mirum aliquod, rarumque, aut naturâ, aut arte facinus exornetur, rarum etiam, ac præter exſpectationem ſimile eſſe conveniet. ut in artefactis inprimis celebrantur 7. mundi miracula.

Pyramis, & ſimulacra Iovis, ſoliſque coloſſus,
Mauſolæum, Epheſi templum, Murique, *a* Pharoſque.
Præterea. Ægypti Thebæ, *b* Labyrinthus, Pergama Trojæ,
Et perfoſſus Athos, *c* & aceto pervia rupes, *d*
Culta Nerone domus, Pompeî, Scauriq; Theatrum.
Phæacũ, *e* Heſperidum, *f* celebrantur Adonidis horti,
Quiq; Semiramidis, *g* qui Mecœnatis *h* habentur.

a *Babylonis.* b *Centum portarum & 40 mil. paſſ. ambitu complexa.* c *à Xerxe.* d *Alpes ab Hannibale aceto macerata.* e *Vbi Alcinous pomis celebres habuit.* f *In quibus poma aurea quorum Draco cuſtos.* g *Penſiles Babylone.* h *In Eſquiliis ſelecti.*

Hic etiam res raræ non tam magnitudine ſua, quàm exemplo referuntur. ut ſunt Myrmecidæ quadrigæ ſub alis muſcæ reconditæ, & Archytæ lignea columba, volatu per aërem elata, horologium Caroli V. in annulo, mobiles larbæ menſæ, aliaque generis ejuſdem. Major verò earum rerum copia à natura nobis ſuppeditatur. Præcipua quædam, tum ex ratione præditis, tum ab expertibus accenſere placuit, verſibus ad memoriæ præſidium illigata.

Natus Agrippa fuit pedibus prior. Iphis utrumque
Tireſias Ceneuſque adiit, poſt tempora, ſexum.
Factus Areſuſa, ut poſt ſponſam ſponſus Ariſton. †
Vt Carbo & Curias, dentata Valeria nata eſt.
Naſcitur arridens Zoroaſtres, Democrituſque

† *Plinius.*

Omnia deriſit, deflevit ut Heraclius.
Craſſus, Anaxagoras, Cato non riſiſſe feruntur.
Sed ſplenem cohibere nequis Zenophonte ſolutum.
Cenſor Ariſtarchus gravis eſt, Lynceuſque videndo
Pollet. Ariſtomenes, hirſuto corde, probatus. *a*
Mecœnas inſomnis erat. *b* buſtoque relatus
Cœlius eſt Tubero. Confidius ipſe locantem
Buſta ſibi in buſtum traxit: medioque ſub igne
Oviola evigilat rurſum. Colapiſcis inhæſit
Vrinator aquis. ſolo ſe lacte Philinus
Pavit. Smindirides occaſum neſcit & ortum *c*
Subnexo pedibus plumbo gravis eſſe Philetas *d*
Incipit, & contra ventorum flabra reſiſtit.
De vomica valuit gladio percuſſus Iaſon. *e*
Corneliûm Ruffum fecere inſomnia cœcum *f*
Et Plato narratur natus de virgine, ſomno
Fœcundante thorum *g* Sic Gymnoſophiſtaque partu
Budda latus pandis. *h* Populus caret aſtomus ore.
Aure carent Sambri. fert Blemmius os oculoſque
Pectore. promiſsâ veſtitur ab aure Gilonus.
Nigritarum oculum mediâ Rex fronte coruſcat.
Plinius hæc celebrat, ſed vates credite. Nanos
Certa fides celebrat Pygmæos, Syrbotaſque
Octonis longos cubitis, priſcoſque Gigantes.

Plura hu ſimilia Plinius lib. 5. 6. & 7. adfert, ut de monoſcelis, ſive ſciopedis uno pede ingenti incedentibus, deque aliis qui oculos in humeris ferant, fabulis accenſenda. uti & illa de Aſtomis, Blemmiis, & Nigritis. quæ tamen vati nonnunquam ſervire queant rem raram extollenti: non minus, quàm fabuloſæ aliæ de cornuto Baccho, & natante in concha Venere. modò vim aptæ ſimilitudinis præſtent. Quocirca & alia quædam ex inferiori rerum creatarum ordine admiranda accenſeo.

Struthius

a *Ab ingenio & fortitudine.* b *Triennio ante mortem ſomnum non vidit.* c *Qui neque Orientem ſolem neque Occidentem vidit. ſemper in lecto aut menſa* d *Poeta tam levis, ut vento impelleretur.* e *Pheræus quem hoſtis vulnerans incurabili malo liberavit.* f *Hic enim excæcari ſe ſomnians cæcus evaſit.* g *Cujus mater ab Apolline ſe fæcundari ſomnians concepiſſe creditur* h *Vti & in Belgio Eligius Roſſel. anno Chriſti 1352. peperit, ut tradidi in Specul. l. 2. c. 5.*

Struthius *a* excludit pullos ſpectando camelus.
Et febris, *b* & clibanus pandit Memphiticus *c* ova,
Piſcantis torpedo manum, remoræque triremes
Defigunt. fundit lethale tarantula virus
Sanandum cantu, *d* fatalem Scorpius ictum
Occiſus ſanat. præſens Carbuncule *e* virus
Sudando prodis. reſoluti ſanguine naſi
Noſcitur occiſor. Bufonem ruta trahentem
Muſtela avertit, conſumunt fulmina vinum,
Æraque; vaginâ, loculis, ac vaſe manente.

In aliis etiam naturæ elementis reperiuntur admiratione digna.

Ætna vomit flammas Lipareque, Chimæra, Veſevus.
Mobilis Harpaſiæ *f* rupes eſt indice, totis
Viribus immota eſt. Tellus Paraſina *g* medetur
Vulneribus. Trojæque lapis conſumit edendo
Corpora Sarcophagus. Mons Indi fluminis alter
Æra rapit, refugitque alter. *h* Tranſcendit olympus
Nubila, vincit Atlas atque acroceraunia nubes.
Perpetuaſque nives alpes, Rhodopéque miniſtrant.
Flumina quid memorem? maleſanis funditur undis
Styx, lethe, phlegethon, acheron, cocytus, avernus *i*
Refluus Euripus, Mæander. At Aſphaltite
Nil mergi, patiturve ſuis Arethuſa ſub undis. *k*
Major ab affuſis non fit Mandurius *l* undis,
Nec minor exhauſtis. Silaris *m* lapideſcere lignum
Tuque velinefacis *n* prohibes truclitorie *o* vinum
Guſtanti, ſapidis Lynceſtis *p* inebriat undis.
Cyzicus *q* extinguit Venerem, Bœotius *r* auget.

a *Struthiocamelus non incubando, ſed intuendo ova excludit* b *Sub febricitantium axillis ova Gallinacea excludi poſſunt.* c *In Ægypto pullos ex ovis in clibano tepido excludunt.* d *Ad muſicos numeros ſaltuſque læſum curari aſſerunt.* e *Carbunculus gemma.* f *Rupes in Aſia.* g *In Taurorum peninſula* h *Plinius lib 2. cap. diverſis.* i *Lacus eſt Campaniæ, ſup rvolantes aves enecans odore ſulphureo: ut Styx pota homines. ob hoc inferis dicatus.* k *Illa Iudææ lacus, hæc Armeniæ majoris fluvius bituminoſus.* l *Lacus in Salentino juxta Manduriam. Plinius.* m *Samnitum fluvius.* n *In Piceno Italiæ.* o *Fons Arcadiæ.* p *Acidula in Macedonia.* q *Fons propontidis.* r *Bœotiæ lacus.*

Mnemoſynen fons alter habet, fons opprimit alter. *a*
Ingenium Siculus acuit,ſed Ceëus aufert. *b*
Boniccus *c* vegetat ſenium,plagaſque Scotuſa
Quaslibet, in duris facit & coaleſcere lignis.
Calculus ad Bœtis fontes, *d* fluxuſque cruoris *e*
Tollitur. Hammonis friget diû, noctibus ardet.
Frigidus Illyrius veſtes accendit; aquiſque
Samoſatæ limus flagrat. Fons Carrinenſis *f*
Hìc nihil admittit, nihil ille excludit ab undis.
Pinthia nil mergit, Siliæ nihil innatat. Ignem
Dodonæus *g* alit gelidus, ceraſque flagrantes
Extinguit,revocatque extinctas Luce recedit
Hic media,tenebriſque redit. Bithynus adurit
Perjuros Olachas. *h* volvitque Aphrodiſius *i* undas
Ad partum ſteriles, fœtas Sinueſſa *k* propinat.
Vulnera Leucogei fontes, *l* atque Albula *m* curat.
Cydne *n* levas podagram,ſed Anygris *o* tollis odorem.
Cephiſo *p* pugnare Melas narratur: is albas
Hic dat oves nigras: Penêus Xanthuſque ſequuntur;
Ille nigras facit,hic rufas. Gandeſcere verò
Clitumnus *q* pecudes gaudet. Tu candide Crathis
Das homines niveos, Sybaris tamen efficit atros.
Par oleo flagrat unda Lyci: *r* fert pota venenum.
His paria invenies. Rumpetur pellis ovina,
Quando lupi quaties. Non tangent fulmina laurum, †
Non aquilam: vituli cutis eſt ſat tuta marini.
Lanâ,lacte,pluit,ferro,tum ſanguine,carne.

His accedunt Poëtica illa de Sphinge, Harpyjis, Gorgonibus, Furiis,

a *Ibidem juxta flumen Orchomenon. unus fons memoriam, alter oblivionem parit.* b *Sicilia fons acuit ingenium, obtundit in Cea inſula alter.* c *Fons in Hiſpaniola, ut Cardanus de ſubtil.* d *Iuxta Antiqueram in Hiſpania.* e *Ibid. haud procul Burgis juxta pagum Boetium. Marin. lib. 1.* f *In Hiſpania, quem Pinthia in Sicilia, & apud Indos Silia imitatur.* g *In Dodone fons Iovis. ut Plin. l. 2. c. 103.* h *Mira hujus fluvii in Bithynia vis in pejerantes ſolùm.* i *Cilicia fons videtur.* k *In agro Campano.* l *Iuxta puteolos.* m *Haud procul Roma.* n *Ciliciæ amnis.* o *Meſopotamia* p *Bæotia* q *Fluvius Vmbriæ.* r *Ex Indiæ fontibus.* † *Vide de his aliiſque Plinium, officinam Raviſii, & ſpeculum noſtrum, l. 1. c. 10.*

Furiis, Parcis, Muſis &c quæ ſunt fictæ quædam vatum ingenio ſimilitudines.

Gratiæ ſeu Charites.	Euphroſyne, *Charites*, Aglaîa, Thalia, *feruntur.*
Harpyjæ.	*Harpyjæ* Ocypete, *vel* Aello, *ac dira* Celæno.
Furiæ.	Eumenides, Furias, *&* Erinnyas *adjice* Diris:
nomina.	Tiſiphone, Alecto, *ac hydris crinita* Megæra.
Parcæ.	*Stamina tres Parcæ* Lacheſis, Clotho, Atropos *implent.*
Muſæ.	Melpomene, Euterpe, Uranie, Polyhymnia, Clio,
	Terpſichoreque, Thalia, Erato, tum Calliopea
Nymphæ.	*Silva fovet* Dryadas, *juga* Oreadas, *arva* Napæas,
	Najades *in fluviis*, Nereides *æquore degunt.*
Signa cœleſtia.	Vrſa, Arctos, Helice, Plauſtrum, Cynoſura, Bootes,
Zodiaci.	Arctophylax *ſequitur, ſtat* Orion, Plejades *hument.*
	Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
	Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.
Gorgones.	*Gorgones* Euryale, Sthenyo ſimul atque Meduſa.
Larvæ	Vno Empuſa pede eſt, Lamia uno frontis ocello.
monſtra.	Torva Chimæra triplex eſt, ſphinx ænigmata nectit.
	Sirenes blandæ, latrans Scylla, atque Charybdis.

Hæc, aliaque ex ſimilitudine rerum formata, vatum phantaſmata comparationibus ſerviunt, non minus, quàm rariora ipſius naturæ figmenta. Verùm & parcè hinc ducendæ comparationes; &, ut monui, explicata reconditarum rerum deſcriptione illuſtrandæ. Quod ſi tamen rem in ſubſtantia parem, cum ſimili adhibito, conferas, tum ſatis fuit alterutram deſcribere: v. g. Regalem domum exhibes Principis Bavari Maximiliani. vel Neronis aulam, in comparatione adhibendam, ſuis partibus ornatuque licebit deſcribere, & ſubjungere *Talis noſtra domus.* vel certè Boicam adumbrare poteris. ac ſubnectere aut etiam præmittere *par aula Neronis Aurea, Romana quondam famulata corona.* Longè tamen uſitatior elegantiorque ſimilitudo, quæ à re naturæ diſſimilis ducitur; cum velut ſymbolum, & imago ſit rei deſcribendæ, & hæc in rebus minus obviis explicatius erit proponenda. Ita ſyncerum hominem cum Blemmiis, qui os oculoſque in pectore ferunt, comparare poteris: hominem verò fido, omnia ſilentio prementem cum Aſtomo: Regem providum cum Nigrita, præpoſterum cum Agrippa, in-

conſtantem cum Tireſia, aut Arethuſa: mordacem cum Valeria &c. Magis verò etiam futurum eſt elegans, ſi apertæ mentis virum cum limpido fonte, aut hominem leni facilius quam vehementi impetu flectendum cum Harpaſia rupe, irâ æſtuantem cum ætna, terrena aſpernantem cum olympo. Pœnitentiam cum Arethuſa flumine aut Leucogei fontibus, Paſſionis Chriſti meritum cum Mandurio aut Cephiſo; indulgentem parentum educationem cum Chratide, & ſeveram cum Sybari, aliaque ejuſmodi, quæ fuſius applicata in ſpeculo cap.1. l. 10. reperies. hæc enim ſimiliaque quanto ex re magis diſſimili, præter exſpectationem adferuntur, tantò plus habent voluptatis.

In fictis denique comparationibus ita verſaberis, ut, ex Vatum uſu, tuo illas ingenio componas aptè ad rei deſcribendæ naturam. Vis adoleſcentem venuſtate ac gratiâ ornatum, aut contra hominem rapacem, prodigum, furioſum depingere, unam Gratiarum, Harpyjarum, Furiarum Charybdim deſcribe, & cum illa compone, ſic invidioſam fenicuſam cum Lacheſi, ſuavem modulatorem cum Melpomene, alacrem formoſamque Virginem cum Nympha, illuſtrem virum cum aliquo cœleſti ſidere. inconſtantem cum Euro, aſperum cum Borea aut africo, Leonem cum Zephyro, terribilem cum Gorgone, Larvatum cum Lamia aut Empuſa &c. rectè contuleris: licebitque, tuâ etiam fictione, ſimili gratiam ex raritate conciliare.

Par alias creaturas ab homine diverſas per comparationem exornandi ratio. vis equum celebrare? cum Alexandri illum Bucephalo; aut ſi parum fortunatus ſit, cum Sejani equo conferes: etiam, ſi libuerit, cum ficto alio, Solis, ſi illuſtris ſit; Martis, ſi ferox.

Sole Phlegon regitur, Pyrois, Eous & Æthon.
Orphnæus, Nycteus, Æthon, *Plutonis*, Alaſtor.
Cum Balio Xanthus currum moderatur *Achillis*.
Cyllare *Amycleum*, fers Pegaſe *Bellerophontem*.

Vis canem aliquâ virtute inſignem comparando extollere?

Pamphagus, & Dorceus *Actæonis*, atque Melampus,
Auram *Atalanta* fovet Rauciſque ac Iſſa catella eſt.
Virgilio Latrator Hylax ſimul atque Lyciſca eſt.
Icarii Mera eſt Domini, vigil Argus *Ulyſſis*.
Gargitius te *Geryon* defendere viſus.

Plura in hunc uſum ſimilium rariorum tibi ſuppeditabit, locus

cus de epithetis rarioribus. ubi inventores rerum, & regiones certis muneribus abundantes reperies.

CAPUT XIX.

Comparationum ab exemplo ſuppeditata copia.

NUnc ad illam comparatorum partem accedamus quæ in exemplo, ſeu factorum illuſtrium uſurpatione, & cum illo, quod laudamus aut reprehendimus, factæ collatione verſatur. quod eandem cum ſimili curam atque obſervationem poſtulat. Nimirum, ut tum excellentius, tum plerumque notius ſit illo, ad quod exornandum adhibetur. aut certè ſi minus notum ac tale ſit, quod raritate ſua oblectare lectorem atque illuſtrare rem propoſitam queat explicatè diſtinctéque adferatur. Porrò cum rudioribus ſæpe, ea, quâ ad hanc rem opus, exemplorum non ſuppetat copia: nec verò quibus illa inprimis locis inducenda ſint, conſtare ſatis poſſit. Ad hujus quoque ſtudii laboriſque alieni compendium, meam his verſibus induſtriam contuli, quibus rudi opera, non ad ſtyli, ſed ad materiæ inſtructionem comparatis, præcipua ſcribendi argumenta exemplorum aliqua copiâ illuſtravi, quæ tamen ad memoriam potius, quam plenam eorum cognitionem ſpectent; cum hæc per ſe integrum opus poſtulet Raviſii tamen officina ad hanc rem utcunque ſuffragabitur.

Adulatores Principum. Turpis Ariſtippus Dionysî ſervus habetur. *a*
Æquat Alexandrum Divis Cleo, facta ſequuntur
Evagoras, ac Demagoras *b* plectendus Athenis.
Claudus erat Cliſophus *c* claudo ſub Rege Philippo.
Oſque oculoſque ſimul torquet. Sarmentus in urbe
Clarus adulator. cum Galba clarus Apiti es,
Hos tamen Auguſtus, Cæſarq; hos Claudius odit.

Ex S. lit. *Davidi des populo, d ſtat Pſeudopropheta tyrannis e*

Amici. Euryalum Niſus, Pollucem Caſtor amavit,
Theſea Pirithous, Pyladem dilexit Oreſtes.
Et Damon Pythîæ, Patrocloque eſt fidus Achilles.
Davidi erat Ionathas, Eliphas conjunctus Iobo.

a Philoſophus hic Dionyſio tyranno adulabatur. b *Hic auro, ille vita multatus quod Alexandrum inter Deos retuliſſent.* c *Claudicationis aliaque Regis Mac. Philippi vitia imitatus.* d *Abſalon 2. Reg. 15.* e *Achabo & Ioſaphato 2. Par. 18.*

Neſſo Dejanira, Pari Spartana * placebat. * *Helena.*

Amatæ mulieres ob formam.

Tu Galatea places multis, Atalantaque velox.
Naſo Corynna tibi, tibi Cynthia pulchra Properti.
Galle Lycoris erat, tibi Lesbia grata Catulle.
Deidamia places, ſed mox Briſeis *a* Achilli.
Sed decus & laudes Eſther Iudithaque vincit.

Amati adoleſcentes ob formam.

Paſtorum formoſus amor, ſunt Daphnis, Alexis.
Poſcit Atyn Cybele, Ganymedem Iuppiter, Herclis
Pulcher Hylas, Lunæ Endymion, Venus ardet Adonin.
Ieſſæus, Daniel, Ioſeph placuêre juventa.

Amantes infidi & pereuntes.

Medeam Æſonides, Ariadnam ludit amantem
Theſeus, Æneas Didonem, Phyllida fallax
Demophoon, Paris Oenonen, Itachuſque Calypſo. *b*
Iphis Anaxarete periit, tu Pyrame Thysbe,
Narciſſus proprio, Phœbi Cypariſſus amore. *c*
Aſſuerus Vaſthi, Sampſonem Dalila perdit,
Eſt Holofernis amor Iuditha, Senumque Suſannæ.

Amantes rerum vilium.

Murenam Hortenſi luges atratus; Apumque
Navus Ariſtomachus, ſtudioq; tenetur Hiliſcus.
Criſpus *d* Conſul amat morum: Xerxeſque virentem
Dilexit platanum. Tumulum Pellæus, & urbem
Bucephalo ſtruxit, Statuam tu Cæſar amato
Tollis equo. *e* cornix Marthis *f* celeberrima Regis.
Et qui Tiberium corvus *g* populumque ſalutat.
Ægyptique canes, feles, urſique, lupique
Exequiis celebres, quorum monumenta leguntur.
Paſiphäe taurum Europeque, Semiramis Hinnum,
Alchidas ſtatuam, ſed Ariſto fœdus Aſellam

Amati ab

Dilexit, pultes Eſau, ſimulacraque Rachel.

Her-

a *Hippodamia, pro qua cùm Agamemnone contendit. Deidamiam in virginis habitu procatus eſt.* b *Vide Ovidii Heroid. epiſt.* c *Conſule Metamorph. Ovidii. In Pyramo & Thysbe fidelis amor fuit.* d *Paſſienus de quo Plinius.* e *Qui prope humanis pedibus erat, neq; alium ſeſſorem admittebat.* f *Ægyptii, quæ literas quaquaverſum deferebat.* g *Hic ad forum mane evolans, nominatim Tiberium Germanicum & Druſum primò, deinde & populum ſalutabat, cujus interfector ſaxis à populo eſt obrutus.*

animalibus. Hermiam Delphinus *a* amat. Petit anſer Olenum
Et comes *b* eſt Lacydi. Spartanum *c* graculus ambit.
Sic aries Glauce, ſic Leucade virgine pavo,
Sic aquila *d* Indigenâ Seſti, ſic gallus amato
Amphilocho gaudet, ſic raptor Virginis urſus. *e*

Artifices, *Corvus Eliſaum, ſequeriſque catelle Tobiam.*
Pictores, Parrhaſius, Pauſon, Timanthes, Ceuxis, Apelles. *f*
Sculptores. Praxiteles, Phidîas, Polycletus, Pyrgoteleſque,
Lyſippus, Lyſias, Mentor, Myro, Callicrateſque, *g*
Fabri. Dædalus, *h* Architas, *i* notiq; Perillus *k* Epeus. *l*
Beſeleel, tum promptus Hiram ſatis arte fabrili.

Avari & rapaces. Rufinuſque, Neroque rapax. Sed & Euclio Plauti,
Alphius, Vnidiuſque avidus memoratur Horati.
Veſpaſianus amat lotium, quo comparat aurum. *m*
Nabal avarus, Achab, fœdaq; in fraude, Giezi.

Auriga & vectores. Myrtilus Onomai, Automedon eſt vector Achillis.
Hectoris eſt Chabrion, Iolaus ut Herculis, Aſtur
Memnonis, & ſolis Phaethon, Turnique Metiſcus.
Sic Picus, ſic Meſapus moderator equorum.

Bellici Dii. Gradivus Mavors, Bellonaque, Pallas, Enyo.

Viri bellatores. Æneas, Ajax, Agamemnon, Hector, Achilles. *n*
Parthenopæus, evans, Capanêus, Tydêus, Polynices *o*
Scævola, Torquatus, Decii, Fabii atque Metelli. *p*
Scipiadæ, Cocles, Marius, Cæſarque, Camillus.
Hannibal, & Macedo, tum primus ab Hercule Theſeus.
Bellator Ioſue, ac Gedeon, David, Ionathaſque.

Fœmina bellatrices. Sic fortes dicuntur Amazones atque Lacænæ
Hippolyte, Harpaliceque, & Pentheſilæa, Camilla,
Et Cyro Tomyris *q* metuendaque Ninias *r* orbi,

M 5 Teu-

a *Qui puero in aquis pereunte in ſicco exſpiravit.* b *A quo nec quidem noctu avelli poterat.* c *Iuvenem.* d *Quæ virgini, à qua alita prædas adferebat, & in mortua rogum ſe conjecit.* e *In agro Suecico, ut Saxo grammaticus.* f *Alexander ab alio noluit quam ab Apelle pingi, à Pyrgotele in gemmis ſculpi.* g *Minimorum artifex* h *Labyrintho notus.* i *Cujus opus volans columba.* k *Bovis Phalaridis artifex.* l *Equi Trojani repertor.* m *Quod filio indignanti præbet, &, an malè oleat? quærit.* n *In bello Trojano.* o *In Thebano.* p *Romani.* q *Regina Scytharum victrix Cyri.* r *Sic dicta à Nino Semiramis.*

Teucaque Romanis, Germanis Amalaſuntha.
Debbora, crudeliſque Iahel, Iudithaque a fortes.

Caſti Dii & homines.

Caſta fuit Daphne, Diana, Minervaque caſta.
Aſterius refugit turpes formoſior *b* ignes.
Inſilit ardentes Democles *c* caſtior undas,
Et Spurina *d* ſuam violavit vulnere formam.
Bellerophon, ac Hippolytus, Criſpuſque *e* pudici.

Caſta.

Penelope, Eurydiceque toro laudata fideli eſt:
Et Fonteja ſacræ placet, ut Fuffetia, Veſtæ.
Vindicat ereptum Lucretia *f* morte pudorem.
Ioſephum caſtis, Iuditha adjunge Suſannam.

Celeres.

Curſor Atas, Ladaſque celer, calcavit ariſtas.
Iphicus atque Orton. Atalanta, Camilla volavit:
Bellerophon, Perſeus, tum Dædalus, Icarus alis.

Conjuges ſe amantes.

Rubrius, Abbutiuſque *g* torum, ſine lite, colebant.
Plautius, Æmiliuſque uxorem morte ſequuntur.
Orpheus Eurydicen revocat de faucibus orci.
Hypſicratea comes Mithridati *h* prælia tentat.
Mauſolum longo dolet Artemis *i* obruta luctu.
Laodamia ſuo moritur cum Proteſilao.
Iphias (Evadne) Capaneû tua buſta ſecuta eſt.
Servet Hypermneſtre Lynceu tibi fida ſalutem.
Admetum Alceſtis redimit moriendo maritum.
Penelope placuit, quamvis infidus Ulyſſes.
Eſtherem Aſſuerus, Rachelem Iacob amabat.

Conjuges ſe odio habentes.

Laodice manibus Mithridatis concidit uxor:
Et Procris *k* Cephali, Periandri perdita Lyſis.
Calce peris proſtrata tui Poppæa Neronis.

Conſtan-

a *Illa Siſaram, hac Holofernem mactavit.* b *Ceneris filius.* c *A Demetrio Poliorcete ob formam ad flagitium poſtulatus.* d *Romanus adoleſcens fœminarum illecebras deteſtatus.* e *Conſtantini Imp. filius, à Fauſta, ut Hippolytus à Phædra, Noverca ad ſcelus fruſtra invitatus.* f *Violata, per vim Tarquinii junioris, ſe interemit, Regum per Brutum ejectorum occaſio.* g *Romani. quorum Rubrius cum Ennia uxore 43 annis vixit.* h *Regi Ponti multis bellis & victoriis, uti & crudelitate, in ſuos celebri; ideoque, ne veneno periret, ſenſim ad ejus ſumptionem aſſuefacto.* i *Artemiſia Cariæ Regina, quæ nobiliſſimum viro mortuo ſepulcrum, ab ipſo Mauſolaum dictum, condidit.* k *Quæ Zelotypa venantem in ſilva virum obſervans, ab eo, pro fera, interfecta eſt.*

Conſtantine tuo moritur Fauſta improba *a* Criſpo.
Vt Circe regeret, Ninique Semiramis, illa
Tollit & iſta virum ſceleratum Belides *b* enſe
Funeſtant thalamum. Verum Lucilla peremit
Dum Fabiæ adſuevit. Tollit Roſimunda maritum
Albo̊inum, patris calvâ (crudele!) bibentem.
Filia Bentivoli Galeotum ſpreta peremit.
Quod nudam exhibuit Theben, luit enſe Pheræus, *c*
Cæde, Ægiſthe, Clytemneſtram, *d* committis Atridæ.

Vaſthi odio Regi eſt, infelix Sara precanti.

Corpore craſſo, Mole Sophiſta Leo, *e* & Maxmînus Cæſar anhela eſt. *f*
tenus, parvo, magno. Sed tenuis macie Cherephon *g* Couſq; Philetas.
Conopas, *h* geminuſque Molon, *i* Pygmæus habetur
Enceladus, Tytius, Briareus, Mimuſque, Typhoeûs
Iapetus, atq; Gyges, Ephialtes, Çoeus, & Othos,
Porphyrion Rhœcus, Ægæon, Typho, Gigantes.
Defectuoſo. Oromedonque ac Antæus, Polyphemus in antro.
Battus erat *balbus*, Michael; *bambalio* Fundus *k*.
Tireſias cœcus, Thamyras, *l* & Daphnis, Homerus.

Eſt Goliath Sampſonque Gigas, cæcuſque Tobias.

Crudeles populi, & homines. Thrax, Geta, Sauromatæ, Scytha, Maſſagetæque, Geloni.
Centauri Lapithæque truces. Nero, Sulla, Schiniſque

a *De accuſatione, & nece innocentis Criſpi convicta.* b *Filiæ 50 Danai ab avo Belo ſic dictæ. quæ totidem Ægiſthi fratris filiis nuptæ omnes una nocte maritos ſuſtulerunt, præter Hypermneſtram quæ Lynceo viro pepercit.* c *Alexander eam Hoſpiti oſtendit ut Ovid. in Ibin.* d *Quæ Ægiſtho aſſueta Agamemnonem Troja reducem ſuſtulit.* e *Byzantius, qui riſus in publica Athenis concione, dixit uxorem ſe etiam craſſiorem eſſe, eundem tamen utrumque lectum capere* f *Vxoris dextrocherio pro annulo uſus.* g *Nictua, ob extenuationem per nocturna ſtudia, nuncupatus.* h *Iuliæ Auguſti nepti in deliciis.* i *Quorum alter hiſtrio, alter famoſus latro.* k *Sic cognominatus apud Cic. Philip. 3. uti Michael Imp. balbus dictus & Thraulus.* l *Muſas ad certamen temere provocans.*

Buſiris *a* Phalaris *b* Diomedes *c* Sciro, Procuſtes *d*,
Iezabel, Abimelech, Iehu, Cain, horror Idumes. *e*

Divites populi, & homines. Indi, Arabes, Lydi, Seres, Perſæque opulenti.
Craſſus, Sylla, Midas, Cræſus, Lucullus abundant.
Reginamque Saba, Iobum, Salamonaque junges.

Doctorum patroni. Fovit Alexander doctos, Ptolomæus, amanſque
Cæſar, & Auguſtus, tum Magnus Carolus olim
His Antoninum Tacitumque ac junge Severum.

Docti & eloquentes. Natus Ariſtoteles Phyſicis, Plato Socrate juncto.
Archi- mathematicis- medes: Medicîſque Galenus
Hippocrateſque. doces leges tu Bartole, Balde.
Tuque loqui Cicero, tu, cum Demoſthene, Neſtor.

Doctæ fœminæ. Sappho nota, & Erinna fuit, metriſque Corinna
Æmula Pindaricis, atque Aſpaſia apta Sophiſtis.
Fatidica & Manto, Græcæ Nicoſtrata linguæ,
Atque Sibylla frequens, mater Cornelia Gracchi.
Et victrix Catharina Senum, Thecuitis Hebræi. f

Ebrioſi vide Guloſi. Ennius eſt Bacchum veneratus, & Heraclites
Marte pugil, Sophiæque Cliens Anacharſis amabat
Amphora Bonoſus, Mero, ſic Nero, *g* dictus, habetur.
Noë, Ammonque, cadunt Holofernes, Balthaſar hauſtu.

Fames felices. Eſt Peruſina fames, Solymæque ac dira Sagunti *h*
Regna Gygis lydi, Samiique Polycratis, omnis
Sors fovit. felix Marius, felixque Metellus.

Attis

a *Hunc cum Thraſius pro exoranda à Iove pluvia docuiſſet immolare hoſtias, Thraſius prima hoſtia factus eſt.* b *Hic Perillum bovis anei repertorem primum incluſit, ipſe demum etiam incluſus.* c *His equos hoſpitium pavit ſanguine, ſed ipſe iiſdem ab Hercule immolatus.* d *Sciron latro de rupe hoſpites præcipitat, ipſe à Theſeo projectus. Procuſtes ad ſuum omnes lectum extendebat, vel decurtabat. Schinis inter curvatas arbores diſcerpebat.* e *Herodes Idumæus propriorum filiorum & innocentium puer. interfector.* f *Regis Davidis.* g *Imper. Romani, quorum ille cum ſe ſuſpendiſſet. dixerunt amphoram illic ſuſpenſam, hic pro Tiberio Nerone Biberius Mero dictus eſt.* h *Ab Hannibale obſeſſum, ubi præ extrema neceſſitate, ſe ſuaque flammis abſumebant. uti, Solymis à Veſpaſiano obſeſſis, mures aliaque obſcœna comederunt. Peruſium Auguſtus contra Antonium extremè preſſit.*

Felices ex infelicibus.

Attis Timotheum; *a* ſed Enippum *b* prædicat Argos.
Ante Gyges paſtor, Lictor Darius, agreſtis
Iuſtinus, Probus, ac Marius, Ciceroque jacebant.
Baſſus Agaſo fuit, Agathocles *c* conditor ollæ.
Sphortia delixis, *d* Tamburlaneſque *e* ſſubulcus.
Magna Helena ignotis latuit Regina Britannis.
Nicoleos ſextus, Pius alter, & Adria; *f* Sixtus.

His Ioſeph, Moyſes, Gedeon, Saul, adjice David.

Ex felicibus infelices.

Infelix Marii Samiique Polycratis eſt mors.
Cæderis o Cæſar, poſtquam Pompeje jacebas.
Tullius Antoni cadit hoſtis ſponte cadentis.
Rex cecidit ſeſe Mithridates vindice. Xerxes
Ferro Artabani: gladio hic cadit Artaxerxis.
Se Tamberlano Baïzetes, ſeque Sapori
Valerianus humi ſternit. *g* Beliſarius *h* urbem
Sæpe adiens victor, cæcè, mendicus adibat.

Saul potes his, Sedechia ac Nabuchodonoſor addè.

Ferarum domitores.

Pythagoras urſam, Cervum Cypariſſe domabas,
Et tu Sertori cervam, prior Hanno Leonem. *i*
Serpentemque Ajax, quocum tibi menſa cibuſque
Tuque Auguſte tigrim, ac Elephantum Porc ſequacem. k

Formoſi.

Narciſſus formâ, flos eſt Hyacinthus, Acanthus
Formoſus Paris ac Helene: cum Caſtore Pollux.
Rex pulcher Niſus, Bellator Cyllarus, atque
Bellerophon, Nireus, Gyges, & Parthenopæus.
Proſtituit facilis Glyceram, cum Laide, forma.

Davidides, l Ioſeph, Eſther, pulcherrima Iudith.

a *Cui dormienti fortunam urbes in rete cogentem appinxêre.* b *Hujus clypeum publicè ferebat qui rem bene pro Rep. geſſiſſent.* c *Qui jam Rex fictilibus adhuc utebatur.* d *Vnde duces Mediolanenſes celeberrimi.* e *Imperator fortiſs. Scytharum.* f *Adrianus ex Belga Canonico ſub Carolo V. ad Pontificatum evectus.* g *Pedibus Victorum, quam vis Imperatores pro Scabello ſubſtrati.* h *Sub Iuſtiniano Imp dux fortiſſimus, ſed aliorum invidiâ praeceps.* i *Quem iccirco Carthaginienſes ſuſtulêre, metu tyrannidis.* k *Qui aſcenſuro flectebat genua.* l *Abſalon.*

Deformes.
Therſites *a* Damon *b* Hipponax turpis Hemippus *c*
Æſopus Brotheus, *d* Accoque,& luſca Philenis.

Mutantes formam, & habitum.
Laſthenie ſtudiis, regnique Semiramis arte,
Eugenia, ac Theodora virum, pietate, figurat.
Sardanapalus erat mulier, cumque Hercule, Achilles. *e* (que
Metra, *f* Periclymenus *g* Proteus Achelous utrum-

Fortes corpore.
Fortis Milo, Scinis, Theſeus, Telamonque; *h* Agathoque. *h*
Herculis incubuit, cœlumque Atlantis in armis.
Polydamas rupe eſt preſſus, ſed ab arbore Milo. *i*
Vulcano eſt Brontes, Steropes, famuluſq; Pyracmon.

Vi aut arte feras superantes.
Pythonem telo Phœbus, ſecat enſe Meduſam.
Perſeus, Bellerophon triplicem domat arte chimæram.
Herculis hydra cadit, leo, taurus, cerva, dracoque.
Theſea Minotaure times, capis Oedipe Sphingem.

Fortes animo.
Fortis Anaxagoras, nati poſt funera, ſeſe
Mortalem genuiſſe, refert. Cornelia Gracchos
Me peperiſſe ſatis: Xenophon immotus ad aram
Nati audit fatum. Cato néve Antonius ullos
Concidit ad caſus animo. Qui forte Lycurgo
Eruit inſultans oculum, hunc de crimine ſolvit.
Riſit Ariſtides dum ſputo os improbus implet.
Diogenes riſit convitia Socrate juncto.
Cambyſes k natum Prexaſpis, at ebrius, arcu
Trajicit immoti. flammis dat Scævola dextram.
Phormio militiæ, Phociôn, Maſiniſſaque *l* durus.

Zenonem

a *Græcorum ad Trojam turpiſſimus, etiam moribus.* b *Cum obtortis pedibus eſſet, optavit ut amiſſa crepidæ furi convenirent.* c *Vers. Poeta. ille Bubalum & Anterinum, ſe depingentes, ad ſuſpendium verſibus adegit.* d *Turpitudinem ſuam exoſus.* e *Sub habitu mulierum non ſine luxuria latentes.* f *Eriſichthonis Theſſali filia, de qua in fabulis.* g *Hi contra Herculem, ille ſub bovis, hic ſub Aquilæ ſpecie pugnavit.* h *Latinis Vertumnus.* h *Ille cum Hercule, hic Athenis celebris.* i *Ille dum rupem cadentem vult manibus ſuſtinere, hic dum hiantem arborem diſcerpere tentat, ab illa captus, feris præda fuit.* k *Rex Perſarum de ebrietatis vitio, à Prexaſpe monitus, ut ſe probaret animo præſentem, ejus filio cor ſagittâ confixit.* l *Rex Numidar. qui annos jam natus 90 nudo capite & pedibus incedebat.*

Zenonem Phalaris fruſtra, Cypriuſque tyrannis *a*
Torſit Anaxarchum. ſuperavit Regulus *b* omnes.
Fortis erat Sampſon, David, Machabæaque, Iudith.

Filii amantes parentum.

Erigones laqueo mortem dolet (Icare) patris.
Ne tu Mezenti caderes, eſt victima Lauſus.
Vecta Argia parens, Cleobiſq; Bitonq; trahebant. *c*
Oppius, *d* Anchiſes, nato portante, feruntur.
Amphinomus flagrante ætnâ fraterque, *e* parentes
Excipiunt. idem Antigone cæco, Oedipe, præſtat.
Obſequitur Iſaac, Ioſeph patrique Tobias.

Filii in parent. crudeles.

Cæde Clytemneſtram ſternis, patris ultor, Oreſtes.
Conjuge Nine cadis, Ninique *f* Semiramis enſe.
Vindicat Alcmæon Eriphylen cæde parentem *g*
Oedipe *h* tu Lajum perdis. Peliæque ſenectam
Perditis, ô natæ, dum vos Medæa fefellit. *i*
Vlta ſuum eſt Cyanes, Cyanippo in patre, pudorem
Enſe. Medullinæ manibus ſic cæſus Arunti es.
Et matrem & patrem Mithridaticus abſtulit enſis.
Perdit Agrippinam Nero: ſic Ptolomæus uterque;
Hic matrem, ille patrem, fratrem quoque tertius aufert. *k*
Davidides patrem inſequitur Ammona peremit.

Fratrum ſororumque mut. amor. Odia & cædes.

Quem leo perdit Hyam, deploravêre ſorores.
Heliades caſum Phaethontis. Gratia fratres
Vinxit amycleos, Euclidemque in fratris honore. *l*
Romulus adverſus fratrem eſt, Atreuſque, *m* Thyeſten,

Darda-

a *Anacreon qui in mortario Philoſophum contudit.* b *Attilius qui Carthaginem ad crudelem redire mortem, quàm redimi malo Reip. exemplo maluit.* c *Curru matrem ſenem Sacerdotem ad templum trahebant.* d *Hic dum Troja; ille dum Roma exulare cogit.* e *Anapius, qui cum vita diſcrimine Catana parentes extulere.* f *Ad flagitium à matre poſtulati.* g *Quia Amphiaraum virũ hoſti, Polinices prodiderat. vide fabulas.* h *Qui obvium ignotumque parentem occidit.* i *Quæ falsò perſuaſit, ſe occiſum coctumq; ad juventutem reducturum.* k *Primus Philopater ironicè dictus, quia patrem Evergetem occidit, alter Philometor, quia Cleopatram matrem, tertius Philadelphus, quia Argeum fratrem.* l *Qui Cleomenem Lacedam. ſecum regnare eſt paſſus.* m *Cui proprios appoſuit in menſa, pro cibo liberos, eò quod ſuam uxorem inceſtaſſet.*

Dardanus Iaſium, *a* Polynices contra Etheoclem. *b*
Sic cadit Antigonus, *c* ferro & Typhonis Oſiris *d*
Quem ſoror ulta Iſis Cambyſes *e* enſe ſororem
Suſtulit, ac fratrem. Cadis Archeſilae *f* Learcho:
Filius hic uxore cadit. ſic regna petuntur.
Pro ſævo Tydeus *g* Menalippum ſuſtulit apro.
Choana ſic Helenus *h* Leucon perit improbus enſe
Oxilochi *i* ſic Mamertes Syſaphonis iniquus. *k*
Caduidus leges *l* Anacharſem ferre peroſus,
Hunc ſine lege necat: Tollitque Iugurtha Nepotes. *m*
Acriſeum Perſeus, Ægiſthus ſuſtulit Atrêum. *n*
Fratribus eſt odio Ioſeph, Iacobus, Abelus.

Fures. Harpalus, Autolycus, Cacuſque, Argivus, & Anglus. *o*
Eurybates *p* Fur eſt Dionyſius, *q* addet *r* Amaſin
Furatur Iudas Rachelque idola Giezi.

Furioſi. Mænades *ſ* & Phœbas *t* Corybantes *u* turba furentum eſt.
Cadmias *x* in natos, Hercles, furioſus Oreſtes.
Saul ac Herodes furiis agitantur iniquis.

Gladiatores. Spartacus *y* eſt promptus gladio, Bitho, parque Bachius. *z*

Fabricius,

a Quem regnandi cauſa ſuſtulit. *b* Pro regno certantes, mutuis occumbunt vulneribus. *c* In Iudæa ab Ariſtobulo. *d* Ægyptius Rex. poſtea pro Deo cum Iſide cultus, execrato Typhone. *e* Rex Perſarum fratrem Mergidem, quem per ſomnum in ſolio viderat. *f* Cyreneorum Rex. *g* Statius lib.2. Thebaid. *h* Priami filius. Servius lib.3. Virg. *i* Ob vitiatam uxorem. Ovid. in Ibin. *k* Quia hujus filios ut regnaret, occiderat. *l* Quas Scythis quibus Caduidus frater præerat, dedit. *m* Adherbalem & Hiempſalem legitimos, ut ipſe nothus imperaret. *n* Nepos uterque patruum. *o* Argivi & Angli furacitate celebres. *p* Qui oſtenſurus judicibus quâ arte parietes per uncos aſcenderat, evaſit. *q* Tyr. Siciliæ Deos ornatu ſpoliabat, dicens illos nulla re egere. *r* Rex Ægypti furioſè dictabat. *ſ* Bacchi Orgia celebrabant, unde & Bacchæ. *t* Sacerdos Phœbi. *u* Sacra Cybeles ſaltu inſano peragebant. *x* Agave Cadmi filia, Pentheum fil. laniavit. vide fab. *y* Qui cum 70 gladiatoribus erupit, Dux militum contra Rom. factus. *z* Hi ſocii primo alios plures, deinde ſe mutuo confecêre.

Graves. Fabricius, Curiuſque, gravis Cato cenſor habetur.

Guloſi. Aſtydamas, *a* Phago, *b* Timocreon, *c* celebrantur edaces.
Notus Alexandro Promachus, *d* Bitiaſq; bibones.
Aglais una vorax, atque ebria Myrtala juncta eſt.
His epulo, his Eſau, Lothus, jungatur Adamus.

Hoſpitales. Saturnum Ianus, Æneam Evander alebat:
Et Pholus *e* Alciden, Phæacum Rector *f* Ulyſſem,
Demophoonta hoſpes Phyllis, Ariadnaq; Theſeûm,
Hypſiphyle Æſonidem & Medea, Ithacumque Calypſo.

Inhoſpitales. Buſiris durus, Diomedes, Thrax Polymneſtor.
Loth, Abram, Rahab faciles Nabal malus hoſpes.

Inferis damnati. Siſyphus, Ixion, *g* Tityus, ac Tantalus, urnæ.
Cerberus, atque Charon, Hecate, Proſerpina, Pluto.

Irati & odioſi. Commodus *h* iratus famulum fornacibus uſſit.
Vedius effractum vitrum morte ultus acerbâ eſt.
Medeæ eſt rabies. dedit iracundia Cottis *i*
Nomen, & inviſus frendente Vatinius *k* urbe, eſt.
Herodes Cain atque Ruben, Aſſuerus, Amanus.

Iudices rigidi Iuſti. Æacus & Minos Rhadamanthus judicat umbras.
Iuſtus Ariſtides æquas moderatur Athenas.
Nota Prienæi integritas fuit una Biantis.
Hermetem *l* Ægyptus laudat, ſed Riphea *m* Teucer.
Centauris æquus Chiron, *n* Locriſque Zaleucus. *o*
Cambyſes Perſis, cui pellis iniqua Siſamnis

Sedi

a Perſa, qui ſolus totum Ariobarzanis convivium abſumpſit. *b* Qui apud Aurelian. Imp aprum, vervecem, porcellum, ac centum panes, cum orca vini, uno die abſumpſit. *Vopiſc.* *c* Rhodius edendo & bibendo celebris. *d* Qui in certamine bibonum victor, quatuor Choas vini hauſit, donatus talento. ſed 40 extinctis, ipſe triduo ſupervixit. *e* Centaurus. *f* Alcinous. *g* Hic ad rotam, uti prior ad ſaxum damnatus, Tityus ad vulturem, Tantalus ad aquas, Belides ad urnas. *h* Imper. Romanus. ut & ceteri Romani. *i* â *κοτέω* iraſcor & *κότος* ira *k* Cujus ſceleratiſſimam vitam Cicero pro Seſtio inſectatus eſt. *l* Hermes Triſmegiſtus dictus. *m* De quo Virgil l. 2. Æneid. *n* Inſtructor Achillis. *o* Qui cum lege ſtatuiſſet, ut adultero uterque erueretur oculus, oblato filio. ſibi alterum, & alterum filio oculum eruit, ne Iuſtitiæ deeſſet.

Sedi affixa fuit. Dormitans forte Philippus
Cauſſa errans mulctam dedit, abſolvitque Machetam.
Nec Cato, nec quicquam Phociôn indulſit amicis.
Manlius adverſus natum eſt, *a* juſſitq; Magiſtrum
Terga Phaliſcorum pueris nudare Camillus *b*
Aſſuerus, Salomon, Samuel, Danielque ſit aquus.

Iudices iniqui. Tarquinius ſpretor, contemptor Amulius æqui *c*
Auritusque Midas Phœbum poſt Pana canentem
Collocat Heſiodum Fanis *d* præponit Homero.
Uxor Achab, ac David Amans, metuenſq; Pilatus.

Invidi. Magnus Alexander magnos odiſſe ſolebat,
Lyſimachum, tum Perdiccam, fortemq; Seleucum. *e*
A Caligis Cæſar, & magni cognomina raſit,
Torquatis torques, cincinnatiſque capillos.
Invidiâ Proculus mortem formoſus adibat. *f*
Invidiam Ioſeph Chriſtuſque ac prodige perfers.

Latrones. Siſyphus eſt latro Scironque, Sciniſque, Procuſtes.
Eſt Garamantus Arabs: Læſtrygonas, adde, Cyclopas.

Laus rerum vilium. Syneſii *g* calvus, Buſiris Iſocratis extat.
Notus Apulei eſt Aſinus, ſic Moria Eraſmi.
Nota Favorini febris, Culiceſque Maronis.

Legiſlatores. Saturnus Latio, Minos tibi Creta, Lycurgus
Spartanis, legeſque Solon præſcripſit Athenis.

Lacrymantes. Obriguit Niobe lacrymis, Philomela ſoluta eſt:
Mergitur Halcyone, ſudant electra *h* ſorores.

Loquaces. Garrula, lingua Laræ plexa eſt, ut Tantalus undis.

Vatis

a T. Manl. Torquatus filium virgis & ſecuri ſubjecit, quod ſine ejus imperio, licet feliciter, pugnaſſet. *b* Optimatum pueros ad urbis proditionem educentem remittit cæſum à pueris, quâ æquitate moti ſe dedidêre Phaliſci *c* Qui fratris Numitoris maſculam prolem interemerat. Rhea ejus filia Veſtali facta, ex qua tamen Romulus & Remus, fruſtra ab eo ad Tiberim mergendi deſtinati. *d* Rex Chalcidis. *e* Seleucus animo magnus, Perdiccas fortis, Lyſimachus militiæ peritus inviſi erant, quia his dotibus pares. *ut Ælian. lib.* 12. *f* Hunc Caligula ſpecie invidendum ſuſtulit. *g* Orationem in Calvitiei laudem ſcripſit, ut Iſocrates laudem Buſiridis &c. *h* Phaetontis. *i* Ovid. 2. faſt.

& mordaces. Vatis Ariſtophanis, lingua Eupolis, atq; Cratini, *a*
Et Nævî infamis. Tu Mome, ac Zoile mordax,
Oſce, Theonque, noces; Hipponax, Memmius audax.
Morte luis Daphita, mordaxque Theocrite linguam.
Libido & luxuria. Cum Rhodope *b* levis eſt Phryne, *c* cum Thaide *d* Laïs: *e*
Floraque *f* cum Glycere, *g* Aſpaſiæque eſt. *h* juncta Sinope: *i*
Dalila cum Rahab celebris, neq; neſcia fraudis.
Raptæ. Iupiter Europam rapuit, Minoida Theſeus,
Eurytus Hippodamen, Briſeide captus Achilles.
Heſionem Telamon, Alcides nobilis Augen, *k*
Et Caſtor Phœben, Ilairam frater, amanſque
Tyndariden Paris, & Centaurus Dejaniram.
Romulidæ, ludos inter, rapuêre Sabinas.
Dina Sichem placuit, Saram rapit Abimelechus.
Mollis & luxurioſi. Mollis Ariſtagoras, quondam eſt Mileſia *l* dictus.
Huic Agathon tibicen & Heliogabalus: iſti
Par quoque Sardanapalus erat, *m* par Battalus omnes
Hos Strato Sidonius vicit, vel mollior Abron.
Cultus Ariſtoteles, comptique Lyſiſtratis ora.
Mollis & Hortenſi, mollis tu Cæſar *n* Iuli
Vir mulierque audis, illi eſt Dionyſia *o* nomen.
His Sodomæa cohors, Salomon jungatur & Ammon.
Magi. Notus Apollonius Zoroaſtris *p* ab arte, Cynopſque

Hoſtis

a Comici maledici. *b* Hæc opulentiſſima Ægyptiam Pyramidem erexit. *c* Pulchritudine corporis Iudices flexit. *d* In attica celebris. *e* Græcis ob pulchritudinem frequentata. *f* Quæ multarum opum pop. Rom. heredem fecit. atque iccirco illi floralia feſta inſtituta. *g* Horatio celebrata. *h* Hujus gratia Pericles arma in Samios ſumpſit. *i* Vnde ſinopizare. i.e. laſcivire. *k* Pyrenen quoq; & Bebryciam. *l* Quod mulieri, quàm viro propior. *m* Inter mulieres in eorum habitu verſans Aſſyriorum Rex ultimus. uti ille molliſſimus Rom. Imp. *n* Luem Curio pater omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem vocabat. *o* Sic dictus Hortenſius orator cujus mollitiem Cicero perſtringit. *p* Rex Bactrianus, qui artis Magicæ repertor dicitur, ridens natus.

Hoſtis Ioani certat Petruſque Simoni
Magnifici & munifici. Magnificus Scaurus, Pompejus & Octavianus. *a*
Veſpaſiane *b* nihil, nil tu Galrene *c* negabas.
Mecœnas ſtudiis, Probus, ac Pius Antoninus.
Militibus, Nerva & populo faviſſe putatur.
Trajanus *d* Rheni, fratrum Proculeîus *e* amator.
Magnificus Rex Aſſuerus Salomonq; videtur.
Medici. Mercurius, Phœbus, Epidaurius *f* arte medentur;
Sic Pæon, Chiron, Podalyrius, atque Machaon.
Muſici. Orpheus, Amphionque *g* canit, ſic vectus Arion. *h*
Nautæ. Mneſthea, tum Tiphyn, Palinuro junge Cloantum.
Parentes filiorum amantes. Aſcanius cura Æneæ eſt, Hecubæ *i* Polydorus.
Sargapiſes Tomyri eſt Cyrum *k* crudeliter ultæ.
Rex natam, Mycerine, bovis ſub imagine *l* ſervas.
Benjamin & Ioſeph dilectus & Abſalo Patri.
Odientes aut interficientes. Herodes, Mnemon, Mithridates, Dejotauruſque
Tigranes *m* natos, Levigildus ut Herminogildum
Suſtulit. ac fidei tutatrix Barbara cæſa eſt. *n*
Poſthumius proprium cædit poſt prælia natum. *o*
Virgineam pater occidit, *p* fruſtra petis Appi.
Limonem Hippomenes *q* violatam pabulum edacis
Fecit equi. Sic Leucotheam *r* violenter amatam
Orchomus infodit vivam. Sic mater Agave
Bacchica

a Sumptibus & operibus publicis in ludos præſertim & thea-tra. *b* Diem, inquit perdidi, quo nulli benefecerat. *c* Nil ſe un-quam petenti negaſſe confeſſus eſt. *d* Hiſpanus natione Rom. Imp. optumus & Germanis favens. *e* Qui Murænæ & Scipioni fratribus bello ſpoliatis proprias opes diviſit. *f* Æſculapius i[n] Epidauro cultus. *g* Hic Tyrius Thebanæ urbis condendæ ſua-ſor: ille Thrax agreſtes ad humanum cultum traduxit. vide fab *h* Methymnæus Lyricus à Delphino ludens exceptus emerſi[t] Oceano. *i* Quæ ob hunc interfectum genero Polymneſtori o-culos eruit. *k* Cujus victi caput utri ſanguine pleno merſit. ait-que ſatiare ſanguine quem ſitiiſti. *l* Sic Ægyptiis ad cultum pro-poſita poſt mortem. *m* Plerique regni metu. hic quod labeat filius manum non exhibuiſſet. *n* Hæc quia Idola venerari no-luit, ille quia hæreſin averſatus eſt. *o* Suo injuſſu pugnantem ut ſupra Manlius. *p* Ob ſtuprum intentatum. Vnde ut Lucreti[a] Regibus, ſic hæc decemviris finem attulit. *q* Ovid. in Ibin. *r* Lib. 4. metam.

Bacchica, dum ſpernit, diſcerpſit Penthea. natum
Harpagus abſumpſit *a* coquit Atreus pignora fratris
Progne cædit Ityn, Tereus in viſcera condit.
Tantale Diîs Pelopem mactas. Calphurnia cæſa eſt,
Vinceret ut Marius pater hoſtem. Agathoclea tollit
Lyſimachus, ſævâ Arſinoe ſtimulante Noverca.
Rege Athamante cadit juncta Euryclea Learcho. *b*
Mergit & Hippodamas Acheloi crimine paſſam. *c*
Te, Meleagre, parens Althæa in ſtipite perdit. *d*
Iephtias occumbit, cadit Abſalo, ſtringitur Iſaac.
[..]tores. Fauſtulus eſt paſtor, ſocio Gyge, Daphnis, Amynthas.
Cum Simeone Ruben, Saul David paſtor Iacob.
[..]peres. Codrus & Irus inops, Tellus, *e* Cleobiſq; Bitonque. *f*
Ollaque Telemachi nota eſt, Glyceræq;, Hecaleſque.
[..]gni no-[..]is. Ælia tota domus tenuem cenſebat agellum.
Æmilius Perſeî, *g* tum victor Agrippa Sabini
Pauper, Epictetus, Cato, Pauſon, Epaminondas. *h*
Cumq; Biante Craten Lyſandro. *i* junge Ginomea.
Iacob inops, Petrus, Andreas, Ioſephus habentur.
[..]erga [..]m. Primus Alexandri labor eſt Diîs thura litare,
Primaque cura Numæ. Phœbo prius oſcula Scylla *k*
Votaque juſta dabat, quàm quod diſcrimen adibat.
Iuſtus Abel, devotus Abram, Daniel Miſaelque.
[..]erga [..]iam. Pro patria Theſeus Labyrinthi tecta ſubibat.
Protogenia cadit, *l* Decii, Cocles, Fabiique. *m*

Pro

a Propoſitum ſibi ab Aſtyage, Medorum Rege ob Cyrum ſer[..]um. *b* Quos in furore pro leonibus occidit Rex Thebarum [..]d. lib. 4. *c* Natam Perimelen Ovid 8 met. *d* Quod avuncu[..]occidiſſet. Ovid. lib. 1. triſt. *e* Hujus inopiam Cræſi opibus [..]n feliciorem dixit. *f* Fratres Argivi. *g* Macedonum Regis. [..]imus Philoſophus, alter Grammaticus, tertius pictor, quar[..] Dux. *i* Primi Philoſophi, tertius Lacedæm. Princeps, quar[..] Athenienſium. *k* Cujus ſimulacrum gremio circumferebat. [..] Echthei Athenienſ filia, ut pater vinceret Eumolphum Bœo[..]. *m* Romani, quorum primi Pater, filius, nepos diverſis bel[..] devoti hoſtium ſe telis ingeſſerunt, alter pontem contra Por[..]m ſolus defendit. Fabii contra Vejentes ſoli belligerantes [..]lere.

Pro patria Sampſon ceſſidit, Davidque duellat.

Proditores ſuorum & ingrati. Proderis Amphiarae tuâ, *a* placet alter Adraſtus.
Deiphobuſque Helenâ. *b* Tarpeja puella Sabinis
Seque ſuoſque offert, armillis obruta pactis.
Harpagus Aſtyagem Cyro, Samioſque Philippo
Prodit Apollonius. Crœſo ditatus, iniquè
Eurybatus favit Cyro. Tandem arte Sinonis
Græcia, & Annibalis Pæni ſub fraude triumphant.
Milo Epirotas prodit, *c* Druſuſque Magulſam. *d*
Queis Perpenna favet Sertorius occidit armis. *e*
Proditur Vrias, Sampſon. ſed prodit Iudas.

Probi ſervati. puniti improbi. Deucalion & Pyrrha manent, ſuperenatat *Arca.*
Loth, Iſaac, Ioſeph, David, Caleb atque Tobias.
Sed Cain, & Phinees, Ophni, Saul, Abſalo, Zambri,
Vxor Achabq; ſimul, Pharao, Herodeſq; premuntur.

Promptè obſequi. *Obſequitur Naaman, Ionas, & promptior Iſaac.*

Servi fideles. Æſopo famulo nunquam Demoſthenis error *f*
Conſtitit extortus. Cleopatram ſerva Neæra
Charmioneque ſubit morientem. Europe fugaci
Incumbis moriens Graccho. Sic ſervus acerbis
Hoſtibus Vrbini occurris caſurus amictu. *g*
Zopyre Dario es, Trojano fidus Achates.
Pro Bruto, fictâ ſe voce, *h* Terentius offert.
Labano Iacob, Ioſeph fidus Pharaoni.

Senes. Tithonus, Neſtor Pylius, *i* Cumæa Sybilla,
Mathuſalem longævus Adam, eſt Iſacus, & Abram.

Stulti. Stultâ mente Bagas, Melitides, atque Chorœbus.
Et delira Acco ſpeculi ſub imagine luſa. *k*

Temperans & parcus. Gymnoſophiſta Indus parcè, Ægyptique Sacerdos,
Perſarumque Magus vixit. ſat menſa Laconum
Frugalis. Peruſque Indus *l* panem addidit undis.
Puls Anacharſis erat; lac Socratis eſcaque panis.

Zen

a Eriphyle quæ monili aureo Adraſti capta eſt. *b* Quæ hun[c] alterum à Paride maritum, Græcis dormientem prodit. *c* Pa[...]pyrio Curſori ſpe mercedis. *d* Maurit. Regem hoſpitio ſuſcept[...] Baccho pro pecunia prodit. *e* Vt ſolus Hiſp. regno potiretu[r] *f* Adulterium. *g* Cui in Reatino agro ejus facti ſtatua à Domin[o] erecta. *h* Ad Domini ſimilitudinem. *i* Sic Neſtor dictus ab urb[e] Peloponneſi Pylo. k Vbi alteram ſibi ſimilem latere credid[it] *l* Rex illorum ab Alexandro ſuperatus.

Zeno cruda capit. *a* famis eſt menſura Lycurgi.
Eſt Maſinaſſa ſemel, Mithridates ſtando refectus
tēperans Locrenſes vinum exoſi, Moſcuſque Sophiſta,
prodigus Sic carnem & vinum Tyanæus Apolline dictus.
Parcus Eliſæus, Ioannes parcus Elias.
Attica, Perſarumq; cohors, Cyprus, atq; Corinthus
Prodiga quæque fuit. Phocus famoſus Athenis, *b*
Albidius *c* Romæ decoctor. Apicius *d* omnes
Vicit, & in ſola ſe lance Vitellius *e* effert.
Filius Æſopi, Cleopatra, *f* Neroque *g* guloſi
Et tu Galloni, *h* Gnathoq; Philoxenus, *i* Abron.
Balthaſar, Aſſuerus cum Divite, Prodigus hoſpes.
textrix Penelopes tela, & Pholoes laudatur Arachnes.
ni & Se Sapor Aſtrorum fratrem, Salmoneus eſſe
perbi. Iactabat tonitrus dominum, Ammonemque k parentem
Fingit Alexander. Menſem Nero vertit Aprilem. *l*
Empedocles vates præceps devolvitur ætna,
Ne moriens credatur homo. Sanabere gratis
(Dic tantùm eſſe Iovē) præſente Menecratis arte. *m*
Tibicen *n* Phœbo certat, Thamyraſq; *o* Camænis.
Infelix Niobe Latonam prole laceſſit. *p*
Lucifer elatus Pharo, Nabuchodonoſor & Saul.
ſti. Siſyphus, atq; Sinon, Ithacus *q* vafer atque Phrynondas.

Achito-

a Philoſophi omnes. *b* Phocionis Principis filius. *c* Qui omnibus conſumptis, ædes incendit. *d* Qui, ne rebus conſumptis ſupereſſet, venenum bibit. *e* Qui menſam non minoris 400 mil. parabat. *f* Hæc & ille uniones liquefactos ſorbebant. *g* Qui prodigioſas in omnia expenſas faciebat. *h* Gurges dictus. *i* Hic collum gruis optabat. & , uti Abron, in Proverbiis eſſe cœpit. *k* Iovem. cujus ſe filium poſt tot victorias haberi voluit. *l* Suo enim nomine Neronem appellari volens. *m* Hic Epiſtolis ſubſcribebat, Menecrates Iupiter. quiq; hoc nomen tribuebant, his gratis curationem medicam impendit. *n* Marſyas victus & excruciatus. *o* Victus oculis & Lyra privatus *p* Quæ prolibus à Diana transfixis, dolore in ſaxum obriguit. *q* Ex eodem patre Autolyco furum principe, qui Siſyphum habuit aſtutiſſimum Atlæ latronem, unde Sinon. Et Anticleam, unde Vlyſſes ſive Ithacus, qui Trojam aſtu occupavêre. Vide fab.

Achitophel Iacob, Iudith. ſimulator Ioſeph.

Vates. Amphiaraus humo merſus, cum præſide Phœbo.
Deiphobe, Caſſandra ſimul, vateſque Sibyllæ.

Venefici. Sunt Marſi, & Pſylli, Neuri, Choatræque potentes
Carmine, Canidia ac Micale, *a* Medeaque, Circe.

Venator. Hippolytus, Cephalus, venator, Lauſus, Orion,
Actæon canibus laceratus, Adonis ab apro.
Venatrix Atalanta fuit Arethuſaque *b* & Hippe. *c*
Arte Philoctetes vibrat, & tu Mopſe, ſagittas.
Venatorem Eſau memini, Nembrothque potentem.

Viles officio homines. Carpophorus mango eſt, Sutor tu Alphene, Coquuſque
Myſtillus, Lycinus tonſor, Veſpillo Diaulus.

a Hæc apud Ovid. illa apud Horatium celebris. *b* Ab Alpheo amata, ut vim effugeret Dianæ miſeratione in fontem ſui nominis verſa eſt. *c* Chironis filia in venatu gravida facta, metuenſque parentis, à Diis in equam verſa, & in cœlum translata fingitur.

Hæc ubi memoria complexus fueris, illuſtriora, cùm ex ſacris, tum inprimis profanis exempla ad ornatum ſubvenient. Alia tamen hic ſeſe, tam in ſcribendis quàm intelligendis vatum carminibus difficultas offert, ex libertate patronymicorum orta, quam nonnunquam neceſſitas, aliquando ornatus requirit, quare & paucis hunc nodum diſſolvendum eſſe ſtatui nequid ex arduis in hac arte intactum prætercam, de quibus cap. ſeq.

CAPUT XX.

De patronymicis in exemplorum uſu occurrentibus.

PAtronymica in exemplis atque hiſtoriis tunc uſurpantur, quando vel proprium minus carmini aptum eſt, ut *Hercules*, & *Athenienſes*, pro quibus *Amphitryoniades* à patre Herculis Amphitryone: & *Cecropidæ* à Cecrope Athen. Principe rectè dixeris: vel quando minus grave, aut ornatum eſt. ſic *Thaumantias*, pro *Iride* Thaumantis filia, *Dardanidæ*, pro *Trojanis*, à Dardano Rege, rectius uſurpaveris: vel denique raritatis causâ adhibentur; quia nimium trita Poëta nonnunquam reſpuit. ut in iiſdem exemplis liquet. Quod ſi proprium claritatis gratiâ adjiciatur:

ut *Lariſſæus Achilles* patronymicum epitheti vicem obtinebit.

Ampliſſimus patronymicorum eſt campus: ſiquidem à parentibus proavis, regionibus, urbibus, fontibus, aliiſve adjunctis locorum & perſonarum deſumuntur, ex quibus illius, quam deſcribimus, perſonæ aut gentis notitia lectori ſubjici poſſit. Qua in copia delectuque illud inprimis cavendum, ne vox plerumque communis multis, v.g Æacides, quæ tam Pyrrho quàm Achilli (quorum uterque nepos Æaci) tribui poterit, ſenſu minus finito uſurpetur, qui niſi ex adjunctis totius conſtructionis pateat, omnino patronymico erit abſtinendum. vel certè cum adjuncto ſubſtantivo alio exhibendum. Ita *Libyſtis* non ſufficiet: niſi addas vel *femina* vel *urſa* vel *leæna*. nam hæc omnia per illud patronymicum intelligi poterunt. neque Tantalides: nam plures à Tantalo ſunt filii, & nepotes; ut Agamemnon, Atreus &c.

Quod ſi tamen ex aliqua regione, ſtirpe, aut familia, heros, aut herois maximè in ceteris inſignis extiterit. hi per illud patronymicum ſine aliis adjunctis uſurpatum accipiuntur. Ita cum ex Æaci poſteris ante omnes Achilles pronepos emineat, hic Æacidæ titulo cenſetur: cum inter Trojanos nemo celebrior Ænea, Dardanides illi tribuetur. Ita Virgil. Æn. 1. *Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector.* Qui alibi Æneid. 3. eandem vocem pro Pyrrho Epirotar. Rege adhibiturus, ita adſtringit:

Conjugio Æacidæ Pyrrhi, ſceptriſque potitus.

Sic Davidides pro Chriſto accipiendus, niſi ex adjunctis conſtet aut Salomonem, aut Abſalonem, aut alium ex poſteritate intelligi. Sic etiam inter Iacob & Eſau filios Iſaaci, cum ille dignior, Iſacides illi potius, quàm huic competet. Deinde, ſi nemo inter eos qui ſub eodem titulo cenſeri poterunt, ſingulari dignitatis prærogativa emineat, Ordinis habetur ratio. Ita Abramides Iſaacum potius, quàm Iacobum, & Iſacides Iacobum potius quàm Ioſephum deſignabit. Et Priamides Hectorem potius, quàm Æneam indicabit ſi ordo naſcendi ſpectetur: cum ille filius, hic cognatus: Iterum Hectorem potius, quàm Paridem, ſi dignior præferatur. cum ille ſua virtute, hic vitiis innotuerit. Pari ordine naturæ proles ante nepotes habentur, & hi ante pronepotes. dignitatis verò lege Principes ante ſubditos, ſenes ante juvenes, viri ante feminas, quanquam & hæ ferè patronymicorum terminatione diſcernantur. ut mox videbimus.

Obſervandum præterea eſt, quod Patronymica illo, quo di-

N ximus,

-ximus, dignitatis, aut naturæ ordine à potioribus ſint petenda, iiſque maximè notis. ita Pyrrhum ex Achille patre rectius Achilliden, quàm ex proavo Æaciden, & Agamemnonem potius Atriden à Patre Atreo, quàm Tantaliden ab avo dixeris. ordine enim naturæ hi præeunt, dignitate ac fama non impares. accedit, quòd ambiguitas & incertitudo ſignificandi tollatur. Ita etiam à patre Iſaac Abramides citius, quàm à matre Saraides dicendus, tum quia minus nota hæc, tum quia minus digna. Abſalonem, niſi extorqueret neceſſitas, non probarem ab obſcuri nominis matre Maacha, Maachiden appellari. certè ſi Ioabum Davidicæ militiæ Ducem à parente Servia, Serviaden, aut Semei calumniatorem à patre Gera Geraden dicas, hoc ut obſcurum, ſic abſurdum erit. Neque enim ullo virtutis titulo hi parentes celebres fruſtra ad nomen filii, ſuâ memoriâ, illuſtrandum adhibentur, quæ præcipua patronymicorum eſt gratia. Proinde, hac in re Virgilius, quàm Ovidius circumſpectior, qui non ſemper à vitio abfuit. Sic 5. Metam. De Perſeo dicit Vltor *Abantiades*: deducta ab Abante proavo: voce, quæ à pluribus eodem uſus nomine ad alios ſignificandos traduci poterat, minuſque lectori genus Perſei, quam ſi ab avo Acriſio aut matre Danaë deſumpta eſſet, proponebat. Poëta majeſtatem plenæ vocis obſcuritati atque ambiguitati præhabuit, vix tamen exempli autoritate imitantem tuebitur. Virgilius dixiſſet; *Vltor Abantiades Perſeus.* multò verò minus vocaſſet Æacum (*lib. 7. met.*) à materno avo Aſopo *Aſopiadem*, aut Callimachum Poëtam à Batto patre *Battiaden*. neque enim extorquet neceſſitas, cum propria nomina non repugnent carmini ſola raritas, cum non illuſtret, ſed obſcuret, minime excuſabit.

Formatio patronymicorum, libera ſatis, regulis quibuſdam dirigi magis, quàm definiri poteſt. Maſculina terminantur in Des ultimam primitivę vocis ſyllabam in *i* vel à, vel *ia.* (niſi jam ante habeant) plerumque mutando. Sic Æneas non tantum Æneades ſed Æneïdes aut Æneídes etiam habet pro Iulo filio. Anchiſes Anchiſiades vel Anchiſides pro Ænea. Belus Belídes eſt Palamedes, ſed cum addito ſubſtantivo reſtringendum ut *Belidæ nomen Palamedis* Æn. 2. unde femineum Belis in plur. Belides, Danai filiæ Hippotes. Æoli pater Hippotades habet.

Ceterum nomina in *ius* ſemper ferè *iades*, uti in *eus* ſemper *ides* dant. Ita Nauplius Theſtius Naupliades Theſtiades, uti

Atreus,

Atreus, Theſeus, Atrídes Theſídes. quanquam & Otriades legatur. & reſolvi poſſit Theſeides in Theſeïdes.

Nomina verò declinationis tertiæ addito ad caſum dativum *des*: vel, ſi in as nominativus terminetur, adjuncto *ades* formantur. Sic Æſon Æſoni Æſonides pro Iaſone ejus filio dices: & Atlas Atlanti Atlantiades pro Mercurio ejus nepote. Imitantur hæc rarius per fictionem genitivi alia quædam nomina. ſic à Iapeto Iapetionides, pro Atlante filio, & ab Acriſio Acriſioniades pro filio Perſeo deducitur: ut ſi Iapetus Iapetionis. Acriſius Acriſionis in genit. haberet. quo etiam Oedipodionides pro Polynice apud Stat. 1. Theb. ſpectat, ab Oedipo patre deſumptum.

Feminina communiter in *is* ſæpe in *as* rarius in *ne* exeunt: illa à maſculinis patronymicis *de* vel *ade* ſyllaba ſublata hac lege fiunt: ut pro Atlantiades dicas Atlantias vel Atlantis. quæ in plurali rurſum Atlantiades, vel Atlantides pen. brevi habent. quod moneo, ut intelligas, in plurari femineam ſignificationem habere. quod ſi gentem, aut totam aliquam ſtirpem indicent, maſculina, in plurali adhibentur. ut Atlantiadæ, Romulidæ, Cecropidæ, quanquam Tantalides Dardanides, Danaides in plur. tertię declinationis, pro feminis ſolis uſurpari jure poſſint. Notandum vero, quod in formatione femininorum maſculina in ídes penult. longa reſolvi debeant: ut Theſeus Theſeides: unde Theséis. Æneas Aneides, unde Ænéis. In quibus penultima licet reſoluta plerumque longa manet. quanquam. *Æneidos vati* Ovid. 3. de Ponto dixerit.

Feminina in *ne* ex genitivis formantur: ut Neptuni Neptunine: niſi *i* ante *os*, nominativus habeat: tunc enim *one* dabunt, ut Acriſios Acriſione. quod tamen rarum eſt.

Quid verò faciendum, cum neque proprium nomen verſibus idoneum, ut v. g. Abſalon heroico carmini, neque aptum patronymicum ſuppetit? Reſpondeo. circumſcriptione utendum eſſe; quæ in perſonis maximè nobilibus exprimendis locum habet. Ita Abſalonem depinges cum dices, rebellem Ieſſiadæ ſobolem. Inhiantem patris Hebræi Imperio. Poteris etiam ad generale patronymicum epithetum reſtringens adjungere, ut comatum appellare Davididem, Formoſum Ieſſiaden.

Paucis carminibus præcipua veterum patronymica denique ad memoriæ ſubſidium exhibeo.

A. Æacides ac Pelides *a* dicatur *Achilles*
Actæon b Cadméjus erit, Cadmeis *Agave. c.*
Argolis *Alcmena eſt*, juvenis Cinyréjus *Adonis d*
Tuque Thyeſtiades *e Ægiſthe* Argivus adulter.
Diceris Atrides *Agamemnon f Tantalideſque.*
Thermoodontiaca eſt peltataque *g* fortis *Amazon.*
Andromede Cepheis *h* erit, objectaque monſtris.
Minois, Gnoſis, *i* Creſſa eſt *Ariadna* puella.
Æneas Anchiſiades eſt Dardanideſque. *k*
Oïlides alter, *l* alter Telamonius *Ajax.*
Æmathius *dux* & *Macedo* Pellæus *m* habetur,
Alcinous Corcyrejus, *n* Phæaxque, dat hortos.
Pœnus, Agenoreus *o* Tyrius Sidonius eſt Dux
Annibal, eſt Libyçus, Naſamoniacuſque Tyrannus.
Paſtor Ariſtorides, *p* cuſtos Iunonius, *Argus*
Æneides ac Dardanius dicatur *Iulus q*
Iapetionides *r* Libycus, Mauruſius *Atlas.*
Venatrix *Atalanta* Arcas, Schœneja *ſ* virgo eſt.
Tantalides *Atreu*, Pelopeje, laniſta Thyeſtæ. *t*
B. Baſſaris, Ogygia eſt, Mœnas, Thyaſque *u* Lyæi.
Danaides fractâ laſſantur Belides *x* urnâ.

Bellero-

a Ex Peleo patre, & avo Æaco. *b* Nepos Cadmi, filius Ariſtæi & Autonoës: dictus Ariſteides, ſive Autonoëjus heros. *c* Cadmi & Hermiones filia. *d* Filius Cinyræ Cypri Regis & Myrrhæ. *e* Thyeſtæ ex Pelopeja filia natus. *f* Ex proavo Tantalo, avo Pelope, parentibus Atreo & Ærope Thyeſtæ uxore. *g* A Thermodonte fluvio, & peltis dicta. *h* Cephei & Caſſiopes filia, Nereides formâ provocans ceto objicitur. *i* Gnoſos urbs Cretæ, ubi Minos pater regnavit. k Dardanus in Thracia ejus urbis conditor, quam Tros poſtea Trojam dixit, Ilus Ilium. *l* Hic ex Telamone, ille Oileo patre. *m* Alexander à Pella urbe, & Æmathia, id eſt Macedonia. *n* Ex Corcyra inſula maris Ionii Phæace patre, unde & regio dicta eſt *o* Ab Agenore Phœnicum Rege, cetera ſunt popularia nomina. *p* A patre Crotopi filio ſic dictus. *q* Aſcanius Æneæ filius. *r* A patre Iapeto, cetera ſunt populi nomina. *ſ* Schœnei fil. ab Hippomene curſu victa. *t* Eadem fratri Thyeſtæ competunt, qui Tantalum avum habuêre, Pelopem patrem. *u* Bacchæ dictæ Baſſarides à veſte talari. unde & Bacchus Baſſareus &c. *x* Ab avo Belo, & Patre Danao.

Bellerophon, Glauci, *a* Iſthmiacus, domitorq; chimæræ eſt.
C. *Cadmus* Agenorides, *b* Sidonis, Hyantius exul.
Caſſandra Priamus, *c* Phryx & dant Pergama nomen.
Dat Coſtus *d Catharina* tibi, & Memphitidos *e* ora.
Sunt Ixionidæ *Centauri f* nubigenæque.
Semiferique homines & quos dixére bimembres.
Philyrides, ac Peliacus *Chironque g* biformis.
Ætnei fratres, Vulcania turba *Cyclopes*.
D. Ieſſiades *David h* fundâ fidibuſque celebris.
Theſſalis eſt *Daphne* Peneis, *i* grataque Phœbo.
Dejanira Oeneis erat, Calydonia, Neſſi. k
Deiphobe Euboica eſt Glaucis, Cumæaque vates.
Phœniſſa eſt *Dido* Tyria, & Sydonis, Eliſa.
Alter Biſtonius *Diomedes*, Thraxque Tyrannus:
Oenides alter, Tydides *l* junctus Ulyſſi.
E. Icaria *Erigone* eſt *m* ſimul & Marathonia virgo.
Latmius *Endymion n* venator, Noctis alumnus.
Labdaco & Oedipode & Cadmo *o* eſt Dux *Etheocles*.
Nonacrius *p* fuit *Evander*, Palantius, Arcas.
Europe Sidonis, Agexoris, *q* improba pellex.
Eſaiam Amoſiden, *r* Thesbiten dicat *Eliam*.
Myſta ſ Celenæus *Cybeles* Cures, Corybaſque.
G. Iojades, *Gedeon*, *Goliathq*, Philiſtide cretus.
Geryon triplex Tarteſſiûs, paſtor Iberus.

a Regis Ephyræ fil. caſtus. *b* Agenoris fil. Sidon urbs Phœn. Hyas Rex Bœotiæ, unde Hyantes &c. *c* Pater. unde Priamis, Priameïa &c. *d* Pater unde Coſtis *e* Memphis urbs Ægypti. *f* Ab Ixione & nube geniti *g* Saturni & Philyræ fil. Achillis Pelei fil. inſtructor centaurus. *h* Ex Ieſſe vel Iſai patre. unde & Iſaïdes, & Ieſſides. *i* A patre Peneo excæcato, quod alienam ebrius appetiſſet. k Herculis uxor à Neſſo Centauro rapta. *l* Diomedes Rex Ætol. Tydei & Deiphiles fil. ab avo Oenides. *m* Icarii à temulentis occiſi fil. ſuſpendio patris mortem ſecuta. ideoque in cœlum translata. *n* In Latmio Cariæ monte à Luna amante ſopitus. *o* Principibus Thebanis, ex quibus Oedipus pater. unde Labdacius, Cadmejus, Oedipodionius dicitur. *p* Nonacris mons Arcadiæ. unde Evander in latium ad Palatinum tranſiit. *q* Idos à patre Agen. ſic dicta. *r* Ab Amos Propheta oriundus. *ſ* Galli dicti Curetes &c. Celænæ locus in Phrygia, & mons Ida ab iis cultus.

Saxiſica,& Phorcys *a* *Gorgo* eſt, ſerpente comata.
H. Igniparens *Hecuba* eſt, *b* Priameïa, Ciſſeiſque.
Raptus equis *Hector* Priameîus, *c* Troïus heros,
Tyndaris, Oebalia, eſt *Helene d* Spartana, Lacæna,
Mœcha Therapnæa eſt, formoſaque filia Ledæ.
Eſt Phryxæa ſoror, Nepheléis, Athamantias, *Helle. e*
Amphitryoniades, Alcides, Claviger *Hercles f*
Cælifer, Alcmænâ genitus, Tyrinthius heros.
Virbius, *Hippolytus* Theſêjus, *g* Amazone natus.
Oebalides, & Amyclides *Hyacinthus* habetur.
I. Phryxæo Æſonides ac Colchide notus Iaſon *h*
Hic Mathaniades *i* *Ioſephus*; is Iſacides eſt:
Iacobi ſoboles, & caſtæ laudis uterque.
Iphigenia Agamemnonia eſt, Pelopėja, Mycenis, *k*
Inachis eſt *Iſis*, *l* Memphitis vacca, Pharonis.
Abramides, & Saraïdes memorabitur *Iſaac*.
M. Theſtiades, ac Oenides *m* *Meleager* haberis.
Tantalides, ac Atrides *Menelae* putaris.
Phaſias, Æætis, *Medeaque n* Colchis, iniqua eſt.
Amramides *Moyſes* cornutus, virgipotenſque.
N. Nelejus, Pyliuſque ſenex, *Neſtorque o* triſeclis.
Lamechides *Noë*, vitiſque, arcæque repertor.

Tantalis

a Phorci vel Phorcynis Regis Sardin. filia Meduſa, eſt una Gorgonum. *b* Vxor Priami, filia Ciſſei, vel ut Hom. Dymantis. *c* Vnde & Priamides primâ longâ, à Priamo patre uſurpatur. *d* Tyndari Regis Laconum, & Ledæ fil. quam in vico Therapnæ dicto in Laconia, ſeu Oebalia, cum Caſtore Polluce & Clytemneſtra peperit *e* Ex Athamante Rege Theb. & Nephele cum Phryxo nata. *f* Ex patre Amphytrione (& Alceo avo) dictus, qui cum in urbe Tyrinthia juxta Argos ex Alcmæna ſuſcepit. *g* Vel Theſides, à Theſeo ex Hippolyta Amazone natus, qui Phædram fugiens, & ab equis oppreſſus, in vitam à Diana revocatus, Virbius, quaſi bis vir, vel vir vivens, dictus eſt. *h* A patre Æſone Colchidem, id eſt Medeam, cum Phryxi vellere rapiens. *i* Mathan noſtri; Iſaac veteris Ioſephi avuus eſt. *k* A patre, avo, urbe, ſic dicta. *l* Io, vel Iſis Inachi filia, & Phoronei Regis Arg. ſoror. *m* Oeneus Ætol Rex ex Althea Theſtii fil. Meleagrum Tydeum & Dejaniram genuit, natus Calydone. unde varia patronym. *n* Æëtæ Colchorum (apud quos Phaſis fluvius) Regis filia. *o* Ex Neleo Pyli (urbis in Laconia) Rege, & Chloride.

Tantalis eſt *Niobe*, Sipyleïa, *a* prole ſuperba.
O. Dic Agamemnonides, dic & Pelopėjus *Oreſtes b*
P. Priamides, *Paris*, Idæus, cum Iudice, raptor. *c*
Patroclus Actorideſque Menætiadeſque vocatur. *d*
Tharſides *Paulus*, *Petrus* Bethſaïde natus.
Acriſioniades *Perſeus*, *e* Danaeïa propago,
Inachides *f* & Abantiades, victorque Meduſæ.
Eſt Hyperionius *Phaethon g* Clymeneïa proles
Sunt Dirce, & Thebæ *Polynici h* Iſmenus, & Argos.
Paſiphae conjunx Minois, *i* filia Solis.
Icaris Icariotis erit fida *uxor* k *Vlyſſei*
Paſiphae, Minos, Theſeus dant nomina *Phadra*. *l*
Ennæus, cyclops *Polyphemus*, *m* lumine captus.
Laomedontiades *Priamus*, *n* Phryx, Dardaniuſque.
Iapetionides *Epimetheus* atque *Prometheus*. *o*
Sic Epimethis erit, ſic & Titania *Pyrrha p*
Scyrius, atque Neoptolemus eſt *Pyrrhus q* Achillis.
Panthoides eſt *Pythagoras r* Samiuſque magiſter.
R. Martigenæ, Iliades, cum fratre eſt *Romulus ſ* Auſon.
S. Davidides *Salomon*, & magnus rector Idumes.
Manoides *Sampſon* Naſaræus, terror Hethæis.
Actæuſque *t* Anytique *u* reus, de *Socrate* dictum.

a Ex Tantalo nata & verſa in ſaxum, translataque in Sipylum regionem, illic in montis vertice liquitur. *b* A patre & proavo. *c* Iudex inter Deas in Ida. raptor Helenæ. *d* Ab Actore avo Herculis contra Amazones comite, & patre Menætio, quem Actor ex Ægina ſuſcepit. *e* Natus ex Danae, turri ab Acriſio patre (qui Abantis filius fuit) fruſtra incluſa. *f* Inachidæ Argivi etiam ab Inacho Rege dicuntur. *g* Hyperionis, ſeu Solis, ex Clymene filius. *h* Hinc nomen habet Dircæus &c. conveniunt & illa quæ Etheocli fratri. *i* Regis Cretenſ. Vnde Minois-idos dicta. k Penelope Icari filia. *l* Vnde Paſiphaïa, Minoïa, Theſeïa, &c. Minois enim fil. uxor Theſei fuit. *m* Neptuno, ac Thoa Phorci fil. natus. *n* Pater Laomedon, avus Ilus. *o* Vel Iapetides à Iapeto patre. *p* Patre Epimetheo Titane. *q* Quem Achilles in Scyro inſ. ex Dejodamia ſuſcepit, qui admodum adoleſcens ad bellum Troj. acceſſit. *r* Ex Samo, qui transformationem aſſerebat, ac ſe in bello Trojano Panthoum Euphorbi filium fuiſſe tradebat. *ſ* Ex Marte & Ilia in Auſonia nati. *t* Actæus, ſive Atticus. *u* Rhetor Athen. Socratis accuſator fuit Anytus.

Cadmeis *a* *Semele*, pellex Thebana Tonantis.
Æolis, & Lesbis *b* ſit dicta Poëtria *Sappho*.
Sic *Siren* *c* Achelois erit, volucriſque puella.
T. *Telephus* *d* Augides, Myſus, Lyrneſſius heros.
Terea *e* Biſtonidem, Odryſium dic Iſmariumque
Ægides *Theſeus*, *f* Trœzenius, *g* impiger heros.
Mygdoniuſque ſenex, *Tithonus*, *h* Eous habetur.
Tireſia Cadmus, Dirce, dant nomina Thebæ.
Oenides *Tydeus*, *i* Ætolus, dux Acheloïus.
V. Æolides, Laertiades, Ithacus, ſit *Vlyſſes*, *k*
Siſyphides, ac Dulichius, dic Naryciuſque. *l*

a A patre Cadmo, ex qua Bacchus. *b* Ab Æolia & Lesbo. *c* Ex Acheloo flu. & Calliope Nympha. *d* Rex Myſorum ab Achille Lyrneſſi expugnatore læſus Augen matrem habuit. *e* Thereus Rex Thracum (qui & Odryſæ dicti) Martis ex Biſtonide Nympha fil. *f* Ægæi Reg. Ath. & Æthræ fil. *g* Træzen urbs Pelopon. à Træzene Pelopis filio. *h* Laomedontis fil. ex Thracia ſeu Mygdonia, qui ex Aurora Memnonem ſuſcepit. *i* Oenei Regis Calydon. fil. in Ætolia. ubi & Achelojus regnavit. k Filius Laertæ proavos Æolum & Siſyphum habuit Rex Ithacæ & Dulichii. *l* Naryciús à Locrenſi urbe cum Ajace dictus.

Hinc facilè varietatem, uſum, copiamque patronymicorum diſces. quibus & alia adjectiva ab iiſdem nominibus propriis deduci ſolita adjeci, prout maximè uſitata. Ceterùm & hæc, & illa formari majori copia poterunt. nam Vlyſſem v.g. quem dicis Laertiadem & Siſyphidem, Laertium & Siſyphium appellare poteris. contra Atreum, quem dicis Pelopejum, Pelopidem; Priamum quem vocas Dardanium, Dardanidem. A patria tamen potius feminina patronymica, quàm maſculina formabis. Sic Lesbis, pro muliere Lesbia: non Lesbides, ſed Lesbius pro viro uſitatum.

Quæ cauſa cur tam in fabulis, quàm hiſtoriis Poëtæ negligenda non ſint gentis patriæ, ac majorum & conſanguineorum nomina: cùm ex iis patronymica formentur, præcipuus hinc etiam tam ad epitheta, quàm ad periphraſin & circumſcriptionem perſonæ, Poëtis uſitatiſſimam, fons aperiatur: quod operæpretium fuerit exemplo pandere.

D. Auguſtinus tibi deſcribendus occurrat. hunc patre natum Patritio ſed obſcurioris famæ, quàm ut patronymico ſerviat:

viat: neque mater Monica celebris licet famæ mulier aptam ſatis vocem exhibet: ut proinde, nec Patritiaden, nec Monicaiden aut Moniciden opportunè dixeris: niſi igitur vel à Tagaſte patriâ urbe, vel ab Hippone, cui Epiſcopus præfuit, *Tagaſtiden* vel *Hipponiadem* appelles, (quod rarius eſt) patronymica deerunt. Rectius itaque ſic circumſcripſeris *Quem matris lacrymæ peperêre tonanti. quem gemitus & vota parentis Aſſeruêre Deo* (conſtat enim lacrymis, & interceſſione matris apud Deum, potiſſimum converſum) perges à patria Africa, & iis, ubi claruit, urbibus deſcribere. Ita *Africanæ ſol Eccleſiæ, decus Africanæ mitræ, Lux ingens Libyæ, eruditorum princeps Phrygum, illuſtre Tagaſtæ lumen, Hipponis ſublime decus.* Ad hanc etiam circumſcriptionem illuſtriora ejus facinora, illi inprimis propria ſpectant, ſiquidem per hæc ſatis ab aliis diſtingui heroibus poſſit. ut *Manichæis transfuga ſacris. Deſertor & hoſtis acerbus Hæreſeon Manichæe tuarum. Fortunati celeberrimus hoſtis. Quo nil divinius orbi Africa progenuit. Quo ſubnixa ſtetit Libycis Eccleſia terris.* Quæ etiam cum ipſo nomine proprio Aurelii vel Auguſtini meritò ſociantur. cum enim & Aurelii & Auguſtini plures ſint: neque utrumque hoc in carmen congerere opportunum ſit, alterutri, ad claram perſonæ diſtinctionem, aliquam ejuſmodi per periphraſin affectionem, tanquam notam ſignumque perſonæ, adjungendam exiſtimo.

CAPUT XXI.

De ordine, compoſitione, ac numero ſententiarum, periodorum, & orationis totius poëticæ.

EXſpectabunt forte nonnulli, ut de amplificatione facilem aliquam expeditamque, in poeſi, viam aperiam. Verùm illud me jam utcunque præſtitiſſe exiſtimo. Nam, vel de rerum amplificandarum ratione agitur, quam principio oſtendi; cum familiarem Poëtis concipiendi modum varietatemque aperui: vel de ſententiarum circumducta expoſitione, & hanc ſupra de phraſi poëtica haud difficilem ſtudioſo homini explicavi: ut, niſi prorſus infelici Minervâ natus ſit, infecundus eſſe horum ſectator veſtigiorum nequeat. Ceterum Poëta, non minus quàm Orator, per loca Rhetorum ſeſe veſtigatione ſedula effundere poterit. In quibus præ reliquis, modò rerum ejuſque oppoſitorum ſervit deſcriptio, ut multis, in heroicâ poëſi no-

ſtrâ, exemplis conſtabit: modò cauſſarum effectuumque; modò etiam aliorum adjunctorum diſerta explanatio juverit. denique paris, diſparisve, tum exemplorum, tum ſimilium comparatio, de qua actum antea, magnopere ad amplificationis laudem facit. Plenius de hac parte in oratoriis noſtris præceptionibus diſſeremus, modò Superis placuerit.

Iam ad corporis totius compoſitionem accedimus, poſtquam ſingulas ejus partes, tanquam membra quædam collegimus. Hæc univerſim ita eſt ordinanda, ut auditoris lectoriſve animum ſuſpenſum teneat, dum, vel ſententia, vel periodus, vel tota denique oratio abſolvatur. Hæc enim præcipua quædam dicentis virtus eſt ac gratia Naturam igitur imitari debet oratio, quæ ab imperfectioribus ad perfectiora in productione rerum, progreditur. Ita enim ordine, ac velut per gradus animo ad abſolutionem anhelante inceditur. qui ſi perfectiora exordio percepiſſet, faſtidiret cetera. Hæc cauſa, cur in ſententiis ab epithetis ferè ad ſubſtantiva, ab his ad verba ſit incedendum: iis demptis conſtructionibus, quibus plus aliquid epitheta ſubſtantivis, aut hæc verbis ſignificant. quæ diligenti obſervatione accipienda erunt, cum multarum præceptionum inſtar hæc una ſit regula. Ita Virgilius 1 Æneid. ordine digeſſit.

— At nunc horrentia Martis
Arma virumque cano.

Sed haud multò poſt inflexo hoc ordine canit.

Tantæne animis cœleſtibus iræ?

Et infra — Scopuloque infixit acuto.

Quod gratius eſt, quàm ſi dixiſſet, *Tanta cœleſtibus iræ ſunt animis?* quia *cœleſtibus*, ſi præceſſiſſet, jam de animis ſubintelligi poterat. adeoque intellectus exſpectatione amplius non pendebat. Porrò *Scopulo acuto* tolerabilius eſt, quam ſi diceret,

— Cuſpide fixit acuta.

cum *acutum* ad *ſcopulum* proprietatem adjiciat, nondum intellectam, ſecus quàm ſit in cuſpide, quæ acuta eſſe ſolet. quocirca elegantius dices

— & acuta cuſpide fixit.

De verbis poſtponendis, minor eſt Poëtarum religio, imò ad diviſionem epitheti à ſuo ſubſtantivo (quam paſſim amant) verbum ſæpe utrique interſerunt.

— celsâ ſedet Æolus arce. *ib.*

In

In rebus tamen grandibus & proximè adjungi epithetum ſubſtantivo, & multiplicari etiam quandoque ſolet.

—— Manet altâ mente repoſtum,
Iudicium Paridis. *ib.*
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras. *ib.*
Antrum immane ingens &c.

Aliquando diverſa diverſorum ſubſtantivorum epitheta inter ſe concurrunt venuſtè, ante ſubſtantiva, verbo ſequente. ut Ovid.

Fertilis aſſiduo ſi non renovetur aratro,
Nil niſi cum ſpinis gramen habebit ager.

Vnde illa Lucani collocatio meritò peritis diſplicet.

Amiſſæ leges pereunt diſcrimine nullo.

Dicendum erat Amiſſa pereunt nullo diſcrimine leges,
Vel Amiſſæ nullo pereunt diſcrimine leges.

Quod reliquis elegantius eſt: quia ſuſpenſum magis animum moratur. Hac eadem regula nititur illa lex, quæ gradatim in oratione ab humilioribus, aut minoribus, ad graviora, majoraque procedendum aſſerit. uti & in ipſo ſententiarum rationumque ordine faciendum. Nam qui alium arguet, prius ipſum mendacem, quàm furem, aut latronem rectè dixerit: contra quàm in defenſione fieri amat: ubi quoque natura rerum imitanda videtur, quæ in deſtructione à præcipuis orditur partibus. nam ridiculum fuerit, ſi in defendendo latrone à mendacii purgatione ordiaris. Exemplis hæc omnia obviis, tam apud Oratores, quàm Poetas conſtant. quibus brevitatis cauſa abſtineo. Poetæ tamen facilius (ut liberiores ſunt) per hyſterologiam, ſive ὕστερον πρότερον, hunc ordinem ſubvertunt. Ita *Virgil. 2. Æn.* —— Moriamur, & in media arma ruamus.

Et Ovid. lib. 1. faſt. Lapſaque ſub terras, ortaque ſigna canam.

Dicendum Virg. fuerat. *In media arma ruamus & moriamur.*
Naſoni. *Ortaque per cœlum lapſaque ſigna canam.*

Frequens tamen, aut momenti alicujus hyſterologia, nec his ignoſcenda eſt: ut qui maximè ad ornatum delectationemque componunt univerſa.

Alterum principium eſt: ut in compoſitione ſententiarum ac totius orationis: non tantum rerum ordini ad ſuſtinendos animos: verùm etiam aurium judicio ad delectationem opportunè conſulatur. quod fiet, ſi vitetur aſperitas, durities, eorundemque, ſeu literarum, aut ſyllabarum vocumque; ſeu ſenten-

tiarum rerumque ingrata iteratio: niſi forte res aſpera, dura frequens, ſimilem orationem poſceret: tum enim virtutis illa oratio habitum indueret *Virgilio* ſæpe quæſita.

Ita in rebus mollibus gaudet repetitione litera L. ut Æn.4.

—— Eſt mollis flamma medullas.

Et Quæque lacus latè liquidos. *ibid.*

R in ſtridulis, iracundis & aſperis. de quibus vide ſupra.

—— Crepitans ſalit horrida grando. 1. *Georg.*

—— Nemorum increbreſcere murmur. *ib.*

S. licet ad ſibilum ſtrepitumque opportunum ſit. illud tamen Virgilii non laudavero, ob frequentem literæ recurſum.

Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus.

Plus in illo virtutis, ad exprimendum eſt ſtrepitum.

—— Aſſiduo longè ſale ſaxa ſonabant.

Syllabarum repetitio frequens diſplicet. unius præſertim proximæ, admittitur. Vnde illud Virg. —— *ad ſidera raptim.* Et *Fama malum* gratius, quam ſi cum eodem dicas —— *Caſus Caſſandra canebat.* tum quod ſyllaba eadem verborum principio, tum quod frequentius, recurrat. Aliquot ſyllabarum repetitionem, niſi per alluſionem eruditam excuſes, nemo probaverit. uti illud Ciceronis meritò à Iuvenale Sat. x. ridetur.

O fortunam natam me conſule Romam!

At verò illud *Virg.* Æn. 6. *gratiam habet, quia nonnihil inflectitur.*

—— Auri per ramos aura refulſit.

Et illud Ovid.2 faſt. Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.

Aut Martial. l.9. ep. Artemidorus amat. Calliodorus arat.

Durum aſperumque eſt ob eliſionem & literam R. ſed aptè in re aſpera.

Terra parens ira irritata Deorum. *Æn. 4.*

Sic maris hiatum ſaxa abſorbentis pari carminis hiatu exprimit.

Nunc rabidus retrò atque æſtu reſoluta reſorbens

Saxa. Æn. 11.

Cavendum item, ne vel monoſyllabicæ, aut & polyſyllabicæ dictiones in carmine nimium coacerventur. niſi forte res deſultoria, aut pergravis ita videretur exigere. Vitioſus eſt verſus

Non ex his eſt qui ſe ſanos vivere curant.

Illud Horatii l.1. Sat.8. tumidum eſt.

Ambubajarum collegia, Pharmacopolæ.

Laudatus ex monoſyllabicis verſus eſt.

Atque

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc. *Virg.* 8.Æn.

Et ille Æn.7. Nec jam ſe capit unda, volat vapor ater ad auras.

Ex Polyſyllabicis laudem habet

Luctantes ventos, tempeſtateſq; ſonoras. 1.Æn.

A vocibus unius aut paucarum ſyllabarum ordiri gratius eſt, ut ſenſim accreſcat oratio.

Vrbs antiqua fuit, &c. Sic fatur lacrymans &c.

Ingrata eſt conjunctionum, aut particularum trajectio. Vt in illo Ovidii

Femina præfractas, conqueriturque fores.

Et in illo Virg. Sed vos qui tandem, quibus aut veniſtis ab oris.

Recurrentia quoque eadem terminatione vocabula, extra laudem ſunt. ut fugientes, dolentes, gementes: amabant, tonabant, &c.

Ita Virgilius Æn. 1. re in 6 verſibus penultimo loco iterat. Primus verſus eſt. Vela dabant læti & ſpumas ſalis ære ruebant, &c.

Periodi neque longæ nimium ad unum præſertim verbum ſpectantes, neque deſultoriæ ac breves congeſtæ in oratione laudantur: niſi fortè, aut ſpes reſque dilata, aut varii inconſtantis irative hominis impetus, aliquo loco hac orationis mora, aut præcipitatione ſimul indicentur. Ita parum illam Maronis lib.12. Æn. periodum probo, qua Turnum cum Latino ad caſtra procedentes deſcribit. Et ſic orſus eſt,

Interea Reges, ingenti mole Latinus &c.

Vbi in nono demum verſu verbum ſubjungit *Procedunt caſtris*, ut penè octo verſuum parentheſis eſſe videatur. Contra brevicolæ ſententiæ periodique diſplicent non raro in Lucano, ut in illo l.4. ubi de Gigante vaſto Antæo nimis leviter ſubſultat.

Hæc illi ſpelunca domus latuiſſe ſub alta
Rupe ferunt: epulas raptos habuiſſe leones.
Ad ſomnos non terga feræ præbere cubile
Aſſuêrunt, non ſilva torum. Vireſque reſumit
In nuda tellure jacens. Periêre coloni
Arvorum Libyes: pereunt, quos appulit, æquor.
Auxilioque diu virtus non uſa cadendi,
Terræ ſpernit opes. invictus robore cunctis,
Quamvis ſtaret, erat.

Quid enim tot inciſa, & periodi deſultoriæ in re gravi? Adde copulativas particulas *que*, in *Vireſque* & *Auxilioque* vitiosè abundare, cum diverſa conjungant: in *epulas* vel *raptos* deſiderari; cum tertium inciſum exſpectetur.

Periodi varietatem ſimul & rotunditatem amant. niſi quod in rerum multitudine, pluribus membris placeant; ut animum ſimul aureſque expleant. ultra 10 tamen verſum, aut 12 raro excurrant. infra tertium alterumve raro ſubſiſtant. Exempla ſunt paſſim obvia. Rotundæ ſint, & cum verſu abſolvantur, ubi ſenſu prorſus abſoluto, majorem animus quietem exſpectat. Ceterum, & in ipſo verſu; ſed vix in principio, & penultimo claudantur pede: niſi affectus, ut dolor, ira, admiratio, aut ſubitus caſus, velut cum rebus verba ſuſpenderent. Ita lib. 5. Æn. Virgilius aptè.

Sublatâque procul (*ignem*) dextrâ, connixa coruſcat,
Et jacit. arrectæ mentes ſtupefactaque corda
Iliadum. Hic una è multis quæ maxima natu
Pyrgo.

Omnium ſententiarum ac periodi abſolutio dura; ſed in altero verſu. vim & impetum præruptum, in tertio ſtuporem, in quarto feminæ audaciam & magnitudinem indicat. ſine quibus vitioſa eſſet terminatio, cum aures in hoc numero ægrè acquieſcant. Hi ſimileſve affectus, multa in Virgilio aſpera abruptaque tuentur.

Sententiarum quoque ac periodi varietas & menſura, ex affectuum varietate ac menſura pendet, ac variatur. Vnde Poeta magis quam Orator, nunc dubitat: nunc rogat; nunc monet, aſſeverat, deterret, reprehendit: nunc conqueritur, admiratur, exclamat; nunc orat, miſeretur, vovet, minatur. prout enim quiſque affectus aut incitatior, ut irati: aut tardior, ut miſerantis: ita ſententiæ ac periodi breviores ſunt, aut longiores. Et hi quidem motus adhibentur in Elegis ac Lyricis minori dictionis intervallo: in Heroicis ac Tragicis minus frequenter: cum hic magis cæpto deſcriptionum affectuumque loco inſiſtendum ſit. Neque hæc ſatis: nam ſermonem non raro ipſe ad alios transfert, datque etiam mortuis, inanimatiſque voces, abſentes alloquitur, conſulit, audit, fictis tanquam veris immoratur. quæ omnia ut figuris, ita membris, ac periodis orationem variant. Sit exemplo Virgil 1. Æn. in Oratione Neptuni ad ventos.

Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?

Iam

Iam cœlum terramque, meo ſine Numine venti
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus.
Maturate fugam, Regique hæc dicite veſtro:
Non illi imperium Pelagi &c.

In quo carmine prima periodus tribus verſibus minor eſſe vix potuit, ob cauſſam indignationis expreſſam. altera quæ animum ſedatum oſtendit brevis meritò eſt. tertia longior per quatuor excurrit verſus, & pluribus omnino poterat, cum de oppoſitis utriuſque regnis diſſereret. Quarta rurſum brevis, quia citò ſedatam tempeſtatem indicat.

Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectaſque fugat nubes, ſolemque reducit.

Quæ obſervatio ad periodos definiendas non levis momenti eſt, cum orationem maximè rebus aptet. Poterat ultimam periodum, uno etiam verſu ob celeritatem indicandam abſolvere. Quod ſi dixiſſet *& ſenſim tumida æquora placat.* æquum erat, ut periodum per plures etiam verſus extenderet. Ita rebus oratio admetienda eſt. qua in re Claudianus atque inprimis Lucanus parum accurati, certis modulationibus numerorum paſſim adhærent, quæ cum gratæ ferè ſint, imperitorum aures animoſque, rebus parum intentos, dulci quadam illecebra occupant, ut hos ante Virgilium amplectantur. Sed ignorant, quantum in neglectâ quandoque gratiâ, gratiæ reperiatur.

Inciſa ſæpe rectius in medios cadunt verſus, contra quàm periodi, quæ ſuavius in fine verſuum terminantur. quocirca inciſa ac ſententiæ, modò in principio verſus: modò hoc illove pede medio bene terminantur, dum in fine denique carminis cum ſenſu acquieſcat oratio. *ut Virg* 1. Æn.

Reſtitit Æneas, claráque in luce refulſit,
Os humeroſque Deo ſimilis: namque ipſa decoram
Cæſariem gnato genitrix, lumenque juventæ
Purpureum, & lætos oculis afflarat honores:
Quale manus addunt ebori decus; aut ubi flavo
Argentum, Pariuſve lapis circumdatur auro.

Varietas hic magna & grata inciſorum eſt. Moderata quoque aptis numeris pedibuſque oratio. Tres primi verſus à ſecundo vel tertio pede inciduntur. quartus à primo, quintus à quarto pede. Minus moderatas inciſiones Claudianus Lucanuſque amaſſent. quod futurum erat, ſi primi v.g. aut ſecundi,

aut quarti carminis inciſum diſſyllaba voce primâ brevi clauſiſſet, ut ſi dixiſſet Poeta. *Os ſimilis humeroſq; Deo.* vel *par humeros vultuſque Deo.* vel *par tulit ora Deo.* vel cœleſtia plenus *ora Deo.* Hæc enim ſubſultantia majorem elationem ſpirant, magiſque canora auribus accidunt. unde in re læta levi arrogantique, locum ornatumque reperiunt; ſed Virgilius modeſti, quàm exultantis decorem exprimere maluit.

Quinti verſus inciſum rarius eſt, ac certis tantùm affectibus, ut feſſi, quieſcentis, dolentis, ſtupentis, laborantis &c. exprimendis aptum. quod neglecta cæſura quaſi abrumpat ſermonem. Alibi opportunius eo Virgilius, quàm hoc loco utitur, cum ſingularis in re affectus deſit. non jam tangam comparationem eboris & Parii hoc eſt candidi marmoris cum purpureo vultu, cui autoritas Virg. ægrè parem in auro coloré datura eſt.

Par ratio fere in ceteris carminum generibus, in elegiacis tamen vel ſententiæ, vel periodi, cum verſu, aut diſticho plerumque claudendæ.

Vniverſim in membris periodiſque, ad rerum naturam aptè exprimendam, numerorum in heroica ac tragica inprimis Poeſi magna habenda eſt ratio. In rebus enim tardis & gravibus ſpondeis moloſſiſque hærendum. ut Virgilius in Æn.

Olli ſedato reſpondit corde Latinus.

Et alibi. Illi inter ſeſe magna vi brachia verſant.

In celeribus ac levibus, per dactylos & tribraches, verba profluere faciet. Sic currentem te equum audire putabis Æn. 8.

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

Et erumpentium celeritas exprimitur Æn. 5.

— Finibus omnes
Haud mora, proſiluere ſuis, ferit æthera clamor.

Ad quod etiam conjunctiones plurimum faciunt. Æn. 1.

Vna Eurusque Notuſque ruunt, creberque procellis
Africus.

Deniq; hos verſus inter ſe compone, & numeri vim comperies.

Iam membra greſſu vix anhelanti traho. *Et contra.*
Ecce citus ego pede volito levis in aëre. *vel*
Ecce ruit, celerique gradus pede librat inanes.

Porrò hic pedum numerus, quo ipſa frequentius verba ſecat, hoc cenſetur venuſtior. penultimum in heroicis pedem excipio, qui cæſuram refugit. & ſæpe primus in hoc aliiſque carminibus eandem negligit. Vitioſè, ſine cæſura dicturus es.

Romæ

Romæ mænia terruit impiger Hannibal armis.

Rectius dices. Impiger Auſonias exterruit Hannibal urbes.

Ornatius. Hannibal Auſonios Pœnis exterruit armis.

Cæſura poſt ſecundum pedem neglecta diſplicet. Horat.

Non quivis videt, immodulata poemata judex.

Nec placeat. Non quivis modulata videre poemata judex.

Diſplicet enim cæſura poſt tertium pedem, in voce triſyllaba. uterq; quidem verſus tolerandus, laudandus etiam in Satyra.

Malim tamen. Non quivis videat modulata poemata judex.

In rebus amœnis inprimis elegans eſt, cum pleriquepedes binas voces partitim occupant. ut fit in illo Virgil.

Semper honos nomenq; tuum laudeſq; manebunt.

In quo & altera pedum varietas, ex dactylis ſpondeiſque pergrata eſt.

Monoſyllabicæ voces in medio verſuum cæſurarum defectum ſupplent. ut

Caſta Deus mens eſt, caſtâ vult mente vocari.

Cavendum, ne commata gratiam cæſurarum in numero tollant, ut in primis Silii verſibus factum.

Ordior arma, quibus cœlo ſe gloria tollit
Æneadum, patiturque ferox Oenotria jura
Carthago. Da Muſa decus memorare laborum &c.

Vbi poſt *arma* malè membrum: poſt *Carthago* malè periodus clauditur. quòd utrobique præter exſpectationem oratio hæreat, ſuis nondum numeris impleta: neque ratio adſit, quæ hanc moram exigat.

Cæſuræ & numeri ſequentes, in ultimo & penultimo heroici verſus pede, diſplicent, niſi ſingulari energia gratiam mereantur, quam in hîs Virgilianis vix obtinent.

Vertitur interea cœlum & ruit Oceano nox.
Et vera inceſſu patuit Dea Ille ubi matrem.
Et pinguem tiliam & ferrugineos Hyacinthos,
Saxa per & ſcopulos & depreſſas convalles.

Plus laudis verſus ſequentes meritiſunt, quia affectum & proprietatem rerum luculentius exprimunt. Ita cadentis impetum bovis, & aquæ hoc eleganter verſu expreſſit.

Sternitur, examiniſque tremens procumbit humi bos.
Dat latus, inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.

Rem extollit. — Magnum Iovis incrementum.

Conſtitit,

Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit.
— Crudelis, tu quoque, falſis Ludis imaginibus.

Spondaicos illos appellant verſus, qui penultimo ſpondeum pede admittunt: uſitatos quidem in re mœſta & gravi, tam ad ſententiam, quàm periodum claudendam, ceterum inamœnos.

CAPUT XXII.

De licentiis Poëtarum, earumque recto ac perverſo uſu, cum adjuncta cenſura Virgilii.

DE Poëtarum licentiis nonnulla quoque ſunt offerenda: ut quæ orationi importunè adhibitæ eandem debito ornatu, efficacia, ſuavitate ac compoſitione exuunt. quò diſſoluta, neglecta, enervis, aſpera, & imperfecta videatur: niſi cum paria in rebus ipſis vitia ſunt exprimenda, tum enim virtutis gratiam aſſequuntur.

Quaſdam tamen ſola metri excuſat neceſſitas. ita prima in Italia & Priamides apud Virgilium ſine vitio producuntur per *Diaſtolen*.

Atque hic Priamidem laniatum corpore toto.

Verum an Silius rectè dixerit in heroicis *Terruerunt pavidos?* An Virgilius bene *Obſtupui ſteteruntque coma*? controverti jure poſſet. nulla enim neceſſitas excuſat: cum aliter carmini adhiberi, hoc ultimum præſertim poterit. Ergo per virtutem ſunt excuſanda, quod ſcilicet hâc ſyllabæ correptione, vehemens aliqua in rebus mutatio indicetur, uti fit, quod homines timore ac ſtupore ſubitò contrahantur. Perquam elegans illud *Horatii*.

Dii tibi divitias dederunt (*videlicet, brevem ad uſum*) artemque fruendi.

Aliud *Virgilii* non admodum placet, quod contra rei affectum vox brevietur.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Ceterùm licentia poetica, vel in detractione, vel adjectione, vel permutatione conſiſtit, quæ omnes ad latam jam regulam expendendæ ſunt, niſi enim neceſſitas, aut virtus admittat, reprehenſionem merentur. Illud univerſim de Poetarum etiam Principe Virgilio mihi certum habeo: non omnes ipſius hiatus eliſioneſve alterutro excuſari. quidquid demum Bartholomæus Maranta, aut etiam Iovianus Pontanus, aliique contendant in

Virgilii obſervationibus, nec apicem quidem ab eo neglectum: ſanè ipſe jam moriturus Poeta, aliud ſenſit: cum ob loça Æneidis minus emendata, flammis eam deſtinaret. ut Fulgoſus & Ignatius lib. 6. c. 7. Nil hic ex affectione aut aliorum judicio pendeo. iis quæ ratio fundat argumentis principiiſque artis nitor, neque hoſtis, neque amicus çujuſquam nimius: libenter etiam ceſſurus illis, qui eadem via ſuaſerint certiora.

Eliſio, vel eſt vocalium & *ſynalœpha* dicitur, vel M cum ſua vocali, & *Ecthlipſis* vocatur. prior in quamlibet, hæc plerumque in longam incurrit ſyllabam. En utramque licentiam in verſu *Virgilii*

Poſtquam introgreſſi & coram data copia fandi.

Videndum, qui vocales committantur. nam graves, aut lenes inter ſe invicem minus rectè, quàm graves cum lenibus, aut lenes cum gravibus colliduntur. Sic in priori verſu durius eſſet *introgreſſi ae.* Pares quoque vocales inter ſe concurrunt mitius, ut *Ille ego, via avia, Ingreſſi iterum, Ergo omnes*, illo ferè ordine ſuavitatis quo poſui, ſolum u cum u durius cohæret ut *greſſu utinam.* Porrò diſpares a & o, a & u, o & u aſperius commiſcentur, ut *ora omnes porta operum. dura ulcera &c.* Ita quoque malè cohæreſcit M brevibus, ut *Blandum etenim*, quæ judicio quodam aurium diſcernuntur; ſed & ratio his ſuffragatur; quòd quæ in ſyllabam longam incidunt, gravitatem carminis augeant. quæ ſæpe cauſa cur Virgilio eliſio placuerit. Vnde *poſtquam introgreſſi* gravius quàm poſtquam progreſſi. Et plus habet efficaciæ, quanquam æquo pluribus eliſionibus abundans verſus,

Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas,

quam illud Arva jugo preſſit, gaudens avertere prædas

quia alterum non ſolum gravius, verum etiam invaſionem alienæ rei per ſyllabas ſeſe mutuo invadentes deſignat.

Quis hoc carmen penè ob moleſtiam non horreat?

Monſtrum, horrendum informe ingens, cui lumen ademptum; ſed horror Polyphemi deſcribendi, illi gratiam inſignem facit, cavendum tamen, ne gratia numerorum hæc licentia carmen ſpoliet: ut apud Catullum his in verſibus factum.

Troja nefas commune ſepulcrum Europæ Aſiæque.

Troja virûm & virtutum omnium acerba cinis.

Durum eſt primam in verſu ſyllabam elidi. ut Virgil.

Si ad vitulam ſpectes, nihil eſt quod pocula laudes.

Vltima etiam in quinto pede eliſa quandoque diſplicet. ut Virgil.

Sic

Sic geaus amborum findit ſe ſanguine ab uno.

Et Hor. Loripedem rectus derideat Æthiopem albus.

Viſus tamen Maro eſt in illa eliſione utriuſque generis ſectionem velle innuere: aliàs ducere licuiſſet *ſe ſanguine findit ab uno*, ſed hoc maluiſſem: cum ſectio per eliſionem parum aptè exprimatur. Rectius de Iuturna fratri adhæreſcente dixit.

Iuturnamque parat fratris dimittere ab armis.

Et Propertius De equis in curru obluctantibus aptè cecinit.

Quadrijugos cernes ſæpe reſiſtere equos.

Verùm equidem hanc elegantiam, vix tam ingratis numeris emero.

Eliſio hæc non tantum in diverſis dictionibus, ſed & verſibus reperitur. ut Virgilius

Omnia Mercurio ſimilis vocemque coloremque
Et crines flavos.

Idem. Aut dulcis muſti Vulcano decoquit humorem
Et foliis undam.

Quibus vel multitudo ut in primo verſu, vel tarditas, ut in altero, vel magnitudo aliave conditio, exprimenda erit.

Veterum quoque ingrata fuit eliſio literæ S. an Virgilius ea uſus ſit, anceps eſt. Ipſius verſus ſunt.

Aut ovium fœtus aut urentes culta capellas,
Limina tectorum, & mediis in penetralibus ignem,
Inter ſe coiiſſe viros, & diſcernere ferro.

Verùm rectius ab aliis legitur.

Aut fœtus ovium, aut &c. Limina tectorum & medium &c.
Inter ſe coiiſſe viros, & cernere ferro. Æn. 12.

Notanda verò hoc loco magis, quàm imitanda neglectæ eliſionis ratio, quæ gratiam in rebus difficilibus exponendis apud Virgilium habet. Ita inquit.

Ter ſunt conati imponere Pelio oſſam.
Amphion Dircæus in Actæo Hiacyntho,
Implêrunt montes, flerunt Rhodopejæ arces.

Primum in his egregiè ſua mora Gigantum conatum exprimit, alterum raritatem perſonæ, uti & tertium turbatorum hominum mœrorem, verùm minori, quàm primum laude. Elegantius dixit Ovidius

Iactari quos cernis in Ionio immenſo.

Et alibi Virgil. — gemituque & femineo ululatu.

Alias

Alias Virgilius eliſiones nec magna cauſſa, nec virtute, aut vitio ſingulari prateriit. ut

Credimus, an qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt?
Poſthabitâ coluiſſe Samo hic illius arma.
Qui teneant (nam inculta vident) homines ne feræne.

Verum cum hæc neque neceſſitate, neq; vi aut gratia ſingulari commendentur. Maronem quidem autoritas & mos Græcorum defenderit; imitator à vitio non aberit.

Affinis eliſioni eſt contractio duarum ſyllabarum, in verbo eodem, quæ dicitur *Synæreſis*, vel *craſis*, aut *Synexphoneſis* Maroni uſitata, ſæpe non tam virtute, quàm libertate, aut neceſſitate. Per hanc modo duæ breves coeunt: Sic Virgilius

Semihominis Caci facies. -- Et -- graveolentia centaurea.
Bis patriæ cecidêre manus, quin protinus omnia.

Pleraque hæc cum virtute dicta: nam primo diviſionem, altero nauſeam, tertio languorem ac defectionem ingentem aptè exhibuit.

Rarius inter ſe longæ in unam conveniunt: ut

— prehenſant veſtigia dextris. *difficultatem indicat.*

Frequentius inter ſe longæ breveſque coguntur, ut

Ferreiq; Eumenidum thalami. *In amœnum quid ſonat.*
— Dependent lychni laquearibus aureis. *Rem extollit.*
— Dii cœpta ſecundent.

Titulo ſolo neceſſitatis ſe tueri videntur.

Seu lento fuerint alvearia vimine texta.
Atque hinc bullato ſpoliavit Amazona baltheo.

Neque enim in priori difficultas, aut in altero rei magnitudo poſtulabant hanc moram. Minus probo hæc Virgiliana: *Proinde tona eloquio* 11 Æn. -- *dehinc talia fatur.* Æn. 1. *Trojæq; opulentia deerit.* Æn. 7. -- *à flumine rejice capellas. Vir gregis ipſe caper deerraverat.* Ecl. 7. quanquam Muſa ruſtica huic veniam mereatur.

Minus, in licentiis, aures ob numerorum æqualitatem offendit, primo *Aphæreſis*, quæ in principio dictionis ſyllabam rejicit. ut *temnere divos, linquere caſtra*: pro contemnere, & relinquere. Secundo *ſyncope* quæ in medio literam vel ſyllabam abjicit, ut *repoſtum pericla, Deûm, ſuperûm, ſurpuerat clamarunt* pro repoſitum, pericula Deorum &c. Tertio *Apocope* quæ literam aut ſyllabam præputat. ut *parce metu.* id eſt metui. *Peculi* pro peculii. Hæc opportuno loco adhibere, nihil vetabit.

Adjectionis plerumque minor eſt gratia. Fit hæc vel

in principio vocis: ut *gnatus*, *tetuli* pro natus & tuli, & dicitur *Proſthesis*: vel fit in medio: ut *Relligio, relliquiæ*, pro religio & reliquiæ. *Induperator* pro Imperator, & dicitur Epenthesis: vel denique in fine adhibetur, & vocatur *Paragoge*. ita *dicier*, *monſtrarier*, pro dici & monſtrari uſurpatur, plerumque ſine gratia.

Mutant præterea vocem *Diæreſis* per diſſolutionem ſyllabæ: ut *ſüaſit*, pro ſuaſit: *ſilüæ*, pro ſilvæ: *diſſolüo, evolüo*, pro diſſolvo, & evolvo: *aheneus*, pro æneus. Deinde *Tmeſis* per vocis diviſionem mutat: ut *ſeptem* ſubjecta *trioni, inque ſalutatus*. Tertiò *Metatheſis*, per transpoſitionem: ut *Evandre* pro Evander. Denique Antithesis per ſuppoſitionem alterius literæ vocabula transmutat: ut *olli* pro illi. *optumus* pro optimus *upilio* pro opilio. Ex quibus ſi loco ac tempore uſurpaveris pleraque, gratiam reperient. quædam ex his etiam communem ſibi uſum vendicant, quæ ſtudioſus lector facilè diſcernet.

Pro concluſione notare hic volui ad prudentem ſummi Poetæ imitationem ſpectare: ut licet is egregiis prorſus virtutibus ſupra omnes emineat, non omnem tamen ipſius, in licentiis præſertim, dictionem cenſeas imitandam. Palam eſt in Æneide quædam ab eo imperfecta relicta eſſe. hiatus quandoque mediorum verſuum ſupplendos prætériiſſe. aſpera quædam & hiulca ad ultimam diſtuliſſe manum, quæ Georgicis majori cura cultuque admota facilè obſervatur. Quædam ex primo libro, exempli cauſſa, proponam, ut paria imitatione prætereas. poſt verſ. 200. ita ſolantem Æneam ſocios inducit.

O ſocii (neque enim ignari ſumus ante malorum)
O paſſi graviora! dabit Deus his quoque finem.

Cauſam hic (quod gravia perpeſſi ſint) ante propoſitionem reddit, & penè eandem claudit languido numero, cum animi jacentium erigendi eſſent.

Pergit Maro, verſu 243. atque ita Iovem Veneri loquentem exhibet, de Iulio Cæſare.

Hunc tu olim cœlo ſpoliis orientis onuſtum
Accipies ſecura: vocabitur hic quoque votis.

In primo verſu otioſum, & propter eliſionem ingratum *tu* expunxiſſet. in altero durum, ſine virtute numerum moderatum eſſet.

De Venere paulò infra ſic inquit.

Dixit, & avertens roſeâ cervice refulſit,
Ambroſiæq; comæ divinum vertice odorem ſpiravêre.

Quomod

Quomodo cervix roſea potius, quàm nivea refulget? alter verſus nonne ingrata eliſione, ſub finem hæret? tertius ſenſum præter exſpectationem figit, quam apta ad veritatem ſententia, non definio. quis enim gratum abeuntis odorem ſolis comis tribuendum cenſeat? Infra quoque Ilioneus ſic Didonem orat.

Troës te miſeri, ventis maria omnia vecti, oramus.

Nonne gravius ſuaviuſque, ob monoſyllabam præmiſſam, cujus vis major in principio tum ob ſyntaxin futurum erat? *Te miſeri Troës, vecti maria omnia circum &c.* Limam quoque, & hic mihi verſus, quo Dido Æneam alloquitur meritus videtur.

Tempore jam ex illo caſus mihi cognitus urbis.

Mallem vel ad ſolius monoſyllaba eliſionem vitandam.

Hinc fuit afflictæ caſus mihi cognitus urbis.

Fateor, non hic idem omnium ſenſus. Plus erunt in eximiis etiam literarum viris, qui Virgiliana quædam laudent potius, quàm imitentur. Quidam tamen adoratores antiquitatis pluſquam ſuperſtitioſi, in omni apice, quamvis à communi uſu & ratione diſtorto myſteria ſuſcipiunt & venerantur, non tam alienam ſubtilitatem, quàm ſuam ſtupiditatem profeſſi; minus admiraturi, niſi ignorarent. Virgilius in poeſi heroica occupavit imperium, ſed limam Æneïdi defuiſſe tanto ipſe dolore teſtatus eſt, ut ſibi illam ſupereſſe nollet. Cum igitur hujus eloquentiæ perfectionem in noſtris præceptionibus ſectaremur, hæc à nobis animadverſio prætereunda non erat; ne perſonas magis, quàm cauſam amplecti videremur.

Certè politioris hac ætate eloquentiæ, nemo hanc Latini apud Virgil. orationem imitabitur.

Sunt aliæ innuptæ Latio & Laurentibus arvis,
Nec genus indecores. ſine me hæc haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: ſimul hæc animo hauri &c.

Nec verò hæc in tanto Poeta culta ſatis videri poterunt, cùm tam perturbatæ res Latini non eſſent, ut velut balbutientem inter tot monoſyllabicas dictiones orationem cogeretur ſuſpendere, & tam aſperis utrumque verſum numeris concludere.

Is mihi ſenſus eorum ſanè poſt Virgilium, Poetarum videtur eſſe, qui cum laude in eodem ſcribendi genere verſati, ejuſdem Maronis propoſitum ſibi exemplum, in aliis omnibus, præterquam hac confragoſa loquendi ratione ſectari maluerunt. quam tamen iis aſſequi, qui ad rara & optima quæque aſpirarunt,

runt, non uſque adeò futurum erat difficile, quìn obviâ pueris facultate, cum Virgilio ad hunc ſeſe neglectum poſſent abjicere. Quâ tamen animadverſione non excludo hiulcam omnem, numeriſque inconcinnam orationem, ubi dos aliqua affectioque rerum ſimilis exprimenda ſcitè fuerit. Nam cultus quidam eſt, ſuo loco dictionem incultam eſſe. verùm hac negligentia nihil eſſe diligentius convenit: ut arte magis, quàm vitio claudicare oratio videatur.

CAPUT XXIII.

De ſtylo, ſeu charactere ſcribendi triplici, tum ratione quemlibet aſſequendi, vitatis contra ſeſe offerentibus vitiis.

DEcorum orationis denique perfectè aſſequeris, ſi argumento rei ſcribendæ ſtylus ita aptetur, ut res graves pari verborum ſententiarumque pondere, mediocres concinnâ magis & ad voluptatem flexâ circumductaque oratione; humiles uſitatiori vulgo ſermone conciſius, eleganter tamen, facetéque jocis, proverbiis, ſententiiſque enuntientur, ea tamen prudentia, ut tempori ſtatui, ætatique hominum accommodata fluat oratio. Nam & res eadem aliter erudito, rudi aliter, neque ita ſeni ut juveni proponenda: cum oratio ad captum æſtimationemque auditorum lectorumve formanda ſit. Perſpicuo ubique ſermone utendum eſt: niſi perſonam opportunè inducas, quæ ex propoſito ænigmata contexat. Procul eſſe debent vetuſtate jam exoleta: niſi forte velut in Comœdia Evandrum aliquem, aut priſcæ ætatis hominem exhibeas. Amoveri ſordida æquum eſt, niſi fortè ſcurrilis aliquis & vilis homo ſua adumbretur oratione, & moribus, ut poteſt in Satyra. Denique audaci translatione innovata, tumidæque & ampullatæ voces cavendæ, niſi cum arrogantis cujuſpiam repræſentatur oratio. Quam rem dum multi Muſis dedicati negligunt, invitâ, quod ajunt, Minervâ poemata concipiunt. Quocirca operæ pretium me facturum judicavi, ſi de hac ſtyli diverſitate quædam paulò diſertius expoſuero. Hanc enim quiſquis Oratorum aut Poetarum ignoraverit, ſutori eſt ſimilis, qui cujuſque ætatis ſtaturæque hominibus unius formæ calceos aptare conatur.

Triplex pro materiæ diverſitate, ſtyli quoque diverſitas in-

ter doctos eſt conſtituta, tanquam forma, ac character rerum triplex. Primus ſublimis dicitur, & potiſſimùm movet. Alter temperatus eſt, & maximè delectat. Tertius humilis eſt, ac ferè docet.

§. 2. Sublimis requiret materiam quoque ſublimem & gravem. qualis eſt quæ res cœleſtes, divinaſque Heroum facta, tumultus, prælia, cædes, ſupplicia, hominum calamitates &c. complectitur. Deinde vehementes affectus doloris, admirationis, indignationis, odii, miſericordiæ &c. poſtulat. Ad quos excitandos. 1. Quandoque faciunt verba grandiora, ut ſunt quæ ſæpius vocales a & o, quàm alias involvunt plures, pluriumque literarum ſyllabas continent, ut lamentabile, formidata de quibus principio lib. 2. egimus: frequenter verò excitant iterata: & modò diſſoluta, ut *circumſtrepunt*, modo juncta, ut *interfuſa*. quæ raritatem hoc pacto habebunt. ſuperlativi crebriores juvant, & frequentata epitheta, ea præſertim, quæ vel à loco celebri, ut *Falerna vina*, *Aſſyrius nardus*, vel antiquitate petuntur, ut *Achilleum robur*: vel denique hyperbole augentur, ut *ferrea vox*. Poſtremò digna eſſe gravi perſonâ verba, ſententiaſque convenit, ita *modulari*, licet quoad ſonum gravius ſit, quam *canere*, illud tamen minùs dignum, quia paſtoritium eſt. Quod etiam in rebus ſeu offciis ſordidis, gravi perſonæ tribuendis obſervandum. uti Virgilius, dum Æneæ ſocios in litore cibos igne excoquentes collocat, ſic habet *Litore ahena locant alii, flammaſque miniſtrant*. Porrò cùm ad indignationem concitamus, volubilia ſerviunt; ut dactyli ſunt, & Pæon primus, ac ultimus; aſperitate interea, per eliſiones & literas m. z. ſ. d. t. ſæpius recurrentes, conciliatâ. cum ad commiſerationem inflectimus, verba ſuavia (ſed quæ gravitatem non amiſerint) ac tardè ſpondeis moloſſiſque incedentia adhibemus. 2. Sententiæ adhibentur ponderoſæ de rebus gravibus, cœlo, fulmine, morte, peſte, flagitiis, virtutibus &c.

Deinde tropis, & figuris vibrantioribus ornatæ: ut inprimis ſunt, repetitio, converſio, complexio, conduplicatio, reticentia, conjunctio, disjunctio, adjunctio: quæque affectus concitant, ut interrogatio, dubitatio, objurgatio, execratio, exclamatio, apoſtrophe, ironia. Quò etiam pleræque amplificationis figuræ conducunt. Id verò diligenter notandum aliter ad indignationem, & gaudium: ad commiſerationem, & dolorem excitandum, aliter conformandas ſententias, iſtic enim cæſim,

membratimque, non incedere leniter; ſed protervè exultare quodammodo debet oratio: hic contra tardis longiſque immorari paſſibus, & ſpiritum dicentis exhaurire ubi rurſum Oratorum, Poetarumque non pauci deficiunt. Sunt enim hæc, quæ docemus, utriſque communia. In hoc genere verſantur ferè ubique libri Æneïdos (lege mortem Didonis) Tragœdiæ, invectivæ, item hiſtoricorum, Ciceronis Orationes in Verrem, in Catilinam 1. & 2. Philippica 2, Agrariæ, pro Cluentio Rabirio &c. Adverſatur huic ſtylo tumidus, & frigidus, in quem nonnulli incidunt, dum humilia declinare, ſectari altiora nituntur, nam primò, ut uſitata devitent, in barbara verba incidunt, nec in Muſarum viridario, ſed ut phraſi ipſorum utar, *verrucoſis* ambulant *campeſtribus*, atque omnes *depudicant Camanas*. aut Græca ineptè venantur, & linguæ Latinæ purpuram, his malè conſarcinatis centonibus, ſuâ venuſtate ſpoliant. utamur iis, quæ olim Græcorum fontibus hauſta Romano ab antiquis foro donata ſunt, ceteris temperemus. Neque minus reprehendendi ſunt. qui metaphoris nimiâ elatione inflatis, dum facem ſolis illuſtriorem radiis, fontem Oceano, collem cœlo ſimilem excitant, atque *inter Charybdes Scyllaſque expaſſa orationis carbaſa follicant atque impragnant*, vel certè nimiâ metaphorarum depreſſione viləſcunt, *Si inter camporum verrucas verticeſque*, tanquam montes ſilvaſque vagentur; vel denique alienarum impariumque rerum uſu in translationibus puerascant: ut *cùm campos pacis, monteſque belli* machinantur, in quo genere licet poetis plura, quàm oratoribus conceſſa ſint; utroſque tamen à vitio abeſſe convenit. 2. Vt orationem epithetis à vulgi uſu elevent, vel crebris nimiùm, frigidiſque interdum atque otioſis ſuperfluè; vel impropriis etiam ſordidè diffluunt, vaſtumque aliquem heroa pro forti extollunt, amplam vocem pro gravi &c.

§. 3. Temperatus ſeu medius dicendi character, rem quoque moderatis affectionibus obnoxiam poſtulat. Eſt enim ad delectationem molleſq; affectus idoneus. Vnde, in quacunq; re non erudire, nec movere auditorem graviùs, ſed rebus propoſitis oblectare potiſſimùm volueris, (ut fit in laudibus, gratulationibus narrationibus etiam ac deſcriptionibus rerum) ad hoc genus revocabis. Huc igitur præter Diras & Epicedia omnia ſuperiùs explicata poematum genera ſpectabunt. Odæ item pleræq; Horatianæ, Georgica, Elegiæ, & faſti. Ovid. Hiſtoricorum ſcript: Orationes pro Quintio, Cæcinna, lege Manilia, Marcello, Ar-

chi.

chia &c Hoc genus dicendi, ut delectet, ſuavitatem & concinnitatem, de quibus infrà, inprimis poſtulat. Deinde verborum ſententiarumque egregia requirit lumina, tum fabulas ingenioſè confictas, ſapienter graviterque dicta; verbo, ea omnia quibus admirationem oblectationemque conciliet. quare & tropos omnes figuraſque, præter obſcuriores, admittit. numero licet in ſententiis ad mores ſpectantibus, conciſiori in decurſu, tamen orationis magis volubili gaudet. Adverſatur huic dicendi generi fluctuans & inconſtans oratio, quæ dum ad ſuavitatem voluptatemque rara atque admiratione digna, cùm in materia, tum in ſtylo ſectatur, multam rem coacervat, nullam ſatis exprimit, verborum etiam ſententiarumque lenocinia quædam ſtudioſè ſectatur; ſed exhauſta brevi penu, aut inopiâ orationis deficit, aut iiſdem identidem floſculis affectatè ſuperbit.

§. 4. Humilis ac tenuis dicendi character concitandis affectibus parum idoneus, ad docendum maximè inſtitutus, rem præceptis, aut narratiunculis, ad ſolam alterius inſtructionem ſuſceptis, contentam poſtulat. quæ in artibus præceptionibuſque morum, tum epiſtolis tradendis ferè occurrunt. Gaudet igitur definitionibus, partitionibus, interpretationibus, ac diſtinctionibus rerum, argumentis etiam ſubtilioribus, uti & ſententiis, quæ plus acuminis, nervique, quàm ponderis habeant. ſermonem ex verbis tenuioribus purum, ac propriis magis, quàm metaphoricis inhærentem deſiderat, qui clarè dilucidéque, argutè tamen cæſimque incedat. urbanitate, facetiis, adagiis, ac ſubtilitate condiatur, iiſque potiùs quàm tropis figuriſque varietur: has enim, niſi modeſtiores ſint, ut diſſimulatio, extenuatio ſui, interrogationes minutæ; plerumque faſtidit. Numerum nec omnem reſpicit, nec ſollicitè quærit. vocalium item leniores e & i frequentiùs exigit. tum illarum, ac diphthongorum aſperum concurſum vitat, ac illo delectatur cultu, qui cum inſigni perſpicuitate conjunctus eſt. In hoc genere Epigrammata Eclogæ, Comœdia & Epiſtolæ pleræque ſive ligatæ ſive ſolutæ, exemplo eſſe poſſunt. Opponitur ſiccum atque aridum genus huic ſcribendi formæ. Dum enim affluere aliqui verbis nolunt, neceſſaria ad rei naturam explicandam prætereunt; aut dum uſitata ambiunt, etiam vulgi ignorantiumque pedibus trita admiſcent. In omni igitur charactere ſex præſertim examinanda occurrunt. rei methodus, dictio, figura, mem-

ra, compoſitio, circumductio, ſeu amplitudo ſententiarum, & numerus. Ex his variæ ſingulorum generum affectiones haud difficulter colligentur. In ſublimi enim genere perpetuò dignitas, & ſonus: per vices, gravitas, & vehementia reperitur. Dignitas ex ſplendidis, grandibuſque cùm verbis, tum ſententiis, ſonus ex numeris idoneis conſurgit. Gravitas verba modumq; loquendi magnæ rei, ſeu perſonæ accommodatum poſtulat. vehementia ex conciſis membris figuriſq;, ac numeris vibrantibus (ut ſunt dactyli poſt ſpondeum, veluti erumpentes) naſcitur. In infimo genere perpetuò tenuitas: per vices etiam ſimplicitas exigitur. Tenuitas eſt puritas Latini ſermonis ex communi uſu deducta. ſimplicitas eſt puritas ſine admixtione figurarum. In medio genere illa omnia moderatiùs reperiuntur, quæ in ſummo, & ornatiùs, quæ in infimo. amat in ſermone rotunditatem, quæ duram in verbis, ſententiis, numeriſque pronuntiationem fugiat: & volubilitatem, quæ neque exiliter effluat, neque arduè nimiùm cunctetur.

Ceterùm hæc doctrina univerſim illo principio nititur, quòd omnis oratio aut moveat, aut delectet, aut doceat; ideóque congruenter ad illum finem, & naturam ejus, quæ tractatur, rei ſit exponenda. Quare cum in eadem oratione ſoluta ligatave, hi ſæpe fines permiſceantur, & qui modò docuit, mox etiam delectare, denique & movere cupiat; quis non intelligat characteres eadem de cauſa variandos permiſcendoſque? Hæc exemplis Poetarum hoc loco declarare longum ſit. Nos in heroica poeſi in Sarcotide omnes characteres adhibemus. In medio opere de Avaritia ac Voluptate lociſque aliis moralibus, quæ frequentibus gnomis exornantur humiliter; de Antitheo verò in Paradiſum irruente, de Superbia & Ira ſublimiter; de ceteris pleriſque temperato ſtylo diſſerimus. Virgilius etiam uno libro quarto omnia ſcribendi miſcet genera, atque in fine potiſſimum dominatur in exprimendis Didonis affectibus, quos figuris potius, quam verbis ſententiiſque grandioribus (quæ feminam minus decebant) extollit. Ad hæc igitur ſtudioſum lectorem remitto.

CAPUT

CAPUT XXIV.

Exemplis diſtinctio characteris triplicis magis illuſtratur.

ÆNeæ & Didonis à ſe mutuò diſcedentium, pro ſtylo primùm ſublimi ſerviet. Ex paſſim obviis pauca tantùm petam exempla affectuum ſtyli cujuſque. In quibus deſcriptio.

Tum verò Æneas ſubitis exterritus umbris
Corripit è ſomno corpus, ſocioſque fatigat.
Præcipites vigilate viri, & conſidite tranſtris,
Solvite vela citi. Deus æthere miſſus ab alto
Feſtinare fugam, tortoſque incidere funes
Ecce iterum ſtimulat &c.

An non ipſa per dactylos tibi volui ac properare videtur oratio? Pergit eodem feſtinantis impetu.

—Vaginaque eripit enſem
Fulmineum, ſtrictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes ſimul ardor habet, rapiuntque ruuntque &c.

Mox ſubjungit majorem etiam furentis Didonis impetum per dactylos præcipitem ſimul & interrogationibus ardentem.

Terque quaterque manu pectus percuſſa decorum
Flaventeſque abſciſſa comas Prô, Iupiter, ibit
Hic, ait, & noſtris illuſerit advena regnis!
Non arma expedient, totaque ex urbe ſequentur?
Diripientque rates alii navalibus? ite,
Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.
Quid loquor aut ubi ſum? quæ mẽtem inſania mutat? &c.
Non potui abreptum divellere corpus? & undis
Spargere? non ſocios non ipſum abſumere ferro
Aſcanium, patriiſque epulandum apponere menſis? &c.
Sol qui terrarum flammis opera omnia luſtras,
Tuque harum interpres curarum, & conſcia Iuno,
Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbem,
Et Diræ ultrices, & Dii morientis Eliſæ,
Accipite hæc, meritumque malis advertite numen.

Attende, quemadmodum per apoſtrophen ad omnia penè creata verſam, per interrogationes, exclamationes, tum veloces numeros ira, dolor, & amor, modò erumpat, modò iterum hæ-

reat graviori denique & numero & ſententia Divos compellet, ut ad commiſerationem inflectat. Quem affectum dolore mixtum magis deniq; rogo incumbens urget, ſpondeis ſuſpenſum.

Vixi,& quem dederat curſum fortuna peregi.
Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.
Felix, heu nimium felix, ſi litora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ!

Mox dolor in iram rurſum verſus eſt. Ita enim in re gravi affectus miſcendi ſunt.

Dixit,& os impreſſa toro. Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait, ſic ſic juvat ire ſub umbras.

Modò iterum triſtis ipſius caſus gravi verſu deſcribitur.

Collapſam aſpiciunt comites, enſemque cruore
Spumantem, ſparſaſque manus. It clamor ad alta
Atria, concuſſam bacchatur fama per urbem;
Lamentis, gemituque,& femineo ululatu
Tecta fremunt: reſonat magnis plangoribus æther.
Non aliter, quàm ſi immiſtis ruat hoſtibus omnis
Carthago: aut antiqua Tyros, flammæque furentes
Culmina perque hominum volvantur, perque Deorum.

Hic literas ſonantes ſyllabas plenas, epitheta crebra, cumulata in 4 verſu etiam ſubſtantiva, phraſes grandiores, eliſiones tardoſque numeros omnia ad rei gravitatem exprimendam in ſtylo ſublimi expende. Vnde duplicem hujus formam, alteram concitatis, alteram tardis affectibus aptam facilè obſervabis: quarum prior potiſſimum figuris, poſterior quadam orationis majeſtate elevetur.

Vis igitur characterem in primo mutem ſublimis ſtyli genere? ſatis erit ſuis illam figuris exuere. &, modò orationem in humili, modò in temperato dicendi genere conſtitues. e. g. pro ſuperioribus Virgilianis dicamus.

Mox arma expediunt, totaque ex urbe ſequuntur,
Diripiuntque rates illi navalibus; iſti,
Accendunt flammas, teliſque hoſtilibus inſtant,&c.

En ut levi inflexione ſublimis oratio ad humilitatem abjicitur. Solam interrogationem ex ſequentibus *Non potui abreptum* &c. tolle: & character dicendi mutatus cum affectu erit.

Ad mutandam alteram ſublimis ſtyli formam, quæ doloris potiſſimum affectibus ſervit, plus omnino requiritur. e.g. Dicamus:

Labentem aſpiciunt, gladiumque cruore madentem,

Aſper-

Aſperſaſque manus. ſublatus in æthera clamor
Tollitur, ac totam fama it diffuſa per urbem.
Tecta fremunt gemitu, mœſtiſque impulſa querelis.

Vides ad mediocritatem quandam orationem recidere; eliminatis grandioribus ſono epithetis; ut eſt *collapſam, ſparſas, concuſſam*: tum translationibus; ut *ſpumantem enſem, bacchatur fama*: tum denique exaggerationibus vocum; ut *gemitu, lamentis, ululatu* &c. Par ratio de aliis cujuſque ſtyli affectionibus, quas facilè ſimili imitatione transferes. quanquam vitioſum hoc futurum ſit, ſi materiam ſpectemus, cùm hæc unam tantùm ſcribendi formam ſibi propriam vendicet.

Mediocris ſtylus in deſcriptionibus rerum præcipuè locum occupat. ſi tamen res graves triſteſque ſint, ut ille Didonis caſus, aſſurgendum erit. Hinc minus placet illa Ovidii 4 Metam. inferni deſcriptio.

Styx nebulas exhalat iners, umbræque recentes
Deſcendunt illac, ſimulacraque functa ſepulcris
Pallor, hiemſque tenent latè loca ſæva, novique
Qua ſit iter manes, ſtygiam quod ducit ad orbem
Ignorant.

Neque ſatisfacit in eadem deſcriptione Statius ſtyli mediocritate 4 Theb.

Panditur Elyſium Chaos, & Telluris opertæ
Diſſilit umbra capax, ſilvæque & nigra pateſcunt
Tartara, liventes Acheron ejectat arenas
Fumidus, atra vadis Phlegethon incendia volvit.
Et ſtyx diſcretis interflua manibus obſtat.

Grandius ad tanta rei horrorem, rectiuſque depingit Virg. lib. 7.

Hic ſpecus horrendum, & ſævi ſpiracula ditis
Monſtrantur, ruptoque ingens acheronte vorago
Peſtiferas aperit fauces &c.

In quo, tanquam tenuius re & voce, etiam illud *ſpiracula ditis* non probo: malim *Plutonis hiatus*, vel *ditiſque immanis hiatus*. Magis graphicè libro 8. idem

—-Vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
Pallida, Diîs inviſa, ſuperque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immiſſo lumine Manes.

Et Silius lib. 12. --Cæcas ſtagnante voragine fauces
Laxat, & horrendos aperit telluris hiatus &c.

— tellus atro exundante vapore
Suſpirans, vaſtiſque diu calefacta medullis
Æſtuat, & ſtygios exhalat in aëra flatus.

Malim. *Vaſtaſque diu calefacta medullas* lib. 13. ſic habet.

—Latè exundantibus urit
Ripas ſævus aquis Phlegethon, & turbine anhelo
Flammarum reſonans ſaxoſa incendia torquet.

Rectius dixeris: ſaxorum incendia volvit; quia epithetum diſplicet.

Parte alia torrens cocytus ſanguinis atri
Vorticibus furit, & ſpumanti gurgite fertur.

Quod ſi dixiſſet ſpumantia flumina torquet, aut *ſpumantes evomit unda*. magis etiam placuiſſet: utpote in re gravi, ſtylo graviori. Pergit

At magnis ſemper Divis Regique Deorum
Iurari dignata palus, picis horrida rivo
Funiferum volvit ſtyx inter ſulphura limum.
Triſtior his Acheron ſanie, craſſoque veneno
Æſtuat, & gelidam eructans cum murmure arenam,
Deſcendit nigrâ lentus per ſtagna palude.

Apta ſanè, ſtyloq; ad rem appoſito, inferni deſcriptio: quanquam *Iurari dignata palus* veniam magis, quàm laudem mereatur.

Animadvertis opinor quibus optimi Poetæ ad ſtylum extollendum utantur præſidiis: Quia verò pronum eſt ſublimia ſectanti tumore aliquo, aut inepto inflatoque ſermonis genere offendere, nolo tibi Sidonium Apollinarem hoc inprimis notatum vitio exhibere; ſed majoris nominis Poetam Statium ubique penè, ſine diſcrimine grandem, nec raro cùm verbis, tum phraſibus parum aptis exundantem. Sic Achilleidem orditur.

Magnanimum Æaciden formidatamque Tonanti
Progeniem, patrio vetitam ſuccedere cœlo
Diva refer. Quanquam acta viri multùm inclyta cantu
Mœonio; ſed plura vacant. Nos ire per omnem
(Sic amor eſt) Heroa velis, Scyroque latentem
Dulichiâ proferre tuba. &c.

Senſus hic eſt. Achillem quem Iupiter ipſe timuit, (*quam hoc abſurdum hoc ſtatim principio orationis laudandum hominem extollere: licet fabulis patrocinantibus!*) & qui patrio cœlo excluſus eſt, (*ubi hac de re actum in tanta rerum geſtarum ſerie?*) Diva refer.

(*cur*

(*cui non Muſa potius? cum multæ ſint Divæ.*) Quanquam verò acta viri cecinerit Homerus, multa tamen omiſit, nos omnia Herois acta canemus, & per Ulyſſis tubam, illum è Scyro ad bellum educentem, rurſum producemus, commemoratione factorum. (*quam hæc obſcurè & improprii locutionibus tument, frigentque.*) Subjungit

— Si veteres digno deplevimus hauſtu
Da fontes mihi Phœbe novos.

Quid hoc? *digno hauſtu deplere fontes.* ſive, *digna canere.* Plura ſunt paſſim obvia.

De mediocri ſtylo facilior inſtructio. floridus ille paſſim in deſcriptionibus rerum luxuriatur quale ſupra exemplum in contagione ex Virgilio Ovidioque deſcriptâ dedimus grandiora hic verba figuraſque acriores reſpuit. cetera ſublimi haud diſſimilis.

Infimi elegantia exempla ſuppeditat paſſim Ovidius in Metam. ut in Narciſſo Arachne &c. Tale & illud 1. met.

Multi illam petiere, illa averſata petentes,
Impatiens experſque viri nemora avia luſtrat,
Nec quid hymen, quid amor, quid ſint connubia curat.
Sæpe pater dixit: generum mihi filia debes,
Sæpe pater dixit: debes mihi nata nepotes
Illa velut crimen tædas exoſa jugales &c.

Et Virgilius in Georgicis haud pauca ſuppeditat, uti in Bucolicis etiam; quanquam in his aquè grandior.

Unum de prognoſticis Lunæ, ad pluviam vel ſerenitatem, ſignis ex 1. Georg. ſubjicio.

Luna revertentes cùm primùm colligit ignes,
Si nigrum obſcuro comprenderit aëra cornu,
Maximus agricolis pelagoque parabitur imber.
At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento ſemper rubet aurea Phœbe.
Sin ortu in quarto (namque is certiſſimus autor)
Pura, nec obtuſis per cœlum cornibus ibit,
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo,
Exactum ad menſem, pluviâ ventiſque carebunt.

Magis humile Ovidianum eſt, quod ſi à numeris reſolveris, otum in oratione ſolutæ deſerviet expoſitioni hiſtoricæ: nam, ut in Marone poſteriores quinque verſus idem præſtent, certè riores humilitatem ſolutæ orationis ſuperant, præſertim

 ſecun-

ſecundum & quartum carmen. His igitur mediocri ſtylo eſt propior. Suo tamen hic ſtylus diſcrimine etiam inſignis eſt: nam in bucolicis meritò, cum ruſtica Muſa, abjicitur; in Satyris mordaci quadam dicacitate abundat, ac nonnunquam obſcuritatem ænigmaticam ſectatur. ut ſuo loco videbitur.

Hæc ſatis ad præcipuas diverſi characteris dotes explicandas. Fuſius de his ex allegatis Sarcotidis noſtræ exemplis conſtare poterit.

Vitioſi ſtyli, quamvis, ut ſupra liquet, plura ſint genera: tamen inprimis pronum eſt impingere in frigidum: ut dum rara ſectamur peregrinis, inveteratis, aut novis putidè adhæreſcamus: & in tumidum dum grandia nimium, vel affectatis verbis cum Statio vel rebus ſupra fidem elatis cum Lucano & Seneca in Hercule Oeteo ſectamur. Talis illa deſcriptio tempeſtatis apud Lucanum lib. 5.

Nubila tanguntur velis, & terra carina &c.

Audi Senecæ: Herculem, qui moriturus aſtra poſcit, & ſtolidâ tumiditate, inquit.

Da da tuendos Iupiter ſaltem deos.

Hic tumor rerum; ille verborum ſententiarumque eſt, quem paulò ante ex Statio produximus. Vide quæ alibi de metaphora tradidimus.

Alterum pronum eſt vitium, in quod impingunt qui ſtyli mediocris *floſculos atque ornamenta ſectantur. Idque vel pueriliter novata oratione, ut*

Pallidulas genulas æquabat blandula buxo,

Vel translata, Ore roſas mentita novas, ſilvaſque comantes
Crinibus.

His exundat Cornelius Nepos, de quo ſupra, cum de Metaphora.

Tertium vitiorum genus eſt, quod incidunt, qui priores exceſſus vitare conantur, eſtque tritus nimium & aridus ſtylus. Talis non rarò Lucretius *dum humili nimis pedeſtrique oratione incedit. ut lib. 2.*

Quam ſubitò ſoleat ſol ortus tempore tali
Conveſtire ſua, perfundens omnia, luce.

Ubi & conveſtire ſatis ineptè compoſitum eſt. Tale & illud lib. 5.

Aut quia ſol idem ſub terras ille revertens
Anticipat, cœlum radiis accendere tentans.
Aut quia conveniunt ignes, & ſemina multa

Con-

Confluere ardoris conſuerunt tempore certo,
Quæ faciunt ſolis nova ſemper lumina gigni.

Diſſolve, & planè humilem, ſcholaſticoque vix puero dignam, orationem comperies. Hac quandoque humilitate vileſcit etiam Ovidius.

Siccus tamen inprimis exanguiſque ille eſt ſtylus, qui brevitatem illam Atticam ſine nervo ſententiarum ornatuque verborum ſectatur. In quem nonnunquam Lucanus, cum Ovidio, impingit, quin & Claudianus, cetera grandis. Qualis enim illa Honorii ad nuptias Mariæ aſpirantis oratio, an Auguſto digna juuene, ac tam elato etiam vate?

Hæc igitur queritur ſecum. Quonam uſque verendus
Cunctatur mea vota ſocer? quid jungere differt
Quam pepigit, caſtaſque preces implere recuſat? &c.
Oratum miſi proceres, qui proxima nobis
Iura tenent. Stilico, fateor, non parva popoſci,
Sed certè mereor. fœdus mihi ſolve paternum.
Redde ſuos aulæ. Mater fortaſſe rogari
Mollior. ô patrui germen, cui nominis heres
Succeſſi. &c.

Neque igitur nimium protritis utendum in carmine, neque breviculis ſententiis ſtringenda oratio, cum aliquam majeſtatem requirit. Addo nec numeros leviter proſilientes gravem perſonam in re præſertim cunctationi obnoxia decere. ut eſt. *Cunctatur mea vota ſocer.*

His igitur qui ſe in ſcribendo obnoxium deprehenderit, ad oppoſitum ita nitetur, ut nonnunquam etiam ab inflati ſtyli vitio abeſſe vix putetur. e. g. ſi cum Lucretio repat, Statii aſſequi majeſtatem conetur. Ita hic ortum ſolis depingit. lib. 7. Theb.

Iam gelidam Phœben, & caligantia primus
Hauferat aſtra dies, & jam tumet igne futuro
Oceanus, latéque novo Titane recluſum
Æquor, anhelantum radiis ſubſedit equorum.

Vbi licet in illo, quod, *æquor radiis ſubſedit, & igne tumet*, parum aptis metaphoris Poeta ludat: tamen quod *dies* aſtra *hauſerit*, rarum eſt, nec inelegans. gravitas item epithetorum, (quanquam *futuro* & *recluſum* minus probem) tum ſubſtantivorum uſus rarior; ut quod *Phœbe*, pro luna, *Titan* pro ſole adhibeatur, orationem Poetâ dignam facit.

Ita quoque conciſa dictio, per rotunditatem profuſionem-

que v.g Silii, aut potius Virgilii corrigenda erit: ille penè invitium abripit, hic in aurea mediocritate ſubſiſtit. Exemplis paſſim obviis non immoror. Sed facilem nunc aperio viam, quâ ad elevandam dictionem poeticam quiſque poſſit incedere, etiam ceterarum rerum plerarumque rudis.

CAPUT XXV.

Practica amplificandæ elevandæque phraſis poeticæ demonſtratio.

VT practica facilitate ad rem in eloquentia tam ſoluta quam ligata maxime arduam, ducaris, lubet obviâ te phraſi, per exempla, ad copiam ſimul atque ornatum inflexâ, præire. Sit hæc de trivio. *Eſt homo doctus.*

In hac neque verbum, neque ſubſtantivum (ut quæ non admodum multas hoc loco, ſæpe & alibi variationes admittant) expendemus. cum præcipua varietas & copia ab adiuncto *doctus* petenda ſit. quod à Philoſophis prædicatum dicitur, eſtque tanquam veſtis quædam perſonæ ornandæ excolendæque attributa.

Vt igitur hoc adjunctum *doctus* extollas variando, & amplifices:

1. Reſolve illud in aliud ipſi cognatum ſubſtantivum, novoque hoc epitheto orna. ut *Doctrinaq; potens.* Ex quibus utrumque deinde ſæpius variare poteris, ut pro *doctrina* pone, arte, muſis, ingenio, eruditione, eloquio, facundia, &c. ſic & *potens* mutabitur, ſi dicas illuſtris, nobilis, excultus, promptus, excellens, eximius, &c. unde exſurget. *Nobilis eloquio, vel illuſtris ab arte, vel Muſarum excellens &c.*

2. Adjunge alterum in genitivo ſubſtantivum. ut *Doctrina ſtudiis. Facundia linguæ. Ingenii cultura, literarum palæſtra,* vel *apex*, vel *Meſſis eruditionis, ſementis Phœbi, Camœnarum delicium &c.*

3. Hæc deinde ſuis iterum illuſtres epithetis, & mirificè creſcet orationis dignitas. ut doctrina, *admiranda, divina.* In quibus illa excellere ſupra docui, quæ vel à locis ſumuntur, ut *Attica Romana, Latia, Laconica,* vel à perſonis, ut

Maro-

Maroniana, *Tulliana &c.* quorum varietatem & copiam, cum phraſiologia ex iiſdem nata, alibi ſuppeditavi. His expenſis ad plenum etiam in Heroicis verſum, tenuiſſima phraſis extolli poterit. ut

Hunc divina rapit Latia facundia lingua.

4. Hæc univerſa per oppoſita tam ſubſtantivorum, quàm adjectivorum exponi poterunt. cum videlicet illa de ſubjecto negaveris: ita, cum docto opponatur indoctus, vel rudis, ignarus, inſcius; adeóque & ignorantia, ruditas, inſcitia &c eâdem, quâ ante, variandi ratione, per oppoſita, licebit progredi. ut *Nequaquam rudis eſt. Procul ignorantia turpis. Non hunc infantia linguæ præpedit.*

5. Per tropos illuſtratur, extolliturque magnopere oratio. Apud Poetas præcipuè id præſtat Synecdoche. ut *doctum caput. carum Muſis caput. Muſarum ſtudiis excultum pectus. Vox avì divina ſui.* Magis verò etiam metaphora hoc poteſt. quæ modò ſola adjectiva ornat: ut, cui *lactea* fandi copia, *Ambroſiaque* ſonant ex ore loquelæ: modò ſola excolit ſubſtantiva, ut eruditionis *lepos*, Eruditorum *alpha*, *princeps primipilaris*, Suadæ *delicium*, *Muſarum*, *corculum*, *nutritius*, *alumnus*: modò (quod frequentius eſt) utrumque ornat, ſimul cum ipſo verbo, altero tamen ſubſtantivorum in propria ſignificatione relicto. ut, *divite largus ab ore Eloquii profundit opes.*

6. Per fictas rerum, de quibus agimus, & præcipuè virtutum ac vitiorum perſonas, quibus actionem aliquam tribuimus, aut certè circa illas inſtituimus. quod rarum plerumque atque ingenioſum eſt. ſic Bacchus pro vino, pro ſole Phœbus, pro literis Muſæ, Pallas, Sapientia, Suada, aut Pytho, Phœbus item ac Mercurius &c. Hinc, *plenum Pallade pectus.*

Illum caſtalia reſpexit ab arbore Phœbus.

vel *Hunc aluit tenero nutrix ſapientia lacte.*

vel *Inſidet labris Pytho, & Romanum liquat, Atticumq; rorem.*

Affundit Apollo liquorem Pincerna nectaris meri.

In his, ut apparet, perſonæ fictæ actio tribuitur. Poteſt & circa illam actio perſonæ veræ affingi: ut, *tenero qui miles in avo, Muſarum ſequitur vexilla aut caſtra.* vel *Phœbeis miles in armis, laurea ſerta gerit.* Palam eſt, quantum hæc faciant ad phraſin poeticè exornandam.

7. Ad poeticæ locutionis varietatem, raritatemque ac dignitatem

tatem facit, Fabulas ad rem, de qua agis, exploratas habere: ut ſunt in præſenti materia inprimis, quæ de Phœbo, Pallade, Muſis, quæque de locis his conſecratis feruntur: ut de monte Parnaſſo, & Helicone in Phocide regione, de Pimpla & Libethra in Thracia, Pierio & Pindo in Theſſalia. tota denique regione Aonia: tum de fontibus Caſtalia, & Aganippe, quorum hic in Parnaſſo, à Bellerophontis equi ungula ſit excitatus: unde Meduſæus, Caballinus, Pegaſeus dictus eſt. quæ cuncta vatibus variandæ extollendæque phraſis ſunt argumentum. unde Poeta doctus appellatur: *Biverticis incola montis. Qui toto Phocidos æſtuat furore, Bellerophontæis ora rigavit aquis. Palatia Phœbi, Muſarumque domus docto potuere Maroni. Caſtalidum conviva frequens, cultorque Minervæ.*

8. Rarior quoque ſyntaxis à Græcis quandoque, præſertim in lyricis & heroicis, ad Latinorum uſum traducta gratiam cum varietate conciliat. ut *cupidus tractare Maronem. Diſerta fari promptus. Tua ſcripta legunt Muſæ tractare potentis. Sectatur amœna Muſarum. In quo facundia magnum eſt. Non hic Muſarum pugnat amori. Eloquii laudem potitur. Fungitur officium diſerti. Turpis inſcitia deſinit, acceptus Muſis.* Hæc tamen ejuſmodi ſunt, quæ parcè, & ſalis inſtar ceteris condiendis admiſcenda erunt. cùm crebra apud Statium inſipidam nonnunquam orationem reddant, ut ſupra viſum eſt.

9. *Oratio per comparationes diducitur ſimul atque illuſtri eloquentia aſſurgit. idque modò ſtrictim.* ut *Carmina ſcribis*

Qualia Cecropiæ non dedignentur Athenæ.

vel *Poſſidet hic Ciceronis opes, doctique Maronis*
Profluit eloquio.

Modò etiam fuſius tam in ſimili, quàm exemplo: ut

Qualis inexhauſtâ fratris dum luce coruſcat
Noctivagâ aſtrorum princeps; ſtellaſque minores
Deſpicit ætherio Phœbe radiantior igne.
Talis erat, docto reliquis facundior ore.

vel *Olim divinum Roma Maronem*
Obſtupuit, tenui dum carmen arundine pangit,
Heroumque tubâ laudes ſonat. æmula tandem
Plectra rapis vates, gaudetque Marone ſecundo
Poſteritas, tantoque viri dependet ab ore
Roma ſtupens &c.

10. Illæ orationis figuræ, quæ ad ornatum potius, quàm affe-

ctum

tum comparatæ ſunt, mirificè ſermonem amplificant, ſimul & xtollunt. In quibus prima & maximè obvia Hyperbole.

Hic novus Amphion, facundi viribus oris,
Attonitum rapuit per denſa pericula vulgus,
Oblitum necis ac vitæ. Mars fulmina jactet,
Telorumque globos, flammiſque minacibus obſtet,
Eloquii vis major erit: perrumpet inermis
Armatorum aciem; ſuperabunt fulmina linguæ.

Opportunis etiam fictionibus eadem hyperbole ornari, extollique poterit.

—— Citharam tibi victus Apollo.
Obtulit, indulſitque ſuas Cillenius alas,
Et virgam, quam dextra gerit tibi Pallas olivam,
Ægidaque, ac galeam ceſſit, jam numine plenus,
Cum primâ teneræ vernant lanugine malæ,
Multorumque inſtar. meruit facundia victrix.
Roſtra triumphali Romana tenere quadrigâ.

Ceterum ornant imprimis, diducuntque orationem figuræ, quæ circa deſcriptionem rei per ſuas partes explicatæ verſantur. in quibus eminent Hypotypoſis, quâ, rerum forma ita oculis ſubjicitur, ut ſpectari potius, quàm audiri videatur; & Proſopopœja, qua vel rebus mutis & ſenſu carentibus vitam actionemque tribuimus, vel mortuos etiam ad vitam ſermonemque revocamus. His Apoſtrophen adde, per quam ſermo oratoris, ad aliam rem quampiam etiam inanimam convertitur. eſtque figura gravis, etiam ad affectus accommoda. Talis Apoſtrophe eſt in præſenti materia.

Vos teſtes appello lares penitoſque receſſus
Muſarum, & facili devota ſacraria Phœbo,
Dicite (namque eſt veſter honos) quæ tanta Poetam
Otia ſolicitent, quæ vis compellat amantem
Palladias Latiis curas impendere chartis?
Vos nocti ereptas tenebras, longiſque ſoporem
Proſcriptum excubiis, latebraſque evolvite vatis
Inter Apollineas lauros & Phocidis umbras.

Sequitur in eadem deſcriptione hypotypoſis.

Scilicet impenſi veſtigia rara laboris
Servaſtis memores. placidâ nunc ſede receptum,
Nunc ſtantem tenuêre libri. profuſus in unum
Omnis ſenſus opus, ſolers induſtria frontem

Contrahit,

Contrahit, intentoque ſedens vigilantia vultu,
Et t citis, nunquam violata ſil ntia, curis
Compoſuère virum. Sic toto pectore Phœbum
Accipit, & blandis ſua dividit otia Muſis.

Adde nunc etiam Proſopopæjam.

His olim puerum nutrix facundia verbis
Alloquitur. noſtris quondam celebrabere caſtris
Eloquio felix, multaſque exculte per artes
Muſarum dilecte cliens. Tu viribus oris
Auſonidum franges populos multâque ſolutos
Libertate animos verborum pondere flectes, &c.

Stylo grandiori, per figuras verborum potiſſimum elevato, in hac materia locus non eſt. cùm hic in rebus affectui graviori obnoxiis tantùm ſit adhibendus. quod ſi igitur Docti viri, ut Ciceronis mortem luxeris, ſupra dictas phraſes figuris de quibus l.3.c.2.egi, incitabis, & propoſitum aſſequeris. ut

Ergone Romana tacuis facundia lingua?
Heu, crudele nimis fatum! ſceleratalibido
Vindicta! pudet infandi meminiſſe latronis,
Vah pudet Antonî. &c.

Verum de his abundè tum loc cit. tum cap proximo, quo ſtudioſum lectorem remitto. Quod ſiquis plura de affectuum movendorum ratione deſideret. Is ſciat vix præterea ſupereſſe hac in re obſervatione digna. Id inprimus agendum, ut repertis argumentis ad affectum motumque concitandum idoneis orator impellat, quæ maximè à perſona, ejuſque, ſeu malè, ſeu bene geſtis petuntur tum deinde non eidem conſtanter inhærendum affectui; ſed modò remittendum nonnihil, ut rurſum vehementius inſurgatur: modò etiam oppoſitæ affectiones, ut miſerationis cum indignatione, deſperationis cum ſpe, invidiæ cum amore permiſcendæ; quòd in his diverſis motibus gravior animorumque æſtus, velut inter contrarios fluctus, exſurgat. In quo genere admiranda Didonis apud Virgilium, & Medeę apud Senecam vis eſt, quâ per diverſos affectus ad tragicum exitum devolvuntur. quæ ſola exempla Poetæ in affectuum regno ſufficere ad perfectam hujus doctrinæ imaginem poterunt. Leniores dolore amoreque confuſos animorum impetus Ovidius in Epiſtolis Heroidum egregiè ſufficit: quanquam eidem in ſua metamorphoſi non deſint. Hos, ſi lubet, conſule.

Caput XXVI.

De varia & optima bonos autores imitandi ratione.

Imitatio omnibus, ad hujus eloquentiæ perfectionem aſpirantibus, non minus neceſſaria eſt, quàm pictoria in arte tironi imagines ſcito penicillo efformatæ. Nunc ille fingendis ad propoſitam ideam pedibus, nunc capiti, nunc cetero intentus corpori curioſè inhæret: modò lucem, nunc umbras prototypi imitator inducit; atque ita cum in partibus ſudavit ſingulis, ad totum denique hominem ſuo in ſitu affectionibuſque illi propriis delineandum vertitur. Rudis perinde vates non ad ſolidum ſtatim poema fundendum animum adjicit. Primus labor verſatur in partibus, iiſque imitatu minus arduis. Deſcriptiunculam prati, aut fontis quampiam aggreditur: ver alicubi floridum in poeta depictum admiratur, ſuoſque hinc flores imitator decerpit. Ira æſtuantem hoſtilique madidum ſanguine, aut ſuæ incubantem Euclionem ollæ reperit, atque æmulo conatu, quantum licet, exprimit. quod ſi factum Heroico verſu, ipſe in Elegiacum carmen paucis mutatis transfert: aut ſi robuſtior ſit, ex Lyrico traducit in Heroicum: niſi verſâ vice ex Elegis Heroica, ex his malit Lyrica condere. Ita in his aliiſve verſatus aliquamdiu partibus, ad integrum unius denique orationis formandum corpus accedat habilior. Porrò cum eximium Poetam in omni, tum naturalium, tum moralium deſcriptionum genere minimè rudem eſſe conveniat; illud egi, ut in parte ſecunda ſcholæ hujus practicæ Annum verſibus Elegiacis, ſuis partibus ac mutationibus adumbratum, complecterer; tum deinde & verſu Heroico in Sarcotide hominem, tanquam microcoſmum ſuis affectionibus obnoxium proponerem, ut præcipuarum quandam rerum ſtichographiam junctim, meo labore atque imitatione ductam, exhiberem.

Imitatio univerſim eſt omnium, quæ rectè, aut conceptorum, aut enunciatorum laudem, apud Poetam merentur. Vti igitur hoc primum opus in duas claſſes diſtinximus, quarum illa bene concipiendi, hæc eloquendi leges complecteretur: ita per hæc univerſa, quæ ex veterum diſciplina duximus præcepta ſedulo imitatori, velut per

ſignata

ſignata ante oculos regii itineris veſtigia, erit incedendum. Nec importuna verecundia ab ingenuo hoc, in Apollinis palæſtra, furto quiſquam retardari debet;cùm ipſe Romanæ, in poeſi facundiæ princeps Virgilius Homeri nequaquam inventa erubuerit: eiſdemque non rarò fictionum argumentis aliam tantùm loquendi formam, tanquam aliam eidem ligno ſculptor imaginem induxerit. ut ex libro primo facilè intelliges.

Hæc igitur prima imitandi ratio multorum ingeniis uſuque doctiſſimorum eſt frequentata;ut in affini materia, hoc eſt, nec omnino ſimili, nec prorſus diſſimili, parem concipiendi rationem ſequamur: ornamenta nonnulla etiam, velut alterius corporis futura membra,in noſtrum poema traducamus, ubi paria ejuſdem dignitatis non ſuppetunt. Quanquam, ut hoc parcè & aptè fiat,neceſſe eſt: neque enim Virgilio tam fuiſſe in Homericis fictionibus uſurpandis profuſum,magnæ apud Criticos laudi ducitur. Hæc verò imitationis ratio quemadmodum inſtituenda ſit, ſatis à me prolixè libro primò demonſtratum reperies.

Altera, ornamentorum eſſe poteſt eorum,quæ ad poeticum conceptum illuſtrandum faciunt. ut ſunt objectæ per ſomnum imagines,ficta rerum prodigia, & artefactorum machinæ, permutatio rerum affectuumq; improviſa, naturalium, factorum, eventuumque oppoſitio, Epiſodia & digreſſiones opportunæ,ſimilitudines deniq; & exempla propoſitam rationem illuſtrãtia. Has ergo qui imitari ſcitè voluerit, non in iiſdem, ſed paribus eodem ludet ſcribendi artificio. atq; hæc imitatio ſervanda videtur, cum eandem materiam poematis nactus,idem quoq; argumentorum genus cogeris pertractare. Opponitur itaq; primo imitationis generi; quòd in iſto diverſa à conceptu univerſo materia;ſed ornamenta conceptus,cum illo quem ſequeris Poeta,adhiberi eadem poſſint;in hoc materia univerſi poematis eadem, ornamenta conceptus debeant eſſe diverſa. Ita eundem Proſerpinæ raptum aliter à Claudiano, quam in Naſonis fabula, illi ad imitationem propoſita, deſcriptam leges. ſuum hic imitator, in ornamentis conceptus, vicit prototypon. Et hæc imitatio, ut priori difficilior; ita & nobilior exiſtimanda. Plus illa quidem judicii à natura, ſed plus hæc artis ab ingenio requirit: illa ſæpe prudentum aut felicium eſt; hæc non niſi elaborato ſtudio excultorum.

Tertia imitandi ratio eſt, quando & materia & modus tractandi

ctandi idem eſt,ſed elocutio diverſa. quod vix aptè fieri, niſi tantùm in partibus poematum ſolet: turpe enim ſit (niſi forte exiguum poema, uti ode aut elegia fuerit) in tota concipiendi ornandique rem conceptam ratione cum ſuo imitatorem exemplari convenire; ſolum ſcribendi colorem variaſſe, vendicaſſe ſibi cetera. Hæc itaq; imitandi ratio in hoc conſiſtit; ut quando in rem modumque tractandi eundem, cum alio Poeta, incidis (quod in partibus vitari nequit) tum, juxta doctrinam ſuperiori capite traditam, phraſin atque eloquendi formam mutes. Et hæc verborum imitatio dicitur. quorum variatio ut omnino multiplex, ita & imitatio plus minuſve perfecta futura eſt. Exemplo doctrina hæc magis illuſtrabitur. Silius in deſcripione convivii Virgilium imitaturus, eam quam in lib. 1. Æneid. uſurpavit, pro exemplo adhibuit Virgilius lib. 1. ſic habet.

1. At domus interior, regali ſplendida luxu,
Inſtruitur, mediiſque parant convivia tectis
2. Dant famuli manibus limphas, cereremque caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates
Centum aliæ totidemque pares ætate miniſtri,
Qui dapibus menſas onerent & pocula ponant.
3 Nec non & Tyrii per limina læta frequentes
Convenère, toris juſſi decumbere pictis &c.
Poſtquam prima quies epulis, menſæque remotæ,
4. Crateras magnos ſtatuunt & vina coronant.
5. Fit ſtrepitus tectis vocemque per ampla volutant
Atria dependent lychni laquearibus aureìs.

Silius hæc l. 12. ſic imitatur.

1. Regificè extructis celebrant convivia menſis.
Ipſe Deûm cultu & ſacro dignatus honore
2. Turba gregis: poſuiſſe dapes his addita cura,
His adolere focos, his ordine pocula ferre.
3. Præcipuis, multoque procul ſplendentibus oſtro
Accipitur ſublime toris. Non una miniſtri.
4 Nec non & certis ſtruitur penus. Aſpera menſis
Pondera cælati fulgent antiquitus auri.
5. Eripiunt flammæ noctem, ſtrepituque moventum
Murmurat alta domus.

En propinquam in elocutionis forma imitationem materiâ modo-

modoque non diſpari. Inflexæ plerumque phraſes, iiſdem ſubſtantivis rerum, quandoque & verbis manentibus. quanquam imitator hic infra dignitatem exemplaris ſui ſubſtiterit. Neque enim *addita cura poſuiſſe*, *& pondera fulgent antiquitus* Maro dixerit.

Majori imitationis laude Statius hæc eadem Virgilii preſſit veſtigia tum phraſibus magis immutatis, tum minus ſervato eodem ordine, tum denique ex diverſis Virgilii locis eandem deſcriptionis imitationem concinnando. Sic igitur I. Thebaid. ſcribit

—— adolere focos, epulaſque recentes
Inſtaurare jubet. Dictis parere miniſtri
Certatim accelerant. vario ſtrepit icta tumultu
Regia. pars oſtro tenues auroque ſonantes
Emunire toros, alioſque inferre tapetas;
Par teretes lævare manu, ac diſponere menſas.
Aſt alii tenebras & opacam vincere noctem
Aggreſſi, tendunt auratis vincula lychnis.
His labor inſerto torrere exſanguia ferro
Viſcera cæſarum pecudum; his cumulare caniſtris
Perdomitam ſaxo Cererem &c.

Virgilius l.8. dixerat.

Viſcera toſta ferunt taurorum, onerantque caniſtris.
Dona laborata Cereris &c. Eſt igitur hæc imitatio quædam phraſium variatio. ut fiet, vel rudi minervâ, permutatis tantum epithetis; aut verbo tantum ſubſtantivóve: vel perfectius immutatâ phraſi universâ, vel eadem etiam acciſa, aut contra amplificata. Quâ in re juverit eundem quandoque ſecum conferre autorem, diverſis locis rem eandem, verbis aliis aliiſque, deſcribentem. Hinc Virgilius ſeipſum quoque imitatus cenſeri poterit. Quod nonnunquam ita factum proximè: ut in eoſdem etiam verſus redierit. Sic qui 4. Georg circa finem dixerat

— manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonſiſque ferunt mantilia villis.

Idem propemodum l.1. Æn. loc. cit. dixit. Sic totum verſum ſupra quoque enuntiatum repetit lib 7. Æn. uno tantum adjuncto permutato.

Certatim inſtaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti ſtatuunt, ac vina coronant.

Quod non tam ejus in ſcribendo ſterilitati, quàm præteritæ cor-

orrectioni imputo;ut proinde, imitationis laudem non meeatur.

Quarta imitandi ratio in ornamentis elocutionis variatis, literque inventis, aut ad ſimplicem dictionem; aut contra ex igurata detractis, conſiſtit. Eſtque omnium infima, ſi quidem andem materiam phraſinque retineat. Quo & illa revocari oterit, quæ mutata metri ſpecie, res ac phraſes penè eaſdem iverſis numeris includit, atque heroicos e. g. verſus in Elegiaos transfert. Tale imitationis exemplum in Senecæ Oedipo abes ex Ovidii prototypo formatum ſupra cap. 14. Iambico armine, quod & ipſe aliis verſibus in choro deinde expouit.

Ceterum has ego diverſas imitandi rationes, non iccirco ræſcripſi, quod uni te conſtanter, in qua cœpiſti, viæ cupiam nſiſtere. magis illud ago proboque, ut varietatem aliquam ſeteris, & modò hanc, modò illam, inter ejuſdem etiam ſcriptiois argumentum, capeſſas. Iuverit verò hac in re docta alioum, quos ſequeris, poemata, viâ reſolutionis, primùm in ſua iſpertiri principia; ac deinde, viâ compoſitionis, rurſum juncta ontemplari. de cujus exercitii arte & fructu in 2. part. ubi proiùs, velut manu, imitatorem ducemus.

CAPUT XXVII.

De carminum varietate, diſtinctione, ac ratione etiam inveniendi.

Unt qui carmen à canendo quaſi canimen dictum arbitrentur; verſum certè à vertendo dici non ambigam, Græcis ille χω quod eſt ordo, appellatur. unde hemiſtichium, verſus meus, diſtichon, triſtichon, tetraſtichon, carmen duorum, trium, uatuor verſuum ſignificat. quin & metrum (quod Latinis enſura eſt) per ſynecdochen dicitur.

Appellatio verò carminum omnino eſt varia, à rerum variam, quæ ad carmen concurrunt, affinitate ſumpta.

Primò enim à materia ſumitur appellatio. Sic quæ rem ruſticã actant, Georgica, quæ paſtoritiam, bucolica, quæ res lætas vel nt Genethliaca, vel Epithalamia, vel Epinicia, vel Propéptica, l Apobateria & Epibateria, &c. quæ res triſtes, ſunt Tragica, giaca, Threni, Epicedia, Epitaphia: quæ laudes tractant, ſunt Hymni,

Hymni, Encomiaſtia, Soteria, Panegyria, Pædeuteria, Heroica. quo etiam revocari poſſunt, quæ rei vituperia, & execrationem continent, ut Satyræ diræ, Hipponactes &c. De his plerisq; lib. I. in fine à nobis actum eſt. His adjungi poſſunt Emblemata, Ænigmata, Logogriphi, Anagrammatiſmi, Chronodiſticha, Acroſticha, Palindroma ſive retrograda, & Echones. quorum poſtrema, tamen ſua potius forma diſtinguuntur.

Deinde à forma variè carmina nuncupantur. 1. A pedibus Dactylica, Iambica, Trochaica, Choriambica, Pæonia, Ionica, Scazontica, Anapæſtica. 2. A menſura ſeu metro, ut monometrum, dimetrum, trimetrum. Vbi obſervandum eſt, metrum in Iambicis & Trochaicis apud Græcos duorum pedum fuiſſe, ideò quod hæc carmina illi per διποδίαν metirentur, licet cetera ferè per μονοποδίαν, more nunc ubique apud Latinos recepto. 3. A numero verſuum, ut diſtichon tetraſtichon. 4 A numero ſyllabarum ut Pentaſyllabum Hendecaſyllabum. 5. Ab uniformitate, vel difformitate, eorundem, vel diverſorum ſpecie carminum. hinc Monocolon ſive unimembre, dicolon, tricolon, &c. 6. Ab additione vel detractione pedum ad metrum commune. ſic Brachycatalecticum dicitur quod uno pede caret: Catalecticum quod unâ ſyllabâ: Acatalecticum quod juſtam habet menſuram: Hypercatalecticum quod una ſyllaba, vel pede abundat.

Denique & carmina ab adjunctis aliis, præſertim à Poetis ſive Inventoribus appellationem habent. Ita Sapphicum, Phaleucium, Pherecratium, Adonium, Pindaricum, Hipponacticum, Archilochium, Alcmanicum, Alcaicum, Aſclepiadeum, Glyconicum, Ariſtophanicum, ab autoribus Sappho, Phaleuco, Pherecrate &c. dicitur. Huc etiam ſpectant ab inſtrumentis dicta, ut Lyricum à Lyra. Et à locis nuncupata, ut Deliacum à Delo.

Ceterùm variæ carminum ſpecies ad quatuor ferè genera revocari poſſunt, hoc eſt, Dactylica, Iambica, Trochaica, Anapæſtica: à pedibus frequentioribus ſive præcipuis ſic dicta quanquam in Anapæſtico quandoque nullus anapæſtus reperiatur. Hæc compendii facilitatiſque ac memoriæ gratia ita digeſſi, ut in una eademque materia funebris leſſus, de morte adoleſcentis inſtituti, eorum varietatem ac conjunctionem quivis facile ingenio ac memoria complecti poſſit.

Breviſſi-

Breviſſime etiam, citra hæc exempla, te inſtruam. Delige quodcunque, ſive in dactylicis, ſive in aliis metri genus, illi quam canis rei idoneum; cui deinde, poſt unum, aut alterum, tertiumve verſum repetito conſtanter inſiſte, & carmen Poetis uſitatum conficies. Invenies plerumque etiam autorem ante te his uſum verſibus Quod ſi tamen ille deeſſet, hoc tantùm abeſt, ut tibi Poetæ laudem queat adimere (modò ne deſint cetera) ut novo etiam honore inventionis ſit cumulaturum. Quanquam, ut modò conſtabit, non multa carmina reperias hucuſque irreperta.

Per exempla jam nunc illâ, qua dixi lege, progrediemur, atque à dactylicis, ſic à frequenti dactylo nuncupatis, exordiemur.

DACTYLICA.

Leſſus in mortem adoleſcentis.

Dimetra Catalect. Ergo jacet? *Æn.3.Virgil.*
Acatalect. Occidit, eheu! *Adonium. Horat.l.1.Od.2.*
Hypercat. Occidit ille meus, *Archilocnium. Hor l.4.Od.7.*
Trimetra Acat. Primo in flore juventæ? *Therecratium. Hor.l.1,Od.5.*
Parca ferocior una. *Alcmanicum,*
Atropos illud auſit? *Ariſtophanicum. Horat.l.1.Od. 3.*
Immanſueta nimis Dea! *Glyconicum. Horat.l.1.Od 2.*
Improba perfidiæ parens, *Simonidis.*
Hyperc. Parcere debueras juveni, *Alcman, Virg. Æn.7.*
Tetrametra Acat. Fuſaque continuare fila. *Idem Hor.l.1.Od.9.*
Hyperc. Raptus indigno funere pallet. *Boet l.4.met.5.*
Pulchros ante diem clauſit ocellos. *Alcm. Boet.l.1.met.2.*
Vultus purpurei gratia concidit, *Aſclep. Horat.l.1.Od.1.*
Te pietas virtuſq; tenere, *Archil. Hor.l.1.Od.7.*
Simplicitas animiq; nivei, *Ithyph. Boet.l.1.met.1.*
Et caſta mētis debuit indoles. *Alc. Hor.l.1.Od.9.*
Pentamet. Acat. Perſtant fata ſuis adamantina juſſis, *Steſichor.*
Flectitur & nullis janua ſurda minis. *Elegiacum.*

Quem

Hypere. Quem ſemel abripuit rigidæ necis improba vis, *Cyrillium.*

Hexametra Acat. Hic nunquam ſtygiis vitam revocabit ab antris, *Heroicum.*

Nec mortis poterit tranſcendere munimenta. *Spondaicum.*

Præciſus miſeris eſt reditus cum ſemel iverint. *Alcaicum lib.1.Od.11 Hor.*

Dura nimis Lacheſis ferę repugnabit ſtygis. *Sapphicum Hor.l.ep.Od.11.*

Hanc quam ſepultus poſſides ſors ea perpetua eſt. *Alcaicum Hor.l.ep.Od.13.*

Quiſquis exitium fugis, noxiamq; ruinam. *Catul.*

Te pietaſque fideſque poteſt ſuper ignea tollere. *Ibicium. Virgilius.*

Heptam.Acat. Atria, terribilemque necis minuiſſe ſalubriter ictum. *Sterſichoricum.*

Ille beatus erit quiſquis bene vixit ad ſepulcrum. *Archil.Hor.l.1.Od.4.*

Inter hos dactylicos quoſdam accenſui verſus, quos alii per Choriambos, Ionicos, & Epitritos metiuntur; ego rectius promptiuſque per dactylos, jambos, ſpondeos, alioſve breviores pedes formari cenſeo. modò in hypercatalectis, in fine, aut medio, ſubinde pedem redundare noveris.

IAMBICA.

Monom.Hyperc. Eheu jacet flos. *Ariſtophanicum.*

Dimetr.trachyc. Ætatis aureæ. *Euripideum.*

Catal. Primæ decus juventæ. *Anacreonticum.*

Acat. Quem blanda vultus gratia, *Archil Hor.ep.Od.2.*

Hyperc. Quem frontis ac oris venuſtas, *Archil.Horat.l.1. Od.9.*

Trimet.trachyc. Et ſparſa membris omnibus Charis, *Alcman.*

Catal. Et pulchra virtus conſecrabat aſtris. *Hipponact. Hor.l.2.Od.18.*

Acat. Et celſa mentis indoles dedit cœlo. *Scazontis.*

Quem terra primum vidit, abripuit polus. *Arch*

Hyperc. Eheu! dolete. lacrymæ malis cadentes *autor.*

Tetrametra trachyc. Et ora, & omnes veſtium ſuperfluant ſing *autor.*

Cata

Catal. Eheu ferite pectus immites manus ferite. *Hippon.*
Acat. Laceroque vultu ſqualeant lugubriter ſciſſæ comæ. *Ariſtoph.*

TROCHAICA.

Tetr. Acat. Orbis ille candidatus, dulcis ille puſionum, *Hippoc.*
Catal. Ille flendus & dolendus, ille vitæ floſculus, *Archil.*
Brachyc. Pallida nunc morte fractus, heu dolor! recumbit. *Sotadicum.*
Trim. Hyperc. Nec preces flexère Stygem, nec pretium Tonantem. *Alcaic. Horat. l. 1. Od. 8.*
Illa concidit venuſtas frontis aurea. *Sapphicum.*
Brachyc. Sed fruſtra queror impotentis iram, *Phauleucium. Catullus.*
Et colum manu ſubita revulſam. *Catul. & Seneca.*
Ac levem Parcæ malè culpo dextram. *Sapph. Horat.*
Acat. Illud oris luminumque dulce ſidus, *Sotadicum.*
Catal. Illa mentis præcocis potentia, *Archiloc.*
Brachyc. Nectar illud oris eloquentis, *Sapph.*
Dim. Hyperc. Et Suada vocis inclyta, *Bacchilidium.*
Acat. Illa mentis imperatrix, *Alcman. Boet. l. 4. met. 2.*
Catal. Pulchra ſpes, & indoles, *Euripideum.*
Brachyc. Ille, noſter, illè. *Ithyphallicum.*
Monom. Hyp. Heu dolor! jacet. *Pancratium. Politianus.*

Verſus Iambici locis paribus ſemper Iambum, & ſubinde tribrachyn (præterquam in pede ultimo) imparibus etiam anapæſtum, & ſpondeum, ac rarius dactylum admittunt: uti contra Trochaici: locis imparibus ſemper trocheum, & quandoq; tribrachym, (ſi pedem quoque ultimum excipias) locis vero paribus ſpondeum, ac rarius anapæſtum, dactylum, ac tribrachym.

Præter hos Iambicos & Trochaicos verſus 1. invenies inter Iambicos carmen Archilochium, quod ſexto, vel etiam ſeptimo (apud Comicos) pede ſpondeum admittit, penultimo tamen ſemper jambo. quod à claudicatione pedis ultimi dictum eſt Scazonticum. 2. Reperies quoque *Choriambicum*, quo, poſt Anacreontem, Claudianus eſt uſus. ut

Quem Padus Electriferis admoduletur alnis.

Quod carmen tribus Choriambis, & bacchio uno conſtat.

3. *Galliambicum* quoque apud Catullum aliosque reperies, ex Anacreontico & Euripideo compoſitum. conſtatque in primo

ac ultimo pede anapæſto, in medio poſt duos jambos, duobus dactylis, ut

Super alta vectus Atys celeri rate maria.

vel, anapaſtum & duos jambos poſt ſyllabam interpoſitam iterat. ut

Vice veris & Favonî glacies reſolvitur. *Horat.*

Verùm duorum priorum, Choriambici & Galliambici minor eſt gratia.

ANAPÆSTICA.

Dimetr. Acat. Madeant oculi, *Seneca.*

Hyperc. Gena profluat undis. *Choricum.*

Tetram.brach Meus, heu! meus ille, jacet. *Ariſtoph.*

Catal. Lacheſis tulit improba pignus. *Pindaricum.*

Acat. Lacrymis tellus cœlumque fluat. *Archil.*

Hyperc. Amor ille ſoli rigidâ abditur urnâ. *Alcman.*

Amor ille poli nece pallidus obriget. *Pindar.*

Hexam. Catal. Decus hoc noſtrum, decus egregium alget in urna. *Alcman.*

Hyperc. Date nunc lacrymas juvenemque piis ſepelite querelis. *Ariſtoph.*

Hoc carminis genus pleriſque conſtat anapæſtis, quibus tamen ſpondei & dactyli admiſceri poſſunt. qui in Archil. nonnunquam ſoli regnant. Dantur verò præter hæc anapæſtica, alia duo genera, quæ tamen alii per Ionicos metiuntur. ut, Ionicum à majore ſic dictum à primo & ſecundo pede, cui addit ditrocheum & ſpondeum: tale eſt,

Has, cum geminâ compede, dedicat catenas.

Ionicum à minore, quod tertiò hunc pedem repetit, niſi quod in tertio carmine, ab Horatio, quartò ſit repetitus. Vid. l. 3. Od. 12.

Miſerarum eſt neque amori dare ludum &c.

Sed hæc genera magis cognoſcenda, quàm imitanda propono.

Malim verò etiam quædam ſecari ex verſibus longioribus, atque ex monocolis in dicola transformari. quod minus venuſtatis voluptatiſq; habeant, tot pedes in unum verſum congeſti. Vnde anapæſtica ita non invenuſtè ſecabis.

Date nunc lacrymas, juvenemque piis
Sepelite querelis.

Trochaica hoc modo.

Ille flendus, & dolendus
Ille vitæ floſculus.

Dacty-

Dactylica & Iambica hac ratione.

Quamcunque moriens obtines,
Sors ea perpetua eſt.

Diligenter præterea rudi iſtorum carminum Poetæ obſervandum eſt. Cæſuraſne carmen amet, ut heroica & pleriſque locis jambica; an potius repudiet, ut multis locis trochaica & anapæſtica. Si enim hæc obſervatio neglecta fuerit, ingratis numeris aures cultas lædet. Hæc de ſimplici carmine quamvis pauca ſuffecerint. Oſtenduntque quâ aliquis viâ novas etiam carminum ſpecies invenire poſſit. Cum facilè pateat, quod nondum metri pedumque genus ac numerus adhibitus ſit hactenus. Id igitur ſi tu aptè modulatéque ad rem, quam cœperis, arripias, eique conſtanter adhæreſcas, novorum eſſe poematum inventor poteris.

Exemplis primum obviis quædam exhibebo.

NOVI VERSVS DACTYLICI.

Dimetr. acat. Ergo perditus
Heu dolor! occidit,
Trimet acat. Mortis iniquo funere?
Tetram. acat. Deploranda Stygis poteſtas!
Hyperc. Indigno raptus funere conditur.
Hyperc. Perditus primo flore puêrtiæ.
Acat. Languet priſtina gratia vultus.
Pentam. acat. Heu fruſtra doleo culpoque fata,
Catal. Et Parcam malè culpo renitentem.
Ac. t. Ac rabidam ſtygis impotentis iram.

Paucis expediam, pluribus non eget exemplis, quiſquis obſervat uno etiam pede addito, detracto, mutato totam verſus harmoniam mutari, quod cum ſcitè fecerit ac modulatè ad cultarum aurium judicium, novi carminis inventor futurus eſt. perficiet verò, ſi apta deinde aliorum, vel eorundem etiam verſuum adjunctione iiſdem numeris appoſitè inſiſtendo compleverit. Vis apertè exemplo oſtendam in noto carminis genere? ſit Hexametri hemiſtychium

Imperium moderante Deo.

Horatius cum Alcmane illud inflexit penultima ſyllaba mutata, & proprium ſibi, in Strophis quarto loco fecit. ut Imperium moderante cœlo.

Vis aliud carminis genus? dic. Imperium regente cœlo.

Vis aliud? Imperî jura regente Deo.

Vis aliud? Et Deo moderante regnum.
Vis aliud? Et cælo moderante regnum.
Vis aliud? Cælituum dextra moderante regnum.

Ita ſi dactylicis trocheos, vel jambos; ſi trocheis anapæſtos aut jambos quoſdam harmonicè admiſcueris, Iambicis etiam ſuis quandoque locis ſpondeos choreoſque ſubſtitueris, facilè animadvertes novam orationis melodiam aſſurgere. Verùm hic ſemper culto aurium judicio, & natis ad rem pedibus, tum in cœptis conſtantiâ opus eſt; niſi comica fortaſſe licentia evageris. Res ſanè graves triſteſque ſpondeos ac moloſſos, præ tribrachis & dactylis, ſeu anapæſtis malunt: tum etiam, inter jambum & choreum, iſtum malunt; cùm hic à longa ad brevem levius, quàm ille à brevi ad longam tranſeat. Ita & verſus ille gravior, qui fine ſuo, quàm principio cunctatur, & oratio, quæ graviores in finem verſus conjicit. Magnopere emollit in diſtichis alter verſus levior, querelis iccirco ac lacrymis, tum & amoribus idoneus, tenerioribus ſcilicet hominum affectionibus.

Facilis præterea mutandorum verſuum ratio eſt, ſi vel ſyllabam vel pedem ſuſtuleris. quo genere exercitationis, rudes carminum ad eorum varietatem percipiendam erudiendi ſunt. Tolle ex Iambicis primum pedem Trochaica efficies, ut in tertio & ſequentibus ſupra adductis jambicis patet. Dic enim:

Blanda vultus gratia,
Frontis ac oris venuſtas &c.

Contra ex Trochaicis adjecta ſyllaba Iambica effeceris; ut
En pulchra ſpes & indoles.
Divina mentis imperatrix &c.

Ex Anapæſticis haud difficulter quoque addita ſyllaba exſurgunt Dactylici. ut
Heu! madeant oculi.
Et gena profluat undis.
Hoc Lacheſis tulit improba pignus &c.

Ex Dactylicis Glyconicis facilè fiunt Phaleucia, ut ſi bacchium jungas: v.g *Immanſueta nimis Dea.* adde.
Immanſueta nimis Dea poteſtas.

Ita ex Heroicis Elegiaca, ex Sapphicis Anapæſtica, ex Aſclepiadeis Glyconica, & contra facilè reddideris.

Multa ni fallor, hoc capite, ac nova methodo compendioq; tradidi, quibus etiam ingenio tardiores capi excitarique poſſint.

ſint. Nunc reliquum, ut de harmonica diverſorum verſuum in Odam Strophamque unam compoſitione agamus.

CAPUT XXVIII.

De compoſito carmine, ejuſque tum apud veteres, tum recentes varietate.

HActenus de ſimplici carmine, nunc de compoſito, (cujus exemplo Græcorum magna in Horatio varietas) agendum eſt. Ex hoc aliud dicolon, ſive duorum membrorum, dicitur, aliud tricolon, aliud tetracolon, aliud denique pentacolon, aut polycolon; cum aut duo, aut tria, aut quatuor, aut quinque, vel plura carminum genera complectitur. Quod verò poſt ſecundum verſum (uti diſticha) ad primum redit, diſtrophon appellatur; ſic triſtrophon, tetraſtrophon &c. quod poſt tres aut quatuor revertitur. uti ſtropham, unam talem converſionem nuncupant.

DICOLA.

D*Iſtropha*, in quibus cum Hexametro varia ſociantur carmina ut

1. *Pentameter.* Principiis obſta ſerò medicina paratur,
Cũ mala per longas invaluêre moras. *Ovid.*

2. *Senarius Iambicus.* Altera jam teritur bellis civilibus ætas,
Suis & ipſa Roma viribus ruit. *Hor. ep. 16.*

3. *Dimeter Iambicus.* Nox erat & cœlo fulgebat luna ſereno,
Inter minora ſidera. *Horat. epod. 14.*

4. *Hemiſtichiũ Heroicum.* Diffugêre nives redeũt jam gramina campis.
Arboribuſque comæ. *Hor. l. 4. Od. 7.*

5. *Hemiſtichii Her. ultimum.* Mecum ſæpe viri, nunc ſomno pellite curas
Cras ingens iterabimus æquor. *Hor. l. 1. Od. 7*

6. *Dimet. Iamb. cum hemiſtichio heroico.* Horrida tempeſtas cœlum contraxit & imbres,
Niveſq; deducunt Iovem; nunc mare nunc ſilvæ.

In heroicis hemiſtichiis, illud obſervandum, quod ex dactylis tantùm conſtent, ultima tamen & jam ſpondeum, ut exemplo 5 patet, admittunt.

7. *Duo Archilochii* conjunguntur. quorum primus ſeptem pedibus conſtat, primis tribus dactylis vel ſpondeis, quarto dactylo,

lo, reliquis choreis; ideóque mixtus eſt ex hexametro & trochaico: poteſtque in duos verſus diſſolvi. alter verſus jambicus catalectus eſt. ut

Solvitur acris hiems, gratâ vice veris & Favonî,
Trahuntque ſiccas machinæ carinas. *Hor. l. 1. Od. 4.*

8. *Ad Trim. Iambicum hemiſt. heroic. cum dimet. jambico additur.*
Pecti, nihil me, ſicut antea, juvat
Scribere verſiculos, amore perculſum gravi. *Hor. ep. Od. 11.*

9. *Iambic. trimetrum cum dimetro.*
Ibis Liburnis inter alta navium,
Amice, propugnacula, *Hor. ep. Od. 1.*

10. *Troch. dim. cũ Iambico catal. Hipponactium*
Non ebur, neque aureum,
Meâ renidet in domo lacunar. *Hor. l. 2. Od. 18.*

11. *Glycon. dactylis cum Aſclepiadeo jungitur.*
Audax Iapeti genus
Ignem, fraude malâ, gentibus intulit. *Hor. l. 1. Od. 3.*

12. *Ariſtoph. dact. cum Alcaico Trocha.*
Cur neque militaris
Inter æquales equitet, gallica nec lupatis &c.

Hæc ultima duo diſticha alii per choriambos metiuntur, à quibus etiam *choriambica* dicuntur; ſed per ſimplices pedes facilius menſurantur, unde dactylicis accenſui.

13. Dicolon triſtrophon *Ionicum à minore*, de quo ſup. cap. reperitur apud *Horat. lib. 3. Od. 12.*

Miſerarum eſt neque amori dare ludum,
Neque dulci mala vino lavere, aut ex-
Animari metuentis patriæ verbera linguæ.

14. Dicola tetraſtropha ſunt, inprimis *Sapphica* tria cum uno *Adonio*, quorum illa choreo (rarò apud Senec ſpondeo) ſpondeo (apud Senec. etiam dactylo) dactylo & duobus choreis conſtant. hoc Adonium dactylo & ſpondeo. ut *Hor. l. 2. Od. 2.*

Creſcit indulgens ſibi dirus hydrops
Nec ſitim pellit, niſi cauſa morbi
Fugerit venis, & aquoſus albo
Corpore languor.

15. Deinde *Aſclepiadei Choriambici* tres cum uno *Glyconico* his accenſentur. quorum illa ſpondeo, & tribus dactylis (cum cæſura poſt primum dactyl.) hoc ſpondeo, & duobus conſtat dactylis.

Creſcen-

Creſcentem ſequitur cura pecuniam
Majorumque fames. Iure perhorrui
Latè conſpicuum tollere verticem
Mecœnas equitum decus. *Hor.l.3.Od.16.*

16. Dicolo pentaſtropho *Catullus car.59.* utitur, in quo Glyconici quatuor, (qui tamen 1. loco choreum habent cum alibi ſpondeum duobus dactylis præmittant) his Ityphallicum, uno pe de Glyconico minus, aut dactylicum Pherecratium jungitur, hoc modo.

Collis ô Heliconii
Cultor Uraniæ genus,
Qui rapis teneram ad virum
Virginem, ô Hymenæe Hymen,
Hymen ô Hymenæe.

Hæc de veterum dicolis ſtrophiſque. quæ recentiorum inventione etiam crevêre. Nam Boethius, Buchananus aliiq; plura curioſo earum rerum inveſtigatori ſuppeditabunt. Ille enim modò Iambico trimetrò, modò Phaleucio pentametrum ſubjunxit; alibi etiam Glyconicum ſociavit Sapphico: hic idem fecit, atque etiam Sapphico jambicum dimetrum conjunxit. Duobus adhæc Trochaicis dimetris acatalectis, alium verſum catalecticum adjecit; alibi Trochaicis dimetris catal. Iambicum dimet. acat. addidit.

TRICOLA.

Tetraſtropha Horatius eâ lege compoſuit: ut duobus dactylicis Alcaicis, Iambicus Archilochius ac tandem dactylicus Alcmanicus jungeretur. quod ante Horatium Alcæus Poëta præſtitiſſe reperitur. ut

Dî me tuentur, Dîs pietas mea
Et Muſa cordi eſt. Hinc tibi copia
Manabit ad plenum benigno
Ruris honorum opulenta cornu. *Hor.l.1.Od.17.*

Primi duo verſus ſede primâ ſpondeum & quandoque jambum, alterâ habent jambum cum cæſura longæ ſyllabæ, quam ſequuntur duo dactyli. Tertius licet jambicus, ſede tertia jambum rarò admittit. quartus ex duobus dactylis totidemque choreis conſtat.

Alia apud *Horat.l.1. Od.5. 14 & 21.* tetraſtropha, ex duobus

choriambicis Aſclepiadeis, Pherecratio trimetro (quod dactylum inter duos ſpondeos habet) & Glyconico conſtant. ut

Dianam teneræ dicite virgines,
Intonſum pueri dicite Cynthium,
Latonamque ſupremo
Dilectam penitus Iovi.

Sic & illa dividi poſſunt, quæ ex Horatio ſupra inter dicola num 6 & 8. propoſui. itáque partitus in ſuis eſt Buchananus.

Majoris hæc facilitatis gratia, eadem in materia ſociabimus ſtropharum genera. Sit hæc continuatio leſſus cœpti,

Dicola. De morte adoleſcentis:

1. Palluit exangui generoſus funere ſanguis,
Diſtropha. Et cecidit priſcæ nobilitatis honos.
2. Palluit, ac triſti clauſit ſua lumina letho.
O fata nimium dura præproperæ Necis!
3. Anchiſen rapuit, dedit Aſtyanacta Charonti,
Narciſſus illis additur.
4. Ite, ite & fractis evertite diſſona plectris:
Carmina Pierides.
5. Ordinibus confuſa ſuis, atque ebria luctu
Metra fluant, pedibuſque vacillent.
6. Frangite flebilium ripas fluctus lacrymarum,
Mœſtæque deducant genæ flumina triſtitiæ.
7. Terpſichore citharam frangat modò, ſtridulaſque chordas
Apollo turbet aggemens dolore.
8. O fluxa vita, fluxa ſpes mortalium!
Naſcimur ac morimur, cunis ſepulcrum proximum eſt.
9. Hic noſter, eheu! (præripit vocem dolor)
Narciſſus, eheu! occidit.
10. Ille, prô dolor, jacet
Decorque, floſque ſanctitatis omnis.
11. Heu! vitæ juvenem rudis
Condemnat tenebris urna perennibus.
12. Quem coluêre blandis
Frondium ſertis Dryades, Pegaſideſque lauris.
13. Cui quamvis faveat mitis olympus,
Triſtropha. Comes ipſum pietas ſtipet amica.
Nihil hinc auxilii; nemo furorem abſtulit orci.

14. Iſte, quem vivum cecinere nuper
Iuliæ Nymphæ, vitreique norunt
Margines Rheni, coluitque ſacro
Murmure Rura;

15. Multarum juvenis cognitor artium,
Ac Phœbi docilis tangere barbiton,
Solers Palladio miles in otio,
Muſarumque receſſibus.

16. Ille dulcis, & innocens,
Ille, delicium ſoli,
Ille dignus amoribus,
Ille dignus honoribus,
Immaturus abivit.

1. Thalia lætam deſine Muſicam:
Tricola. Non Hippocrenes, non Heliconides
Tetra- Potentur undæ. obliviosam
ſtropha. Muſa bibat moribunda lethen.

2. En ut purpureis gratia defluit,
Immutata genis, ut ſubitis hiems
Lethi nubibus atra
Oris gaudia ſub...

Recentiorum inprimis illa placent, quæ Anacreonticis dimetrum jambicum Archilochium ſubjiciunt, ut

1. Non magna ſors avorum,
Non divitum metalla,
Non Tulliana ſuada,
Non Principum favores,
Mortis tributo liberant.

Deinde quæ Trochaicis dimetris acat. unum catalectum ſubjiciunt. ut

2. Illa primæ ſpes juventæ,
Candidæque rara mentis
Caſtitaſque, ſanctitaſque,
Hoc ſepulcro conditur.

CAPUT XXIX.

Compoſitio metrorum rhythmica, aliaque novorum generum.

HÆc cum hymnis melodicis inprimis idonea ſunt: tum illa Iambica præſertim dimetra, Euripideum, Anacreonticum, & Archilochium, alternis, aut per intervalla, idque rhythmico ſæpe metro, concurrentia. ut

1. O luctus, ô fatalium
    Horror, pavorque rerum,
  Dum meta jam mortalium
    Abſolvitur dierum!

Vel deme ultimi verſus ſyllabam, ut ſit: *dies abſolvitur.*

2. O quanta, quanta res
  Dum tota vitæ ſpes
    Tremit pavore,
  Dum ſors reſolvitur,
  Et meta volvitur
    Fatalis horæ.

Vel ultimo verſui pedem adde: ut ſit *Mortis tremit pavore.*

3. Quantum doloris,
  In mortis horis,
    Heu, quam frequens ſuſpirium?
  Dum mens futuris,
  Et fortè duris,
    Vitæ luet delirium.

Vel in ultimo verſu dimetrum jambicum, uno pede ſublato, adhibe, ut *Luet delirium.*

4. Heu blandiens carnis voluptas,
    In morte, quàm triſtaberis!
  Heu candidæ frontis venuſtas,
    Poſt fata quò dilaberis!

Hæc de Iambicis, neque in Trochaicis minor venuſtas, aut gratia, & varietas. In quibus ante reliquos verſus in hymnis Euripideum, & Alcmanicum, tum Ithyphallicum & Bacchilidium locum habent.

5. Euge mœſtum cordis æſtum,
    Orba mater, comprimas.
  Cur amore, cur dolore,
    Immorata fluctuas?

Poſſunt

Poſſunt primi verſus duobus etiam augeri pedibus, ut: *Eja, cur amore, fare, cur dolore? &c.* vel uno ſolum pede, ut: *Fare cur dolore, cur amore?*

6. Ergo flos amœnus,
Ergo ſol ſerenus,
Nube mortis conditur?
Ergo tale lumen,
Et bonorum flumen
Prorſus abſconditur?

Potuit & hic ultimus verſus vel minui, vel augeri (uti & primus) uno pede. ut *Ergo ſol ſerenus ille* (qui primus eſt) *Nube conditur.* (qui ultimus) vel certe uterque ſic augeri.

7. Ergo flos amœnus ille ſqualet,
Ergo ſol ſerenus ille pallet,
Mortis atra nube conditus? &c.

Poterunt & Trochaici variè cum Iambicis miſceri. ut

8. Illa noſtrûm ſtirps avorum
Heu mortis ictu funditur, Et ſepulcro conditur.
Illa morum ſpes bonorum
Quæ natà cœli munere, Nunc jacet pro funere.
Spes tanta morum, Spes hæc proborum.
Heu, dolor, concidit!

Compoſitio hæc prorſus varia eſt, longumque eſſet eandem proſequi. ſuo quiſque ingenio id poterit, qui tabulas ſuperiores de Iambicis & Trochaicis, quin etiam Anapæſticis dactilicisque ſibi propoſuerit. Hæc de rhythmica molliorique carminum compoſitione ſatis; nunc paucis aliis oſtendam, hæc ſtropharum genera varia prorſus eſſe, ex arbitrio Poetæ, poſſe.

Leſſus mortualis continuatio.

Dicola. Diſtropha.

1. En noſter ille, candiduſque, melleuſque
Occidit, eheu! occidit.
2. Solers ingenio mens, & amabilis
Vivere meruit pectoris ardor.
3. At cuncta falce meſſuit malignâ
Dextra mortis invidæ.
4. Lethi perpetuis condisur umbris
Spes tanta Parentum.
5. Si quicquam caſti poſſet conſtantia
Intemerata animi,

Triſtra-

Triſtrophon. Viveret ſupremæ
Una ſpes ſenectæ:
Sed (dolor!) occidit.

Tetraſtrophon. Patris delicium, ac decus,
Matris baſiolum, ac amor
Atræ mortis ab unguibus
Ereptus jacet.

Tricola triſtropha. 1. Si quicquam poterat virtus innoxia fati,
O mors, malorum ſiquid innocens vita,
Parcere debueras.
2. Si quid promeruit candida ſimplicitas,
Et ſiquid animorum nives,
Abſtinuiſſe manus.

Tetraſtrophon. Indoles magni ſpecioſa vultus
Mentis excelſæ generoſus ardor,
Si quicquam meruit,
Parcendum fuit.

Tetracola, Tetraſtropha. 1. O quantas lapis exiguus viliſque ſepulcri,
Quantas urna recondit opes,
Inclytæ quondam juventæ
Obſcurâ pereuntis urnâ!
2. Ah dura rerum ſors pereuntium,
Fluxæque ſpes mortalium!
Uno putantur ictu
Uno funere corruunt.

Noſtram hic de metrica eloquentia diſciplinam finire lubet cùm te illius copia juxta ac varietate utcunque eruditum ſperemus. Quæ reliqua ſunt, ſeorſim de quovis carminum genere acturi, ordine ac ratione trademus. Conſule hac de re Lyrica noſtra, ubi alia etiam novorum generum carmina reperies.

ERRA

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Lib. I.

PAg.1.ver.pen.*meltor* leg. melior.

p.2.v.26.*peſtes* l. poſtes

p.3.v.25.*leones* l.lenones

p.6.in medio *θεῖον* l. *θειῶν*

Ib.lin.antep. *κοννῆ* l. *κοινῆ*

p.9.v.8. *ποίηςις τὶς ἐςιν εἰδώλον* l. *ποίησίς τίς ἐςιν εἰδώλων*

p.10.v 19.*locum* l.lotum

Ib. *κατὰ πὸ* l. *κατὰ τὸ*

p.14.in fin.*artificis* l artificis

p.20.v.ult. *veſta* l.veſte

p.21.v.23.*tam* l.tum

p.22.v.18.*rapta* l.raptu

p.23.v.19. *Ganymedem* l. Ganymedem.

p.25.v.20.*Phalæra* l.Philæra

Ib.v.23.*Pnoëpus* l.Pnöepus

p.28.v.10.*vitia* l.vitra

p.31.v.14. *Lucraſia* l.Eucraſia. *Idem error* p.44 v.30.

p.54.v.ult *premere* l.premère

p.36.v.34.*elicitus* l.ſolicitus

p.45.v.9.*lætetur* l.lætatur

Ib.v.19.*potius* l.potitus

p.47.v.8.*operitur* l.aperitur

p.48.v.30.*ſolatum* l.ſolatam

p.50.v.12.*decipi* l.recipi

p.67.v.1.*afficinia* l.affinia

p.70.v.1.*Onopola* l.Oenópolæ

p.73 v.28.*Oenus* l.Ocnus

p.74.v. 31. *reprehenſionem* l. reprehenſionémve

p.77.v.14.*Alexin* l.Alexid.

p.80.lin.ult. *multtiudo* l.multitudo

p.83.in fin.*Anabim* l.Anubim

p.86. v.29. *Polymneia* l.Polymnea

p.86.v.4.*Clymene. §.4.Nympha fil.* l.Clymene Nymphâ filius §. 4.

p.88.v.5.*Minoïs* l.Minos

p.93.v.6.*Phyllira* l.Philyra

Ib.v.11. *memeratas* l. memoratos

p.94.v.16.*Promotheo* l. Prometheo

p.95.v.3.*Gingantum* l. Gigantum

p.101.v.33.*parturientem* l. parturientium

p.114.v.23.*Selmoneus* l.Salmoneus.

p.121.v.32.*Metra* l.Metra (vel Meſtra

p.122.v.29.*Murtla* l.Murtia

p.123.v.3.*libertates* l.libertatis

p.134.v.16 *aſtu* l.áſtu

p.135.in fin.*Palemedis* l.Palamedis.

p.138.v.18.*loci* l.loti

p.141.v.5.*Athen.* l.Athen.

p.151.v.18.*Phaeton* l.Phaethon

p.160.v.3.*calipto* l.calypſus

p.158.v.2.*Harpyis* l Harpyjis

p.160. *Iunonis Iunonis* l.Invidia Iunonis

p.161.v.32. *Euryſtbus* l. Euryſtheus

p.162.v.2.*vigilantes* l.vigilantis

Ib.v.3.*invidia* l.invidæ

Lib. II.

PAg.174.v.5.*reſtaue-ſanguine* l.reſtare-ſanguine

p.176.v.12.*Nerius* l.Nereûs

p.177.v.3.*quæ* l.que

p.178.v.13.*eximium* l.eximam
Ib.v.27.*fluentem* l.fluentum
Ib. lin. ult. Pugio *adjungatur ad verſum.*
p.181.v.19.*onus* l.onus, moles,
p.181.à fin.v.4.*aſtrea* l.oſtrea,
p.182.à fin.v.6.*Meſsica* l,Maſſica
p.183. à fin. v. 8. *turpilucriſcupidum* l.turpilucricupidum
p.185.à fin.v.8. *ſenſuumq,* l.ſenſumque
p.188.v.15.*noſtris* l.roſtris
p.191.v.3.*eodem* l.eadem
p. 198, v. 19. *nequamne* l. nunquamne
p.205.v.13.*dutum* l.durum
p.209.v.16. *portu* l.portæ
p.210.v.5.*najor* l.major
p.212.à fin.v.7. *Sirtuſque* l. Stiriuſque
p.214.v.25. ignorarentur. *Expunge.*
p.220.v.8.*Boetos* l.Bœotes
p.221.v.16.*Cyrtha* l.Cyrrhæ
p.225.v.27.aliquam expunge
p. 237. v. 18. *in caſu* l.in omni caſu
p.239.v.6.*ſequens* l,ſequeris
p.242.à fin.v10 *ſit* l.fit
p.243.v.20. *ceu,lumina*, l. ceu lumina,
p.244.à fin.v.4.*agros* l.ægros
p.245.v.28. *Phyliirides* l.Phillyrides
p.247.v.20.*quod piſce* l.quod de piſce
Ib.v.23.*ſed quid* l.ſed quis
p.248.à fin.v.11. *ſolata* l.ſolita
p.252.v.21.*in re* l.in re læta
p.253.v.19.*effectio* l.affectus
p.256.v.18.*calore* l.colore
p.257.v.ult.*capiti* l.capti
p.258. v. 15. *compulerant* l. compulerantque
p.267. à fin. car. 3. *truclitorie* l. clitorie
p.270 v.21.*leonem* l.lenem
p.275. v. 3. *virum ſcel.* l.virum. Scel-
p.277.v.15.*Baizetes* l.Baïzetes
p.278. v.8. *Scinis* l.Scinis. *Et p.* 282.v.17
p.279.à fin. v. 10. *cogit* l. cogitur
p,282.v.13.*& expunge.*
p.283.in marg.*mollis* l molles
p.284.v.1.*Ioani* l.Ioanni
Ib.v.16. *dejotauruſque* l.dejotaruſque
p,285.v.12. *Amynthas* l.Amyntas
Ib.v.16.*cenſebas* l.cenſebat
Ib.v.19.*Ginomen* l.Cimonem
Ib.v.22 *Scylla* l.Sylla.
p.289.v.2.*Maſinaſſa* l.Maſiniſſa
p.289.v.14.*Atren* l.Atreus
p.290.à fin.v.3. *Filia Hippotes* l. filiæ. Hippotes
p.293.v.20.*Agexoris* l. Agenori:
p.294.à fin.v.6.*avuus* l.avus
p.299.v.14.*Amiſſa* l.Amiſſa
Ib.v 18. πρώπερον l. πρόπερον
p,300.v. 22. *Fortunam* l. Fortunatam
p.302.à fin.v.3.*perledis* l. periodis
p.306.v.9.*offerenda* l.afferend
p.307.à fine 9 *linea carmen ſit*
p.308.v.4.*duare* l.dicere
p.311.v.15.*plus* l.plures

p.313

p 313.v.22.*officiis* l.officiis
p.314.v.20.*ex paſſa* l.expaſſa
p.317.v.4. NB. *Ex paſſim obviis* uſque, *deſcriptio*, in exordio orationis ponenda ſunt, ante *Ænea*.
Ib.v.25.*ubi ſunt* l.ubi ſum
p.319.v.21.*eadem* l câdem
p.320.v.12.*unda* l.undas
p.321.v.1.*cui* l.cur
p.324.à fin.v.7.*facundie* l. facundia
p.325.à fin.v.9.*ſapientia* l. ſapientia
p.326.v.12.*potuere* l.patuere
p.327.v.16.*victrix. noſtra* L. victrix Roſtra
p.331 in fin.NB.*num.*2.cum ſuo diſticho poſtponatur *num.*3. & diſticho ſequenti
p.333.à fin.v.11.στίχω l.στίχῳ
p.334.v.3.*Satyra dira*, l.Satyræ. Diræ,
p.335.à fin.v.4.*nivei* l.nives
p.336.à fin.in margine v.1.& 6. & 10.*trachy*. l.brachy.
Ib.à fin.v.2.*ſing* l.ſinus

PALÆSTRA ELOQUENTIÆ LIGATÆ.

PARS ALTERA,

QUÆ

Poëſin { Elegiacam, Heroicam, Lyricam,

CVM PLERORVMQVE poëmatum & deſcriptionum, tam naturalium, quàm moralium exemplis complectitur.

AUTORE

R. P. IACOBO MASENIO Societatis Jesu.

Coloniæ, Typis & ſumptibus Wilhelmi Frieſſem Typographi & Bibliopolæ, ſub ſigno Archangeli Gabrielis in plateâ vulgo Tranckgaß/ 1654.

EPISTOLA DEDICATORIA.

AD

EMINENTISSIMVM PRINCIPEM

FABIVM CHISIVM

S. R. E. CARDINALEM.

QVæ pleraque in Scholis, inter humaniora Muſarum diverticula, tam in præceptionibus juventuti datis, quàm verſibus ad earum leges exigendis luſi, ea Tuis nunc oculis EMINENTISSIME PRINCEPS exhibeo, cùm tua humanitate, tum aliorum poſtulatione invitatus, ut ne laborem hunc meum ad Romanæ Eloquentiæ præſidia comparatum, publicæ utilitati inviderem. Quæ, quatulacunque demum futura ſit, ut meis hactenus in Societatis noſtræ functionibus ſpectata ſemper fuit; ita neque illius, hoc à me pacto, neglectæ crimen, penes me eſſe volui: plus aliorum obſecutus judicio,

 quàm

quàm meo, quo jam pleraque magis Naſonis Ponto, quàm Romano foro digna habui.

Hoc tamen agendum mihi cenſui,ut optimo,in cauſa ſatis ambigua, patrocinio fulcirer. quod aliunde, quàm à Tua Eminentia certius mihi promptiuſque nullum ſuppetebat;ut à cujus autoritate dignitatem, judicio æſtimationem, ſuffragio vim roburque habitura videretur. Illius mihi hoc loco in mentem venit hiſtoria, quæ de Perſarum Rege Ataxerxe ſatis eſt pervulgata. Is adverſus Cyrum fratrem magnis itineribus contendens, cum via æſtuque fatigatus ſubſiſteret, repertus eſt ruſticus, qui ſitienti hauſtam ex turbido aquam in utre, per miniſtri Peribarzanis manus, exhiberet,quâ Rex epotâ,negavit delicatiori ſeſe hauſtu vini recreatum unquam, juſſitq; hunc ruſticum, ſuis eductum ſordibus,inter purpuratos deinde divites vitam exigere. tanti erat donum,cetera abjectiſſimum, unius Prin-

cipis

cipis æſtimatione ac deſiderio. Aquam ego Tuæ Em.tiæ Heliconis ex fontibus, quanquam turbidis parumque expurgatis, defero, pretium rei nullum, niſi quod Tua æſtimatione ac favore illi tribueris. Factum ſatis meo in Te amori obſervantiæ, modò Tibi hoc munere non diſpliceam, quo tamen non tam obtuliſſe me, quam accepiſſe beneficium meis Muſis gratulabor. Tua illæ ex humanitate ſolatium, ex favore habitura ſunt ornamentum. Magnum erit à cultiſſimæ literaturæ viro, ad illud ſapientiæ, ſcientiarum, artiumque liberalium admitti domicilium, quo non tantùm viri eruditionis fama clariſſimi, religioniſque cultu ſpectatiſſimi, ſed & ſummi Chriſtiani orbis Principes ac Monarchæ delectantur. Vbi pulcherrimum quoddam virtutis literarumque commercium, demiſſionis, eminentiæque in purpura ſocietas. Equidem nolo hic illa religionis ſapientiæque per Europam illuſtria tuis legationibus im-

preſſa, relegere veſtigia, nolo illa Romæ jam explorata morum integritatiſque Tuæ decora tangere, æterna famæ, poſt Tua etiam fata locuturæ, monumenta; Vnum, quod mihi audaciam Te hoc ſcripto interpellandi injecit, diſſimulare nequeo. Manſuetioribus videlicet Muſis, liberaliſſimum Te etiamnum hoſpitium pandere, eoſque quotquot his ſtudiis delectantur, humaniſſimè complecti, ut novus huic ſeculo Meçœnas natus videare. Quin & doctiſſimi illi Tui in Philomatho poëmatum luſus, qui lacteo candore, & ſuaviſſimo eloquentię rore defluunt, argumento ſunt, quantum amœniſſimis his literis atque ad honeſtiſſimum excelſarum mentium, à rebus gravioribus, diverticulum natis, deferas. In his enimvero tranquillæ mentis Tuæ ſuavitatem, morumque ad omne virtutum decus excultorum indolem, tanquam in imagine quadam animi Tui poſteris relictâ, licebit intueri. Quæ quiſquis viderit, ignorare non

poterit,

poterit, quantum ingenio exemploque Tuo his literis, quantumque exercitationibus formandæ per has artes adoleſcentiæ tribuas, neque me injuriâ excitatum admirabitur, qui à Patrio ſolo ad externi Principis favorem patrocinium que implorandum, has Muſas ultra Alpes peregrinari voluerim, nullibi verius certiuſque habituras ſuffragium, quam Romanâ in Curia abs illarum artium peritiſſimo arbitro illis tributum. Age itaque EMINENT.^me PRINCEPS, & quando Tuarum etiam Virtutum ſcientiarumque coloribus quædam in hoc opere adumbrantur poëmata, relucentem animi Tui, in vili licet rudiq; opere, qualemcunque ideam ne averſeris. Novi Romæ olim ad ſalutantes corvos Auguſtos hæſiſſe Imperatores; Romanorum etiamnum Anſerum ſtrepitus in poſteritatis vivit memoria. Ego igitur ſiquid cum corvis, inter Auſonias INNOCENTII columbas, crocitem durius; aut cum anſeribus, inter doctiſſi-

mos hujus ſeculi Tibi accinentes olores, importunius obſtrepam, veniam mihi quoq; apud humaniſſimum Principem polliceri auſim. Qua ſpe fretus, me meaque Tuæ clientelæ profuſiori affectu, quàm opere tranſcribo. Deumque ter Opt. Max. obnixè precor, ut Tuam EMINENT.am nobis ſuæque Eccleſiæ diu præſtet incolumem. Düſſeldorpii ad Rhenum Anno Chriſti M. DC. LIV. Calend. Junii.

Humillimus in Chriſto ſervus

IACOBUS MASENIUS.

BENE-

BENEVOLO LECTORI.

Alteram Tibi partem exhibeo palæſtræ literariæ, in qua particularibus ad quamlibet poeſin inſtructionibus exercitationes propriæ, & variorum exempla poematum acceſſêre; non quòd ea ab aliis ſuis antehac partibus abſoluta non prodiiſſent; ſed quòd eo diſcrimine ac varietate in volumen unum, de qualibet poeſi, ad juventutis uſum, à nemine congeſta ſint. Deinde, quòd in iiſdem poematibus plerarumque rerum tam naturalium, quàm moralium magis obvias Poetis deſcriptiones complexus fuerim, quâ unâ re nihil hanc artem ſpectanti poteſt eſſe ad profectum expeditius; cùm, quocunque incedant Vates, in amœnas ferè rerum deſcriptiones ſeſe effundant. Neque ex phraſiologiis uſque adeò promptum ſufficitur præſidium; ut quæ per rerum deſcribendarum partes raró digeſtæ, non niſi imperfectam earum imaginem oculis ſubjiciant, multò etiam præſtet ſua in aliquo poeſios corpore membra intueri, quàm disjectas tantùm, velut ex naufragio, tabulas. Sunt verò & optimorum è priſca eruditione autorum exempla in manibus, nec à nobis omnino prætérita, ſive laudem illa, ſive animadverſionem aliquam juxta ſanæ præceptionis receptæque diſciplinæ leges mererentur. quâ tamen ultimâ, citra neceſſitatem abſtinendum duximus; quòd pronum ſit in longo itinere nonnunquam offendere, neque id exprobrare humanitatis, caritatis tamen aliorum ſubſequentium lapſibus, detecto errandi periculo, proſpicere. Accedit, quòd non pauci veterum in iis ſcribendi argumentis verſati ſint, quę rudi ad ſcelera etiamnum juventuti flammas vitiorum ſubminiſtrent, & per-

 ſua-

ſuadeant ignoranda. ut iccirco quæ rectæ inſtitutioni paratæ ſunt artes, in flagitiorum alimenta convertantur; nec abs re ſit, piis dicendi exercitationibus Romanæ habitum eloquentiæ induere. Quod, ut cultiſſimæ, hâc ætate, eruditionis viri (quorum apud nos quoque memoria eſt) ſat feliciter ſunt aſſecuti; ita nobis conatus non defuit, qui ab omni barbarie & peregrina obſcuritate averſi, ad optimos quoſque linguæ Latinæ principes animum calamumque vertimus; ne exemplis aliud, quam præceptis traderemus. Ut tamen peritis etiam ſagittariis nonnunquam ſcopo tela excidunt; ita cum iiſdem veniam merebor, ſiquando imprudens à linea deflexerim. Fave, & vale.

ELEGIACA POESIS.

Quas univerſim de ligata eloquentia præceptiones tradidi, has nunc propius ad cujuſque poematis formas affectioneſque adhibere neceſſe eſt; ut præviis, veluti ductus doctuſque, exemplorum veſtigiis, quò rectâ facilique viâ eundum, hujus artis ſtudioſus, intelligat.

Ab infimo ſcribendi genere, quod Elegiaci eſt carminis, ordior, neglecto Epigrammate. Hoc enim, licet elocutione facillimum ſit; inventione tamen, ſi ſuis partibus abſolvatur, prorſus eſt ſingulare, atque ad ingenii admirationem ac voluptatem omni orationi conciliandam inprimis opportunum; ut iccirco ſeparato libello operam dederim, quò facilitatem & copiam eidem compararem. Nunc Elegiæ propria breviter expendam.

Caput I.

De materia elegiæ ejuſque conceptuum varietate.

Horatius in Arte ſua inquit, de Elegiæ materia.

> Verſibus impariter junctis querimonia primùm,
> Poſt etiam juncta eſt voti ſententia compos.

Imò poſtea Epiſtolarum etiam vice fungi cœpit, atque omnem earum complecti varietatem & materiam: nec laudes tantùm, reprehenſiones, vota, gratulationes, præcepta, amores; ſed & bella ac triumphos narrare. Nulli tamen perinde materiæ, quàm lugubri convenit; cuiâ prima inſtitutione atque ipſo adeò nomine ſuo, ἔλεον λέγειν (quaſi Eleologia dicas) eſt deſtinata. Amoris porrò etiam affectionibus inprimis ſervit; cùm molliores animorum impetus idoneis numeris exprimat.

Conceptus Elegiarum planè eſt facilis & obvius. nam una etiam ratio ad rem propoſitam ſtabiliendam ornandamque ſufficit. Quemadmodum in Lyricis, ita penè ros in Elegiæ habet conceptibus. ut proinde Tarquinius Gallutius eaſdem ablegarit ad Lyram. Verùm ego in Lyricis grandioris plerumque apparatum ſtyli requiro, ut proinde Elegias, quamvis materiæ & concipiendi ratione hinc non amoveam, formæ tamen ac ſcri-

bendi genere in ſubſellio Poëſios inferiori collocem; quòd ut plurimum humili, licet purè culto ornatu, incedant; Lyrica phalerato magis verborum lenocinio auguſtiorique ſententiarum lumine extollantur. ut proinde hi poematum charačteres nequaquam ſint negligendi. Materiam conceptumque nemini defuturum arbitror, qui quidem aliquam epiſtolarum contexendarum rationem perceperit. nil enim prohibet quo minus quodvis ſoluti epiſtolii argumentum his verſibus ſerviat.

Plus artis in ornamentis conceptuum adhibendis pono. Ornantur autem, vel per ſimilitudines & parium diſpariumve rerum exempla; vel per antiquorum expoſitos ritus hiſtoriaſve; vel per fabulas fičtioneſve, de quibus prolixè lib. 1. part. 1. egimus; vel per vota, præſagia, imagines & ſimulacra etiam per ſomnum obječa, vel per digreſſiones deſcriptioneſque rerum adjunčtarum, quas Magiſtri in hac arte, Epiſodia, voce Græcâ, appellant; vel denique per expoſitionem adjunčtorum aliumque ejus generis cultum. Quam rem, ut aliqua exemplorum diverſitate declararem, nonnullas argumentis ornamentiſque diſſimiles exhibui Epiſtolas, quibus rudior duci docerique juventus poterit; cum Ovidius unius potiſſimum argumenti cultuſque reliquerit.

1. *Epiſtola Argumentum* eſt. Ferdinandus Gonzaga filio ſuo Aloyſio Societatem IESU ambienti diſſuadet propoſitum. Rationem unam ſolamque adfert; quòd teneriori neque ſat conſtanti ætati convenire. id minimè judicet. Quot hic alia ſuppetebant argumenta? an non decus, & honor familiæ ad poſteros propagandus? Marchionatus dignitas, & opum affluentia? Populi favor, ac deſiderium optimi Principis, & ſpes in illo protegendæ patriæ? exempla pietatis cum dignitate ad majorem ſubditorum fručtum conjungenda? Hæc aliaque ejus generis negleča, uno ad facundam poeſin argumento ſufficiente.

Ornamenta hujus conceptus ſunt, comparationes à ſimili & exemplo dučtæ; quòd hæ ad perſuaſionem, cum voluptate inculcandam, valeant.

Reſponſoria exemplum aliquod adjeci. quæ eâdem viâ, rationem rationi, & comparationes comparationibus opponit. Eſt que in hoc reſpondendi genere illuſtrior quidam eloquentiæ campus; quòd nervoſæ obječtorum ſolutioni hujus carminis numeri inprimis faveant.

2. *Epiſt*

2. *Epiſt. Argumentum* eſt. Legati Principum Europæ exſtimulantur ad pacem. Rationes petuntur à belli pertinacis damnis.

Ornamenta conceptus vix adhibentur, iccirco quod rationes plures à belli incommodis petitæ hìc corpus Epiſtolæ ſatis amplificent.

3. *Epiſt. Argumentum.* Fabius Chiſius Cardinalitià purpurâ honoratur, ob ſapientiam & virtutem,

Ornatur fictione imaginis per ſomnum objectæ, quæ Honoris virtutiſque inſignia ac monumenta complectitur.

4. *Epiſt. Argumentum.* Arnoldus Comes de Gelehceen in S. Cæſ. Majeſt. Cubicularium, ob ſcientiæ & virtutis dotes, adſcitus, ad clavem auream accipiendam (quæ illius honoris ſymbolum eſt) invitatur.

Ornatur ex adjunctis tum clavium ritibus ac ſymbolis, tum perſonæ ad illarum uſum admiſſæ.

5. *Epiſt. Argumentum.* Ferdinando à Furſtenberg in Italiam tranſeunti felix iter autor precatur, ideoque celerem, equum nec Alpes difficiles.

Ornatur quidem veterum equorum inductione, Amphioniſque ſaxa trahentis, & Hannibalis aceto emollientis; ſed duobus potiſſimum epiſodiis Academiarum Italiæ, & antiquioris Romæ deſcriptione.

6. *Epiſt. Argumentum.* Petrus Sibenius Abbas Gladbacenſis, cum duobus Fratribus, Paulo, & Martino, ſapienter ac piè calcato mundo Religionem ingreſſi, in diverſis Ordinibus unanimes vivunt.

Ornatur perbrevi quidem epiſodio Dalenæ patriæ flammis exuſtæ, tum Petri ad honorem per virtutes evecti; ſed inprimis traductis ab antiquitate fabulis, & hiſtoriis, in comparationem adhibitis.

Porrò cum epiſodia ſint in Elegis frequentia; pars illa quidem non neceſſaria, ſed ſæpe, ubi ſcitè adhibentur, elegans, atque inter doctos non infrequens; de opportuno horum uſu paucis diſſerendum, ac per exempla quoque ducendum lectorem exiſtimavi. Eſt autem Epiſodium, digreſſio quædam ad deſcriptionem rei alterius, à noſtro propoſito alienæ, ſed tamen cum illo conjunctæ. In quam Poëta excurrit, tanquam viator amœnitatis gratia, in pratum viæ conterminum. Tale igitur Epiſodium eſt, quod abeſſe à poemate quidem poteſt, ſine argumenti & conceptus propoſiti everſione, non tamen ſine gratiæ &

ornatus jactura. Cavendum verò, ne parum opportunè epiſodia, nimiumque à re propoſita aliena inducantur, ut à Propertio lib. 3. Eleg. 10 factum, ubi turpe feminarum, quibus ſe tradiderat, ſervitium averſatus, atque ab exemplo Cleopatræ Romanis Ducibus imperantis digreſſus ad Romanorum bella, in eis, tanquam propoſiti immemor, concludit.

Varietas quædam epiſodiorum tibi in lacrymis noſtris ſuppeditabitur, ubi ſex Elegiæ idem materiæ argumentum, (quod eſt dolor Petri ob Chriſtum à ſe in domo Caiphæ negatum) complexæ, variis potiſſimum epiſodiis, in alio atque alio conceptus ornatu, proponuntur. quod conſultò factum; ut in eadem materia facilius ornandi varietatem copiamque agnoſceres, apprehenderesque. Expono breviter.

Elegia 1. *Argumentum eſt*. Dolet Petrus in domo Caiphæ à femina ſe exterritum, negaſſe Chriſtum.

Ornatur hiſtoria & expoſitio facti malè ominatis præſagiis, & diris imprecationibus in ſeipſum tanti criminis autorem detortis, potiſſimum verò diſſimilium comparatione.

Eleg. 2. *Argumentum idem. Ornatur* portentoſis viſis & epiſodiis, ductis ex Chriſti factis beneficiiſque malè uſurpatis.

Eleg. 3. *Res eadem Ornatur* Epiſodiis ex hiſtoriæ adjunctæ oppoſitis, tum etiam ex cauſis mali, ac denique perſona D. Virginis & Petri petitis.

Eleg. 4. *Ornatur* adjunctis loci & temporis, cum inductione figurati ſomnii, quo & Petrus ipſe eſt repræſentatus.

Eleg. 5. *Idem Epiſodiis* à perſona Petri ejuſque factorum oppoſitione, denique & Gallicinio deſumptis *ornatur*.

Eleg. 6. *Argumentum idem ornatur* ſingularibus dolentis amantiſque affectionibus, atque ad pœnam omnem oblatione; comparationibus ex Davidis & Magdalenæ pœnitentis conciliatione ductis.

Vniverſim in his, ad idem argumentum diducendum ſpectantibus, quandam habes dolentis amantiſque imaginem; ut quemadmodum formam omnem affectumque induat, haud difficulter agnoſcas.

CAPUT

CAPUT II.

De materia, ejuſque quantitatis partibus.

EXordium, aut à Numinis invocatione, ut non rarò Tibullus; aut quod uſitatius eſt, à re ipſa, ut ferè Ovidius & Propertius, licebit ſumere, per figuram aliquam interrogando, vovendo, minando, admirando, expoſtulando, animata aut inanimata compellando.

Propoſitio aperta rei ſcribendæ neceſſaria non eſt, ſed in ipſo ſcriptionis diſcurſu hæc miſcetur.

Narratio Elegiæ ab Epica longè diverſa eſt: nam hìc longè diductis narrationibus inſiſtitur; in Elegia ſummatim carptimque aliqua exponuntur, ornatu aliquo cùm ſimilitudinum exemplorumve, tum epiphonematum ſententiarumque medio. Vide *in Lacrymis* n. 10.20.90.130. 230. 260. &c. Ex quibus etiam locis & varietatem narrandi, & ordinem ſine ordine laudatum reperies. Exempla verò, modò ſimilia, ut n. 400. modò diſſimilia, ut n. 70. nunc majora, nunc minora ſervient, ut n. 39. in quibus nimius Ovidii luxus, & præter hunc nimia etiam Propertii obſcura & fabuloſa antiquitas erit evitanda. Similitudines inprimis gratiam Elegis conciliant, præſertim ſi locum ſententiarum vulgo receptarum occupent. Conſule *Epiſt.* 1. *& ejus reſponſoriam.* Vel ſi cum oppoſitione aliqua ſint conjunctæ. ut *in Lacrymis* n. 50. & 22. Idem etiam aliquando ſecum pro diverſo ſtatu conſideratum ornatè comparabitur. ut ib. n. 310, & 350. Fictiones moderatè uſurpatas hoc carmen admittit; vota rerum noſtras licet vires excedetium (ut n. 210. 300. & 420) ſomnia (ut n. 240) præſagia (ut n. 13. & 100) fingere atque introducere opportunè elegans eſt. Quanquam & fictio quandoque, ut in Lyricis, ſic Elogis totum poëma occupare poſſit; ut factum *Epiſtola* 3. Cauſæ item, quæ minimè videntur cauſæ argutè uſurpatæ (de quibus in Epigrammatis actum) gratiam merentur. Vide *Lacrymas* n. 145. 162. 181. & 276.

Permutatio adhæc rerum & affectuum admirationem & vim Elegiæ conciliant n. 155 uſque ad 170 & 300, uſque ad 315. & 380. Oppoſitio denique rerum factorumque inprimis venuſta eſt, n. 170. & ſeq. ac n. 311. & 351. Quæ ornamenta pleraque in unius argumenti carmen aggeſta affectationem aliquam ſapere poſſent. Verùm mihi abs re viſum non fuit, ſi uno themate atque

magine collecta, velut in compendio, ſimul ſpectanda & æſtimanda proponerem. Ceterùm in Epiſtolis ea moderatione his uſus ſum, quæ affectationis labem non reformidet.

Epiſodium cum neceſſarium non ſit, tortum ac per vim acerſitum eſſe non debet. Offerat ſeſe potius, quam ut anxiè ex latibulis eruatur. neque longum nimis in Elegis ſit, niſi admodum rei propinquum, ut illa eſt, *in epiſt. 7. ad Romipetam*, urbis deſcriptio. neque in digreſſionibus abſoluta hæreat oratio; ſed ad propoſitum ſeſe in exitu recipiat, ut *ibid.* factum intelliges.

Epilogi, ut exordii, incerta lex eſt, aut enim in expoſitione rerum facta ſubſiſtitur, & ſententioſo carmine ut plurimum concluditur. aut verſu ſententiave, quâ cæperat, repetita vates finit: aut aliquo ſe exſolvit voto ſuſpenſis ad tholum muneribus; aut aram, monumentum, tumulum erigit, inſcribere perpetuæ poſterorum memoriæ. Vide in Epiſt. noſtris, tum Ovidii præſertim Phyllidis ad Demophontem, & Didonis ad Æneam.

CAPUT III.

De forma cultuque ſermonis elegiaci, ejuſque in rebus diverſis diverſitate.

CUltus ſermonis poetici univerſim, ut p. 1. l. 2. c. 1. ex Ariſtotele tradidimus, in duabus potiſſimum dotibus conſiſtit. Prima eſt, ut cum perſpicuitate illuſtris & à vulgo remota ſit; altera quæ priorem limitat, eſt, ut decorè compoſita ſit, tam membris ſive partibus ornatæ elocutionis aptè inter ſe cohærentibus, quàm convenienter ad rerum perſonarumque exprimendarum naturam: quæ, ut aliis aliiſq; ſubſtratis orationi rebus gravior leviorve reperitur; ita æquum eſt, elocutionem accommodari. Et hæc cauſa eſt, cur res graviores plerumq; heroicis mandentur verſibus, leviores Elegis committantur: quòd illius carminis numeri majeſtatem quandam orationi induant; hujus leviori pede ad finem proſiliant. Quod ſi tamen in Epopœjam res humiles, in Elegiam magnæ incidant, minori majorive verborum delectu apparatuq; id agendum; ut oratio cum rebus, nunc illuſtrius, nunc humilius incedendo, cõveniat. quia hæc imago quædam rerum eſt, quæ ſi ruſticum in nobilis, aut hunc in ruſtici ſchemate proponat, ineptire exiſtimatur. Cum igitur res in noſtra poteſtate non ſint; contra oratio ſit quoddã figmentum noſtrum, quod ad objectæ creaturæ ſpeciem, tanquam

quam ſimulacrum, efformamus; alia ſanè membra illius, aliis coloribus, umbris, lineamentiſq; effingenda ſunt. ut iccirco appareat, quantùm aberrent, qui uno omnia penicillo ducunt, ſuoque diſcrimine diſtinguenda confundunt. Quod ſi tamen grandibus verbis, ob carminis ingenium, locus in re grandi non fuerit, figuris agendum illud eſt, quod verbis commode nequit: nam & his quædam illuſtrandi orationem vis ineſt. Videmus enim & viliores telas certa figura ac ſchemate nonnunquam etiam corporibus non inſcitè aptari. Quibus, ut decet ſuppetitis, facilius erit de Elegiæ cultu ſeorſim conſtituere.

Ante omnia monendus hujus artis ſtudioſus eſt (quod neſcio an cujuſquam hactenus præceptionibus obſervatum fuerit.) Duplicis eſſe generis cœpiſſe carmen Elegiacum, poſtquam à re lugubri aliaque affectibus tenerioribus, doloris videlicet atque amoris obnoxia, ad aliarum rerum deſcriptiones, laudeſq; atq; encomia, cùm rerum, tum perſonarũ transferri viſum eſt. Nam ſi rebus tam diverſis orationis habitus cultuſque aptandus ſit, planum eſt eandem utrobique ſpeciem laudari vix poſſe. Et niſi hebes fueris, obſervabis alio Naſonem in Faſtis, alio in Epiſtolis heroidum colore res ducere. illic ſine impetu tempeſtatis floret, placidaque in aura amœnus eſt; hic omni affectu volvitur, omnemque penè formam verbis, ſententiis, figuriſque induit. quo genio non raró Propertius, tum ſæpius etiam Tibullus, frigidior planè amator, deſtituitur; licet phraſi nequaquam humiliori ferantur. Viciſſent, ſi ſolo verborum & phraſium, abſque illo figurarum colore, res agenda fuiſſet: nunc victi concedunt, quia rebus minus ſcitè orationem addixerunt illic ubi potentioribus, (ut in amoris doloribuſque regno fit) affectibus indulgendum. ceterùm in amœniori rerum deſcriptione plerumque magis florent, licet minus ſuavi oratione decurrant. Vnde diſcrimen ſanè eſt, ut inter res turbatas quietaſque triſtes ac lætas, ſic inter orationem de utraque in Elegiis materia. illa enim affectibus variis miſcenda, tanquam mare inquietum fluctibus, erit; hæc placidi amnis inſtar limpido pacatoque deducenda flumine. Quocirca ab ipſo vocis etymo & præcipuo doloris affectu illam dicemus lugubrem; hanc contra, à rebus plerumque amœnis, jucundam: quanquam illa & ceteros patiatur, amoris præſertim affectus; & hæc, res etiam horridas, ut tempeſtatum averni que deſcriptiones, admittat. Vniverſim de utraque illud te obſervare operæpretium erit (quod ad characte-

characterem utriuſque diſcernendum ſpectat) lugubrem in verborum delectu neglectiorem eſſe tenuique ſtylo duci, in figuris verò variam admirabilemque efferri ſublimius; Iucundam ex oppoſito in figuris parcam, & generis infimi, in verbis verò, tropis, ſententiiſque exquiſitam atque ordinis medii. Quod cum exemplo magis quàm longo doctrinæ circuitu explicetur, vide *Annum* noſtrum, ubi amœnioris poeſios in diſtichis lineamenta duximus; contraque intuere, & componere Petri *Lacrymas* aliis coloribus diſtinctas: & ſcribendi diſcrimen haud leve animadvertes. In Epiſtolis verò utrumque characterem mixtum reperies, prout res uſuſque poſtulare eſt viſus.

Ornatus itaque hujus poeſios, ut cum admiratione perſpicuus, cum decore etiam, & ſuo in corpore, & convenienter rebus cultus ſit, quinque potiſſimum in rebus ſpectandus erit.

Primò delectus junctura que verborum apta requiritur. de qua re part. 1. lib. 2. actum prolixius. Proprium verò Elegiæ eſt 1. Quod aſperiores in verbis literas, & vocalium conſonantiumque duriorem inter vicinas ſyllabas colliſionem reformidet. 2. Epitheta peregrina, ut plurimum, grandiaque repudiat; mollioribus, quæque dulces involvunt metaphoras, lætatur. plus tamen Elegiæ, quam jucnndam dicimus, indulgetur; ut quæ crebrioribus juxta grandioribuſque adjunctis delectatur, cum flore quodam & luxu orationis magis ad oſtentationem, quàm impetum efferatur. 3. Verba amat pura, aperta, ſuavia & perſpicua, antiquatorum novatorumque, niſi rarò ac venuſtè adhibeantur, inprimis faſtidiens. 4. Ejuſdem modi ac temporis frequens recurſus, ut apud Tibullum ſunt, *diſcubuiſſe*, *pertimuiſſe*, *continuiſſe*, eodem præſertim carminis loco, eſt devitandus.

Secundò membrorum apta debet eſſe conjunctio, ſententiarumque delectus. Proprium hic Elegiæ eſt 1. Vt membra ſint brevia ac Latinè pura, quæ tamen à ſolutiſermonis uſu, aut verbo, aut epitheto, aut metaphora rariori, aut toto conſtruſtructionis habitu eleventur. 2. Vt Periodi, non magnæ ambitioſæque, ſed diſticho plerumque uno circumſcriptæ, aut ſenſum terminent; aut certè membris tam abſolutis definiant, ne imperfecta prorſus ſuſpendatur oratio; hoc enim eſſet recepto numerorum obluctari ponderi, inclinatumque per vim ſuſpendere, ac malè ſecum collidere ſermonem, ut qui verba numeris pugnantia coacervet. Quod inter cetera Catulli vitia jure putabitur.

tabitur. Quem ego Poëtam iis nunquã, qui in Elegis laudantur, nec illo quidem ad Comam Berenices & Mallium celebri apud nonnullos Encomiaſtas carmine, accenſendum aliter duxero, quàm ut vetuſtæ quandam poeſios imaginem rudi ductam colore repræſentet.

Tertiò Figuras hæc poeſis, cùm jucunda eſt, raras moderatéque elatas patitur; ſecus vero lugubris ſuiſque indulgens affectionibus, quæ in omnem verſatur partem. ideoque omnem formam atque impetum figurarum, pro affectuum varietate, aſſumit. Porrò cum molles vehementeſq; ſæpe dolentis amantiſque animi motus ſint, ſuavi quadam vi aſſurgere ſimul inflectique figuræ debent; ut mentis impetum imitatrix poeſis aſſequatur. ad quod in ceteris valent Apoſtrophe ad pares vel diſpares perſonas, adhibitis collationibus, dirigendæ; ut *in Lacrymis* factum n 70. quin & ratione atque anima carentia alloqui ornatum eſt. ut n. 125. Proſopopœja hic etiam miram vim habet. ut n. 107 uſque ad 130. & 190. Hyperbole quandoque locum invenit, ut n. 315. & 425. Subjectio frequens eſſe poteſt, ut n. 253. & 350. & 385. Item Deprecatio n. 357. & 387. &c. Optatio n. 343. Deploratio n. 200 Execratio n. 365. Exclamatio & Parentheſes crebrius interponuntur, cùm triſte ac grave inprimis facinus, aut res admiratione digna explicatur. ut n. 25. 59. &c. Correctio, quâ excuſatio interpoſita nova rurſus accuſatione deſtruitur, multum habet venuſtatis, atque ad motum idonea eſt. ut n. 130. uſque ad 180. Epiphonemata ſubinde interſerenda ut n. 375. Repetitio magna etiam virtute ad motum pollet, præſertim ſi interrogationi ſit conjuncta. hanc in lacrymis multis locis, in principio, medio ac fine, omni penè varietate, adhibuimus. Vide n. 120. 264. 352. 368. 388. 392. 409. &c. Porrò quantum interrogatio opportunè adhibita atque etiam exclamatio ad orationem acuendam valeant in 2. *Epiſt. noſtra*, qua pacem ſuademus, facilè animadvertes.

Quartò hæc poeſis cum in humili ferè dicendi genere verſetur, modò ſententiarum gnomicarum, ubi de moribus inprimis agitur, luminibus delectatur; modò argutè dictorum nervis opportunè ſtringitur. illius ornamenti ſchemata in prima *Gonzaga Epiſtola* ejuſque reſponſione invenies: alterius quædam in *Epiſt. 2. ad Legatos*, præcipuè tamen *in Lacrymis* deprehendes. Habetque cultus ille vim quandam cum voluptate perſuadendi, cùm altiſſimè animis iſtæ dictionis illecebræ inſideant, & ſerius

rius obliterentur. Quanquam, ut in culto habitu omnis macula gravius offendit, ita pueriliter captatæ argutiæ, leviterque in ſplendida oratione vibratæ diſplicent. Ex hoc ornatu infra quædam per Ovidii Epiſtolas ſeligam, ut diſertius intelligas, quis qualiſque is eſſe poſſit

Quintò in numeris Elegia ſuavitatem amat, quam præ reliquis unus eſt Ovidius feliciſſimè aſſecutus. Vitanda itaque ejuſdem literæ crebra repetitio, aſper vocalium concurſus, eliſioneſque & hiatus, quibus vel tardatur pronuntiatio, vel literæ ſine gratia abſorbentur. Dictiones item monoſyllabicæ in finali cæſura diſplicent: niſi forte alia, quæ mitiget enunciationem monoſyllaba præcedat. ſic toleratur. *conſequar iſta ſat eſt.* Polyſyllaba ac præſertim triſyllaba in fine Pentametri ingrata ſint. In illis Propertius quandoque affectatè gravis, in his verò etiam Catullus ingratè languidus. Ovidius verò in utriſque cavendis nimium penè religioſus. Nihil enim prohibebit aliquando hæc inſerere, uti etiam tolerare eliſiones, cùm hæſitatio, mœror, languor, defectioq; animi ſignificanda erunt. gratiamque etiam hoc pacto ſermoni conciliabunt.

Caput IV.

Qui potiſſimum autores, & quibus in dotibus ad imitationem proponendi ſint, quibus in vitiis declinandi.

Supereſt potiſſimum hujus palæſtræ officium, ſtyli ductus & optimorum Poetarum æmulatio. Spectare tantum & legere in hac arena ſupervacaneum penè fuerit, niſi ad uſum exercitationemque, tam præceptorum, quàm vatum ars oculis hauſta traducatur. Verùm, quos tibi hic, caſte Lector, tutò ſatis autores proponam, ambiguus hæreo. Innocentia adoleſcentum pudorque honeſtus res eſt vitro fragilior, ad Poëtarum amores, quos veteres ubique ſpargunt, veluti ſcopulum alliſa, frangitur, ut multi, cum ex his diſcunt, pereant. Quare veteres illos qui in hoc genere ſcribendi laudantur maximè, ut Ovidium, Tibullum, Propertium, niſi obſcœnitate & amoribus proſcriptis, juventuti non ſuaſero; quidquid contra oblatrent impuritatis hodie Magiſtri, quorum plerique religionis naufragium jam perpeſſi, pudoris jacturam non æſtimant, adeóque Eunuchos hos noſtros Poetas, puro videlicet ore, proſcindunt, omnemque in nos, hujus poeſios exilium decernere auſos, bilem evomunt.

munt. Attamen hos ex alto Muſarum proſtitutores deſpicimus, ſecuri, etiam in ipſa virtutis atque integritatis arce, bonarum artium poſſeſſores. Sus volutabrum diligat, nihil hæc ad Minervam. Ethnico ego ore illorum impudentiam confundam. Legatur ſanè Ovidius atque illic legatur ubi ſic loquitur de *Amoris remedio*.

Eloquar invitus, teneros ne tange Poëtas:
Submoveo dotes impius ipſe meas.
Callimachum fugito non eſt inimicus amori;
Et cum Callimacho, tu quoque Coe, noces.
Me certè Sappho meliorem fecit amicæ,
Nec rigidos mores Teïa Muſa dedit.
Carmina quis potuit tutò legiſſe Tibulli?
Vel tua, cujus opus Cynthia ſola fuit?
Quis potuit lecto durus diſcedere Gallo?
Et mea, neſcio quid, carmina tale ſonant.

Hem Amorum Patroni huic frontem, ſi quam habetis, affricate, ut vel à gentili diſcat erubeſcere. Se, Gallum, Tibullum, & cum ſua Cynthia Propertium, negat tutò, & à conſtanter obdurato Amoribus pectore, legi poſſe, iis ſcilicet locis, quibus Amores adumbrant. tam ferreum non exiſtimat eſſe, qui his lectis intellectiſque non emolleſcat. Quid verò Tibullus & Propertius ſine Amoribus, ferè paſſim inſertis, tractant? Ovidius multis locis purè fluit, aliis ſeipſum damnat. tantum veritati pondus ineſt, ut invitis nonnunquam excidat. De me liberè fatebor, hac perculſum formidine, adduci nunquam potuiſſe, ut, ſive in hac, ſive in alia poeſi, quàm univerſam prope diſcendo docendoque in ſcholis volvi, incorrectum quempiam ex notatis hoc vitio autoribus evolverim. Et ſanè nihil opus multitudine: unus etiam Ovidius, in Elegis caſtigatis, profectionis avido ad omnem hac in poeſi eloquentiam ſuffecerit.

Porrò ut hujus vim artemque Poëtæ, tum etiam ceterorum, facilius, & legendo pervadas, & imitando aſſequaris, ſumpto aliquo ſcribendi argumento, eoſdem inter ſe componam. Illud eſſe poterit, quo *conjux abſenti conjugi deſiderium reditus exponat*. Quod diſſolutis verſibus, ut propius intuearis, tale ex Tibullo adfero, magiſque poetica diverſo charactere deſigno.

„ Quid prodeſt, ó Neæra, *votis* (ad Superos fuſis) *impleſſe cælum*, „ & *blanda*. cum multâ prece *dediſſe* thura? Non (cupio) inſignis „ (eſſe) conſpicuuſque clara domo; ut è *limine tecti marmorei*

 prodirem;

, prodirem : aut ut *tauri mei multa renovarent jugera*, & terra
, *benigna* magnas meſſes daret; ſed ut longæ tecum vitæ gaudia
, ſociarem, & ſenecta noſtra in tuo ſinu *caderet*; Tunc, cum *per-*
, *menſo tempore lucis defunctus, Lethaa nudus rate ire cogerer &c.*
, *O niveam mihi lucem*, &c, ô diem terque quaterque felicem, qui
, te poterit mihi reddere! At ſi Deus meus aversâ non audiat
, aure, quæcunque pro dulci reditu voventur: nec regna me
, juvent, nec *aurifer amnis Lydius*, nec opes quas orbis terrarum
, ſuſtinet. Hæc alii cupiant, mihi paupere cultu ſecuro liceat
, cara poſſe frui conjuge.

Hæc pleraque infimo ſcribendi charactere exarata vides, ſive ſtylum, ſive affectum autoris ſpectes quæ lib. 3. Eleg. 3. ſic Tibullus verſibus illigavit.

1. Quid prodeſt cœlum votis impleſſe Neæra?
   Blandaque cum multâ thura dediſſe prece?
2. Non ut marmorei prodirem è limine tecti,
   Inſignis clarâ conſpicuuſque domo.
3. Aut ut multa mei renovarent jugera tauri,
   Et magnas meſſes terra benigna daret;
4. Sed tecum ut longæ ſociarem gaudia vitæ,
   Inque tuo caderet noſtra ſenecta ſinu.
5. Tunc cum permenſo defunctus tempore lucis,
   Nudus lethæa cogerer ire rate. &c.

Iam Propertium in materia ſimili loquentem audiamus, ut emineat quâ potiſſimum ſcribendi ratione diſſideant.

, Hæc Arethuſa mittit mandata Lycotæ ſuo, ſi meus eſſe po-
, tes, cum toties abſis. Siqua tamen lecturo *tibi pars deerit oblita*
, (lituris) hæc è meis lacrymis facta erit litura. aut ſiqua *te incer-*
, *to tractu fallet littera*, ſigna erunt dextræ meæ jam morientis.
, *Te modo viderunt iteratos per ortus Bactra; Te munito equo hoſtis*
, *Sericus, ac Hiberni Getæ pictoque curru Britannia, & diſcolor Indus*
, *Eoa uſtus aqua. &c. Heu portis omnibus noxia mea pendent vota!*
, *texitur hæc lacerna quarta caſtris. tuis. Occidat, qui immerita in ar-*
, *bore vallum carpſit, & rauca per oſſa tubas ſtruxit, dignior qui fu-*
, *nem torqueat Oeno obliquo, & æternus tuam Aſelle famem paſcat.*
, *Dic mihi num teneros lacertos lorica urit? num gravis haſta imbelles*
, *atterit manus? &c. Felix Hippolyte, quæ nuda papilla arma tulit, &*
, *molle caput barbarâ texit galea*, utinam Romanis puellis caſtra
, patuiſſent, *fida tua eſſem militia ſarcina: nec Scythia me tarda-*
, *rent juga, cùm altas pater Africus aquas frigore in glaciem nectit.*

Anim-

Animadvertes opinor hunc poetico magis per ardua loca paſſu incedere: paucis, quæ exordio Elegiæ habentur, demptis. Hæc ita Propertius carmine eſt complexus.

1. Hæc Arethuſa ſuo mittit mandata Lycotæ:
   Cum toties abſis, ſi potes eſſe meus.
2. Siqua tamen tibi lecturo pars oblita deërit,
   Hæc erit è lacrymis facta litura meis.
3. Aut ſiqua incerto fallet te littera tractu,
   Signa meæ dextræ jam morientis erunt.
4. Te modò viderunt iteratos Bactra per ortus,
   Te modo munito Sericus hoſtis equo.
5. Hibernique, Getæ pictoque Britannia curru,
   Vſtus & Eoâ diſcolor Indus aqua.&c.
6. Omnibus, heu! portis pendent mea noxia vota,
   Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.
7. Occidat, immeritâ qui carpſit in arbore vallum,
   Et ſtruxit querulas rauca per oſſa tubas.
8. Dignior obliquo funem qui torqueat Oeno,
   Æternuſque tuam paſcat Aſelle famem.&c.

Ovidius hoc ſcribendi argumento integrum implevit Heroidum librum. Epiſtolam 3. eodem ſenſu orditur.
„ *Littera quam legis* Græca, à rapta venit Briſeide, vix bene
„ *barbarica manu notata.* Lacrymæ lituras fecère, quacunque aſpi-
„ cies, ſed tamen *pondera* hæ lacrymæ *vocis habent.* (Epiſtola vero
„ 2. ſic loquitur) Demophoon, tua te Phyllis, Rhodopeïa hoſpita,
„ ultra tempus promiſſum abeſſe, queror. Cum ſemel *luna cornua*
„ *pleno orbe coiſſent, anchora tua noſtris littoribus pacta eſt. Luna* qua-
„ *ter* (interea) *latuit, quater orbe toto recrevit, nec Actæas rates unda*
„ *Sithonis vehit.* Si tempora numeres, quæ amantes bene nume-
„ ramus, *ante ſuum diem noſtra non venit querela.* Lenta quoque
„ ſpes fuit. tardè (illa) credimus quæ lædunt credita. (hæc) nunc,
„ & invitâ amante, nocent. Sæpe *mihi pro te mendax fui,* ſæpe *pu-*
„ *tavi notos procelloſos alba referre vela.* Devovi Theſea, quia te nol-
„ let dimittere, forſitan tamen ille tuos curſus non tenuit. In-
„ terdum timui, ne dum ad Hebri tendis *vada, puppis naufraga*
„ *cana* aqua foret merſa. Vt tu valeres, ſcelerate, Deos ſæpe ſup-
„ plex prece, *thuricremis focis devenerata ſum.* Sæpe ventos cœlo
„ pelagoque faventes videns, mihi ipſa dixi, ille, ſi valet, venit.
„ Denique ad cauſas fui ingenioſa, & quidquid obſtat properantibus, fidus amor finxit. At tu abes lentus, nec *jurata te Nu-*

mina

, *mina reducunt*, nec amore noſtro motus redis. *Ventis*, ô Demo-
, phoon & *vela dediſti*, & verba: vela reditu, verba fide queror
, carere. &c Ah furioſa (ego) laceras etiam *puppes* refeci, ut *cari-*
, *na, quâ deſererer, firma foret*: & dedi remigium quo abires me
, fugiturus. Heu vulnera meis telis facta patior! &c. Tuis verbis
& amans & femina decepta ſum. Dii faciant ut iſta ſit tuæ
laudis ſumma, & media in urbe inter Ægidas ſtatuaris! &c.

Quæ Poeta Ep. 2. ita jucundo facilique numero adſtrinxit.

1. Hoſpita, Demophoon, tua te Rhodopeïa Phyllis,
   Vltra promiſſum tempus abeſſe queror.
2. Cornua cum Lunæ pleno ſemel orbe coiſſent,
   Littoribus noſtris anchora pacta tua eſt.
3. Luna quater latuit, toto quater orbe recrevit:
   Nec vehit Actæas Sithonis ora nives.
4. Tempora ſi numeres, bene quæ numeramus amantes;
   Non venit ante ſuam noſtra querela diem.
5. Spes quoque lenta fuit: tardè, quæ credita lædunt,
   Credimus: invitâ nunc & amante nocent.
6. Sæpe fui mendax pro te mihi: ſæpe putavi
   Alba procelloſos vela referre Notos.
7. Theſea devovi, quia te demittere nollet:
   Nec tenuit curſus forſitan ille tuos.
8. Interdum timui, ne dum vada tendis ad Hebri,
   Merſa foret canâ naufraga puppis aqua.
9. Sæpe Deos ſupplex, ne tu ſcelerate perires,
   Sum prece thuricremis devenerata focis.
10. Sæpe videns ventos cœlo pelagoque faventes,
   Ipſa mihi dixi, ſi valet, ille venit.
11. Denique fidus amor, quidquid properantibus obſtat,
   Finxit, & ad cauſas ingenioſa fui.
12. At tu lentus abes, nec te jurata reducunt
   Numina; nec noſtro motus amore redis.
13. Demophoon ventis, & vela, & verba dediſti,
   Vela queror reditu, verba carere fide. &c.
14. Ah laceras etiam puppes furioſa refeci,
   Vt qua deſererer firma carina foret.
15. Remigiumque dedi quo, me fugiturus, abires.
   Heu patior telis vulnera facta meis! &c.
16. Sum decepta tuis & amans, & femina, verbis.
   Dii faciant laudis ſumma ſit iſta tuæ!

Planè

Planè hæc ſuaviori condiuntur varianturque fecundiâ. quamvis in illa brevitate unius exempli vix ſatis diſcrimen illud eminere poſſit.

1. Conceptibus & argumentorum inventione amœnior, rarior, ſubtiliorq; Ovid. eſt. In omnem ſe partem ad doloris amoriſque affectiones explicandas convertit, idque meritò, cum in conjugibus amantibuſque per abſentiam divulſis hæ maximè dominentur. Frigidior argumentorum inventor Tibullus, ut Neæræ abſentis reditum ſe deſiderare vehementer oſtendat; nihil ſeſe opes quaſcunque ſine illa facere dictitat, quarum deinde inſiſtit deſcriptioni, ac denique abſque Neæra gravem ſibi eſſe vitam commemorat. Propertius pluſculum ad affectum diſertus, bellorum quibus ſponſus detinetur inſtructores deteſtatur; metuit, ne tenerum arma nimium gravent, conjugis virique labores ingenioſè commemorat, nuntia minus fauſta exponit, optat Romanis in caſtris locum feminis dari &c. Ovidius pari inventionis felicitate, & temporis, quo ſeparentur, longitudinem, & ſpem deceptam, execrationes adverſus detinentes, vota ad ſuperos pro reditu, fidem neglectam, illaudatam fraudem, operam, opemque malè impenſam &c. perſequitur, rationibus ad teneriorem affectum exprimendum opportunis, aliis Propertii argumentis, in ſimili materia, uſus alibi.

Ornamenta argumentorum, ut ſunt modicæ nec niſi rarò productæ fictiones, præſagia, ſomniorum imagines, permutatio rerum affectuumque improviſa, aut factorum oppoſitio, & quandoque etiam epiſodia, tum potiſſimum ſimilitudines rerum & factorum exempla, apud Ovidium quoque illuſtriora, quàm ceteros reperies. Et quanquam in hac Elegia pauca ſint ejuſcemodi lumina: in quibus etiam Propertius certat, vincitur verò Tibullus (qui ultimâ Elegiæ parte, ſed diſpari eloquentia, eodem ſenſu, concludit) tamen ex tota poeſi inter ſe collata quivis illud facilè agnoſcet.

2. Elocutionis forma, quam hoc loco potiſſimum expendendam duxi, in Ovid. Elegiis propriè dictis planè eſt accommodatior. verba mollius compoſita, & ad numeros ſuaviores paſſim inflexa. Longiora præſertim in fine, atque inprimis triſyllabica evitata. Quis enim illa Tibulli laudaverit? lib. 2. Eleg. 4.

Seu veniet tibi mors, neque erit, qui lugeat, ullus,
2. Nec qui det mœſtas munus in exequias,
3. At bona, quæ nec avara fuit, centum licet annos
4. Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.

5. At-

5. Atque aliquis ſenior, veteres veneratus amores,
6. Annua conſtructo ſerta dabit tumulo.

In 1. verſu durum *neque erit*. Rectius dixeris *Seu tibi mors veniet, necſerit &c* præſertim cum *nec* in altero reſpondeat. In 2. ut tot monoſyllaba concurrentia evitentur, malim *Quique ferat mæſtus*. polyſyllabicum verbum *exequias* hoc loco in re triſti non aſpernabor. In 3. numerus cadens in *licet* diſplicet. minus ingratum quoad numerum foret, *centum illa per annos*. In 6. languida nimis ad metrum voce *tumulo* concluditur oratio.

Neque illa ex Propertii Elegia 20 lib. 1. probavero.

1. Hic erat Arganti Plegre ſub vertice montis,
2. Grata domus Nymphis humida Thynaicis
3. Quam ſupra nulli pendebant debita curæ,
4. Roſcida deſertis poma ſub arboribus.
5. Et circum irriguo ſurgebant lilia prato,
6. Candida purpureis miſta papaveribus.
7. Quæ modò decerpens tenero pueriliter ungui,
8. Propoſito florem prætulit officio. &c.
9. Tandem haurire parat demiſſis flumina palmis,
10. Innixus dextro plena trahens humero.

Ingrata hæc polyſyllaborum in fine iteratio eſt, in læta præſertim materia. Iam verò & obſcuritas in 1. diſticho, ob loci & epithetorum ab ignotis nimium rebus petitorum ignorationem, diſplicet; deinde 8 ac 20 verſu, obſcura & ignobilis phraſis. In quibus & alibi Propertio aqua hæret, ut patet ſupra diſticho 7. eximio cetera Poëtæ.

Gratior in numeris Propertius, quàm Tibullus, qui ferè aliquantò eſt ſegnior, quàm par, ſupra in lib. 3. Eleg. 3. per ſpondæos exorſus pleroſque verſus, in affectu tamen deſiderii amoriſque impotentis & inquieti. Accedit adjunctorum cum ſuo ſubſtantivo parum grata copulatio, ut ibidem diſticho 3. *Et magnas meſſes terra benigna daret*. In quibus omnibus Ovidius exquiſitior qui etiam non dixiſſet cum Propertio diſt. 6. *pendent mea noxia vota*. Nec cum eodem duro verſu. *Siqua tamen tibi lecturo pars oblita deerit*.

Denique Propertius hoc in phraſi vitii habet, quod illam ad heroici carminis majeſtatem ſæpius extollat; ut proinde characterem huic carmini idoneum ubique non obſervet, adeóque non relinquat locum, quo ſublimior Poëta tranſeat. Quæ res ex reſolutis ſupra diſtichis facilè pateſcit; cùm in poſtremis verſibus

bus omnia poeticis locutionibus efferantur, quæ velut condimenta tantum huic carmini aſpergenda, ut à Tibullo Ovidioque rectius factum eſt.

Ornamenta elocutionis; ut ſunt tropi & figuræ, gnomicæ item ſententiæ, & argutæ concluſiones; in Ovidio nobiliores, quàm in ceteris reperiuntur. Et his inprimis delectantur Elegiæ, quæ lacrymas & affectiones dolentium amantiumque teneriores proſequuntur. illis enim magnoperè animatur, atque in omnem partem flectitur oratio. Talis, ut pauca ex ſuperioribus tangam, illa eſt Naſonis repetitio diſt. 3. *Luna quater latuit, quater recrevit.* eſt deinde oppoſitio inter *verba & vela ventodata* diſt. 13. eſt cauſa non cauſa diſt. 14. & 15. eſt & ironica exprobratio ſceleris diſt. 16. & ſeq. quæ pleraque epigrammatici aliquid condimenti habent. Sed alibi in figuras profuſior eſt. Suavis in repetitionibus inprimis eſt, quandoque uſque ad affectationem. Sic Epiſt. 3. Heroid. diſt. 3 ita Briſeis Achilli loquitur.

> Si mihi pauca queri de te dominoque viroque
> Fas eſt; de domino pauca viroque querar.
> Non ego poſcenti quod ſum cito tradita Regi,
> Culpa tua eſt, quamvis hæc quoque culpa tua eſt.
> Nam ſimul Eurybates me Talthybiuſque vocarunt,
> Eurybati data ſum Talthybioque comes. &c.

Quorſum in ſingulis diſtichis iterata repetitio; & prima quidem coacta magis, quàm venuſta, ultima ambiguâ ſatis ad laudem reprehenſionemve ſuſpensâ lance? Quid enim virtutis orationi, ut omnis figura ſolet, imprimat, non omnino liquet, niſi putes accelerationem hoc pacto facilius deſignari. Secunda correctionem elegantem complectitur. Apta ibidem repetitio.

> Propter me mota eſt, propter me deſinat ira,
> Simque ego triſtitiæ cauſa moduſque tuæ.
> Nec tibi turpe puta precibus ſuccumbere noſtris,
> Conjugis Oenides verſus in arma prece eſt &c.
> At ſi verſus amor tuus eſt in tædia noſtri,
> Quam ſine te cogis vivere, coge mori.

Sanè plurimum hæc venuſtatis, ab oppoſitione repetitioni admiſta. ut & illud ib.

> Vince animos iramque tuam, [illegible] era vincis.

Sententioſum illud eſt Phædræ [illegible] ppolytum ep. 4. otium ſuadentis.

Quod

Quod caret alterna requie durabile non eſt.
Hæc reparat vires feſſaque membra levat.
Arcus & arma tuæ tibi ſunt imitanda Dianæ,
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit.

Et illud Medeæ ad Iaſonem Ep.12.

Eſt aliqua ingrato meritum exprobrare voluptas.
Hac fruar, hæc de te gaudia ſola feram.

Epiſt.17. Helena Paridi.

Eſt virtus placidis abſtinuiſſe bonis.
Tarda ſolet magnis rebus ineſſe fides?
An neſcis longas Regibus eſſe manus?

Quin & venuſtè aliquando allegoriæ ſententioſæ inducuntur, ut ibid.

Sed nimium properas, & adhuc tua meſſis in herba eſt.

Et Epiſt.5. Paris.

Quid facis Oenone? quid arenæ ſemina mandas?
Non profecturis littora bobus aras.

Porro ex Epigrammatum fontibus (de quibus ſeparato opuſculo diſſerui) hæc poeſis Elegiaca inprimis irrigatur. quo in genere Ovidius ceteris longè exquiſitior, unioneſque non rarò in hoc mari, quanquam ex Veneris nonnunquam concha, ſufficis.

Ex fonte oppoſitorum paſſim obvia reperies. Sic oppoſitione imparium ludit. Epiſt.7. Dido ad Æneam.

Sed meriti famam, corpuſq; animumq; pudicum,
Cum malè perdiderim, perdere verba leve eſt.

Et ibidem oppoſitione ejuſdem cum ſeipſo, quæ plus ſubtilitatis habet.

Cœpiſti melius quam deſinis; ultima primis
Cedunt: diſſimiles hic vir, & ille puer.

Quid, quod ex alienatis, ſuaviſſimo argutiarum fonte, plurimum Naſo propinet, raris in hac re aliorum veterum exemplis. De ſolis, ut cœpi Epiſtolis Heroidum quædam delibabo. Epiſt.5. Oenone Paridem his verbis, ait, promiſiſſe.

Cum Paris Oenone, poterit ſpirare, relictâ:
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.

Subjicit Oenone.

Xanthe retro [illegible] verſæque recurrite lymphæ,
Suſtinet Oe[illegible] deſeruiſſe Paris.

Et Ep.8. Dejanira Herculi [illegible] Ioles amore capto.

Gratulor

Gratulor Oebaliam titulis accedere noſtris;
Victorem victæ ſuccubuiſſe queror.

*Epiſt.*13. Laodamia Proteſilao ita bene precatur ad Trojanos loquens.

Parcite Dardanidæ de tot precor hoſtibus uni.
Ne meus ex illo corpore ſanguis eat.

Et ad ipſum: belli ſe diſcrimini objicientem.

Infelix quæ prima virum lugebit ademptum;
Dii faciant ne tu ſtrenuus eſſe velis.

De imagine ipſius ib.

Crede mihi plus eſt, quam quod videatur imago,
Adde ſonum ceræ Proteſilaus erit.

Epiſt. 14. Hypermeneſtra Lynceo viro à ſe contra parentis mandatum non occiſo.

Clauſa domo teneor, gravibuſque coërcita vinclis,
Eſt mihi ſupplicii cauſa, fuiſſe piam.
Quod manus extimuit jugulo demittere ferrum,
Sum rea: laudarer ſi ſcelus auſa forem.

Epiſt. 16. Caſſandra Paridi Helenam claſſe rapturo.

Quo ruis, exclamat, referes incendia tecum.
Quanta per has, neſcis, flamma petatur aquas?

Epiſt. 17 Helena Paridi ad perfidiam ſollicitanti.

Deſine molle precor verbis convellere pectus;
Neve mihi, quam te dicis amare, noce.

Epiſt. 18. Leander Heroni abſenti.

Septima lux agitur, ſpatium mihi longius anno,
Et quo non poſſum corpore, mente feror.

Et Lunæ ib.
Quantum cum radiis fulges argentea puris
Concedunt flammis ſidera cuncta tuis.
Tanto formoſis formoſior omnibus illa eſt:
Si dubitas cæcum Cynthia lumen habes.

Et de frequenti per natationem tranſitu.

Iam patet attritus ſolitarum limes aquarum,
Ignotum nec me piſcibus eſſe reor.
Frigora ne poſſim gelidi ſentire profundi,
Qui calet in cupido pectore, præſtat amor.

Comparationum etiam atque Exemplorum ſcitè adhibendorum præ ceteris egregius eſt artifex, inprimis de Remedio Amoris ſcribens. Sic Ep. 7. præclare dictum.

Quam

Quam malè inæquales veniunt ad aratra juvenci;
Tam premitur magno conjuge nupta minor.

*Et ep.*17. Dum novus eſt potius cœpto pugnemus amori,
Flamma recens parvâ ſparſa reſedit aqua.

Et ibid. Tale nihil timeo, ſed nec Medea timebat.
Fallitur augurio ſpes bona ſæpe ſuo.

Alluſioni eruditæ ſervit (quam in fontibus Epigrammaticis quartum ſtatui) quod ibidem proximè ſubjicitur.

Non honor eſt, ſed onus, ſpecies læſura ferentes;
Siqua voles aptè nubere, nube pari.

*Et quod ſeq. Epiſt.*10.

Hoc ego. Quod voci deerat plangore replebam,
Verbera cum verbis miſta fuêre meis.

*Epiſt.*16. Paris Helenæ.]

Da modo te; quæ ſit Paridis conſtantia noſces;
Flamma rogi, flammas finiet una meas.

Et ib. Sæpe mero volui flammam compeſcere; at illa
Crevit, & ebrietas ignis in igne fuit.

Has argutæ dictionis gemmas, nemo perinde ut Naſo feliciter uſui pavit. quas meo ſecrevi judicio, ut te pari, ad hunc delectum obſervatione inſtruerem. Sic & raræ quædam phraſes obſervari poterunt, quæ illo cenſu dictorum non continentur. ut Medea Iaſoni exitium precata ſubjicit epiſt. 12.

Quantum perfidiæ tecum ſcelerate periſſet!

*Et ep.*13. Spes bona ſollicito victa timore cadit.
Hel. Par.

*Epiſt.*17. Et laudem de me nullus adulter habet. *nempe quod me deceperit.*

Et ib. Excepto, redii, paſſa timore nihil.

Et ib. Ad poſſeſſa venis præreptaque gaudia ſerus.
Spes tua lenta fuit, quod petis alter habet.

Et ib. Sed ſine, quam tribuit ſortem fortuna, tueri,
Nec ſpolium noſtri turpe pudoris habe.

Et ibid. mollis formæ juveni. — Quod fortia facta loquaris,
A verbis facies diſſidet illa tuis.

In his omnibus, ut eminere Ovidium phraſi huic carmini dignâ manifeſtum eſt, ita ad hujus poeſios ſuavitatem perfectionemque conſequendam, ante alios ejuſdem lectionem ſuaſerim. quanquam & Tibullum, in rerum deſcriptione, iis, ubi purus eſt locis è manibus non eripiam: Propertio etiam, ad humilio-

miliorem ſtylum nonnihil extollendum, locum meo arbitratu indulgeam. Quæ cauſa, cur & cavenda maximè ſignaverim.

CAPUT V.

De duplici imitandi & perfecta eloquentia aſſequendi ratione, viâ ſcilicet reſolutionis, & compoſitionis.

DUplex via eſt, quâ ad hanc eloquentiam proximè inceditur. Vna reſolutionis eſt, quâ optimorum Poëtarum laborem & poeticos numeros, in ſolutam orationem redigimus, & ad ſua veluti revocamus atque expendimus principia; uti cum mixtum corpus in ſua elementa reſolvitur: altera compoſitionis, quâ principia & elementa prima aptè reperta, poeticiſque ornamentis culta, in verſus numeroſque concinnos, ad probatorum autorum exemplum digerimus. Illa ordine princeps eſt, atque ad hanc faciliorem præſtat aditum. Nam ut horologii incogniti hactenus artificium imitaturus quiſpiam, ſuo illud primum obſervat in corpore, deinde verò in ſingula reſolutum membra, partibus explorat perpenditque ſingulis, eâque conatur æmulatrice efformare induſtriâ, ut pari ordine conſtructioneque demum coaleſcant; ita in liberali etiam hac arte res habet; poteſtque mediocriter in rebus grammaticis eruditus, cui verborum aliqua, quamvis ſine nitore ac numero, copia affluit, ad hujus eloquentiæ arcem apicemque proprio marte, hâc viâ, haud difficulter penetrare.

Cum verò reſolutionis argumentum ſupra dederim; ubi veteres in eadem materia Poëtas invicem expendi dijudicavique: non eſt, cur huic inſiſtam fuſius; tantùm moneo, convenire, ut eo pacto laxata ex numeris, tanquam vinculis, oratio ſubinde ad numerum ſtylumque hiſtoricum redigatur, mutatis iis, quæ poeticorum aliqua vinculorum lineamenta in corpore orationis relinquunt, unde etiamnum malè incedens claudicat, & inconcinnè ſermo hæret: deinde, ut quidquid poeticam licentiam redolet, amoveatur; cum hic non modò nullam mereatur gratiam, verùm etiam effundat. Hinc non ſuaſerim (ut ſuperioris capitis exemplo utar) cum Tibullo in ſoluta oratione dicendum. *Quid prodeſt votis cælum impleviſſe, & cum multa prece dediſſe Superis thura.* Licet enim parum à Rhetore hæc phraſis abhorreat; audacior tamen tropus eſt, *implere cælum votis*: nec *dare thura* ſatis oratori conveniens: cum ei, vel proprium, vel oppor-

tunè

tunè tranſlatum verbum uſurpandum ſit; quorum neutrum vox *dare* hoc loco præſtat. incendimus enim, aut offerimus thura ſuperis. denique & minutæ nimium voculæ (quales in hoc carmine reſoluto deprehenduntur) jure in virili oratione diſpliceant: ut hic ſunt *cum multâ prece dare thura.* Quocirca ita hanc orationem inflectendam Rhetori cenſeo.

Quid prodeſt ô Neæra nos votis imploraſſe Superos, ac multis cum precibus thura obtuliſſe? Equidem non magnopere cupio inſignis conſpicuusque clara videri in domo, non marmoreo exire de limine, non multa arare jugera, magnaſque ex agro meſſes colligere, ſed longa potius vitæ gaudia tecum jucundè ſociare, meamque tuo in ſinu ſenectam deponere, quando permenſo hujus vitæ tempore, & hac defunctus luce, nudus ad ſepulchrum tranſmittar. &c.

Vis ex Naſonis poeſi nonnulla etiam hoc pacto diſſolvam, iis quibus commodè Rhetori licet uſurpatis retentiſque? Accipe in exemplo quoque ſuperius adducto ex Epiſt 2.

Tua Phyllis, ô Demophoon, Rhodopeia quondam hoſpita, ultra promiſſum tempus abeſſe te meritò queritur. Siquidem à quo tempore tua noſtro in litore jacta eſt anchora, Luna quater decrevit accrevitque, nec interea claſſis ulla per Oceanum advehitur. Si tempora numeres, quæ amantes benè numeramus, immatura noſtra querela non eſt &c.

Ex quibus animadvertes connexiones etiam à Poetis nonnunquam, numerorum gratiâ præteriri. ac vice verſâ oratores ſolutos eorundem cauſa, obvia quandoque verba aſpernari. ut hic ſunt, *ante diem venit querela.* ut Poeta dixerat, verbis in oratione nimium attenuatis, parumque numeroſè ſonantibus. quę exercitato aurium judicio ponderanda relinquimus. Iam ad compoſitionis viam convertimur, quæ, ubi prior rectè explorata fuerit, facilè tenebitur.

In via compoſitionis, ante omnia Scholæ noſtræ inſtitutio p. r. l. 2. c. 25. diligenter expendenda erit; ut intelligas quemadmodum ſimplex phraſis ad poeticæ conſtructionis dignitatem extollenda ſit, quod hic non recolo. Demus igitur hæc ex Plinii Cæcil. Epiſtola ultima lib. 4. tibi poeticè reddenda obtigiſſe ubi ad Licinium de fonte ſic ſcribit.

Fons oritur in monte, per ſaxa decurrit, excipitur cœnatiuncula manufacta: ibi paululum retentus in Larium lacum decidit. Hujus miræ natura. ter in die ſtatis auctibus ac diminutionibus creſcit decreſcitque. Cernitur id palam, & cum ſumma voluptate deprehenditur. Iuxta recumbis, ac veſceris, atque etiam ex ipſo fonte (nam eſt frigidiſſimus) pota

potas: Interim ille certis dimenſiſque momentis vel ſubtrahitur vel aſſurgit. Annulum, ſeu quid aliud ponis in ſicco, alluitur ſenſim ac noviſſime operitur: detegitur rurſus paulatimque deſeritur &c.

Hæc ut poeticæ dictioni aptes ante omnia exploratum eſſe debet; quæ verba, quæq; phraſes illo, quod cogitas, carmini idonea. Et primò quidem exiguus de verbis labor erit, utcunque de menſuris poeticorum Pedum inſtructo. Polyſyllabica rarò locum inveniunt. Vnde hinc ſtatim *cœnatiuncula*, *diminutionibus*: *paululum* quoque *operitur* &c. excluduntur. Phraſis verò etiam iſta: *ſumma cum voluptate deprehenditur*. Item. *Senſim ac noviſſime operitur* &c. Quocirca in plerisque ſimilibus verba ac phraſis novanda. ſumpto uno ſubſtantivo, & verbo altero carmini idoneo, tum deinde juxta leges cap. ante citato p. 1. l. 2. præſcriptas incedendum, prout plus minuſve in ſtylo aſſurgitur. Exempli gratia. In præſenti materia: *Fons oritur de monte*, ut aptes ad verſum elegiacum ſufficiet mutare *oritur*, in *cadit*. & dices *Fons de monte cadit*. niſi malis, retentis omnibus dicere: *Fons de monte oritur*: quod ſine vitio poteris. ut verò reliquum: *per ſaxa decurrit*; ad implendum verſum adhibeas, rectè præter verbi mutationem (quæ non ſolet eſſe, in magna plerumque copia, difficilis) epithetum ad ſubſtantivum adjunges dicendo, *per lubrica ſaxa volutus*. Quod ſi amplificare & extollere hanc velles phraſin: *Fons oritur de monte*: juxta regulas p. 1. l. 2. c. 25. præſcriptas, ex uno hoc ſubſtantivo, aliud educendum eſſet, altero in genitivo caſu uſurpato. ut *montis vertice*, vel *alvo*. quibus ſi deinde ſua dederis epitheta facilè menſuram implebis: nam ut horum ubique copia affluit, ita complendis verſibus perquam ſunt opportuna. Dicas igitur licebit,

Irriguum liquidâ fontem mons parturit alvo.
Aut certè Surgit ab irriguo liquidus fons vertice montis.

Sic & in altero novum adjicias ſubſtantivum iſti ſententiæ conveniens v. g. decurrit viam & facilè hunc verſum elicies

Qui terit obſtreperis lubrica ſaxa viis.
Aut certè Qui cadit attritis per cava ſaxa viis.

Porrò ſequens phraſis plus habet difficultatis ob ſubſtantivum carmini reluctans: cujus plerumque mutatio magis eſt ardua. ut proinde rudem aliquem ſynonymorum apparatum p. 1. l. 2. c. 3. inſtruxerim. In præſenti igitur phraſi: *excipitur cœnatiuncula manufacta*: ſi heroicum verſum cogites, *cœnatio* pro *cœnatiuncula* ſervire poterit, verùm in ſolo nominandi caſu, ut ic-

circo verbum quoque ablativum poſtulans mutandum ſit. Quod ſi dixeris. *Hunc ſubſtructa capit cænatio*: nimis nuda videtur locutio, & verſus imperfectus minus aptè in Elegis cadens. malim itaque proximum quo fons excipitur inſtrumentum exprimi, quod concha eſſe poterat. Vnde dices

Hunc exciſa cavá recipit cænatio conchâ.

Si tamen verſum malis pentametrum; ita rejectis ceteris loqui poteris.

Quem capit artifici concha cavata manu.

Ex reſolutione enim epitheti: *manufacta*: (quod verſibus minus eſt idoneum) oritur illud: *artifici facta, aut cavata manu.* Quæ verò ex horum reſolutione ubertas exiſtat docui loc cit. c.25. Quare nunc lubet, illa quæ ſupra ex Plinio adduxi verſibus reddere. Tu ſingula modo jam cœpto expende. neque poſt laborem aliquem inſigni te ad omnem facilitatem fructu deſtitutum experieris, in hoc enim quod attigi puncto, ſumma penè difficultatis ad hujus eloquentiæ perfectionem aſſequendam vertitur, modò illo judicio polleas, quo vile poſſis à pretioſo diſcernere. Accipe nunc prout vertimus.

Fons de monte cadit, per lubrica ſaxa volutus:
 Quem capit artifici concha cavata manu.
Inde retardatis paullùm dum ſubſtitit undis,
 Volvitur in Larium, quà via facta, lacum.
Vna dies triplici videt hunc accreſcere fluctu,
 Et lapſu triplici diminuiſſe vadum.
Illa palam ſpectare fuit non parva voluptas,
 Atque epulis hauſtos jungere fonte Scyphos.
Hunc dimenſa ſuis momentis eripit hora:
 Quaſque rapit, certo tempore reddit aquas.
Annulus in ſicca forſan tellure locatus,
 Obtegitur fluctu deſeriturque ſuo &c.

Quædam hic ex oratione ſoluta minus verſibus opportuna, rejecta invenies; cùm ad rei ſubſtantiam exponendam minimè facerent: adjuncta rurſum nonnulla, quæ illam non ſubverterent. Captatas etiam, paululum inflexâ phraſi uſitatas Poetarum figuras, quibus rei inanimæ ſenſum tribuunt: ut cum dixi *dies videt; hora eripit.* Quæ in præceptionibus, quas generatim de Poeſi dedimus, verſato deeſſe vix poterunt. Mallem verò hiſtoricum ab iterata ejuſdem rei narratione abſtinuiſſe, ne idem propemodum tertio & quintò diſticho cogeret repetere.

Hæc

Hæc exercitatio quam utilis, tam neceſſaria eſt, ad utriuſque orationis ſolutæ ligatæque diſcrimen obſervandum. Tamdiu verò in prima reſolutionis via novellus Poeta occupandus erit, dum hanc denique compoſitionis aſſequatur. Quod ſi tamen conanti ſeſe difficultas adhuc major objecerit, ad hujus artis rudimenta hoc ſeſe pacto conferat.

Sumat facile aliquod poema principio, ejuſque ſenſum ſententiamque univerſim ſoluto ipſe orationis genere, uſitatâ bonis autoribus phraſi, exponat ſæpius; quam ſi non aſſequatur ſatis, ex probatis etiam phraſilogis colligat. ita cum aliquoties in via reſolutionis progreſſus fuerit, ad compoſitionis viam tranſeat, & in materia verſibus idonea boni oratoris aut hiſtorici locum accipiat, eumque phraſibus poeticis, (metris etiamnum neglectis) exornare laboret. qua in re, ſi vires deeſſe ſenſerit, poeticarum phraſium librum ad hoc exercitium ſeduló adhibeat, & abeſſe hic ipſius conatus ab egregio ad hanc eloquentiam fructu non poterit. demum, ubi promptiorem ad hoc genus ſcriptionis calamum expertus fuerit, ſolutum orationis numerum vinculis adſtringat poeticis, idque in una carminis ſpecie dum eâ penitus animo inſederit. Quod difficile non erit, poſtquam propoſito ſibi alicujus Poetæ carmine obſervaverit, quæ in illo verba, & quibus potiſſimum hoc illudque verborum genus locis deſerviat. Qua rurſum in re magnopere rudiori adhuc ingenio profuerit, in diſtichis præſertim ejuſmodi ſubſtantiva cum verbis deligere, quibus aptè, vel verſum, vel totum etiam diſtichon abſolvat: nam epitheta, quæ plerumque in verſibus præmittenda ſunt, ob varietatem copiamque faciliùs numeris includuntur.

CAPUT VI.

Imitatio in via compoſitionis quatuor potiſſimum rerum eſt. cujus praxis declaratur, & vitia deteguntur.

AD hoc eloquentiæ genus perfectè aſſequendum imitatio bonorum autorum apprimè eſt utilis. Hanc quadruplicem potiſſimum eſſe aliam alia perfectiorem, ac præter has mixtam unam ex omnibus faciliorem magiſque laudatam ceteris docui 1.p.l.2.c.26.quo lectorem remitto Hoc verò imitandi ſtudium, ita eſſe exercendum judico, ut à facilioribus ejus ducatur principium.

 cipium.

cipium. Licetque hac in re, tam novorum, quàm veterum exemplis inſiſtere, modò illi tales ſint, qui antiqua Latini ſermonis puritate fluant: nam hi ſæpe & materia ſelectiore, & majoribus conceptuum ornamentis, denique & figuris illuſtrioribus (quæ in ſuam quæque imitandi rationem cadunt) elucefcunt. Oſtendit ſanè hac ætate noſtra P. Hermannus Hugo, P. Antonius Deslion, PP. Verpæus & Vincartius aliiq; nonnulli Societatis Ieſu Poetæ res ſacras materiem poeſi idoneam eſſe: aliis etiam divinarum hiſtoriarum ornamentis, non minus, quàm fabulis ad inſignem cultum extolli poſſe, ſuis hic etiam fictionibus locum eſſe. Eloquio deinde ex Latiis fontibus ducto nihil admodum veteribus, præter ſolam ætatis autoritatiſque (quâ ad illorum ultimò judicium tranſitur) prærogativam conceſſere. Imò verò declinandos nobis, & gentilitiæ ſuperſtitionis & impuræ Veneris ſcopulos antiqui objiciunt; nihil hi quos dixi recentiores fugiendum continent, multa etiam in veteribus irreperta habent amplectenda. Vis in his felicem quoque Naſonis in Heroidum Epiſtolis imitatorem cernere, Remondi Alexiadem conſule, & talem reperies, quàm tu juxta, nullo etiam verecundiæ detrimento, poſſis imitari.

Qui tamen exploratò, ſe cum antiquis ſentire, volet cognoſcere; huic, ſaltem in illo imitandi genere, quod eandem in ſimili materia, aut ſimilem in eadem materia elocutionis formam ſectatur, ad verba phraſinque eorum recurrendum erit, qui aureæ ætatis ſcriptores habentur: ne ſenſim; ut in aliis fieri linguis videmus. & ſuperioribus ſeculis in hac eadem factum animadvertimus, à priſco nitore ad barbariem degeneremus. Quod hac etiam ætate (ut res omnis ſuum hoſtem patitur) quoſdam ampullatæ eloquentiæ venatores moliri fruſtra animadvertimus. Verùm prudens quiſq; æſtimator literarum, tantùm ab illis, quantum illi à priſcis Romanæ puritatis Magiſtris in ſtylo formando aberit.

Nunc quemadmodum practicè in Elegiaco carmine imitatio inſtituenda ſit, videamus. Quatuor potiſſimum ſunt, quæ imitari liceat. 1. Materia ſeu res concepta. 2. Ornamenta materiæ, ſeu modus ornatè concipiendi. 3. Stylus ſive elocutionis forma. 4. Ornamenta ſtyli, ſive figuræ orationis. Per hæc ſingula imitator incedere poterit, ſimile quippiam in hac illâve parte effingendo, nonnullis etiam, (ſi phraſiologiæ periodos integras exceperis. quas ſibi ex alieno, tanquam proprium vendicare, turpe

pe ſit) ex propriis autori ad ſe traductis. Porrò ut exemplo res pateat accipiamus, brevitatis gratia illa ſuperius ex Tibullo, Propertio & Ovidio adducta. Inter hos facillimus imitatu Tibullus eſt, quia epithetis copioſior florentiorque ut plurimum eſt, conceptibus eorumque ornamentis magis obvius, figuris minus excultus. quæ omnia ad promptiorem imitationem faciunt; cum epithetorum facilis, in majori copia, ſit inflexio, cetera nihil ardui contineant. Ergo illa quæ ex l.3. Eleg. 3. recitavimus, ſic imitemur.

In materia ſimul ac ſtylo apud illum conjunx ob abſentiam conjugis queritur. Nos fingamus animam Chriſto devotam, ejus abſentiam dolenter ferre. hac imitatione poſitâ, retinere cetera præter ſtylum licebit. quanquam ornamenta rari nihil complectantur. Dicamus igitur, ſtylo etiam per imitationem inflexo.

Quid juvat effuſis cœlos implere querelis,
Thuricremiſque Deum ſollicitare focis?
Non ego nobilium titulos, ceraſque parentum,
Non peto marmoreæ limina clara domus;
Non centena meis ut arentur jugera tauris,
Et mihi det meſſes prodiga terra ſuas:
Hoc precor; æternæ properes ſolatia vitæ,
Inque tuam redeat vita relicta manum:
Tunc quando obſcuras tumuli devolvar ad umbras,
Et ſtygiâ rapiet cymba Charontis aquâ.

En prorſus in materia ſimili phraſin proximè ſimilem. Tu expende quemadmodum nunc epitheta, nunc etiam ſubſtantiva & verba, nunc utraque illorum permutata ſint. Vt verò practicè hujus rei facilitatem agnoſcas: expendamus ſubſtantiva, à quibus, ſi totam phraſin mutare ſtatueris, auſpicandum. hic *cœlum* & *votis* occurrunt. De illo in ſynonymis p.1.l.2.c.5. reperies hunc verſum varietatem ſuppeditantem.

Aſtra, æther; cœlum, polus, axis, ſidus, olympus.

De altero. Supplicium, atque preces, oratio, vota, querelæ.

His ſingulatim expenſis facilè verbum ac deinde & epitheta idonea reperientur: juxtaque leges phraſin aliquam variandi p.1.l.2.c.25. traditas, imitator aliis aliiſque phraſibus affluet. v. g. unius ſubſtantivi cum verbo mutationem quæramus.

Quid prodeſt cupidis *impellere ſidera* votis?

Quid prodeſt iterata *polis immittere* vota?
Quid *compleſſe* juvat flagrantibus *æthera* votis?
Quid, precor, immeritis juvat *aſtra laceſſere* votis?
Irrita quid *vacuas jaculamur* vota *ſub auras?*
Quid toties *ſurdo* votis *famulamur olympo? &c.*

Ita ſi alterum ſubſtantivum cum verbo idoneo variatum conjungas, iterum ſe nova variandi imitandique ratio offeret. Mutemus ſimul loquendi figuram.

Deſine ſupplicibus cœlos inceſſere *verbis.*
Non auditurum *precibus laſſamus* olympum.
Irrita non flectet rigidos *oratio* cœlos &c.

Imitatio igitur in ſtylo hic etiam ſat diſertè expreſſa eſt, oſtenſumque quantâ hæc varietate poſſit inſtitui.

Difficilior aliquanto Ovidii eſt imitatio, licet facilior ejus ſit phraſis. cauſa eſt ſingularis loquendi ratio & ornamenta, cùm dictionis, tum materiæ, quibus non ſæpe par, rarò exquiſitius aliquid haberi poteſt. Imitemur illa quæ ex Epiſt. Heroidum 2. ſupra etiam produximus, utque Phyllis Demophontem ſuum, ſic pia Anima hanc vitam pertæſa Chriſtum morari queratur, modo potiſſimum figuriſque loquendi imitatione expreſſis.

Conqueror abſentem tua te promiſſa morari,
Et ſine te longos, Chriſte, redire dies.
Sæpius, ut duxit rutilos aurora jugales;
Vltima lux, dixi, naſcitur illa mihi.
Mille dies redeunt, bigaſque aurora reducit;
Sed mihi dilectum tempora nulla vehunt.
Si ſentire queas, benè quæ ſentimus amantes:
Cor foret, accepto vulnere, molle tibi.
Lentus edaxque amor eſt. tardè trabs dura favillam
Concipit, at totam corripit igne domum.
Sæpe meas verbis decepi credula curas:
Finxi ſæpe tuos aure bibiſſe ſonos.
Sidera devovi, quia te dimittere nollent:
Quæque reluctantem me retineret, humum.

Animadvertes, opinor, non tam phraſin me, quàm genium carminis Ovidiani imitatum eſſe: cum alia pleraque dixerim, modo tamen non alio. Poteſt tamen, in hoc ſcribendi genere, quandoque eadem phraſis in alium ſenſum detorqueri, ut hoc loco in penultimo factum carmine. ut Naſo dixit

Theſea devovi, quia te dimittere nollet.

Hæc

Hæc ad Ovidii illum genium, quo potiſſimum alios vincit, aſſequendum inprimis eſt utilis exercitatio; plus tamen aliquantulum difficultatis habet ceteris: nam materiæ ejuſque ornamentorum imitatio nihil in Elegis ardui continet: cum ex obviis ferè iſta petantur; variatio etiam phraſium puerilis, hæc contra virilis ſit imitatio.

Neque verò ita preſsè imitatori alterius veſtigiis inſiſtendum, modò acciſis quibuſdam incedere ſtrictius; modò laxius habenas licebit effundere Sic quod Epiſt. 5. Oenone Paridi apud Naſonem his verſibus objicit:

Cum Paris Oenone poterit ſpirare relicta,
Ad fontem Xanthi verſa recurret aqua.
Xanthe retro propera, verſæque recurrite Lymphæ,
Suſtinet Oenonen deſeruiſſe Paris.

Hæc Franc. Remondus Soc. Ieſu ſic in ſua Alexiade Eleg. 3. eſt imitatus.

Ante ſuos fluvii revocabunt ad caput undas,
Et partum falſo ſemine fundet humus.
Quam te nos virgo ludamus amore fugaci,
Aut violem pacti fœdera conjugii.
Ad caput, ô fluvii veſtros revocate liquores,
Da partus alio ſemine terra tuos:
Me facilem his nuper dictis eluſit Alexis,
Et tacitam blandâ texuit arte fugam.

Idem ego in lacrymis D. Petri verſu 300. paulò etiam prolixius expreſſi, ad quos te remitto. cùm hoc carmine pleroſque affectus Ovidianos & loquendi figuras, quamvis remotiori paſſim imitatione, expoſuerim.

Huc enim denique Poetæ eſt contendendum, ut nihil ex aliis tranſumptum appareat, quo tuam ſterilitatem profitearis, ne ex alieno videaris ornatu niteſcere. Tuum eſſe convenit, quo orneris: niſi ut Cornicula in aliorum plumis riſum non erubeſcas.

Hæc poſtquam aſſecutus fueris, atque alicubi cum Ovidio, nonnunquam ut in Faſtis neglectiori, nimium te ſerpere exiſtimes, præſertim ubi gravior materia aſſurgendum ſuaderet, ad caſtigatam Propertii te poeſin transfer, aut ſparſa in Claudiani operibus diſticha, hiſque illa, quâ dixi duxique in Tibullo, imitationis viâ inſiſte. eâ tamen diſcretionis lege, quæ parum lautationis viâ inſiſte. eâ tamen diſcretionis lege, quæ parum lauta rejiciat, ac probatioribus tantùm inſiſtat. E. G. illa ſupe-

rius adducta, poſtremis verſibus Magdalena Chriſti abſentiam in morte fratris ægrè ſuſtinens imitetur.

Chriſte, tuus ſtygiam fractus procumbit in urnam
Lazarus, auxilio non remorante veni.
Te modo Bethſaidæ viderunt climate cæci,
Purpureâ ſenſit Te Chananæa Tyro.
Quod deſperatis piſcina probatica morbis,
Novimus hoc verbis Te potuiſſe ſacris.
Ceſſit aquoſus hydrops Solymæis nuper in agris,
Paruit imperio lepra relicta tuo.
Quanta Palæſtinas implent miracula terras!
Hoc viduata domus, noſtra patrocinio eſt.

Crebriora in his reperies epitheta, grandiora verba, ducta frequentius in comparationem exempla; ſed in illis affectatio, in his etiam vitanda obſcuritas, ut paucis diſtichis, ex remota imitatione ductis, fecimus. Ceterum lectio optimorum Poetarum collatioque, atque etiam earum, in quibus ſe mutuò excedunt, elegantiarum deſignatio obſervatioque profecturo hac in arte neceſſaria eſt.

Vitandi tamen inprimis erunt inanes illi verborum propolæ, qui ita raritatem admirationemque phalerata ſuperbè dictione aucupantur, ut quidquid uſitatum eſt faſtidiosè reſpuãt, & vel ſeſquipedalia vocum portenta, vel translationum prodigia, vel epithetorum peregrina examina, vel hyperbolas dictionum, vel helleniſmos tam vocum quam phraſium paſſim in poeſin congerunt, ut bacchari magis quàm loqui videantur. Nolo ad cujuſquam reprehenſionem nolo hujus ævi Poetarum exemplis uti, quos ſtupidiores nonnulli admiratores præ Ovidiana puritate amplexantur, quia vocum magis ſtrepitum ſectantur quam ſenſum, quod infirmioris judicii vitium, cum in pueris crepitaculorum ſonitu captis jam viri rideamus, in poeſi etiam robuſtiores facilè deſpiciemus, ut qui voces non propter ſeipſas, ſed aptam rerum adumbrationem inſtitutas intelligemus. Noſtro itaque exemplo utamur, quo ſuperiores Magdalenæ querelas ad Chriſtum de fratre magis ampullata phraſi extollamus

1. Iam Phlegethontæâ frater jactandus in algâ
2. Triſte Charontæo remige calcat iter.
3. Chriſte, Machaonio morbum proſcribe lacerto.
4. Exanimemque animam ſub tua juſſa voca.

5. Qui

5. Qui det Orontæo medicus cataplaſmata ſucco,
6. Qui diapaſma ferat, tu ſatis unus eris.
7. Verba tibi ſunt herba potens. ſi juſſeris, ibit
8. Exul fraterno peſtis ab hoſpitio.
9. Heu! Libitina ſuos intentat avarior ungues,
10. Et nauli repetit ſueta tributa Charon.
11. Ah celerem apportes greſſum, Chananeïa ſeu te
12. Seu te Bethſaidæ deveneretur humus.
13. Te paſſim morboſa lues, apoplecticus horror,
14. Teque elephas turpis, teque anaſarca fugit.

En delicatiora poeſios embammata, qualia Aſiaticorum olim, nunc etiam Germanorum Italorumque nonnulli ſtomachi eſuriunt. Ac fateor me quondam adoleſcentem his paſtum ecligmatis quæ nunc faſtidio, poſtquam cultioris literaturæ lima expolitus, illam cœpi linguæ ſcabritiem deponere. Et quanquam in propoſitis verſibus nihil ſit, quod aliquo veterum Poetarum exemplo defendi nequeat, tamen pauca ſunt quæ laudem merentur, quia importunè adhibentur.

1. Enim, quod tumidioribus Poetis familiare eſt, multum hic verborum, parum rei. *Adfer opem, ô Chriſte, fratri qui moritur* tota eſt oratio uſque ad v. 11. & quot hic ampullæ vocabulorum otioſæ ad hanc rem ſignificandam prodiguntur! atque utinam multi his adhuc limitibus orationem conſtringerent, qui exiſtimant nihil ſibi ex fabuloſa antiquitate intactum relinquendum.

2. Subſtantiva hic nimium remota per tropum adhibentur. ut *alga* v. 1. pro *unda* putenti, in qua ſolet creſcere. & v. 3. *lacerto* pro *manu* & v. 8. *hoſpitio* pro *corpore*. Audacioribus hiſce tropis non ornatur, ſed frigeſcit oratio.

2. Adjectiva ſeu epitheta vel affectatè grandia ſunt: ut v. 1. *Phlegethontaa*, præſertim cùm ſimilia plura recurrant: vel minuta nimium; idque vel ſono, ut v. 10. *ſueta*; vel ſignificatione. ut v. 13. *morboſa:* vel malè novata, ut v. 2. *Charontao* remige, pro Charonte: vel nimium peregrina, ut v. 5. *Orontao* vel malè convenientia, ut v. 3. *Machaonio*, & v. 9. *avarior*.

3. Verba, vel propria non propriè, ut deceret, uſurpata. ut v. 10. *repetit*, pro *petit*: vel translata inconvenienter. ut v. 2. remige *calcat*, pro *ſulcat*, vel potius *ſcindet*, ut tempore cohæreat. & v. 3. *proſcribe* lacerto, pro *manu*, ne utrumque diverſis tropis alienetur.

4. Vocum Græcarum quæſita pompa in Latinis odioſa eſt, niſi extorqueat neceſſitas, ut v. 13 factum. unde v. 5. *cataplaſmata*, & v. 6. *diapaſma*, & v 14. *anaſarca* proſcriptionem merentur: quanquam prima vox à diverſis, altera à Martiali, ſed opportunius uſurpata ſit.

5. Phraſes omnino frigidæ ſunt. v. 2. & 4. & 8 tum contra judicium peccatum in fabuloſis Magdalenæ tributis. quæ vitia hiſque bullatis, vatibus planè ſunt familiaria, ut & priſcæ ſuperſtitionis fabulas Chriſtianis diſciplinis ridiculè miſceant, (quid enim Magdalenæ cum Libitina & Charonte in re tam ſeria? v. 9. & 10.) & dum rara ſectantur, frigidiſſimam orationem effutiant.

6. Ornamentum putidum & hebes argutatio eſt v. 4. *Exanimis anima*, nec v. 7. multùm venuſtatis habet: *Verba tibi ſunt herba*.

Iam leviora non tangam ab his etiam Poetis in numerorum pondere ſæpe neglecta. ut quid enim v. 11. *Ah celerem apportes greſſum?* ubi eliſio, ac deinde ſpondæi, id quod voce petitur, numero evertunt. cur non dicat potius? *Ah, precor, accelera.* vel *Approperа, celer approperа.*

Vides quot manipuli tribulorum in parva ſe offerant ſegete. Prodiit, hac ætate, unus in Germania, alter in Belgio Poeta, qui uterque, (ille tamen inprimis) hujuſmodi cenſura perſtringi meretur. Quorum ego quidem parco nominibus; hoc tamen liberè aſſero, non ad emolumentum magnum eloquentiæ hos partus effudiſſe. Quod nullâ invidiâ, ſed cautelæ gratia monere libuit; ut quorundam imprudentium ad hos ſcopulos offenſiones averterem, & in tot ſeculis probato ad eloquentiam tramite continerem.

EPISTOLA I.

Ferdinandus Gonzaga Aloyſium fil. à via & propoſito Religionis revocare conatur.

QUam tibi nunc mitto, reddes Gonzaga ſalutem;
Cum te reddideris, ſpes mea nate, patri.
Cerne meas lacrymas (nec enim ſimulabo dolorem)
Cerne preces, gnato ſupplicat ipſe pater.
Ne pereas oro; decet iſthæc cura parentem,
Te procul à triſti qui cupit eſſe rogo.

An

Ætati convenientia ſtudia agitanda ſunt.

An neſcis? lædunt teneros juga dura juvencos;
    Quæ volat ante diem plumea turba, perit.
Dum rudis eſt patrio ſatiatur bucula campo;
1. Dum tener, in pratis exſpatiatur, equus.
Qui viget ad Zephyros culti flos aureus horti,
    Hic gravius Boreâ concutiente, jacet.
Præripis ætati, nondum hæc concedit eremum,
    Fac humeris tantum par onus eſſe tuis.
Non ego, nate, tibi Pater adverſabor eunti,
    Eripiamque tuâ præſtita vota manu.
I, licet, at juſtos concede laboribus annos,
    His ætas nondum eſt uſibus apta tibi.
Qui puer es, cur æqua viro moliris? & ipſos
2. Viſa fuit moles tanta gravare viros.
Ille per Hipponis quondam celeberrimus oras,
    Quemque Tageſteæ progenuêre domus,
Vir fuit hoc tanto cum ſeſe accenderet auſu,
    Vix tamen huic vires attulit ipſe pares.
Vir fuit ipſe tuus, modò quem ſectabere ductor,
    Quem conſtat pavido contremuiſſe metu.
Quod Lojola timet, poteris Gonzaga timere;
    Qui fuit, hunc etiam te decet eſſe virum.
Hoc precor, hoc moneo; nolim te cedere votis;
3. Lojolæ ſimilem te magis eſſe velim.
Si parêre voles, melius parebis utrique,
    Illius exemplo, conſilioque meo.

Iuventus in propoſito ſæpe inconſtans, & à cœpta religione cum dedecore reſilit.

Eſt aliquid quo cœca ſolet peccare juventus,
    Ingenii vitio quælibet aura movet.
Quod placuit rudibus, dum ferbuit impetus, annis,
    Vidimus hoc multis diſplicuiſſe viris.
Teſtis Hero, mundum primo qui fugerat ævo;
    Hic viſus mundum rurſus adire ſenex.
Teſtis & Origenes puer is generoſus Amori.
4. Non bene conſulto reſcidit enſe caput.
Qui vixit juvenis caſtæ ſine crimine vitæ,
    In ſenio fidei turpis adulter erat.
Ne nimium properes, ſemel ut penetraveris intro,
    Non licet illatos inde referre pedes.
Semper aperta via eſt, dum nondum clauſtra ſubîſti;

Cum ſemel intraris, ſemper operta via eſt.
Integra libertas nullo diſcrimine conſtat;
Perdita diſcrimen non leve mentis habet.
Nitimur in vetitum. dum libertate potimur,
5. Subdimus impoſito libera colla jugo.
Aſt ubi libertas vinclis adſtricta tenetur,
Subtrahimus juſto colla premenda jugo.
Heu metuo, ne quod ſuaſit temeraria virtus,
Hoc luat infami nomine tota domus.
Dum licet obſiſtas & partæ conſule famæ,
Cauſa tua hæc omnis poſteritatis erit.
Negligis hic patrem ſeroſque ex patre nepotes,
Cunctorum labes unius error erit.
Ergo redi, donec maturis firmior annis,
6. Et facienda ſcias, & patienda feras.
Siquis amor matris, matrem ne ſperne vocantem;
Siquis amor patris, ne quoque ſperne patrem.
Hic, atque illa rogat; mater ſine pignore mœſta,
Et ſenii feſſus debilitate pater.
Poſcimus auxilium. prius hæc compone ſepulcro,
Quæ de ſublato mors dabit oſſa ſene.
Audior? an proprium ſpernes modò, dure, parentem,
Hactenus obſequio qui mihi natus eras?
Ne precor, hiſtoriæ ſit pars hæc ultima noſtræ;
7. Deſertum in ſenio me jacuiſſe patrem.

Aloyſius Patri reſpondet, atque in via & propoſito perſiſtit.

Quam præſens nequeo, tibi reddant aſtra ſalutem:
Quæ venit inde ſalus, plenior eſſe ſolet.
Cum dederis lacrymas, lacrymis penſamus eaſdem:
Non tamen expreſſit mœror, amore fluunt.
Quam cuperem gaudere Patrem! lætarer & ipſe.
Materies certè nulla doloris eram.
Ne peream moneor; juvat hìc audire parentem:
Ne peream cœpti cura laboris erit.
Fluctuat incertis jactatus motibus orbis,
8. Tutius in placidis cymba feretur aquis.
Non ego me primum ventis his credo ferendum,
Plurimus hoc noſtrum navita carpit iter.

Nec

Nec celer ætatem cupido præverto labore:
Immatura polo vix ſolet eſſe dies.
Qui tener inſuetâ ſtivam cervice juvencus
Suſcipit, in bobus fortis aratra feret.
Qui rudis adſueſcit, diſcet parere lupatis:
Qui ſerò patitur frena, repugnat equus.
Quæ roſa purpureo vernat ſpectabilis ævo,
9. Carpitur; exuſtis diſplicet illa comis.
Quæ prior erubuit fecundis uva racemis,
Uva ſolet primo gratior eſſe botro.
Ætas noſtra Deo eſt puerilibus aptior annis,
Primitias operum vendicat ille ſibi.
Me Calybita docet quâ ſint ætate colendi
Cœlicolæ, quantum prima juventa ferat.
Illud Aquinatum lumen, fideique, viriſem
Prævertit juvenis relligione togam,
Vix ubi prætextam poſuit Ioſaphatus, eremum
10. Præpoſuit ſceptris, Indica terra, tuis.
Invenies primâ nondum lanugine tinctos,
Quos ubi divino traxit amore polus,
Non Honor illecebris, non mollia lina voluptæ
Hos cœli poterant illaqueare procos:
Non pater inflexit, quamvis obniſus, euntes;
Sed propè calcatum præteriêre patrem.
Fortè dabat mater lacrymas, riſêre dolentem:
Brachia prætendit, brachia pulſa tulit.
Et pretium, atque preces, & verbera ſpreta videmus.
11. Quos Deus impellit nulla repulſa tenet.
Mitius ingenium nobis natura reliquit,
Non ea vis animi viſa fuiſſe mei.
Oravi matrem, favit perſuaſa roganti:
Oravi patrem, nexuit ille moras.
Duravi, contraque moras patientia longas
Profuit; hâc victus crederis eſſe pater.
Quid malè reclamas. Quod tot potuêre tenelli,
Ne, rogo, Gonzagas hoc modò poſſe neges.
Das Auguſtinum mihi Lojolamque ſequendos:
12. Quis neget Edmundum me quoque poſſe ſequi?
Nos juvenes rectè juvenes facienda docebunt.
Sit Lojola viris Dux, Calybita mihi.

Quibus in tenera adſueſcimus ætate firmius hærent.

Tenerè adoleſcentes religionem ingreſſi ab ea averti non potuêre.

Quid? quod utrumque virum memorent doluiſſe, juventam
Tam malè conſultis interiiſſe viis?
Hinc luctæ, ſtimuliq; graves, radixq; malorum
Altius, in tenero pectore nata, ſtetit.
Quod prius indultū eſt ſtulto, ſine laudibus, ævo,
Materies illis longa doloris erat.

Serò religionem ingreſsi graviora ſuſtinent.

Nemo ſenex doluit Superis quod ſerviit infans;
13. Quod non ſervierit ſæpe ſenex doluit.
Siquis retrò pedem vitio deflexit iniquo;
Illius exemplo cautior eſſe ſciam.
Effugiunt reliquæ, ſociâ pereunte, columbæ:
Quæque parem videt in ſtamine, tranſit avis.
Vt vites ſcopulos læſæ docuêre carinæ.
Quo cadis, hoc alter tutius ibit iter.
Nec libertati metuas, pater optime, noſtræ:
Libertas tantum nomen inane fuit.
Hactenus infeſto teneor captivus in orbe;
14. Nunc libertatem vincula rupta dabunt.
Rex in ſervitio eſt caſtè qui ſervit olympo;
Servus in imperio eſt quiſquis in orbe regit.

In religioſæ vita, libertas, quàm in mundana, verior.

Virtus ſola præeſt, vitium ſervire videmus
Imperium nullum majus in orbe ſui eſt.
Aſpicis ad quantos aſpiret natus honores?
Sunt quæ deſerui vilia, magna peto.
Quid tibi cum fama eſt? famam in virtute paramus.
Si cupias famam quærere, quære polum.
Hoc iter inſiſtam, quamvis ringatur avernus;
15. Proderit ad ſtimulos fama petita meos.
Proderit hoc ſtudio ſudare virentibus annis.
Quem bibit olla recens ſpirat odore diu.
Hoc pede, quo tendunt pueri, conſtantius itur.
Quam juvenis didicit vir ſolet ire viam.
Vnde pater revocas, Deus ipſe vocavit, euntem.
Quid petis? an potior vis pater eſſe Deo?
Obſtabit mater? matrem hic contemnere poſſum.
Si pater obſiſtas, hic quoque ſperno patrem.
Attamen haud ſpernam; ſupplex proſtratus ad aras
16. In votis eritis maxima cura meis.
Hoc erit auxilium quo natus utrumque parentem
Proſequar. obſequium poſcitis? illud erit.

Cetera

Cetera vana reor. Quis te componat in urna,
Neglige, ſufficiant aſtra Deuſque tibi.
Aſtra tibi rurſum jungant, tua pignora, natos.
Hæc deſiderii meta caputque mei eſt.

EPISTOLA II.

Ad Reverendiſſimos, Excellentiſſimos, Illuſtriſſimoſque Dominos D. Mediatores Pacis

FABIUM CHISIUM SEDIS APOſtolicæ & ALOISIUM CONTARENUM Venetæ Reip. ceteroſq; Europæorum Principum Legatos Monaſterii Weſtphalorum congregatos.

Anno quo

DICVnt paX paX qVVM non eſſet paX. Ier. 8.

BEllorum ſatis eſt. quid adhuc extendimus iras,
Et malè conſertâ ſtringimus arma manu?
Opprimat arma quies nudetur caſſide Pallas,
17. Et placidum cingat mitis oliva caput.
Illa dies veniat, quæ tela ligonibus aptet,
Quæque ſuum Martem cogat adire jugum.
Audior? an contra Pacem lituique, tubæque,
Immanique ſono tympana quaſſa fremunt?
O Furiæ! quid adhuc telis haurire cruorem?
Quid juvat alternâ cæde madere ſagum?
Ah! ſatis irarum eſt. Pacem Mars ipſe requirit,
Armaque, defeſſas vix habitura manus.
Iam prope ter denas pugnat Germania meſſes;
18. Hoſtibus hinc ſpolium, civibus inde ſuis.
Et ſeges armorum eſt quâ latè campus inundat:
Pro ſpicis numerat ſpicula mœſtus ager.
Sciditur oppoſitis cum milite ruſticus armis,
Hic Cereris ſicam, Marſpitris iſte quatit.
Heu! malè conveniunt cum raſtris caſtra, ligones
Cum mucrone, gravi, tibia parva, tubâ.

Pax optanda, & bellum Europæ exitiale deteſtandum.

Vertite

Vertite tela precor, crudele refigite ferrum,
Et modò ſit vomis, quod prius haſta fuit.
Scuta procul galeæque virûm, ſævæque bipennes,
19. Dextra regat calamum, nec caput ære gravet.
Sint procul infeſti, mavortia ſigna, *Dracones*
Et repetant *Gothicam*, quæ malè fudit, humum.
Bellatrixque *Iovis, Martiſque* animoſa *volucris*,
Poſt pugnata diu prælia, pace vacent.
Speramus. *Tarpeja* procul dedit omina *Rupes*,
Qualia Lamechidæ *candida* vexit *Avis*.
Creverat immenſis ſuper æquora fluctibus æquor,
Et cum valle ſuas mons habitabat aquas. *Diluvium.*
Omnia pontus erant, cunctis fuit unda ſepulcrum,
20. Noeticæ patiens quæ fuit unda ratis.
Vna igitur medio pendebat in æquore puppis,
Nec niſi de cœlo ſigna ſalutis erant.
Oceano deerat, quem figeret anchora, fundus:
Et deerat portus quo ſua vela daret.
Donec *oliviferis* ſe nota *columba racemis*
Obtulit, ad poſitos cauſſa futura metus.
Ah! nova diluvies armorum fuſa per agros
Nil miſeris reliquum, nec ſine clade facit.
Omnia crudeles bellorum involvere fluctus
21. Cernimus, in Martis nunc mare cuncta ruunt.
Ille per immenſas æſtum diffundit arenas,
Demerſoque ferox victor in orbe furit.
Sed tamen Auſoniâ novus emicat *ales* ab urbe,
Quique *oleæ* frondes, ſpemque ſalutis habet.
Hanc pius oſtentat Chiſius, quem Roma quietem
Ingenio miti conciliare jubet.
Obſequimur, tantoque viro ſubmittimus haſtas?
An furor imperium pro ratione gerit?
Vah malè bacchantem rabiem! quæ tanta furoris
22. Vis queat atroces infatuare Getas?
Obſequimur? jam preſſa gemit reverentia legum, *Bellum le-*
Et perit obtento faſque pudorque ſago. *ges & pie-*
Obſequimur? cultis pietas avellitur aris, *tatem, tam*
Squalidaq; innocuo templa cruore madent. *erga Deum*
Omnia vis pro jure regit ſceptra inde timentur, *quã homi-*
Inde timent: bellum civis & hoſtis alit. *nes evertit.*

Exulat

Exulat omnis amor, vileſcit gratia fratrum.
Cuncta fides, ferro Iudice, ſtrata jacet.
Cur homini tam durus homo eſt, quem ſanguis & æther
23. Quem ligat, æternâ cum ratione, fides?
Et lupus eſt conviva lupo; ſibi parcere norunt.
Vix homini parcit nunc lupus alter homo.
Turca favet Turcæ, patitur ſua nomina Perſes:
Teuto aliis fidus, non tamen ipſe ſibi eſt.
O patriæ crudelis amor! convertite ferrum — *In Turcas*
Si dignus gladio quæritur, hoſtis erit. — *arma*
Ille per Eoas hoſtis notiſſimus oras, — *vertenda*
Qui Solymæ (quantum dedecus!) arva tenet. — *eſſent.*
Quem quondam ſubverſa Rhodos, quem Candia nuper.
24. Suſtinuit, quem fert Pannonis ora Ducem.
Scilicet hunc patimur noſtris adoleſcere terris,
Hunc Europæo cernimus orbe frui.
Hic caret invidiâ, quantumvis invidus, hoſtis,
Hic rapit impunis ſceptra, fidemque premit.
Ah infame jugum! ſed adhuc torpemus inertes
Porrigimuſque pigras ad nova vincla manus?
Prô pudor! ut ſervâ Teuto cervice miniſtret
Inciſo? turpi compede membra gravet?
Et torpemus adhuc! vecors Germania ſecum
25. Diſſidet, ac priſcæ nil probitatis habet?
Quid vos Relligio, ſine Relligione, fatigat?
Quidque Status ratio, quæ ratione caret?
Quid cultas regionis opes, fallaxque metallum
Quæritis? in puncto vertitur iſta bilanx. — *Pauci ex*
Dic quotus hoc fruitur, peperit quod fortiter enſis? — *bello & vi-*
Quod venit ex rapto quælibet aura rapit. — *ctoria partis*
Dic quotus ex gladio dudum victore triumphat? — *fruuntur.*
Qui multos ferro meſſuit, ipſe cadet.
Vidimus, adverſas acies ſtraviſſe Tyrannum;
26. Vidimus, & verſo ſidere, victus erat.
Vidimus elatis victricia ſigna tropæis
Tollere bellantem; vidimus, enſe ruit.
Quot fortes heroum animas ſub tartara miſit
Hæc belli rabies, invidiæque lues!
Perbrevis ætatis bellique hæc fulmina cenſe;
Fulmina ſunt, tantùm Promicuêre, jacent.

Quiſquis

Quiſquis adhuc tumidis Heros Mavortius armis
Exultas, neque fers, Pacis amore, moram:
Cenſe agedum quotquot res ſpeſq; accendit inanis;
27. Quis ſcit, an hæc inter nomina nomen eris?
Cetera vaneſcent, parvum memorabere nomen,
Et referent de te forſitan; iſte fuit.
Quantus erat Gothicis, bellator maximus, armis
Guſtavus, de quo dicimus; iſte fuit.
Quàm VVallenſtenium vidit Germania magnũ:
Contractis humeris dicimus; ille fuit.
Quid Tylios fortes memorem, Baniroſq; minaces?
Quid Pappenhemios Tamperioſque Duces?
Nomina clara quidem virtute, aut crimine rerum,
28. Sed brevis his belli fructus, honorque fuit.
Hos uno complexa fuit Germania Marte,
Hos uno Martis condidit illa rogo.
Non referam viles animas, ac nomina vulgi,
Non armatorum millia multa virûm.
Bis denas memini bellis occumbere meſſes;
Hinc miles ſegetes meſſuit; inde viros.
Vnica tot memorat clades hos terra per annos;
Vt vix hiſtoriæ ſit meritura fidem
Nunc vada mutavit Rhenus, nunc fonte Viſurgis
29. Diſcolor, & rubris Viſtula fluxit aquis.
Nunc quoque Danubius truncata cadavera vexit,
Sanguineoque Albis flumine tardus iit.
Et Nicrus obſtupuit fluctus, Mœnuſque cruentos;
Turbatiſque amnes erubuêre vadis.
Ah ſatis, ah ſatis eſt effuſum ſanguinis! enſes
Ponite, & alternâ Pace coite manus.
Quiſquis es in ſimilem furis uno Patre creatum:
Illa feras agitet, non decet ira viros.
Et furis in Chriſti pretioſo fonte renatum;
30. In Turcas potius ſæviat iſte furor.
Forſitan & junctas cognato ſanguine dextras
Stringitis; ô rabies cruda graviſque nimis!
Sæpe per innocuos ferrum transfigitur artus.
Parcite, qui fecit diluat ipſe nefas.
Pars quota regnorũ eſt, pro quâ decernitur armis?
Exilis terræ portio; vilis humus.

Pleriq; heroes in bello Germanico deniq; occubuêre.

Regna bellis parta diffi-

Viceris.

Viceris. Incertum eſt, quo poſſeſſurus honore,
Quo poſſeſſurus plebis amore tuæ.
Nec juvat obſequium, ſtricto mucrone, coactum.
31. Exiguo regnes tempore; ſpretus eris.
Cum nimis excreſcit metuenda potentia regni,
Naſcitur in propriis miles, & hoſtis agris.
Non deerit vindex, gladio dum vindice ſævis,
Ponderibus nũtant maxima quæque ſuis.
Imperium felix anguſto limite conſtat,
Ne magnum cupias, ſi cupis eſſe tuum.
Nulla ſalus bello eſt. quamvis felicibus alis
Palma tibi plaudat, rara perennis erit.
Vinceris, & vincis; ſpem deſperatio frangit.
32. Nemo poteſt tutò dicere; victor ero.
Et venit & refugit dubiis victoria pennis,
Elatus premitur tempore, preſſus ovat.
Ludimus in variis tantùm ſucceſſibus orbis;
Alter in alterius caſibus, ipſe cadit.
Vt perimant pereantque viri fera tela geruntur.
Qui dat, nec patitur vulnera, rarus erat.
Sæpe caput noſtrum tardo Fortuna furore
Præterit, in noſtrum ſæpe refuſa caput.
Quiſquis es illatis durus crudeliter armis,
33. Vix molles poteris Mortis inire vias.
Vnica tam gravium Pax eſt medicina malorum.
Ah pereat, niſi quis bella perire cupit!
Ille decus regnis, leges ex urbibus aufert,
Templa fide ſpoliat, Relligione Deum.
Non ego vos ſimili rear exardeſcere flammâ,
Quotquot ad optatæ Pacis adeſtis opus.
Hæc quæ vaticinor mala vos meminiſtis abundè;
Sæpe oculus teſtis, ſæpe querela fuit.
Vos pietas, vos tangit honos, Patriæque, Deique,
34. Vos (niſi quis fingat verba) quietis amor.
Pergite bellorum Domini, Paciſque ſequeſtri.
Mars cedat, victrix, Pax, ſine Marte, regat.
Pergite, civilis clamat plebs, clamat agreſtis,
Illa ſuas ſupplex tendit, & illa manus.
Fortè manus deſunt, ſub militis enſe relictæ,
Pro manibus vultu ſupplicat illa pio.

eſſe & ambiguum onus ſunt.

Victoria & ſors belli non rarò vertitur.

Omnis hominum ferè ſtatus ad pacē anhelat

Forſitan

Forſitan ora etiam crudeli vulnere ſqualent,
Gratiaque in vultu nulla precantis adeſt:
Plangit adhuc pectus,lacrymas cum ſanguine fundit,
35. Pondus ineſt lacrymis,vulnera pondus habent.
Pergite pacifici bellum ſopire Quirites,
In viduâ clamat femina preſſa domo.
Multa domo pulſa eſt,circumſtant pignora matrem,
Et deſperatæ pacis amore gemunt.
Virgo ſuum deflet raptum cum Pace pudorem.
Aggemit huic ſimili labe notata parens.
Hic videt elatas patriâ de ſede favillas,
Et tardæ nimium Pacis anhelat opem.
Ille ſuos mediâ ſocios amittit arenâ,
36. Speratæque diu Pacis anhelat opem.
Pacis anhelat opem,quidquid metuenda minatur,
Et quidquid patitur,Pacis anhelat opem.
Vos ſpectant hæc vota Duces,vos lumina mundi
Quos capit exiguo VVeſtphala terra polo.
Inprimis Te,Magne Fabi,qui miſſus ab oris
Romulidum,noſtro ſidus in orbe micas.
Tuque etiam Veneti quem dat Reſpublica regni,
Contarene,decus gentis,amorque tuæ.
Denique quos juncto ſubmiſit Gallia Sueco,
37. Aut dedit Heſperium,Teutonicumque ſolum.
Nec puto deſpicitis lacrymas,& vota precantum;
Ad lacrymas etiam flectitur ipſe Deus.

EPISTOLA III.

Eminentiſſimo Principi Fabio Chiſio S.R.E.Cardinali autor recens oblatam favet purpuram.

NUnc age pulcher Honos & quæ ſub imagine ſomni
Luſiſti,tacito ſchemate,facta refer.
Hoc Chiſio debemus adhuc. Reverentia tanti
Præſulis impenſum poſcit Honoris opus.
Vix ſatis Eoi rubuere crepuſcula cœli;
Ecce coronatis viſa quadriga jugis.

Ibat

Ibat equus cervice tumens, hinnitibus audax, *Equi Principalem quadrigam trahentes.*
38. Et crinitus apex, & juba cuique volans,
Pegaſeis circum veſtitus corpora plumis,
Suſpenſos medio librat in orbe gradus:
Ordine ter geminus. Phaleræ radiantur ab auro,
Aſſyrio tectus murice utrumque latus.
Tota quadriga novo micat illuſtrata metallo,
Aurea quæque rota eſt, aureus axis erat:
Et diſtincta ſuis velabat purpura gemmis.
Inde ſedens Virtus, inde regebat Honor.
In medio Chiſius placido venerabilis ore, *Sereni Principis ejusq; forma & purpura adumbratio.*
39. Mite ſerenatâ fronte nitebat ebur.
Candida malarum facies, tenuique modeſtè
Vtraque ſubrubuit ſparſa pudore gena.
Grata ſupercilium fuſcabat utrumque nigredo,
Ornabatque ſuum, lumina bina, diem.
Emicuit blando generoſa modeſtia vultu,
Et niveæ ex oculis integritatis opes.
Talis erat, qui Cyrrhæis ſpectabilis agris,
Verberat Aoniam pulcher Apollo lyram.
Talis & à victis retulit qui vellera Colchis
40. Tyndarides, cygno progenerante ſatus.
Sidonio geminum latus obvelaverat oſtro,
Et mollis poſitos lambit abolla pedes.
Purpureus ſummâ pendens in fronte galerus,
Leniter umbroſum ſpargit in ora diem.
Auſonias talis properat devectus ad arces,
Terreſtrique colit proxima tecta Deo.
Dignius à primâ nullum ſtat ſede tribunal,
Participat ſtudiis illud & illa ſuis.
Quidquid habet ſecretorum communicat iſti;
41. Et capit alterno munere quidquid habet.
Hic tuus otia neſcit amor, faſtidia neſcit,
Noctibus invigilat, deficiente die.
Miror, & ingentem tenui ſub corpore ſenſum
Suſpicio, mens eſt portio tota tui.
Sic licet impendas. Tales Eccleſia poſcit,
Stabit & his ſedes maxima tuta viris.
Quò modò nos deducis Honor? ſpectacula nondum
Abſolvis? nondum feſſa quadriga vacat?

Prove-

Provehitur Chiſius Tyrio ſublimis in oſtro,
42. Romuleique ſubit plena theatra fori.
Hic Virtus & celſus Honos eduxerat arcum, *Arcus triumphalis*
Quale triumphantis Cæſaris eſſet opus. *deſcriptio.*
Iridis in ſpeciem Pacis monumenta ferebat,
Nec color Auſonici marmoris unus erat.
Æra laboratis ſurgunt exculta figuris,
Artificique manu nobile ſpirat ebur.
Ipſe ſuos vultus Chiſius miratur in auro:
Aurea quem Virtus, aureus ambit Honor
Hos ſuper, impendens fulgenti ex ære, columba
43. Frondis oliviferæ mite ferebat onus.
Sparſus in æra color ſpirantia fecerat ora,
Æternas memoris poſteritatis opes.
Nollet Alexander Lyſippum, nollet Apellem,
His viſis: ſimilem quæreret arte manum.
Legimus & ſolido titulos adamante revinctos,
Viſaque de Chiſio marmora muta loqui.
Maltha pium coluit, fidum Germania vidit,
Tutor ubique ſacræ Relligionis erat.
Æquæ pacis amans, ſimul aſpernator iniquæ,
44. Sic tibi devotas Roma tuetur opes.
Hinc virtute ſuâ nixus, ſtipatus Honore,
Hæc vitæ meruit ferre tropæa ſuæ.
Cetera quæ facili ſubſtruxit imagine Morpheus,
Lubrica jam ſenſus præteriêre meos.
Hoc ſcio, virtutum poſtquam ſimulacra tuarum,
Et laudum titulos fixit amicus Honor
Herculeas etiam locat hinc atque inde columnas.
Æternum Chiſio condimus, inquit, opus.
Serta fluunt circum lauro contexta virenti,
45. Palladiiſque oleæ conciliata comis.
Laurus Apollineo ſteterat vicina Lycæo,
Et ſata Pieriis mollis oliva jugis. *Progreſſus*
Poſtremò titulum, calamo ductore, figurans; *in virtuti-*
Scribere *non ultrà* creditus Herculeum, *bus, & ho-*
Vltra, ait, addendũ eſt titulũ quem Carolus olim, *noris incre-*
Hunc titulo Chiſius nunc potiore feret. *mentum.*
Scilicet eximiæ probitatis jura tueris,
Ingenii creſcit fama decuſque tui.

O quam

O quam rara tibi præcepta Saleſius autor,
46. Dictat, & hæc quantâ ſedulitate teris.
His licet ingentes ultrà promoveris auſus,
Sufficiet virtus nulla, nec ullus honos.
Eloquor invitus (tua namque modeſtia reſtat)
Me tamen hic vatem non cohibere poteſt.
Eloquor, extorquet vocem conſulta vetuſtas,
Proxima virtuti templa locavit Honor.
Vt ſua corporibus non diſſociabitur umbra,
Et creſcunt paribus corpus & umbra viis;
Sic comitis virtutis Honor. Tua purpura teſtis
47. Hoc probat, ex alio nil tibi fonte fluit.
Addere perge tuis virtutibus; addet honori
Venturus memori poſteritate dies.
Hæc ego me quondam memini ceciniſſe futura,
Nolebas vatem me tamen eſſe tuum.
Credebant alii; ſed Te ſubmiſſio tantùm
Ignarum ſortis fecerat eſſe virum.
Quodque ego vaticinans dixi, ſapientia de te
Suaſit, & aggeſtæ cognitionis opes.
Quin etiam pietas vultu teſtata verendo eſt,
48. Et nunquam fictus Relligionis amor.
Credidimus. verum docet experientia vatem,
Nil nimium de Te fingere Muſa poteſt.
Subde fidem collumque jugo ſuadentis Honoris,
Hic Tibi virtutum plenior uſus erit.
Hæc tamen audiri ſimul atque audire recuſas,
Et tacitum mavis diſſimulare forum.
Forſan & iſta velis commiſſa ſilentibus Euris,
Ne quam poſteritas hauriat inde fidem.
Fruſta agis. antiquâ ſtat libertate Poeſis,
49. Nec niſi ſub metris ſtringitur illa ſuis.
Quo magis obſiſtes, magis obluctabimur umbris,
Quæ latuit virtus, profuit illa minus.

EPISTOLA IV.

Illuſtriſſimo D. Arnoldo Comiti de Huyn & & Geleheen autor gratulatur, cum ad S. Cæſ. Majeſt. Cubicularium aſſumptus, aureæ clavis honorem meruit; quem ſuadet non negligendum.

QUando laborato Clavem ſpectavimus auro,
  Qua Tibi Cæſareæ panditur aula domus?
I cape, magnifici delatum munus honoris,
  Nec Tibi ſit vilis Cæſaris iſte favor.
Clavis erat quâ ſponſa, ſuo devincta marito,
  Olim adiit thalamos; eſt Tibi ſponſus Honor.
Clavis erat, quâ Præſulibus delata poteſtas,
  Iuſque ſuum patuit; jus Tibi ſancit Honor.
Eſt clavis, quâ templa ſuis Paſtoribus aras
  Tranſcribunt; aram promptus Honoris adi.
Eſt clavis quâ Principibus ſubeuntibus arces
  Pandimus: hâc arcem nunc Tibi pandit Honos.
Quid ſuprema ſoli memorem ſub clavibus eſſe
  Iura poteſtatis, quidque ſuprema poli?
Ni malè ſacrarum fallit nos pagina rerum;
  Aſtra ſuas claves, has & abyſſus habet.
Summus Apoſtolici princeps fuit ille ſenatus,
  Qui claves meruit, Chriſte, tenere tuas.
Iuſſerit, admotis ſummum reſerabis Olympum
  Clavibus, ad claves Orcus apertus erit.
Crede licet dictis: dos eſt rariſſima clavis:
  Non leve Primorum hæc munera pondus habent.
Carolus imperii manibus, queîs ſceptra regebat,
  Auſoniam hîs clavem, dante Leone, tulit.
Annule, Hydaſpæo cedas formate metallo,
  Chryſolito quamvis irradiate mices:
Cedite honorati, Regum donaria, nummi,
  Quique catenato fulget in ære labor.
Aurea plus clavis poterit: conclavia pandit
  Cæſaris, & tantæ monſtrat aſyla domus.
Eſt aliquid procerum cenſeri in parte bonorum,
  Et Regum auguſtas incoluiſſe domus.
Sed cui ſupremus ſecreta cubilia Cæſar
  Pandit, & auratæ clavis honore beat;

Clavium uſus, & honor varius in variis officiis.

Hunc favor extollit rarus, multiſque probata
Exemplis virtus, nobilitaſque virum.
Quæ, conjuratis in Te cimelia dextris,
53. Contulit arbitrio ſors pietaſque ſuo.
Non tamen hanc fixit metam fortuna decoris;
Quo virtus etiam progrediatur, habet.
Cum mare tranſcendit ripas nullo aggere clauſum
Volvitur, & latis campus inundat aquis.
Quo magis Eoo ſol aureus emicat ortu,
Latius illuſtres ſpargit in orbe faces.
Et Virtus & pulcher Honos, creſcentibus annis,
In Te quæque ſuas experiuntur opes.
Proficit integritas & honeſti nobilis ardor,
54. Quod queat invidiæ diſplicuiſſe, facis
Si quicquam Romana poteſt facundia linguæ,
Et nitido proſit cum Cicerone loqui:
Si Chryſippæum mentis ſubtilis acumen,
Siquid Ariſtotelis poſſit ab arte labor:
Siquid ab inſpectis doctrina Matheſios umbris,
Si juvet hæc numeris artificique manu;
Hoc *Arnolde* tuum eſt, in Te ſpectare licebit.
Eximii dotes pectoris unus habes.
Temperat Auſoniam mitiſſima Suada loquelam,
55. Et Latias fandi gratia ſpargit opes.
Seu Tibi Germano fuerit candore loquendum,
Belgica ſeu blando lingua tenore fluat:
Francica ſeu placeat modulatæ copia vocis,
Mellifluo dulcis ſtillat ab ore favus.
His faciles vulgi ſenſus, cupidoſque potentum
Illecebris animos in tua vota rapis
Sed tamen hæc laudum pars eſt poſtrema tuarum:
Plus aliquid Virtus, quod merearis, habet.
Hæc inter variæ firmat diſcrimina ſortis
56. Ancipitem; dubiis anchora fida Notis.
Eutropius, ſummo quem ſors ditarat honore,
Secretis aulæ clavibus aptus erat.
Jamq; ſimul clavum imperii comprendere viſus,
Arcadio dominus vix dominante minor:
Sed tamen, ut Virtus deerat, Fortuna fefellit,
Lubrica per verſas mox revoluta rotas.

Laus à doctrina, & cognitione variarum rerum.

Laus à virtute, religione, & liberalitate in pauperes.

Cui probitas firmata deeſt, pede nititur uno;
Ingenii vires, hac pereunte, cadunt.
Teque domumque tuam circumſtrepit hæreſis error,
57. Antiquâ ſequeris Relligione fidem.
Somnia quin etiam rides inſana Novantûm,
Nuper Apoſtolico fulmine digna premi.
Hoc agis, ut priſcis pietas conformior annis,
Prima vetuſtatis jura decenter amet.
Heu miſeros quos ſtulta rapit novitatis imago,
Delirum cerebri non vigilantis opus!
Quod ſapis, hoc reliqui ſapiunt. hac tutius itur,
Quâ proavi dudum prætериêre viâ.
Qui petit ignoto compendia calle viator,
58. Ignotum duplicat ſæpe viator iter.
Quod multi tenuêre, tenes. Sapientia rarò
Laudata eſt veteri quæ ſine teſte fuit.
Nec Tibi parca manus, ſiquem malè torquet egeſtas,
Pauperieſve premat relligîoſa virum.
Panditur hoſpitibus valvis bipatentibus aula,
Et riget obductis janua nulla ſeris.
Quæ tribuit fortuna Tibi, pietate tueris:
Et commune cupis quod jubet eſſe tuum.
Sic dignum Te clave facis, cum pandis egenti.
59. Hanc modò det Cæſar, ſerò det æthra Tibi.

EPISTOLA V.

Ad Generoſum & Admodum Reverendum D. Ferdinandum à Furſtenberg, Paderbornenſem & Hildeſ. Canonicum Romam inviſentem.

DEſeris Angariam, Rhenique faventis amicos,
Et Paderæ fontes, Bilſteniamque domum?
Scilicet Auſoniæ cupidum ſpectacula terræ,
Et Latiis rapiet culta palæſtra viris.
Illic trahet, nuper Tyrio veſtitus ab oſtro,
Senenſis Chiſius nobilitatis honos.
Et trahet argutis epigrammata ſtringere nodis
Qui docet, Anconæ * gloria digna ſuæ.

* *Academiæ Italiæ illuſtriores.*

Humo-

Humoriſta * novos illic ab Apolline fontes,
60. Pegaſeaſque hauſtâ *nube* propinat aquas.
Viſitur Etruſcis vacuata *cucurbita* Muſis,
Pro ſale quæ Vatum condit aperta ſales.
Hic quoque Triticeo gaudet Florentia *cribro*,
Floribus eloquii paſcere docta ſui.
Non ego Piceno *natas bove* tango *volucres*,
Melligerum docilis blanda alimenta ſcholæ.
Forſan &, oblato poterit Ferraria *prælo*,
Ad Muſas, dignâ laude, vacare tuas.
Quod te cunque licet noſtris procul abſtrahit oris,
61. Haud leve *Fernande* id ponderis inſtar habet.
Palladiam docili prenſas pede gnarus arenam,
Et Vaticanæ tecta ſuperba domus.
Suada rapit, Latiæque rapit pietatis imago,
Eximiâque orbis parvus in urbe rapit.
I licet, & Vatum fortuna ſequatur euntem:
Sit via præſenti Numine tuta tibi.
Non Phaëthontæas cupiam ſervire quadrigas; *Equi veterum celebres.*
Nec quas Oenomaus rector agebat equos;
Nec Balium Zephyro genitum, Xanthumq; jugalem,
62. Æacidæ celeres doctum agitare rotas.
Ardua ſepoſiti tibi non tentatur honoris, *Vitiorum fugiens.*
In lapſus nimium ſemita prona novos.
Non etiam Cyprii currus verſantur amoris:
Sæpius hi dominos deſtituêre ſuos.
Sed nec eques Martis cupies augere ruinas:
Mitius ingenium Pallas amica dedit.
Pegaſus in victam quâ Bellerophonta Chimæram
Suſtulit, Alpinas hâc vehat arte vias.

* *Symbola Academiis Italiæ uſitata. Humoriſtæ Romæ nubem reſolutam habent, cum lemmate* redit agmine dulci. *Senenſes intronati in Etruria vacuam cucurbitam illic ſale repleri ſolitam, cum inſcript.* Meliora latent. *Florentini Furfurarii cribrum cum lemmate.* Florem tritici meliorem ſecernit. *Auvinati in urbe Picena, Apes ex mortuo bove ſurgentes. lemma.* alieno funere vitam, *Ferrariæ Intrepidi Academici prælum ferunt. lemma.* Premat dum imprimat.

Quas & Amycleus tenuit moderator habenas,
63. Tu pro fratre novus Caſtor habere potes.
Nec tibi, ſi formâ, ſi concertetur honore,
Iudice me, Vati gloria parva foret.
His minor ut cedas, certè virtutibus ille
Cedit, & ingenii palma futura tua eſt.

Votum pro equite profecturo.

Cyllare, ſublatum pacato tergore Vatem
Suſcipe, commotum nec quatiare latus.

Equus leniter provehens optatur.

Colla jubata, licet, ſparſis jactentur ab Euris,
Curventurque agili crura voluta gradu:
Sed leni faciles humeros moderamine flectas;
64. Nec meus, impreſsâ clade, moretur eques.
Quà vehitur molles aſpirent leniter auræ;
Qualiter Hybleis exſpatiantur agris.

Aura immittor præſcribitur.

Tum modò ne madidis occurras Auſter habenis.
Mutato Zephyrus tranſigat axe vices.
Ne ruat irato furibundus turbine Caurus,
Non decet ingenium mite furore peti.
Invenies animæque nives, morumque nitorem:
Ergo tuas cohibe, quas ſpuis urſa, nives.
F Siqua procella cadat prægnantibus humida nimbis,
65. Hæc procul averſis exoneretur aquis.
Quaſque coquit rigidas nox defectura pruinas,
Eliquet has placido rore propinqua dies.
Audiat hæc facili præcepta tenacius aurâ,
Qui regit Alpinos hiſpidus Eurus agros.
Horrida ſaxoſos inclinet Rhetia montes:
Siquis adhuc ſaxis ſenſus ineſſe poteſt.

Alpium durum iter cantu mitigandum.

Hoc docet Amphion citharâ potuiſſe doceri,
Dum cantu rigidi ſubſiliere pedes.
Siſtimus hic juvenē qui priſcū Amphiona vincat,
66. Seu teſtudo tibi, ſeu lyra tacta placet.
Siqua tuas unquam molleſcere fabula rupes
Fecerit, obſequio nunc potiore facit.
Non venit immeritos flammis violare penates,
Qualis ab infidis Punicus hoſtis agris:
Attamen huic duri colles ceſſiſſe feruntur,
Rupit acetoſus pervia ſaxa liquor.
Plus aliquid poterunt fontes Helicone cadentes,
Plus quoque Pegaſeos ungula paſſa gradus.

Quod

Quod nulli licuit Vati licuiſſe videmus;
67. Virtuti ac Muſis invia nulla via eſt.
Ibit inacceſſas, cui mens divinior, Alpes:
Inveniet ſtratam nubibus ille viam.
Non hic Dædaleæ metuit veſtigia plantæ,
Tutior ingenii dote futurus erit.
I, ſed hyperboreo nutritas cardine Muſas,
Auſonios tecum fas ſit adire lares.
Hic tecum pietas vernantes tranſigat annos,
Quæ fuit à cunis ſemper amica comes.
Sæpe peregrino, mihi crede, ſub æthere virtus
68. Deſtituit feſſos præcipitata gradus.
Blanditiæ ſubeunt, ſubit ignorata voluptas;
Otia probroſi ſunt alimenta mali.
Muſa trahit Charites, Charites ſociantur Amori:
Ille ſuos ignes, & ſua tela gerit.
At ſcio deluſas in Te malè congeret artes;
Armaque Virtutum, queis ſuperetur, habes.
Virgineis juvenis ſanxiſti fœdera Muſis.
Verus eris, qualis fictus Apollo fuit.
Ille per Europæ Chiſius celeberrimus oras,
69. Ille Saleſiacæ lumen honorque ſcholæ,
Addet honeſtatis flammas, ſtimuloſque pudori,
Virtutique faces, ingenioque decus.
Pars veſtrum quandoque adero (ſed Numine plenus)
Accipiamque datâ mutua verba vice,
Tunc, ubi Teutonicas Chiſius ſermonibus oras
Viſet, & ad notam mente redibit humum.
Accurram facilis, quo me meus auferet ardor,
Iuverit ex imâ tunc quoque ſede loqui:
Et Mimigardiacas veſtro ſub climate pallas,
70. Fas erit appoſito commemoraſſe joco.
Quin Latias illic Muſas habitare penates
Agricolam, viſum Pallada aratra ſequi.
Alpha ſuis etiam tunc fortè merebitur undis,
Et dici, ſiquis notus amicus erit:
Rhenicolaſque ſuos ac Belgica lumina tanget,
Vekenii juxta Nihuſiique memor.
Pars etiam merear fortaſſe Maſenius eſſe;
Ingenuâ cauſam ſimplicitate dabo.

Nulla tutior in terris peregrinis comes, quam virtus, ſæpe illic amiſſa.

Arridebo procul verbis, Chiſiuſque viciſſim
71. Blandus erit, motus ſentiet ille meos.
Eſt aliquid cultâ fundentem oracula voce
Cernere, conjuncti gratia magna viri eſt.
Gratulor: accedes, nec inhoſpita tecta videbis,
Et Mecœnates poſthuma Roma capit.
Plurima Romuleæ viſes miracula gentis,
Quæque dies præſens, quæq; vetuſta tulit.
Hic Tarpeja tibi pandet capitolia rupes,
Perq; triumphales ingrediere vias.
Terminus hæc quondã lapis indivulſus habebat,
72. Cum Iove dejectus Terminus iſte ſuo eſt.
Inde Palatini dum per convallia montem
Ductus adis, Dominæ ſis memor ante tuæ.
Hic ubi Veſtales poſuêre cubilia quondam,
Caſtior his Virgo fixit Hebræa thronum.
Romulus hic etiam ſimulacra propinqua ferebat,
Sed melior ſedem nunc Theodorus habet.
Ardua Cæſarei ſpectes veſtigia pontis,
Qui mediâ montem junxit utrumque viâ.
Oraque Marforii mordacibus improba dictis,
73. Area Romani quà patet ampla fori:
Hic quoque Septimii curvis anfractibus arcus
Martia, ſuſpensâ mole, tropæa gerit.
Sed neque Saturni veteris ſacraria ſpernes,
Quæ capiunt aras nunc Hadriane tuas.
Nulla viatorem reget hic inſcripta columna:
Succubuit tritis feſſa columna notis.
Roſtra Palatino procumbunt ſubdita monti,
Quæque vetus tenuit Curia, fracta jacent.
Eſt lacus in medio, præceps quem Curtius olim
74. Funere non poterat contumulare ſuo.
Nec ſua Tarquinii deerit nunc urbe cloaca,
Quæ juga libratis molibus alta ſecat.
Cæſar & Auguſtus fora proxima nomine complent,
Porticus hic geminum pandit utrimque latus.
Antonina ſuos gerit, & Fauſtina triumphos,
Plurimus, in fido marmore, miles ovat.
Haud procul amphitheatra ſuis oppreſſa ruinis,
Quæque Camille ſtruis Gallica buſta cubant.

Romana urbis, tam veteris, quàm novæ rudis quædam deſcriptio.

Aſpice,

Aſpice, num reſtent Solymææ inſignia gentis,
75. Quæ tulit ex captâ Veſpaſianus humo.
Aurea vaſa ſuis, candelabrumque figuris
Sculpitur, & raptis ſigna vetuſta ſacris.
Pergis Aventinos aperit quà ſemita colles?
Perge, tuis oculis hic nova ſcena patet.
Hic Numa bifrontis poſuit ſpectacula Iani,
Pax cui ter geminas clauſit amica fores.
Invenies etiam cultæ Pietatis honorem,
Nunc ubi Nicoleos plus pietatis habet.
Fors erit hiſtoricus memorem qui dictet in aurem,
76. Hic captæ Matris Filia mater erat.
Hæc longæ damnata fami tenebriſque jacebat,
Uberibus Matrem paverat illa ſuis.
Veſta ſuas ædes unâ teſtudine clauſas
Offeret; hæc Stephano relligione vacat.
Herculeis etiam manet hic virtutibus ara,
Et fora de raptis nomina bobus habent.
Quæque procul muſcis, procul evitata Moloſſis
Poſteritas tribuit templa rotunda Deo.
Culta Pudicitiæ quondam hic ſurrexerat ædes,
77. Limina cultori deſtituenda ſuo.
Tullus adhæc poſuit Fortunæ templa ſecundæ,
Multus in his templis irrita thura dedit.
Bis geminis hic fulta dabas Vertumne columnis
Culmina, tot facies ædis, & ora tibi.
Quin ſub Aventino templum ſibi Murtia clivo
Legerat; hoc noli ſacrificare loco.
Forſitan invenies priſci veſtigia Circi
Carceribus metas oppoſuiſſe ſuas:
Maximus hic, lataſque rotis pandebat arenas,
78. Naumachiæque datas excipiebat aquas.
Hic obeliſcus erat geminus, lapis unus uterque,
Qui prope tranſiret nubila uterque lapis.
Nunc Lateranenſis complet miracula campi,
Et ſtatuit magnæ parta tropæa Crucis.
Quid modò Severi tibi ſeptizonia dicam?
Quanta fuit moles tertia zona docet.
Quid Conſtantini manibus victricibus arcum
Surgentem memorem? quid ſimulacra viri?

Appia Brunduſii quà ſe via fundit ad oras,
79. Conſpice, principium tramitis arcus erit.
Cælius hinc ſurgit Stephanique extollit honores,
Hìc ubi, Faune, tuis fana rotunda ſacris.
Hìc quoque Cyprigenæ ſociique Cupidinis ædem
Occupat, erectis Crux Solymæa tholis.
Hinc ubi diſcedis, quà Te rapit Appia, Virtus
Culta fuit, cultus ponè ſecutus Honos.
Atria Thermarum mediis ſurgentia ſilvis,
Deliciæque jacent nunc Caracalla tuæ.
Servat Aventinus memores ex mole columnas,
80. Hàc, Albina, tuæ quà patet ara domus.
Surge licet, montis tenuit Diana cacumen,
Quod tenet everſis Diva Sabina facis.
Hinc Regina Deûm procul ablegata receſſit,
Nec mansêre Bonæ ſacra maligna Deæ.
Virgo parens ſubiit, ſimul & Regina Tonantis,
Quæque Bonæ partes impleat una Deæ.
Ceſſit & Alcides, ſucceſſit Alexius, illo
Fortior; iſte virûm victor, at iſte ſui.
Hic quoque Gemonias, horrenda piacula, ſcalas
81. Sacrilegos cernes exanimaſſe viros
Pyramis hic reſtat Ceſtî complexa cadaver,
Niliacis quondam buſta imitata rogis.
Nec procul Eſquiliis Nero duxit ad aſtra Coloſſum,
Maximaque hic urbis pars fuit una domus.
Mecœnas etiam, Muſarum rara voluptas,
Hybla, tuas hortis conciliavit apes.
Et placuit ſedes habitanti culta Maroni,
A Domino ſedes cultior ipſa ſuo.
Hinc clivus ſequitur nomen fecere Saburræ,
82. Atque Tiburtini marmoris arcus opus.
Præneſtina ſimul geminum via mole tropæum
Suſtulit, hæc Marii fert monumenta Ducis.
Hic quoque ducentis palatia nixa columnis,
Cæſareis quondam culta fuêre viris.
Quid memorem gelidos ſuperat quos Martia fontes?
Plurimus his potus, ſed Nero lotus aquis.
Aſſurgit propior vicino vimine collis,
Viminibus juſſus nomen habere ſuis.

Hic

Hic veteris cernas Romæ miracula Thermas,
83. Rudera ſunt Socii Maxmiliane tui.
Ulpia nil reliquum Tibi bibliothreca reliquit.
Affligit Muſas tanta ruina bonas.
Inde Quirinalis tanges faſtigia montis,
Nec procul ingentes corpore, Martis equos.
Creditur hic coluiſſe ſuos Saluſtius hortos,
Larga ubi profuſis vena ſcaturit aquis.
Hic inceſta dedit Scelerato nomine campo
Mutia, criminibus viva ſepulta ſuis.
Mox ubi deflexis urbem luſtrabis habenis,
84. Hiſpani Vatis præteragêre lares.
Improba Flora ſui dabit hic veſtigia Circi;
Improbitas illi nomen honorque fuit.
Hic Marcellini verſatile pegma theatri,
Auguſto dignum Cæſare pegma, ſtetit.
Quamque parens habuit Octavia, porticus ingens,
Iam prope ruderibus ſemiſepulta ſuis.
Sunt quoque Flaminio vulcania culmina circo,
Hic ubi ſacrilegos non tulit ulla canis.
Hercule Muſarum ſocio fuit inclyta ſedes:
85. Inquiras, Genio digna ſit illa Tuo.
Haud procul invidioſa ſuâ ſtant mole theatra,
Quæ Pompejus opum prodigus ante dedit.
Nec Te prætereant Divorum Panthea Matris.
Quæ modò vera Dei Panthea mater habet.
Illa ſuis olim memorant argentea tectis,
Invidus has raptor fert orientis opes.
Hic teſtudo ſuis mirè laquearibus hærens
Panditur, ac hauſtum dividit orbe diem.
Reſtat Agonalis notus certamine circus,
86. Quæque Neronis erant balnea rara, fluunt.
Dicitur, occultis gaviſa Proſerpina ſacris,
Altâ cultores occuluiſſe ſpecu.
Iſidis infando quoque latrocinia cultu,
Et Cyprii luſus his celebrata locis.
Martius hic, priſcis celeberrima nomina faſtis,
Campus erat, cultâ nobilitate frequens.
Sed quoque ſepta ſuis panduntur ovilia metis,
Hinc ſuffragatrix plebs ſua vota dabat.

Porticus & juxta ſeſe Antonina recludit,
87. Quam regit undeno fulta columna pede.
Virgo ſalutiferis hic defluit unda ſcatebris,
Iuturnâ vetus à Virgine nomen habens.
Hic Auguſte tuis obeliſcus conditus umbris,
Explicuit certos, per data ſigna, dies.
Porticus hic claudens crebris viridaria lauris,
Naumachiæque patens Martia vallis erat.
Auguſti tacco ſurgentia Mauſeola,
Æmula vix æquo Memphis honore tulit.
Nec varios memoro Tiberino in flumine pontes,
88. Barbara quos Totilæ ſuſtulit inde manus,
Tu tamen hac tranſi, quà ſe via pandit ad arcem,
Et regio pateat transtiberina Tibi.
Hic juga quæ Iano quondam ſacrata ſepulto,
Oſtendent Statii juncta ſepulcra tui.
Forſitan & Vates quæ Bilbilitanus amabat,
Invenies cultis lilia mixta roſis.
Hinc Vaticani rapient ſpectacula montis,
Scena tuis oculis quo ſatis apta patet.
Hic, ubi vaticinans quondam præſedit Apollo,
89. Fixit Apoſtolicus ſidera bina Chorus.
Proximaque aſtriferis fulgent palatia cœlis,
Omnis in hoc unum confluit artis opus.
Forſitan inde trahet, ſpectantem cetera, caſtrum
Pontificum, dubio Marte, reperta ſalus.
Angelus huic nomen, quadram faber arte figuram,
Materiem, Pario marmore, terra dedit.
Plurima prætereo non prætereunda videnti:
Iudicio melior dux eris ipſe tuo.
Omnia cum tandem Romæ ſpectaveris uno
90. Nil poterit Chiſio dulcius eſſe Tibi.

EPISTOLA VI.

Ad Reverendiſſimum D. Petrum Sibenium Abbatem Gladbacenſem, cui gratulatur quod cum duobus fratribus Paulo & Martino Religioſum ſtatum amplexus fuerit.

EUge Trias Fratrum noſtris memoranda Camœnis,
Te decet in tenui nomen habere metro.

Nos

Nos eadem genuit Tellus; ubi fertur opimo
  Triptolemus currus exoneraſſe ſolo.
Iuliadæ celebres; quid enim tacuiſſe juvabit,
  Et genus & proavos tam popularis agri?
Vos uno de Patre ſatos caro junxit,& unâ
  Nunc animis jungit Relligione Deus.
Patria ſubtili quondam celeberrimo lino,
91. *Parva* cui *vallis* nomina magna dedit,
Hæc modò,vaſtatis reparans incendia tectis,
  Surgit ab infauſto ſemiſepulta rogo.
Parva domum rapuit jactis ſcintilla favillis,
  Quæ trepidâ totum ſparſerat urbe malum.
Cum primi ruerent flammis naſcentibus æſtus,
  Vix fuit hora,flagrans urbs erat una focus.
Nos quoque Troja tuos caſus meminiſſe juvabit,
  Concidit exemplo noſtra *Dalena* tuo.
Partem hoſtis rapuit,partem violentior ignis,
92. Nec ſine funeribus contumulata domus.
Et Troës fuimus. Sed quos ſupereſſe videmus,
  Æneam ſuperant Relligione viri.
Non omnes capit anguſtâ liber iſte tabellâ,
  Tres reliquos vincunt,tres ſatis eſſe reor.
Neſcio quam gratos numeros tria nomina condant,
  Martino Paulus,junctus utrique Petrus.
Qui ternas olim Charites junxere ſorores,
  Hi poterunt fratres his ſociare ſuos.
His Petrus ætate eſt potior,potiorque decore;
93. Dignus honoratam vertice ferre mitram.
Hoc decus ingenii decus hoc virtutis habebit,
  Dum polus in gemino pendulus axe ruit.
Illa tulit primam rectrix prudentia palmam:
  Qua prior imperio ſe moderante regit.
Proxima cura ſui,manet altera cura ſuorum,
  Cui parent alii paret hic ipſe ſibi.
Sic illum pietas teneris eduxit ab annis,
  Sic quoque non fictæ ſimplicitatis amor.
Sic mores,Benedicte,tuos,moreſque tuorum,
94. Hauſit ab exemplo,Dive ſacrate,tuo:
Ut præſit profitque ſuis. Suffragia Virtus
  Addixit meritis officioſa viri.

Dalena in agro Iuliaco, non ita pridem incendio deleta Religioſorum virorum patria.

Infula virtutis merito collata.

Hinc premit illuſtres pretioſa tiara capillos,
Et micat in digitis gemma, pedumque manu.
Sed quid ego hæc referam? nec enim fas eſſe putamus,
Laudibus extremos anticipare rogos.
Muſa tace (quamvis liceant majora Poëtis)
De tribus una mihi eſt Fratribus oda ſatis.
Hæc mihi materies fuerit: tres eſſe repertos
95. Auſpiciis vitæ conſiliiſque pares.
Scribe Poeta licet: *Rara eſt concordia fratrum,* *Concordia trium fratrum laudabilis.*
Exemplo res eſt rara probata ſuo.
Actorides geminos animus conjunxerat unus,
Sive citandus erat, ſive tenendus equus:
Ille refrenantes dextrâ moderatur habenas;
Ille obluctantum terga remiſſa ferit.
Sic bellis habiles agitantur utroque quadrigæ:
Vna manus gladios, altera rexit equos.
Tyndaridas ſimiles memorant; fuit una voluntas,
96. Corporibus tantùm primus & alter erat.
Seu bellum peterent, bellum poſcebat uterque:
Sive domum, fratrem vidit utrumque domus.
Rapta ſoror fuerat, repetebat uterque ſororem,
Inferior geminis Theſeus unus erat.
Plurimus infeſtum pelagus prædator habebat,
Cunctorum terror frater uterque fuit.
Ipſaque mors etiam, ſi vera eſt fabula Vatum,
In conjuratos nil fuit auſa viros.
Hinc cœlo dominantur adhuc, pelagoque frementi,
97. Conjunctamque ferunt alter & alter opem.
Voſne ego conjunctos animis, tria lumina fratrum,
Actorides dicam Tyndaridaſque meos?
Gratia rara trium eſt: numero viciſtis utroſque,
Virtutiſque bono ſuccubuêre ſuæ.
Actorides moderantur equos, ſed legibus æquis.
Qui ſeſe potuit frangere major ovat.
Hic quoque flectendæ mentis ratione quadrigæ,
Affectuſque ferox ſæpe domandus erit.
Tam pia Iuliadas rapuit moderatio Fratres,
98. Corporis hi malunt frena tenere ſui.
Tyndaridas Bellona ſuis minus extulit armis,
Iuliadæ ingenium majus ad arma ferunt.

Quantula

Quantula pars hominum Ledæâ concidit haſtâ
Viſaque ſub duris ingemuiſſe jugis?
Iuliadis toto ceſſit victoria mundo,
Hunc pedibus victum ſuppoſuere ſuis. *Religioſi*
Vincula quin etiam Dæmon capitalia ſentit, *ſunt mundi*
Et caro ſub rigidâ compede preſſa gemit. *carnis ac*
Nec fortes metuunt animæ formidine lethi, *Dæmonis*
99. Illa dabit vitam, quæ feret hora necem. *victores.*
Nil mortale timent, poſtquam immortalia prenſant,
Cumq; polum ſpectent, improba ſordet humus.
Felices quicunque pari rapiuntur amore,
Quique trahunt caſtos ſub pia ſigna viros.
Et quicunque ſacris adſcripti, Chriſte, maniplis,
Militiæ ſtatuunt digna tropæa tuæ.
Non ferit hos quodcunq; timet, quodcunque timetur.
Vna regit tutos mens animoſa duces.
Rideat hos mundus, mundum contemnere norunt.
100. Hos invitet Honos; eſt quoque ſpretus Honos.
Pelliciat fulvi ſpecies pretioſa metalli,
Illecebriſque Venus ſæpe timenda ſuis:
Illud, & illa minor cedet. Quid vilius auro?
Terra rubet. quidque eſt Cypride? ſpuma fluit.
Hos tumidi impellant Procerum, populique favores,
Quæ ſine te Chriſte eſt, gratia nulla placet.
Fortunata Trias quæ tam ſapienter amavit,
Fluxaque ſub plantis inferiora premit!
Tergeminum Alcides victor proſtravit Iberum:
101. Hic licet externis fratribus unus erat.
Dura nihil potuit triplici ſub caſſide cervix,
Nec bis terna ſuis enſibus apta manus.
His triplicem lorica animum muniverat ære,
Sed neque ſat fuerant æs animuſque triplex.
Defuit una fides, & ſpes firmata Tonante:
Hac ſine qui pugnat victus ad arma venit.
Sors melior Bernarde tua eſt, fratrumque tuorum,
Quos rapit una fides & pietatis amor
Nam ſimul inſidiis mundi violenter abîſti,
102. Terque catenatæ diſſiliere fores,
Te quoque conſequitur per fracta repagula frater,
Quique tuus Guido, quique Gerardus erat:

Hoc valuit pietas. unum tria corpora dicas,
Sic voluêre eadem, ſic potuere ſimul.
His obſtare truci nequiit violentia fronte,
Nec conſanguineæ detinuêre manus.
Caſſa Venus rediit, quamvis flammata veniret;
Hoc ardore ſacri major Amoris erat.
Conculcantur opes, conjuncta potentia gazis
103. Spernitur: his Chriſtus plura valebat inops.
Quam ſimiles modo Iuliadas, tria corpora, fratres
Mente pari, ſpreto vidimus orbe ſequi!
Primus erat Petrus (fuit ipſum hoc nominis omen)
Proximus huic Paulus, par ſimul omen erat.
Auſpiciis, Martine, bonis es utrumque ſecutus,
Diverſuſque habitus mens tamen una fuit.
Geryona ſuum ne jactet Iberia tantùm,
Tergemini facitis, non tria corda, viri.
Statis adhuc voſq; Alcides Acheronticus horret,
104. Certior armatum protegit haſta latus.
Seu tibi, Petre, tuos ſuaſit Benedictus amores;
Seu rapit affectus Crux ſacra, Paule, tuos.
Seu, Martine, tuos Ignatius excitat ignes;
Omnibus unus amor, metaque ſola Deus.
Concordem magis illa fovet diſcordia ſenſum,
Diſparium paritas plus in amore calet.
Quem Chelys appoſito delectat idonea cantu,
Diſparibus miſcet fila regenda ſonis.
Pictor Apellæâ diſcriminat arte colores:
105. Ut ſapiant varium condit aroma cibos.
Diſcordent habitu, virtute regantur eadem;
Conveniunt nullâ conditione magis.

Religionis diſſimilitudo non ſolvit concordiam.

LACRYMÆ
D. PETRI POENITENTIS.
ELEGIA I.

ELoquar, an ſileam? nec digna ſilentia reſtant,
Nec culpis ſupereſt apta querela meis.
Et tacuiſſe nocet, ſimul & nocet eſſe locutum:
Maxima pars culpæ eſt utraque cauſa meæ.

Debuit

Debuit injectis mea lingua rigeſcere vinclis,
Cum malè jurato falleret ore fidem.
Aut nihil illa loqui: vel ſi quid fortè loquendum,
106. Obſequio Domini debuit illa loqui.
Ille fatendus erat, per tot miracula notus;
Cuique fidem dederas, ille fatendus erat.
Fatalis Caiphæ domus eſt; facit illa nocentes:
Aut premit innocuos aula nefanda viros.
Ut primis trepidans poſui veſtigia valvis,
Hæſit in offenſo limine planta mihi:
Stridulâque agge[...]uit venienti janua poſte.
Heu nimis in luctus janua aperta meos!
Scilicet hæc fuerant lapſus mihi ſigna futuri:
107. Augurium tanti pes dedit ipſe mali.
Oſtia debuerant ſceleri ſe opponere noſtro,
Et malè laxatis porta coire ſeris:
Aut mihi pro plantis oculos elidere limen;
Cernere ne tantum cogerer ipſe nefas.
Nox erat, & fuſcus tenebras ſuſceperat æther,
(Heu ſimul hæc animi nox fuit alta mei!)
Aſtabam flammis; corpus calefecerat ignis;
Viſa tamen Scythico eſt mens riguiſſe gelu.
Multus erat circum, Borea qui flante, ſatelles
108. Porrigeret calido membra fovenda foco.
Hic, inter volucres, medius ceu bubo, receptus,
Vndique qui cunctis poſcerer, unus eram.
Quódque magis mirum eſt, mulier ludibria fecit.
Turpiter ancillæ me nego ſcire Deum.
Dedecus æternum eſt. ſuperavit femina Petrum. *Turpe virum à femina ſuperari.*
Pró pudor, imbelli voce jacere virum!
I nunc, audacéſque manus, & pectora jacta,
Téque duci comitem fac necis eſſe tuo.
I nunc, & medios ferrum generoſus in hoſtes
109. Exere, victorem femina ſola premet.
Vnus erat Ioſeph; uni tamen improba ceſſit
Femina: juratam præſtitit ille fidem.
Sors mutata tua eſt, de te canit una triumphum:
Altera perjurum te facit eſſe virum.
Nec tamen hanc duplex relevabit femina cauſam,
Vna duos vicit pulchra Suſanna ſenes.

Exem-

Exemplum muliebre Petro ſit jure pudori:
    Hic minor ancillis, non minor illa viris.
O fragilis pietas! Petrum ſimul ipſe negaſti.
110. Hunc modo quis ſimilem cenſeat eſſe ſui?
Illum nempe Petrum, vitam cum ſanguine pactum
    Pro Domino; ſed qui nil niſi verba dedit:
Cùm ſancita fides, Boreas tunc flabat ab Arcto:
    Flabat adhuc Boreas, cum violata fides.
Sed fluat incertis æther mutabilis Euris,
    Et, quam non habuit, deneget aura fidem:
Fluctuet inconſtans æquor, facilíque procellâ
    Vnda fidem fallat; non dedit unda fidem.
Te juratus amor tenuit pietáſque, fidéſque.
111. Heu! fallor, cuncta hæc non tenuere Petrum.
Prodidit (ô facinus, quod nulla piacula tollant)
    Prodidit (ô fandum vix ſcelus) ore Deum.

ELEGIA II.

HÆccine quæ nuper jactabas perfide, cùm te *Fidei inconſtantia.*
    Non defecturam fingis habere fidem?
Scilicet adverſis virtus tua cognita rebus
    Concidit, & tanta eſt fluctibus hauſta ratis.
Vela dabas quondam ventis, nunc verba dediſti,
    Heu levior levibus, Petre, future notis!
Erravit pietas in te tam ſancta Magiſtri,
112. Quémque petram dixit, Petrus arundo fuit.
Gratulor, ô ſocii, levius fugiendo periſtis:
    Plus fuga, quâ perii, noſtra pudoris habet.
Ipſe animo, quem vos fugiſtis corpore, fugi.
    Me ſcelus indignum, vos timor inde tulit.
Dux Iudas autórque mali eſt: hoc nempe Magiſtro
    Tu mihi neglectus, blande Magiſter, eras.
Auſus eram (pudet heu ſceleris! pudet ore fateri)
    Auſus eram de te dicere, neſcio te.
O nimis infelix! quæ vox illapſa per aures
113. Infandâ docuit talia voce loqui?
Femina, quam vidi, mihi præfica debuit eſſe:
    Quémque focum vidi, debuit eſſe rogus.
Debueras & Malche prior ſtrinxiſſe machæram;
    Nam nobis præ te vilior auris erat.

Debuit

Debuit illa mei capitis pars una perire;
Aut magis evulſis lubrica lingua genis.
Quocunq; irrueret ferrum peccare nequibat,
Ex omni videor parte fuiſſe nocens.
Eriperes oculos? oculi fecêre nocentem,
14. Inviſa his Caiphæ debuit eſſe domus.
Eriperes frontem? jam tum nil frontis habebam:
Notus ubi notum me nego noſſe Deum.
Auferreſne caput? caput eſt mihi majus ademptum;
Crimine dum noſtro dux mihi, Chriſte, peris.
Ipſa meum natura ſcelus ſenſiſſe putatur,
Totáque viſceribus contremuiſſe ſuis.
Non cantus; ſed terror erat, cùm, Galle, canebas.
Et mea ſuccuſſit vox ſcelerata tuam.
Plauſum aliis dederas, ſed tunc horrore tremebas,
15. Ad tantum expavit ſtridula penna nefas.
Denique commonitum ſceleris ceſſare jubebas,
Bis dixti ſatis eſt, bis, male fide, tace.
Quin etiam noſtrâ cœlum expalleſcere noxâ
Vidimus, & rutilas occuluiſſe faces.
Vidimus ad terras labentia ſidera volvi,
Quódque ageret fuſcas Cynthia curva rotas.
Nil equidem ſenſi, ventos peccaſſe putabam;
Criminis illa tamen ſigna fuere mei.
Denique & ipſa ſuis, borealibus excita terris,
16. Aggemuit querulis aura proterva Notis.
Nil ego reſpondi, nil me portenta movebant;
Qui nunquam fueram, tunc, puto, petra fui.
Petra fui, donec vultus atque ora referres,
Chriſte, tuis oculis ſic mihi viſe loqui.
Excidimuſne igitur? quò te malus abſtulit error?
Ejurare datam ſic potes ore fidem?
Hic tuus ardor erat? mortis vix territus umbrâ es,
Fitque ſacramentum vile, Deúſque tibi.
Noſce tuum poteris (quid enim prohiberet?) IESUM,
17. Si quem, Petre, negas, hic tuus eſſe poteſt. *Chriſtus*
Ille ego, qui quondam tibi de tot millibus uni *miraculis*
Cognitus ad patrias ſum, male fide, rates. *ſuis cogni-*
Ille ego, qui totâ vixi trieteride tecum, *tus.*
Vna domus nobis, & cibus unus erat.

Ille

Ille equidem, quem tot rerum portenta loquuntur,
  Annua quot rutilo lux rotat orbe dies.
Quære maris fluctus; fluctus meminiſſe juvabit,
  Obvius in ſiccâ dum mihi curris aquâ
Thaboream rupem, niſi rupe es durior omni,
118. Quære, mei locuples hæc tibi teſtis erit.
Quære licet mutos, referent oracula muti.
  Fortè etiam cæcis ille ego viſus ero.
Hæc quamvis tacito, mihi crederis, ore locutus.
  In vultu ſenſi pondus ineſſe tuo.

ELEGIA III.

Chriſti facies à Iudæis deformata.

DA veniam lapſo, dudum mihi cognite IESU.
  Quam vidi facies, hæc aliena fuit.
Non erat ille tuus vultus, qui nuper IESU,
  In formâ deerat forma, decore decor.
Siderea ex oculis tibi tunc radiabat honeſtas:
119. Nunc texère oculos veláque, nóxque, tuos.
Tunc roſa ſuavis eras, hominumq; ſerena voluptas:
  Obriguit ſpinis, nunc roſa tota novis.
Heu nimis ingenuum confudit in orbe ruborem
  Crudus apella, cui nullus in ore rubor.
Adjice liventes, inflicto vulnere, malas:
  Quem quondam agnovi, non erat iſte color.
Tam ſibi diſſimilem fac ignoraſſe Magiſtrum,
  Qui ſibi diſſimilis tunc quoque Petrus erat.
Certè equidem non te novi, bone Chriſte, fatebor;
120. Quémque habui Dominum, non erat ille meus.
Ille meus, quem nuper erat venerata tonantem
  Frondibus, & ſtratis urbs Solymæa viis.
Ille meus verbiſque potens, factiſq; ſtupendus;
  Cujus in hoſtilem vox ſatis una globum.
Ille meus, mediâ cûi ceſſerat orcus arenâ;
  Cujus ad imperium vitaque, mórſque, ſtetit.
Quis talem Solymis & amicâ credat in urbe,
  Hoſtibus in pœnam, ludibriúmque dari?
Cur ſatis hæc nequeant crimen defendere noſtrum?
121. Cur bene me Chriſtum, Chriſte, negaſſe, neges?
Vt tua fert pietas, potes excuſare dolentem:
  O mihi! ſi tantum dixeris; error érat.

Sed

Sed tamen indigno ſceleri malè blandior ipſe;
  Præſidio nuda eſt tam mala cauſa bono.
Non poteras tales, Petre, non ſentire dolores;
  Cùm ferret proprium ſpinea ſerta caput.
Non potuit tantus ſol ullâ in nube latere,
  Quin jaceret radios lucida flamma ſuos
Agnitus ille foret, niſi mens mihi læva fuiſſet.
  Crimen erat velum, nox mihi noxa fuit.
Erraſtis famuli, ſontes ſi plectitis, inſons
  Hic petitur; noſtrum eſt, quod luit ille, nefas.
Scilicet ille mei eſt animi livore notatus:
  Criminibúſque meis erubuêre genæ.
Vincula non meruit; miſeris qui vincula ſolvit:
  Quique dedit vitam, cur ferat ille necem?

Chriſtus ob ſcelera noſtra extremè afflictus.

Culpa mea eſt; en, Chriſte, reum ſcelus ore fatentē:
  Spicula vulneribus ſunt mea fixa tuis.
Excipere innocuum poteras in corpore ferrum,
  Sed ſcelus hoc acuit (prô dolor!) antè meum.
Crux tibi pro lecto; clavi, pro ſede fuiſſent;
  Et tibi pro lauro ſpinea ſerta forent.
Hi quoque mella darent, qui fella dedêre bibenda.
  Heu mihi! quod culpis ſint vitiata meis!
Lancea non potuit; potuit transfigere crimen:
  Crimine ſublato lancea nulla fuit.
Peccavi fateor; quid enim ſimulare juvabit?
  Conſcia ſunt ſceleris terra, polúſque mei.
Túque etiam mater, ſimul eheu! prodita mater,
  Et ſimul in gnato ſpreta Maria ſuo
Parce meis lacrymis, gemitúmque agnoſce dolentis
  Símque tuo dignus, Virgo, patrocinio.
h ſcio te, duris mœroribus obluctantem,
  Déque tuo Iesu poſcere, déque meo.
Ah! ubinam latitat mea lux, mea ſola voluptas?
  Ah Petre, quo caſu, quâ rapuere viâ?
Obvia ſic mater, quæris: celare volebam;
  Ne quoque criminibus proderer ipſe meis.
Sed gemitus invita dabat mens conſcia facti,
  Et lacrymis oculi non tacuere ſatis.
Lingua tamen ſcelus obiicuit; nunc aſtra loquuntur.
  Pallet & ad noſtrum luna diéſque nefas.

Peccavi;

Peccavi; ô cœli! ſceleratæ parcite menti: *Pœnitentia, lacrymæ.*
Ne precor ulturas ſpargite ab axe faces.
Peccavi, & merui; tellus ignoſce fatenti:
Indignúmque ſinu me patiare tuo.
Vos etiam gemini clariſſima lumina mundi,
Plangite communi tacta dolore ſcelus:
Plangite tam triſti proſtratam vulnere mentem,
126. Et nimium ſævis illacrymate malis.
Pro radiis guttas, pro lumine fundite flumen,
Luceat affuſis imbrifer arcus aquis.
Nulla dies veniat, niſi triſtibus humida nimbis,
Nox mihi perpetui mœſta doloris eat.
De me vera ferat venturis fabula ſeclis
Submerſum lacrymis procubuiſſe meis.
Si quem fata locum cœlo miſerante reſervent,
Non Hyadum fugiam Pleïadúmque domos.
Si tamen infauſtâ cogar tellure morari,
127. Fontibus accedam fons Arethuſa tuis.
Merſus in effuſo lacrymarum rore natabo,
Fluctibus ut mediis jam moriturus olor.
Aut etiam, ut pelago circum disjecta frementi,
Iactabor liquidis naufraga puppis aquis.
Fortè aliquis, raptam miſeratus fluctibus alnum,
Duceret in portum tigna ſoluta ſuum.
Anchora ſi deſit, bona ſpes firmabit, amórque
Remus erit, pandet carbaſa plena fides.
Fas mihi ſit tantúm læſo placuiſſe Tonanti;
128. Fata feram ſortis qualiacunque meæ.

ELEGIA IV.

Est locus urbani tangens pomaria ſepti,
Fecerat infauſto nomen oliva jugo;
Pax procul hinc aberat, bellum luctúſque tenebant,
Fertile cupreſſis debuit eſſe ſolum.
Hoc Petro fatale jugum eſt: hic primus amoris
Vim fregit, lapſus pigra per oſſa ſopor.
Tu quicunque canis de me labente triumphum;
Somnus ad inſidias profuit ille tuas.
Hic oppreſſa fuit tepidæ vigilantia mentis.
129. Debuit æterni temporis eſſe ſopor.

Sed

Sed tamen, & gravium monitor fuit ipſe malorum,
Illudens variis ſomnus imaginibus.
Haud procul, impaſtâ rabie, rictúque feroci,
Se fera de latebris fundere viſa ſuis.
Dira per affuſas rubuerunt lumina flammas:
Aut lupus, aut ſi quæ bellua pejor, erat.
Hic tenerum de more gregem per rura vagantem
Invadit; tenerum diſſipat ore gregem.
Nec ſine clade tamen; prædæ conceſſerat una,
Vellere quæ nigro viſa fuiſſe pecus.
Altera, dum ſpolium fixo ſub dente laborat,
Saucia vulneribus jam quoque facta ſuis,
Paſtor adeſt, lacerámque lupi rapit ore bidentem:
Mulcet & impoſitâ vulnera facta manu.
Quis ſcit, an illa mei fuerint præludia fati?
Non me fallo, bidens illa, vel illa fui.
Vix ea per ſomnum mecum meditabar, adeſſe
Cum ſimul effuſos vidimus urbe lupos.
Nox erat; aſt flammæ noctem pepulère malignæ,
Faxque per obſcuras prævia facta vias.
Irrumpunt hortorum aditus, valviſque reductis,
Arma ſonant, gladii promicuère truces.
Dux erat his Iudas. IESUM infremuère phalanges;
Hunc fremuit mixtis cetera turba minis.
Tunc locus, heu! memini (rupes ſenſiſſe putares)
Ingemuit trepido térque, quatérque ſono,
Ingemuit, noménque tuum repetebat IESU,
Quòque Deum potuit reddere, faſſa modo eſt.
IESUM turba rogat, IESUM reſpondit imago:
Heu! ſcelus inſimulans ſaxea lingua tuum.
Æquior illa fuit. petrâ nunc, Petre, Magiſtrâ,
Quem malè neſciſti, diſce vocare Deum.
Montibus his igitur, notâq; in valle morabor:
Quâ primum cecidi rupe, jacere decet.
Námq; hominum pudet, heu! qui me peccare docebant.
In mediis poteram mitior eſſe feris.
Fortè aliquâ poterit facinus ſub rupe latere,
Méque tegent lapides, qui lapis ipſe fui.
Nocte ego peccavi, tenebris malè fidimus antè,
Ipſa etiam teſtis criminis umbra fuit.

Lupus gregem invadens.

Solitudo ad pœnitentiã idonea.

Conſcia

Conſcia quæ ſcelerum, mœroris conſcia nox ſit.
Ne purum inficiant crimina fœda diem.
Solus ego ſolis hærebo mœſtus in umbris;
Tu comes ad lacrymas Martius ales eris.
Hic ego dum clauſo vivus latitabo ſepulcro,
Exequias mœſtâ tu mihi voce canes.
Proderit illa meis tua vox audita querelis:
Quo ſcelus admiſi teſte, dolore juvat.
Hìc tacitos ſoli queſtus narrabo Tonanti:
134. Hîc mea perpetuus carmina fletus erunt.
His ego carceribus, manibuſque, oculíſque revinctus,
Vincula criminibus digna ſubibo meis.
Nec renuam lacrymis tepidum miſcere cruorem,
Hoſtia poſt tantum digna futura nefas.
Si tamen ire juvet, relegam veſtigia IESU.
Quæque tuis pedibus cognita, quæque meis.
Labitur obſtreperis Cedron quâ concitus undis,
Atque vehit notis flumina ſacra viis;
Flumina, quæ fuſo Domini rubuêre cruore,
135. Quæque etiam ſacros lambere viſa pedes.
Hìc memini quam ſancta darem promiſſa Tonanti.
Mors mihi, præ Domino, vitáque vilis erat.
Dixi ego retrogrado prius ibit flumine Cedron, *Nunquam*
Deſeret & muros urbs Solymæa tuos: *deficiendi*
Devia ſidereis ibunt ſtationibus aſtra, *propoſitum,*
Sol faciet noctem, Cynthia clara diem: *ſed irritum*
Quam tuus avellar lateri, Dux optime, cuſtos:
Vna ſimul junget, vitáque, morſque duos.
Currite retrogradis præpoſtera flumina rivis,
136. Sol faciat noctem, luna ſerena diem.
Vana mea eſt, heu! vana fides, deſertor IESU
Eſt Petrus: heu turpi crimine vulnus habet!
Ille Petrus cecidit, monti par viſus olympo.
Qualibet inferior qui modò valle jacet.
Quíq; futurus erat (tenebris procul orbe remotis)
Sol novus, hunc cœco nox tegit atra peplo.
Hæc ego voce queror; reſponſant ſaxa querenti,
Saxa ſcelus noſtrum ſic quoque viſa queri.
Admovet & gemitus inter, ſua murmura Cedron
137. Fors gemit, & lacrymis auctior ille meis.

Sic age, creſce tuis per devia fluctibus auctus,
Quæque Petrus tetigit, tu loca tange, Cedron.
Quod ſcelus hic manſit, tua forſitan unda piabit,
Quæ tamen ex noſtris fletibus unda bibit.

ELEGIA V.

CEdite ſaxa locum, durâ ſub rupe jacebo,
Donec erunt lacrymis mollia ſaxa meis.
Hìc ego præteritæ recolam mea munera vitæ,
Quis fuerim, ignotus cùm tibi, Chriſte, fui.
Spretus eram fateor, neque rebus dives opimis;
138. Sed bona paupertas, & ſine labe mihi. *Pauperes in*
Cura fori deerat, nec honoribus aptus habebar: *rebus Apo-*
Parva domus nobis & ratis una fuit. *ſtoli, ſed in*
Omnia deſerui nuper, cùm, Chriſte, juberes, *Christo di-*
Ne te deſererem: tu mihi tantus eras. *vites.*
Omnibus amiſſis; te compenſavimus uno,
Quidquid erat conjunx, retia quidquid erant.
Scilicet hæc ſprevi, ne te ſpreviſſe viderer.
Cum modò te ſprevi, quanta ruina mea eſt!
Nuper erant lucrum, mea quæ tunc damna ferebam,
139. Dives ob abjectas eſſe videbar opes.
Tu mihi ſolus eras, qui res leniret ademptas;
Omnia nunc pereunt, cum mihi, Chriſte, peris.
O utinam ſolitis Petrus æquora verreret hamis,
Et ſua piſcoſis retia ferret aquis,
Fortè ſuis tantùm notus modò piſcibus eſſet,
Mutus & à tacito diſceret eſſe grege.
Fortè aliquem ferret captivo ex piſce triumphum;
Turpiter ancillis qui modo præda fuit.
Quod tamen ille tuum potuit meruiſſe favorem,
140. Hoc omni majus munere munus erat.
Quantus eram Petrus, Chriſto qui dignus haberer?
De ponto vilis navita; tantus eram.
Quantus eram, qui magna Dei ſecreta tenerem?
Terra, cinis, ſanies putrida, tantus eram.
Ille licet fuerim, potui tibi Chriſte placere
Hei! modò fac placeat, qui fuit ante tuus.
Prodigus ante pedes tibi ſupplice voce revolvor;
Ah, quod in amplexus non licet ire tuos!

Hos mihi ſæpè precor, mihi te quoque fingo benignum.
141. At canit admiſſum gallus ubique ſcelus.
Ille meum toto facinus divulgat in orbe,
Criminis ignara eſt terra nec ulla mei.
Ille locum revocat, ſceleratáque verba retractat,
Et mihi funeſtæ limina nota domus.
Ille tuos vultus memori ſub mente reponit,
Atque oculos oculis ingerit ille meis.
Auribus hic quoties illabitur, horreo totus;
Vox ea, neſcio quid, fulminis inſtar habet.
Ipſe meas etiam, nunc territus, haurio voces:
142. Suſpectóque cadit quilibet ore ſonus,
Ne quid fortè novi tantorum lingua malorum
Concipiat ſceleris, mens ſemel icta timet
Poſt cladem ſapimus, cupimus poſt vulnera ſcutum,
Cúmq; micant flammis culmina, fertur aqua.
Serò licet; ſapiam: medicum poſt vulnera quæram
Chriſte tuæ plagæ, ſint medicina meis.

ELEGIA VI.

Obſecratio reſipiſcentis affectu doloris & amoris plena.

POenitet, & (ſi quid perjuro credere poſſis)
Perfidiæ, dixi, tu meus hoſtis eris.
Pœnitet, atque ſcelus, violatáque jura, retracto,
142. Qui deſertor erat Petrus; amator erit.
Pœna quidé maneat, ſitq; hæc mihi culpa dolori
Sed ſit amicitiæ, júſque, fidéſque novæ.
Abnuis? an dubitas, quia ter te, Chriſte, negavi?
Ter quoque juratam ſpondeo, Chriſte, fidem.
Aſpice nunc lacrymas, lacrymis teſtamur amorem.
Aſpice plangentem pectus, amore dolet.
Per lacrymas oro (nec enim ſuperare videntur
Verba, quibus merear perfidus eſſe tuus)
Has inquam te per lacrymas, quas fudimus ambo,
143. Lumina Luminibus cum mea tacta tuis:
Pérque ſacros oculorum ignes, quibus improba cordis
In lacrymas glacies colliquefacta fluit:
Vincla per, & plagas, quas inſons Chriſte tuliſti;
Femina cum timidum perdidit una virum.
Peccavi heu! fateor; ſed quid dimittere poſſes
Ni foret admiſſum, quod modò ploro, ſcelus?

Nemp

Nempe ita materiem facit hæc mihi noxa doloris;
Quæ tibi materies plurima laudis erit.
Te ſcio quod mediâ clementem viderit irâ,
144. Qui ſævus nimium David adulter erat.
Te ſcio Magdaleos quondam ſenſiſſe dolores,
Et quoque non propriis ingemuiſſe malis.
Quod ſi nulla tamen ſceleris patientia noſtri eſt:
Da precor ut ferro, quò cadis, ipſe, cadam:
Hi clavi, crux illa ferat, ſtringe ipſe machæram:
Magnum erit & manibus me periiſſe tuis.
Ibo, ibo & ſtygias mittar generoſus ad undas;
Sed mihi te ſocium ſub phlegethonta traham.
Amplectárque, tenebo, tenebo; nec oſcula falles;
145. Nec falles pedibus brachia nexa tuis.
Ibo, ibo, & mediis exponam corpora flammis;
Ignibus his ignis major amoris erit.
Forſitan, & ſævos mea lacryma molliet æſtus;
Pœnáque erit, flammâ commiſerante, minor.
Solus eris Petrus totus cûi ferveat orcus,
Totus in hoc noſtrum ſæviet igne ſcelus.
Liber erit tunc, quiſquis erit damnatus averno,
Æternum liber, quo tibi plaudat, erit:
Hæc mihi conceſſos poterit penſare favores,
46. Turbáque criminibus par ſimul eſſe meis.
Plangam ego, lamentis plangam, plangámque ululatu
Plangam ego tam dirum ſolus, & unus onus.
Plangam ego ſuſceptas immani crimine pœnas,
Quæque doloris erit vox, & amoris erit.
At ſcio reſpicies; nec enim patiere clientem
Hoſtiles inter diſperiiſſe rogos.
Sit ſcelus immenſum; tamen eſt miſeratio major
Criminibus nunquam ſuccubitura meis.

AD LECTOREM PRÆMONITIO.

ALterum Elegiaci carminis genus accedimus, quod Iucundum ſive Amœnum, ex rerum præcipuè deſcriptionibus graphicè uſurpatis, appello. Hic cum duo mihi propoſita eſſent, & exemplum hujus poëmatis dare, & rerum plerarumque naturalium (moralium enim ad Heroicum carmen rejeci) magis obviam Poëtis deſcriptionem exhibere, ut rudioribus præcipuè in hac arte ſubvenirem. Illud quidem ſuccincto caſtigatoque magis verſu præſtare licuiſſet, præciſis eis, quæ, ſi voluptate ſolâ hunc annum metiamur, abundat; ut ſunt deſcriptiones quædàm vi magis accerſitæ, productæ, ac connexæ reliquis, quàm naturæ artiſque beneficio ſub manu natæ. Sed plus apud me valuit aliorum utilitas, quàm hæc qualiſcunque bonæ poëſios nota cum non profitear me hic ſolidum poëmatis alicujus corpus, ſed potius quandam rerum amœniorum collegiſſe ad res deſcribendas ſilvam. Quæ cauſa fuit, ut ferè ſine fictionibus ac figuris illuſtrioribus incederem, quò breviori Annum periodo circumſcriberem, magiſque imitabiles hujus artis candidatis figerem greſſus. Sed neque frequens uſus hunc in deſcriptionibus ornatum poſtulat.

Porrò, ut facilius obſervares, quemadmodum non in epiſodiis tantùm Elegiaci carminis, ſed in obviis paſſim comparationibus hæ deſcriptiones ſervirent, adjeci ſub anni finem Encomiaſticum ad Deiparam poëma, de ipſius potiſſimum pulchritudine, alterius Vatis conceptum ingenio, ſcriptum meo. in quo utriuſque Elegiæ lugubris atque amœnæ quædam mediocritas, mixtuſque character exhibetur. Ceterùm, quo ſcribendi diſcrimine utrumque à ſe invicem Elegiæ genus ſeparetur, ſupra c 5. ſat luculenter tradidi. Quod ſanè hujus artis ſtudioſo non erit negligendum.

ANNUS

ANNUS POETICIS DESCRIPTIONIBUS adumbratus.

VER.

Sol ubi flammigeris ſubit altiùs æthera bigis, *Sol in vere*
147. Et ſua Phryxeæ vellera torret ovi. *altius aſcendens.*
Ac gelidos roſeo faſtidit ſiderē Piſces,
Frigida quos liquidis Amphora tangit aquis.
Tunc croceum vectura diem Tithonia conjux *Auroræ exortens.*
Purpuream graditur circumamicta togam.
Phoſphorus antevolat ſurgentis præco diei,
Quaſque fugat tenebras, has ſimul ipſe ſubit.
Sol purum radiante jubar producit ab ortu, *Solis orietis deſcriptio.*
Cogit & alipedes aurea frena pati.
Gemmis temo rubet, clariſque accenſa pyropis
148. Tota repercuſſo Sole quadriga micat.
Quà vehitur cedunt fuſcæ de montibus umbræ,
Contrahit & trepidas pallida Luna faces.
Tecta rubent paſſim, fulviſque cubilia flammis,
Et micat illuſtres vitrea lympha genas.
Pulſa Lycaoniam concedit Bruma ſub Arcton, *Hieme fugiente.*
Hiberno tremulum conditur axe gelu.
Mollia tum leni Zephyrus ſuper arva volatu *Zephyro flantes.*
Fertur, & affuſo nectare rura beat.
Hic tepidos rores, & amicas ſufficit auras,
149. Et fovet illecebris gramina prima novis.
Ipſæ etiam dulces Hyades ſolvuntur in undas, *Pluvia verna.*
Et ſitiens pluviis terra rigatur aquis.
Sed modò Plêiadum lacrymas & nubila cœli, *Serenitas reducta.*
Solatur roſeis Cynthius albus equis.
Auraque nocturnos abſtergit lenior imbres, *Ventorum quies.*
Cogit & Æolios antra ſubire Notos.
Arbuta ſternuntur placido latè omnia ſomno,
Nulla fatigatis ſpuma videtur aquis.
Tunc fecundus ager naſcentes parturit herbas, *Virentia prata.*
150. Et viridi nudam cyclade veſtit humum:
Aſpiratque animam rurſus ſol aureus orbi,
Et pingit roſeis Chloridis arva genis.
Tunc ſua Mœnaliis, pecorum Pan ductor, in agris, *Pecora in pratis.*
Gaudia rurali carmine rurſus amat.

Exultant pecudes, lætaſque armenta per herbas;
 Et plenos referunt lacte fluente ſinus.
Plurima fecundis ſe frondibus induit arbos,
 Effuſiſque viret luxurioſa comis. *Silvæ virentes.*
Nata fretis abies, & idonea fraxinus haſtis;
151. Populus Alcidæ, Quercus amica Iovi,
Et Myrtus Veneri, cognataque vitibus Ulmus,
 Quæque tuis colitur fertilis Ida jugis;
Et platanus diffuſa comas, hirſutaque pinus
 Funditur umbroſis conſpicienda viis.
Has inter frondes placido ſtrepit aura ſuſurro,
 Et ludunt teneris flabra proterva comis.
Arbor Hamadryades, Dryades virgulta, Napææ
 Paſcua, Oreſtiades tunc juga montis habent.
Faunus amat ſilvas, Satyriſque eſt grata voluptas,
152. Quam nova frondoſi palmitis umbra facit.
Quid memorem vivis argentea ſidera pratis, *Horti florentes.*
 Delicias verno tempore Flora tuas?
Quidq; Semiramidis, virides quid Adonidis hortos?
 Quid Pæſti memorem prata, quid Hybla tua?
Illecebræ viſus, Veneriſque crepundia campis,
 Et veris radiant verſicoloris opes.
Hinc ſpinoſa ſuis, roſa ſe defendit in armis
 Idalio molles ſanguine tincta genas,
Sanguine, quo nivei lactentia labra roſeti
153. Imbuit, infeſtâ cuſpide læſa, Venus.
Credulus hinc nimium fallacis amaſius undæ
 Narciſſus, teneras pandit amore fibras.
Hinc quoque purpureis fulges Hyacinthe figuris,
 Notaque vernantis ſigna cruoris habes.
Et ſimul Herculei lactis ſatiata liquore
 Lilia, formoſi nobile veris ebur,
Pene locuturas pandunt ad gaudia linguas,
 Aptaque jucundis riſibus ora gerunt.
Et gratâ redolent violæ ferrugine tinctæ,
154. Calthaque luteolas ſpargit in orbe comas,
Inde procul dulces auro variantur anethi,
 Et nitet in viridi cultus Amellus humo.
Ac placidas inter molleſcit amaracus herbas,
 Multicolorque ſuâ pingitur Iris aquâ.

Verna

Vernat & æterno florens amarantus honore,
Pæſtanoque places mollis acanthe croco.
Inde ſoporifero ſtant fluxa papavera ſucco,
Solſequiumque ſuo volvit in orbe diem.
Bellis nupta thymo eſt, thalamoque fruuntur eodem,
155. Et lambunt ſocias alba liguſtra roſas.
Pœoniæ tulipis, nardoque anemona virenti
Iungitur; alterius flos juvat alter opes.
Totus ab agreſti veſtitur murice campus,
Et pretio certant, hinc odor, inde color.
Qualis inauratum cœlo Thaumantias arcum
Explicat, & vario picta colore nitet.
Talis in apricis Chloris ſeſe induit hortis
Cumque rubore nitet, cumque nitore rubet.
Quin etiam querulo ſaliens per prata meatu, *Pontes &*
156. Labitur obſtreperis lympha retenta vadis. *rivi ſalien-*
Fons quoq; prægnantis gremium telluris inundat, *tes.*
Deque ſinu fuſas terra reſorbet aquas.
Noxia virgineæ vitant contagia Nymphæ,
Et fugiens puro gurgite manat aqua.
Tum ſuper impendet ripæ cum frondibus umbra,
Vmbra quieturis officioſa viris.
Hanc ſubter viridis ludit cithariſtria ſilvæ *Aves variè*
Argutum tenero gutture carmen avis. *modulan-*
Hinc nemorum Siren, ſilvæque animata voluptas *tes.*
157. Daulias, infauſti furta pudenda tori,
Atque epulas Terei, Prognes ſcelus, impia nati
Funera, centenis concinit una modis.
Inde latens dumis aut cincta recentibus herbis,
Ludit in aſſueto dulcis Acanthis agro.
Hinc Fringilla ſuum per opaca ſilentia carmen
Garrit, & artificis verberat oris ebur.
Hinc Merula & dulces Linaria concinit odas:
Galbalus argutis erudit antra ſonis:
Nataque Atlantiaco peregrina Canaria ponto,
158. Garrula ſilvicolæ vox animata lyræ:
Ruris alauda Chelys: viridis Polyglotta theatri
Pallas, & aligeri ſola Magiſtra gregis:
Quælibet exculta laſcivit in arte volucris,
Nec doctis abſunt frondea ſerta comis.

Semirutis etiam nemorum concepta ſub antris *Echo in ſilvis reſonans.*
Diva repercuſſi ludicra mima ſoni.
Æmula vox avium, de rupibus accinit Echo,
Acceptoſque refert ſaxea lingua ſonos.
Inde ſuis volucris ſtruit incunabula pullis,
159. Hoſpitio nemoris quæque recepta ſuo. *Aves nidulantes.*
Molle lutum, ſtipulaſq; rudes, & gramina conflat;
Ac rude vernanti ceſpite ſtipat onus.
Fecundos ovis nidos genitalibus implet,
Sub calido ſobolem mox alitura ſinu.
Se ſuper impendit, pulliſque alimenta miniſtrans,
Sedula quæſitos congerit ore cibos. *Pullos educantes.*
Pabula parva ferens propriæ diſpendia menſæ,
Et fraudans genium prolis amore ſuum.
Hæc circùm querulis exſpectat faucibus eſcam,
160. Ac matrem ſtreperâ garrulitate petit.
Donec plumigero ſuccreſcant vertice crines;
Et ſecet aërias mobilis ala vias.
Atque ubi jam dociles maturior efficit ætas;
Erudit ignotis os puerile modis,
Maternamque ſequens proles vernacula linguam,
Balbutit teneros, plumea turba, ſonos;
Ingenioque habiles faciles complectitur artes,
Et patrium mimo reddit ab ore melos.
Hinc ſubit infeſtæ fugitiva ciconia brumæ:
161. Et colit aprici tempora veris avis.
Quin etiam Paphiæ repetunt ſata rura columbæ,
Et purgant vitreo ſordida roſtra lacu.
Vtque piæ mereat nomen genitricis hirundo,
Incuba maternum ſub trabe pignus alit.
Sed quoque remipedes vigili capitolia propter
Palantur ſtrepitu vernaque prata terunt.
Quin & Amycleos recipit Mæander olores, *Cygni.*
Quem nuper gelidâ compede ſtrinxit hiems.
Et Venus ad notos albentia colla jugales
162. Cogit, Acidaliis exſpatiata jugis.
Aut ubi Mæoniis fluit unda Cayſtria ripis;
Aut vehitur Scythicâ frigidus Iſter aquâ:
Illic per vitreos ales Cythereïus amnes
Riparumque errat, blanda vireta, toros;

Aonioque

Anioque ſuum meditatur gutture carmen,
Quo ſubeat ſtygias lætior hoſpes aquas.
Tunc quoque vernantes volucrum nova gratia plumas
Ornat, & in molli veſte ſuperbit avis.
Ipſe, licet nidum redolens & pingue fimetum,
163. Pictus Epops, alâ verſicolore tumet.
Gaudet & expaſſis volucris Iunonia pennis, *Pavonis deſcriptio.*
Cærula cùm roſeo Syrmate cauda nitet.
Nobile gemmarum decus hìc, viridiſq; ſmaragdi,
Purpureique onychis, chryſolithique micat.
Effunditque ſuos huc prodiga Flora colores:
Cæruleum violæ, puniceumque roſæ.
Ipſe etiam fulvo pictor Thaumantidos arcu,
Aſperſit rutilas Phœbus ab axe faces.
Cyaneumque decus commixtâ luce refulget
164. Gratiùs alternus fulgor, & umbra placet.
Illa relucenti graditur ſpectabilis auro
Quotque gerit pennas cauda, tot aſtra gerit,
Explicat hæc igitur ſpecioſa volumina caudæ,
Spectatrix oculis ambitioſa ſuis.
Et circùm intorquens in apertum circinat orbem,
Qualis in obliqua eſt diſcolor Iris aqua.
Qualis & Auſonidum ſpectatur Parma lacerto,
Quæ picto illuſtris ſidere Parma nitet.
Ergo tumet, verſatque oculos, & conſcia formæ
165. Colla levans, pavidam turgida calcat humum,
Donec in obſcuris offenſa ſuperbia plantis
Linquitur, & criſtis detumet ala ſuis.
Tædet habere pedes, ac dedignata videri,
Naturæ incuſat deficientis opus.
Quid teneros memorem flammas ſurgentis amoris,
Et nimiùm blandos, ſtulte Cupido, jocos? *Amoris*
Tempore non alio Veneri incunabula pontus, *prima in-*
Natalemque dedit Cypria ſpuma diem. *cendia.*
Hoc primùm ſumpſiſſe ſuos puer aliger arcus
166. Dicitur, & primas flammâ animaſſe faces.
Illa ſub ardenti Geminorum ſidere flamma
Naſcitur, ac fœdo torret in igne jecur.
Et furit accenſis, ferventi ſanguine venis,
Nec pecori abſiſtit, plumigeroque gregi.

Ales amor volueri volucer magis, æthera tranat,
In mediis piſces fluctibus urit amor.
Quantumcun que ferox tigris miteſcit amore,
Quantumvis mitis ſævit amore bidens.
Urſi uncant, ululantque lupi, rugiuntque leones
867 Lynx fremit, atq; elephas garrit, & hinnit equus:
Frendet aper, glocitant cervi, vulpecula gannit,
Balat ovis, vitulus blacterat, atque caper:
Bos mugit, latratque canis, ſus grunnit, aſellus
Oncat, & in tepidis rana coaxat aquis:
Mus mintrat, cattus glaucit, male ſibilat anguis,
Solvito pavidus vagit amore lepus.
Hunc Aquilæ clangunt, & gratitat anſer amorem.
Hoc caſtus turtur, mœſta columba gemit.
Hoc turdus trutilat, crepitatque ciconia, ſturnus
861. Piſitat, accipiter pipat, hirundo fritit.
Grus gruit, & corvus crocitat, plauditque palumbes,
Rauca cicada ſtrepit, lenta tetrinnit anas:
Graculus hoc frigulat, pupillat pavo, minurit
Paſſer, zinzilulat regulus atque merops:
Cucurit gallus, gallina gracillat eodem,
Hoc canit omnis avis, bombilat omnis apis.
Tunc criſtatarum videas fera bella volucrum,
Qualia Zelotypus prælia ſuadet amor.
Pectora pectoribus collidunt roſtraq; roſtris,
869. Calcem calce ferox, martia turba premit.
Ardentes inſtant, repetuntque in vulnere vulnus,
Donec in inplumi vertice nulla coma eſt:
Rubraque ſanguineis variatur criſta figuris:
Et quæ ſuaſit amor, detrahit arma dolor.
Ipſe triumphales victor ſibi plaudit honores,
Et quatit inflatos ala ſuperba ſinus;
Exultanſque ſuam ter ovanti carmine palmam
Concinit, & laudis præco fit ipſe ſuæ.
Ter cucurit amans, & paſsâ leniter alâ,
870. Plumigerum ſtrepero circuit ore gregem.
Ipſe dein campos ductor cum luſtrat apertos,
Vermiculans avido dividit ungue ſolum,
Cetera plebs circùm regi comes hæret eunti,
Oblataſque ſibi carpit amica dapes.

Animalium plerorumque voces propria.

Galli volucres pugnantes.

Tantus amor volucri eſt, tanta eſt reverentia pacti
Federis, & thalami connubialis honos.
Quin etiam tellus æthræ genialis amanti,
Explicat herboſum per ſata læta torum.
Et ſibi deſponſum trahit in connubia cœlum,
371. Auricomo rutilas ſole ferente faces.
Tunc paſſim æquoreæ ſulcantur piſcibus undæ *Piſces varii*
Turmatimque halex, paſſer, aſelle natas.
Delphines cetique tuis, Neptune, ſub undis,
Oceani ludunt ſquamea turba, ſinu.
Mullus, & anguillæ, fluviiſque acipenſer oberrat,
Stagnantique lupus percaque gaudet aquâ.
Cancer ab hibernis ſe proripit impiger antris,
Et liquido curvos promovet amne pedes.
Lætatur piſcator aquis & frondibus auceps;
372. Cernitur & tectis lina parare dolis.
Retia tunc ſubeunt examina lubrica ponti, *Piſcatio.*
Et madidum fallax captat arundo gregem.
Sæpe lupus raptam cùm faucibus ingerit eſcam,
Non exſpectato fit cibus ipſe coquo.
Dum capit hamatum venatrix truttula vermem,
Sæpe etiam prædæ præda fit illa ſuæ.
Luminibus valeat quamvis murænula crebris,
Quæque oculis nomen fert oculata ſuum,
Atque pedes cancer numeret, Cheliſque minetur,
373. Vix tamen inſidias hic fugit, illa videt.
Et laqueo volucres & carmine decipit auceps, *Aucupium*
Eſcaque ſub pedicis inſidioſa latet.
Intercepta plagis, viſcoque implexa tenaci,
In piceis luctans nexibus hæret avis.
Nec piſcem ſua pinna juvat, nec penna volucrem,
Hæc quamvis cœlo remiget, illa ſalo.
Sæpe canis metuens, calles ſubit obvia perdix,
Sæpe coturnices ſubdola lina tenent. ** Volucrium*
Strictis ſæpe jacet calamis ficedula; turdus *pugna mu-*
374. Exitiumque ſibi, turturibuſque cacat. *tua.*
Ipſæ etiam volucres * in mutua bella feruntur, *† Noctua ab*
Captandæque merops inſidiatur api. *aliis avibus*
Improba Palladio dudum eſt defenſa favore *circumſeſ-*
Noctua, † tutatur nulla Minerva ſatis. *ſa.*

Motacilla, larus, carruca, rubecula circum
    Exprobrat indignum turba puſilla diem.
Illa tamen ſolita nil de gravitate remittit,
    Ac fruitur ſudo ſidere noctis avis,
Donec hirundineâ circum vallata cohorte,
175. Infeſta metuit garrulitate peti:
Ergo fugit, repetitque ſuas ignava latebras,
    Funereâque canit carmina digna ſtyge.
Ardea ſublimi quamvis confiſa volatu,
    Proxima ſidereis permeet aſtra plagis;
Sæpe tamen curvo deprenſa ſub ungue laborat,
    Falconique avido ſaucia præda cadit.
Accipitrem metuit volucris Cytherea rapacem,
    Atque umbris trepidat Livia, milve, tuis.
Hunc quoque cum timidi ſentis nutricula pulli.
176. Tu gallina paves, tuque columba gemis.
Agminaque expaſſis pullorum colligis alis,
    Inque hoſtem murus, vita, caputq; tuum eſt.
Ille volans latum deſcribit in aëre gyrum:
    Et modò tranſmiſſas itque reditque vias.
Spemque alit, & prædam deſignat raptor opimam,
    Præſidio donec ſit viduata ſuo.
Tum ruit excuſſis velocior æthere telis,
    Et curvo tenerum corripit ungue gregem.
Infeſtoque petit roſtro laceratque trementem,
177. Viſceribuſque abdit viſcera cruda ſuis.
Tum quoque prædatrix volucrum Regina, tonantis
    Aſſecla, fulminei fida miniſtra poli,
Arma Iovis tractat, rutilaſque innoxia flammas.
    Exploratque tuas, lucide Phœbe, faces.
Has jubet & vultu non obnictante tueri,
    Maternâ dignum nobilitate genus.
Degenerem, trepidamq; oculis fugientibus ignem,
    Proſcribit ſobolem, nec cupit eſſe ſuam.
At Phœbo dignam proavo, clariſque probatam
178. Sideribus, blando protegit illa ſinu.
Venatrixque agitans prædam, ſubit invia ſilvæ,
    Et luſtrat trepidis caſtra locata feris.
Tum ſi fortè lepus, foſſoq; cuniculus antro,
    Exit in apricos depopulator agros.

Milvus pullis gallinaceis inſidians.

Aquilas ſuos explorans, educanſq; pullos.

Aquilam prædam auferens.

Imminet

Imminet, & ſpolium pedibus ſuſpendit aduncis:
Mox volat, aſſuetus curſibus antè, lepus.
Ille ſtupet ſubitas lateri ſuccreſcere plumas,
Et nidum in celſa rupe patere ſibi.
Illa oculos fodicat, cordiſque latentia roſtro
179. Scrutatur, pullis pabula grata ſuis.

ÆSTAS.

Cùm ſinuoſa terit Lernæi brachia Cancri
Phœbus, & æſtivas librat in axe rotas.
Flammeus Icariis tunc arva caloribus urit,
Accenſoque ferox Sirius ardet agro.

Sol in æſtate flagrans.

Et vicina flagrant Nemeæi terga Leonis,
Totaque conceptas parturit æthra faces.
Ille volat longumque diem ſubdividit orbi,
Cœli oculus, cenſor temporis, orbis amor.
Luxque ſoporiferas ſpatiis brevioribus umbras
180. Contrahit, & tenebras præcipitata rapit.

Longa dies & nox brevis.

Ter canit exorto gallus præconia Phœbo,
Terque jubet famulos evigilare greges.
Lætior ingreditur, fuſoque per æthera curru,
Victricem toto ſpargit in orbe comam.
Ac paſcit liquido ſitientes fonte jugales,
Haurit & è ſiccis flumina tota vadis.
Acciſas radiis ſilvarum contrahit umbras,
Campus anhelanti toſtus ab igne flagrat.
Rura vacant, pecudes fugiunt, & curvus arator,
181. Errat in apricis ſola cicada jugis.

Fontes & agri calore ſolis exſiccantur.

Tunc exſanguis ager ſitientibus æſtuat herbis,
Et languet raptis flos moriturus aquis.
Quæ roſeos nuper compſit ſibi Flora capillos,
Nunc rugas patiens languida marcet anus.
Quæque priùs viridi tellus vernabat in herba,
Pallida nunc glaucas contrahit igne comas.
Mollia quæ multo frondebant arbuta luxu,
Frondibus exſpirant languidiora ſuis.
Nympha priùs molli ſubiens viridaria ſaltu;
182. Vix modò languenti promovet amne pedes.
Nereïs gelidum Naiſque reviſit ad antrum,
Muſcoſoſque ſubit Nympha ſepulta lares.

Alciden fugiens vitreis Achelous in undis,
Cornua ſiccatis vix levat ulla vadis.
Arida contracto dureſcunt flumina limo,
Et pecus in viduo margine quærit aquas.
Daulias elingui dediſcit verba palato,
Nec gemit è cunis pignora rapta ſuis. *Seges multa.*
Sæpe etenim plenis ſtipantur rura maniplis,
183 Et velut educto milite fervet ager.
Pendet curva Ceres flexâ cervice, caputque
Explicat hirſutis ambitioſa comis.
Et ſegetum Regina Ceres, flaveſcit in auro,
Ac regit imperio ſpicea rura ſuo.
Paſſer in apricis ſua dividit agmina campis,
Atque vacat prædis per tua regna Ceres:
Plurima triticeis ubi meſſis inundat ariſtis, *Meſſis agrorum.*
Spiceaque excultis ſilva ſuperbit agris.
Ipſe etiam flavos meſſor tunc falce capillos
184. Deciduæ Cereris Triptolemique ſecat.
Nudaque calvities ſpoliatos occupat agros,
Luget & amiſſis ſqualida Veſta comis.
Ac ſua congeſtæ cumulantur in horrea fruges,
Divite quas fudit prodiga terra ſinu.
Hanc fugit atra fames, & rerum triſtis egeſtas.
Hanc ſequitur pleno copia læta ſinu.
Sæpe jacet vacuis campus moribundus ariſtis *Grando*
Grandineque occumbit dilapidata ſeges. *quandoque*
Credita mendaci modò fraudat ſemina ſulco, *fruges atterit.*
185. Nec fructum digno fenore penſat ager.
Degeneri nunc ſente riget, tribuliſque rebellat,
Vomeris impatiens Triptolemique rotæ.
Marcet aduſta Ceres, flavos ſpoliata capillos *Seges aduſta.*
Vixque aliquid ſolitæ nobilitatis habet.
Erectâ cervice riget, ſqualetque colore
Lurida, & exſuccas contrahit ore genas.
Hanc fugit averſis non indiga copia velis,
Et ſequitur nigræ mortis alumna fames. *Morbi varii eorumq́;*
Funereâ paſſim ſerpunt contagia peſte, *ſpecies.*
186. Et furit infeſto ſidere ſparſa lues.
Sæpe per obſeſſas calor æſtuat igne medullas,
Imaque bacchatur ſparſa per oſſa febris. *Febres.*

Sæpe

Sæpe tamen ſubito vitiati frigore nervi,
    Ignibus in mediis obriguêre gelu.
Hinc dubiis nutant veſtigia lubrica gyris,
    Et caput ambiguo volvit in orbe dolor.
Lumina fatalem ducunt fugitiva colorem, *Forma morbo erepta.*
    Suffoſſiſque latent penè ſepulta genis.
Defluit ex roſeis natalis purpura labris,
    Et florem formæ demetit atra lues.
Denique ſuccumbit ſine robore languida cervix,
    Corpore corpus abeſt, vita vigore caret.
His ligat adſtrictos podagræ ſtupor improbus artus,
    Nec vacat officio peſve manuſve ſuo
Alterius niveos elephas depaſcitur artus,
    Et tacitâ ſenſim viſcera tabe fluunt.
Illos fulmineo clades epileptica caſu
    Sternit, & in ſpumas oris hiantis agit.
Eſt etiam, mediis ſitiat qui Tantalus undis,
    Cùm tumidum ſegnis corpus inundat hydrops.
Decolor Icterico flaveſcit membra veneno
    Alter, & alterius colica ventre furit.
Pleuritis lateri, tergo Iſchias, Ileus alvo
    Imminet, & morbis ſidera mille favent.
Hinc etiam cyathis abſinthia dulcibus æger
    Miſcuit, & medicis toxica ſparſa cibis.
Aut bibit ignotos, ſtomachi faſtidia, ſuccos;
    Aut maduit lacrymis mitis oliva tuis;
Vidimus & ſtabulis armenta gregemq; minorem *Lues in animalibus.*
    Oppreſſum ſubitis procubuiſſe malis
Vidimus & lævo perculſos ſidere, paſſim
    Morſibus infeſtos ire per arva canes.
Vidimus in mediis taurum procumbere ſulcis,
    Et ſubitâ duram claudere morte viam.
Vidimus & cœlum pulchro florere ſereno,
    Et Phœbo rutilos ire favente dies.
Vernabant Zephyris taciturna ſilentibus arva,
    Blandaque ſopitis dormiit aura Notis.
Sæpe tamen ſudo dum ſol favet aureus aſtro,
    Et nondum fuſcus nubilat ora color.
Tempeſtas velut atra lues infunditur orbi,
    Atque laborantes contrahit æthra faces.

Rana ſuo vates pluviam vocat improba plauſu:
Hanc corvus crocitat, garrula pica canit.
Hanc quoq; præcocibus cornix annoſa ſub undis
Prævenit, & liquido mergitur amne caput.
Hanc humili Progne deſignat in aëre gyro,
Cùm velox tepidam remigat ales aquam.
Hanc criſtata etiam volucris Titania, Martis
191. Aſſecla, plaudenti pectore & ore ſonat.
Roſtratuſque culex, cognataque ſanguine turba
Sextipedum, & nigri velleris optat eques *
Denique ab obſcura ſeptus caligine Phœbus,
Amiſſum luget pallidus orbe diem.
Nubilaque aſſurgunt medio palantia mundo,
Noxque rapit tremulum præcipitata jubar.
Sæpe procelloſo tenebroſa volumina cœlo
Torquet ab imbriferis humidus auſter aquis.
Et gelidi coëunt lapidoſâ grandine nimbi,
192. Ætnæaſque flagrans concipit æthra faces.
Tela triſulca Iovis, cyclopeaque arma minatur,
Ingentique ferox clade procella tumet.
Nec mora, colliſis cùm ſaucia nubibus aura
Rumpitur, & tremulo promicat igne polus.
Obſcurum trepido ſubſultat in aëre murmur,
Atque pavimentum concutit omne polus.
Et velut admoto dum machina ſolvitur igne,
Sulphureo vaſtos evomit ore ſonos:
Solvuntur fracto diſploſa tonitrua cœlo,
193. Horrificoque fremens perſonat axe fragor.
Telum immane ruit, telique tricuſpidis ignes,
Abrumpunt triſti nubila cæca die.
Totaque fulmineo terra expalleſcit ab ictu,
Submittitque ſuas arbor aduſta comas.
Hinc concuſſa tremit quamvis ſacrata Tonanti
Quercus, & afflicto corpore tota labat.
Inde laborantes platanus contractior umbras,
Amiſſo nudis vertice ſpargit agris.
Hinc etiam pavidæ, præcelſa cacumina turres,
194. Ante ſuum caſum penè ſepulta jacent.
Quid memorem ſummos, tacta acroceraunia, montes,
Quidque humiles ſpicas ruſtica terra tuas?

Volucres & inſecta prænuntia pluviæ.

* Pulex

Tempeſtatis ortæ & latè graſſantis deſcriptio.

Omnia

Omnia conſumpto marceſcunt pallida ſucco:
Mollibus in flammis dura metalla natant.
Dum, velut illacrymans cladi, pluvialibus undis
Liquitur, & ſparſas temperat aura faces:
Prodigus effuſis rapitur ſimul auſter habenis,
Et cultum gelido vapulat imbre ſolum.
Sæpe tamen liquidus lapideſcit in æthere nimbus,
195. Et ſtrepit immiti grandine tacta domus.
Aſt ubi detonuit flagrantibus aura procellis, *Tempeſtas deficiens.*
Et roſeas pinxit ſole micante genas,
Pulchra triumphalem Thaumantias inſtruit ar-(cum, *Iridis deſcriptio.*
Atq; colorato circinat orbe polum.
Nimborum hæc ſoboles Phœboq; favente creata
Diſcolor afflatis ſole renidet aquis.
Hinc rutilo ſuffuſa croco eſt; nitet inde liguſtro.
Pingitur hinc violis; pingitur inde roſis.
Hæc ubi venturi cœlo vexilla ſereni
196. Extulit, & pictas luce notavit aquas,
Decreſcunt tenebræ, nebulaſque abſtergit olympus.
Nec vehitur madidis humidus auſter equis.
Lætior æſtivis tunc floſculus exilit arvis,
Proficit & damnis Chloris amœna ſuis. *Herba odorifera.*
Tunc conſanguineis reſpirat odoribus Hybla:
Fragrantique vires, dulcis Hymette, thymo.
Et caſiæ virides, & olentis copia thymbræ,
Purpureoque flagrans promicat igne crocus.
Melligeræ viridi volucres graſſantur in herba,
197. Atque æſtiva novis caſtra locantur agris. *Apum mellificatio deſcripta.*
Dulcia libantur Siculæ convivia Floræ,
Hybleæque thymi, ſolicitantur opes.
Florea rorifluis implentur pocula ſuccis;
Quos bibit è molli parva Meliſſa croco.
Conſulit hæc tenero florum genus omne labello,
Et mille affigit baſia, mille roſis.
Ac veniens, fugienſque animam delibat odoram
Calthula ſive tuam, ſive Hyacinthe tuam.
Auroræque ſatur lacrymis, muſtoque roſarum
198. Ebria, Cecropias plena reportat opes.
Et repetit lautis oneranda cubilia prædis
Vecta per aërium Cecropis ales iter.

Occurrunt

Occurrunt ſociæ, partitaque pondera tollunt,
Alteriuſque frequens, altera fulcit onus.
Ergo graves patriæ ſubeunt penetralia ſedis
Stramineaſque onerant melle fluente domos.
Fervet odoratis populatrix turba maniplis,
Et quæcunque ſuum nava tuetur opus.
Illa pavimentum ſternit, viſcoque tenaci
199. Oblinit infirmas, culmea tecta doctos.
Hæc ſtruit artifici quadrata cubilia ſucco,
Dædaleâque leves imbricat arte lares
Pro ſaxo, cera eſt; pro calce, liquentis olympi
Lacryma; pro tota, cellula parva, domo.
Melleus hac volucrum theſaurus conditur areâ,
Et Floræ pretium nobile, ruris opes:
Roriſluum auroræ muſtum, nectarque polorum:
Quod pluit in patulas æthra benigna roſas.
Si calet æſtivo mellis vindemia cœlo;
200. Blandior exulibus cùm favet aura Notis.
Spicula quin etiam libatis armat in herbis,
Et quo flore legit mella, venena legit.
His ſeſe inſidias contra, contráque rebelles
Munit, & ignavum dimovet arce pecus.
His leges patrias, & cerea regna tuetur,
Nec patitur turpes nobilis ira faces.
Si tamen indignum ſua tela vibravit in hoſtem,
Telorum in plagis perdit inermis opem.
Quid graciles memorem caſſes pendentis Arachnes
201. Et quæ textilibus prodigit exta dolis?
Palladis hæc odio ſuſpenſa trabalibus uncis,
Tenûia prægnanti retia ventre parit.
Et quas ore vomit mox circinat ordine telas,
Explicat & mediis inſidioſa viis.
Huc ſubeunt levibus muſcarum examina turmis,
Quique habitat tecto pauperiore culex.
Et prædatrices veniunt in vincla cohortes:
Indignæ fato nobiliore mori.
Tunc quoq; laniſicæ Serum, molliſq; parentes
202. Straminis, artifici gutture fila trahunt.
Lanarum florem, moriq; alimenta virentis,
Et fuſas uteri parturientis opes.

Apum ſtructura in alvearibus.

Apes adverſus hoſtes armatæ.

Aranea telas, ad prædandum, conficit.

Vermes ſerici laborantes.

Paſcitur

Paſcitur in querulis tunc rauca cicada myricis
  Ebriaque agreſti rore per arva ſtrepit.
Et brumæ,& nigræ metuens formica ſenectæ, *Formica-*
  Annonam cautâ ſedulitate levat: *rum labor.*
Commeat anguſto per prata virentia calle,
  Et magnum exili corpore vectat onus:
Farris onus mœſtaque famis ſolatia tecto
  Congerit,& plenam ſtipat avara penum.
Fervet opus,fervent calido ſub ſole labores,
  Totaque,vitali ſidere terra viget.
Sæpe tamen medio radios amiſit olympo
  Phœbus,& oppreſſas ſubruit umbra faces. *Eclipſis.*
Luna repentino dum facta eſt obvia curru,et
  Terruit adverſos pallida fratris equos.
Aſt ubi jam rurſum,lucemque,animumq; reſumpſit,
  Et læto croceas induit ore genas.
Lætior ingreditur,fuſoque per aëra curſu
  Victricem toto ſpargit in orbe comam.
Dum lavet Heſperio feſſum Pyroenta profundo, *Nox.*
  Temperet & gelido flammea lora freto.
Nox ſubit,& ſocias ducit poſt terga tenebras,
  Nuntiat,& feſſis otia grata viris.
Atque ſopor placido tranquilla oblivia mundo
  Suadet,& optatæ leno quietis adeſt. *Somnus.*
Demulcetque oculos,medicinaque publica curæ eſt.
  Et ſepelit molli corpora viva toro.
Tum quibus illecebras ſomni,quibus otia ſuaſit,
  Hos circum variis ludit imago jocis. *Inſomnia.*
Therſite Paridem transformat; Adonide Mopſum;
  Et leo nunc regnat,qui fuit antè lepus.
Nunc volat, ætherias & Dædalus incolit arces:
  Nunc inter plumas mergitur amne caput.
Nunc ferrum patitur,nunc ſpicula torquet in hoſtem:
  Nunc vigil amiſſas quærit avarus opes.
Plurima narrantur mimi ludibria ſomni;
  Fungitur,& vatum munere ſæpe ſopor.
Interea tacitum radiis vigilantibus orbem *Aſtra in*
  Obſervant gelidæ noctis alumna cohors. *cœlo no-*
Hanc medio errantè dux cynthia cogit olympo: *cturna.*
  Et jubet ad roſeas evigilare fores

Hia

His oculis cæcus defenditur orbis in umbris:
Mitigat,& fulvus nubila denſa polus.
Donec ab inducta reparet ſol luce triumphum
Concludatque oculos nox moritura ſuos.

AUTUMNUS.

DUm tepet æſtivo jam Phœbus adultior igne,
Excedens thalamis,ſpicea Virgo,tuis.
Tuque Aſtræa novis ardeſcis ſaucia flammis,
107. Et rutilo caſtas excipis igne faces.
Libraque cœleſtes momento examinat horas: *Æquinoctium.*
Dividit & medium noxque,dieſque,polum.
Nec procul exacuens metuendæ ſpicula caudæ
Scorpio,Semivirum poſt ſua terga trahit.
Tunc labor agricolas tonſis exercet in arvis, *Agricultura.*
Glebaque verſato ſolicitatur agro.
Inde laborantes ſubeunt juga curva juvenci,
Et mordet teneram vomer aduncus humum:
Hinc perpeſſa graves,renovatur terra,ligones
108. Fitque capax ſolitæ fertilitatis ager:
Inde uti jam dictis ſuſpenditur area ſulcis,
Laxatiſque patent jugera culta fibris.
Iacta maritali ſociantur ſemina glebæ,
Obſignantque datam lignea raſtra fidem.
Tunc Pomona ſuos felicior incolit hortos, *Fructus autumnales pira, poma, nuces &c.*
Et cultas numerat poſteritatis opes.
Pinguiaque Alcinoi biferas pomaria malos,
Ponderibus gaudent ſuccubuiſſe ſuis,
Dependent gravidis hirſuta cydonia ramis,
109. Citrea inaurato cortice mala nitent.
Et ſpargunt rutilos aurantia fulva colores,
Punicaque in lento grana liquore natant:
Meſpila tunc primas cingunt lanugine malas,
Hirtaque de tenero vertice criſta micat.
Caſtaneæque nuces præacutis vepribus horrent;
Qualis in armatis aſper Echinus aquis.
Dulcia frangendis conduntur amygdala ſeptis,
Et nux de corylo pontica multa rubet.
Deciduas patula venatur ab ilice glandes
110. Sucula,per campos quernea ſilva tuos.

Pruna

Pruna Damaſcenis etiam carpuntur in agris:
Quaſque habet excultæ Perſidis arbor opes.
Cornaque de cornis, de moris mora leguntur:
Deficiunt viduos mollia fraga rubos.
Tunc quoque venator ſilvarum occulta ſecutus. *Venatio inſtituta.*
Lata per affines retia tendit agros.
Atque ubi nexilium ſunt valla objecta plagarum,
Nuntiat obſeſſis bella cruenta feris.
Et nemorum dulci trahitur certamine circùm
11. Venantes cingunt, Spartica turba, canes.
Naribus Ichnobates, & Aëllo curſibus acer, *Canes diverſi venatorii, eorumque ſtudia.*
Luminibus Dorceus, robore prompta Nape.
Hæc ubi jam vinclis monuerunt ſigna ſolutis:
Funditur in varias libera turma vias.
Per juga, per ſilvas, per inhoſpita tecta ferarum,
Quà Nemeæ ſaltus, quáque Erymanthe vires.
Pars ſtudioſa ruit, virideſque indagine colles
Explorat, timidis inſidiata feris.
Nare ſagax, pedibuſque, & acutis auribus acris,
12. Prodit inacceſſæ frondea tecta capræ.
Hæc fugit & celſas quærit per devia rupes,
Quò progreſſuro non licet ire cani.
Hæret turba fremens, fractamque crepidine montis
Inflectit retro, non reditura, viam.
Aut magis exacuit vanis inſultibus iras:
Nec profecturis verberat aſtra ſonis.
Illa ſuum ridet jam facta audacior hoſtem:
5 Nec timet imbelli ſpicula jacta manu.
Hoc ſimul excitus ſtrepitu lepus, exilit antro:
Et trepidus patriis erro vagatur agris.
Præcipitique celer tactus formidine cervus, *Cervus in venatione agitatus.*
Deſpicit effuſæ pervia luſtra fugæ.
Inſternenſq; humeris ramoſæ cornua frontis,
Curſibus Æolios præterit ipſe Notos:
Donec ad obſeſſos venantûm indagine ſaltus
Fraudibus excipitur, Delia caſta, tuis.
Tum caput objectis linorum implexus habenis,
8. Nequicquam obſtrictos vult revocare pedes.
Atque reluctantes laqueis magis induit armos:
Dum cadit in mediis victima grata plagis.

Parte aliâ,ſpumantis apri veſtigia prenſat *Aper Venatoribus ſe opponens.*
Spartanâ primus nobilitate Lacon.
Fulmineo ille ruit ſilvis violentior igne,
Quique timet reliquos ipſe timetur aper.
Horrida ſetarum cervix haſtilia latè
Explicat,& dorſo ſilva timenda riget,
Ignea vis oculis crudeli affuſa cruore,
215. Immani ſpumas belliger ore vomit.
Talis in obſtantes furioſo dente catervas
Pergit,& obliquo diſſipat ore canes.
Infrendenſque minax,& acutis promptior armis,
Pingitur excuſſo ſanguine ſæpe genas:
Viſceribuſque avidos dentes hoſtilibus abdit:
Vivus & inferias immolat ipſe ſibi.
Donec eques ſtricto venabula dirigit ictu,
Adverſumque haurit lanceæ adacta latus.
Tum cadit & factas compenſat funere clades,
216. Abſolvitque iras vix moriendo ſuas.
Nec minùs atroci certamine diſtinet hoſtem,
Trux ubi Mænaliis cingitur urſa jugis.
Corporis informis ſpecies hirſutaque villis
Stat cutis,& manat fumeus ore vapor,
Roſtrum ingens,dens ſerratus,peſq; unguibus horret.
Sic petit infeſtos urſa Libyſtis agros. *Urſa in Venatores ſæviens.*
Tunc ſi fortè ſuum ſtrinxit complexibus hoſtem
In medio amplexum ſupprimit illa ſinu.
Vitalemque bibit,potu recreata,cruorem:
217. Ingluvie quâ vix crudior ulla fuit.
Hanc tamen illectam mellis furtiva voluptas
Traxit in occultos fraude latente dolos;
Seu ſpecus illa fuit,fallaci inſtructa myrica,
Seu decepturis vincula denſa plagis.
Hic etiam vulpes,quantumvis vafra,cavernis
Viſa fuit raptos præcipitaſſe gradus.
Et Libycum videas,prædatoremque leonem, *Leo prædator.*
Cui nullum infligant hoſtica tela metum.
Qui tumidâ cervice jubas,armoſque comantes
218. Concutiat fulvas ſpargat ab ore faces:
Ungue rapax,& dente ferox,caudâque minetur:
Quem tamen exceptum ſat domet una ſpecus.

Quid magis Hircanâ metuendum tigride? vires, *Tigris fe-*
Quamvis ipſa fremat, non habet Ira pares. *racsens.*
Hæc tamen intentum non vitat arundinis ictum,
Sit licet effuſis ocyor illa Notis.
Nec ſatis inſidias catulis imbellibus arcet:
Fallitur objecto luſa ſubinde vitro,
Bellua Marmaticis elephas nutrita ſub oris, *Elephantis*
Quâ magis ingenio nulla, nec arte valet. *deſcriptio.*
Corporis immenſam molem, nec turribus impar
Pondus habet, turres viſa movere pecus.
Hinc atque inde minax dens prominet ore ſuillo,
Haſtiliſque inſtar longa proboſcis habet.
Flexilis hæc, manuumque loco eſt, queîs dirigit ictum:
Queîſque dapem & mixtis vina propinet aquis.
Quercu digna cutis, nullo penetrabilis arcu,
Excipit illuſæ ſpicula torta manus.
Se tamen inſidias contra minùs ipſa tuetur;
Arbore dum fulſit, feſſa ſopore, latus;
Hæc propè ſucciduo trunco diviſa, cubanti
Cedit, & in caſum bellua tracta ruit,
Nec reſupina poteſt factam inſtaurare ruinam,
Inde prehenſuris præda futura viris.
Eſt etiam extremis fera vix tractabilis Indis. *Monocerotis*
Nulli illam laquei; nulla ſagitta tenet. *deſcript. &*
Cervinum caput eſt, elephanti planta, ferocis *captura.*
Cauda apri, nigrum tergora vellus amant.
Frons armata riget nigro digniſſima cornu,
Quod necat averſis dira venena malis.
Monocerota ſuum duxiſſe hinc nomina credunt.
Hoc ſolo dives munere præda placet.
Artes illa tamen venantûm provida ludit:
Nec niſi blanditijs proditur ipſa ſuis.
Virginis & gremio placidè intercepta quieſceas,
Virgineâ patitur vincula ſtricta manu.
Simius humanæ ſimulator mimicus artis
(Quem priſco referunt Deucalione ſatum) *Simij cap-*
Quâ ſeſe oblectat, ſimul hac deluditur arte: *tura.*
Et perit inſidijs traditus ipſe ſuis.
Dum videt appoſitas venantem ferre catenas,
Quâque ſibi adſtrinxit, ſolvere vincla, manu.

Hic

Hic ſubit, & paribus nectit veſtigia vinclis;
At ſemel impoſitis neſcit abire plagis.
Rhinocerota ſuis cataphractum Parre ſub armis
Deſpicis, & paribus viribus arma rapis.
Qui licet humanas ſpernat truculentior artes,
Majoremque omni ſe putet eſſe dolo.
Caſſibus ille tamen, vi deficiente, tenetur;
223. Et ferro cervix pervia facta patet.
Nec fugiunt laqueos maculoſo tergore lynces,
Et qui piſcoſis caſtor adhæret aquis.
Nec ſatis hic redimit genitali vulnere corpus:
Aut videt oppoſitas lynx oculata plagas.
Pardalis agnato latebras divulgat odore;
Quoque alias captat, proditur ipſa, feras.
Quid memorem ſimili captivos fraude biſontes,
Cum gemit ex alta penſile fronde pecus?
Et quid Niliacis deceptum Ichneumona ripis,
224. Cui multum exili in corpore fraudis ineſt.
Quidve ovo geniti Crocodili vincula narrem?
Quaſque agis, & pateris turpis hyæna dolos?
Omnia prædarum complecti nomina verſu,
Venantumque artes parva tabella vetat.
Noſcere quiſquis amas, autumni conſule faſtos;
Plurima fert dominum cùm fera capta jugum.
Tunc quoque pampineis veſtitur fructibus ulmus:
Nubit & exſangui vitis amica proco.
Ac circùm inflectens captivis brachia ramis,
225. Fecundâ ſterilem fertilitate beat.
Promicat hic tenero primùm de cortice gemma:
Quæque diu cœlebs, nunc neonympha parit.
Denique poſt flores venit uvis grandior ætas,
Et creſcit roſeis purpura grata genis.
Aut lucent vitreo cryſtallina labra colore,
Pervia luminibus, Phœbe coruſce, tuis.
Tum feſſæ gravidis onerantur vitibus ulmi:
Et vix, quod peperit, vinea portat onus.
Fervet & acciſis vindemia plena racemis,
226. Vdaque ſaxoſis carpitur uva jugis.
Pars armata manus ferro, de palmite fructum
Demetit, & poſitis colligit urceolis.

Ferarum variarum captura.

Vites adoleſcere, & germinare botris.

Vindemia.

Pars calathos implent, humeroſq; gravata recedunt.
Et timido calcant devia ſaxa pede.
Collectas alius plantis terit impiger uvas,
Et modò calcatas, vecte premente, domat.
Preſſaque dulcifluis ſpumat vindemia buccis,
Et plenos latices ebria prœla vomunt.
Pinguia adhærenti tinguntur pectora muſto:
127. Purpureoque rubet ſparſa liquore toga.
Tunc vitis campana ſuo natat illita ſucco, *Loca vino*
Sudat & in patulos cæcuba vina cados. *celebria.*
Ægeum dat Chia fretum, dat Lesbia prælis.
Maſſicus affundit vina Falerna ſcyphis.
Notis Rhenus aquis dulces, rate provehit undas,
Quas fudit liquido vinea preſſa ſinu.
Nec modò laudato gaudes Marcotica Baccho;
Sed quoque vitiferis culte Moſella jugis.
Ebria Pampineis redimitus tempora vittis, *Bacchi de-*
18. Florentique hederâ vinctus Iacchus adeſt: *ſcriptio.*
Dextra gerit thyrſum ſtipant duo cornua frontem
Biſque trahit genitum Tigris amica Deum.
Mænades hunc circùm lætæ trieterica ſaltant,
Et miſcent thyaſis cymbala quaſſa ſuis.
Iunctaq; laudantur veteri nova vina falerno *Compota-*
Statque coronatis menſa gravata ſcyphis. *tiones.*
Floſque, Lyæe, tuus pateris hauritur apertis:
Et lepido rediens ambulat orbe calix:
Donec ab exſtinctis naſcuntur gaudia curis,
9. Bacchæoque natans mergitur amne dolor.
Mox ſeſe invitant cyathis, miſcentque caleno
Maſſica, & irrorant pocula plena ſitim.
Incorrupta placet regalibus amphora vinis,
Et micat in verſo ſtillula rara vitro.
Mille ferunt Reges, & Cæſar mille ſalutes;
Ac perit in pota ſæpe ſalute ſalus.
Nec prius accenſi ponunt certamina Bacchi,
Quàm jaceat cæco mens tumulata mero. *Ebrii.*
Blæſaque lingua fluat, veſtigia lubrica nutent.
. Luceat & multas una lucerna faces. *Ebrii ver-*
Deſes adumbratis fingit tum prælia bellis *bis egregii*
Miles, & audaces concipit ore minas. *bellatores.*

Deque

Deque ſcyphis fuſo metatur caſtra falerno,
Educenſque aciem primus in arma ruit.
Hinc manus hoſtiles depingit ſanguine terras,
Itque cruentatis diſcolor Albis aquis;
Inde ruit trepidus fractis exercitus alis;
Fit fuga, fit clades, tota ruina venit.
Nec minùs ampullas Mavortiaque explicat ora,
231. Et fera bellatrix prælia lingua ſonat;
Quàm ſi fatali rubefecerit enſe cometam,
Et ſtiterit ſtratis fulmina corporibus.
Sæpe etiam calido cùm turgent pectora muſto,
Deliratque ſuis peſque animuſque vijs: *Ebriorum*
Inconſulta manus raptis bacchatur in armis, *inter ſcy-*
Et facilis turpes excitat ira faces. *phos & po-*
Prælia miſcentur, Marsque hìc temerarius audet: *cula pugna.*
Armorumque rudis truncus & obba, loco eſt.
Huic ſcyphus infractas deturpat vulnere malas:
232. Oſque vacillanti dente, cruore madet.
Amphoraque in medio reſidens impacta cerebro,
Diluit affuſo vulnera facta mero.
Alter ab inflicto crudeles ſtipite plagas
Accipit, & pronâ ſternitur ictus homo.
Menſaque non ſolito perfunditur uda liquore.
Atque peregrino vina colore rubent.
Hæc ſunt quæ ludit paſſim certamina Bacchus.
Seria ſunt lepidis mixta ſubinde iocis.

HIEMS.

SOl poſtquam inflexis capricorni ſidus habenis
233. Obtinet, ac gelidas ſub Phryge potat aquas.
Tangit & extremos, auſtralia ſidera, piſces.
Exerratque ſuis, devius orbe, rotis.
Nox regnat, gelidiſque volans maturior umbris. *Nox hiems*
Audet decrepitum præcipitare diem. *longior.*
Ac procul hinc cœli Phœbus ſtatione remotus,
Europam rigidis durior afflat equis
Tunc glacialis Hiems, borealibus edita cœlis, *Hiemis*
Quam nigrâ peperit Nox Aquiloque ſpecu: *imago.*
Torva ſupercilio, caniſque hirſuta capillis;
234. Pendet ab impexis ſtiria multa genis,

Pigra

Pigro lenta gradu,& nodoſo ſtipite nixa
  Pelliceam induitur circumamicta togam.
Hanc ponè inſequitur gelidis Tremor oſſibus errans,
  Ac Pavor,& niveo pallidus ore Rigor.
Et quæ camporum ſpoliis lætatur Egeſtas,
  Horrida brumali ſidere nata lues:
Hæc viridem latè ſilvis prædatur honorem:
  Formoſis Dryades exuit illa togis. *Hieme arbores comis nudantur.*
Non pinus,Silvane tuæ, non Martia cornus
35. Tuta,nec Herculeis populus apta ſacris
Nec tunc pampineæ cingunt tua tempora frondes
  Euhye: nec quercus ſub Iove culta ſuo eſt.
Laurus Apollineo tantùm defenſa favore, *Arbores perpetuò virentes.*
  Palladiiſque viret mitis oliva jugis.
Myrto Cypris ovat; Mars palmâ; Pluto cupreſſis:
  Poſcit in has plantas nil ſibi juris Hiems.
Hæc tamen irriguas pratorum demetit herbas, *Herbæ emoriuntur hieme.*
  Nudaque languenti rura dolore premit.
Mœſta coloratis exſpirat Chloris in hortis,
36. Florenteſque ſecat frigida Brûma comas.
Languidaque emoritur Pæſtani gloria ruris,
  Sola favet vitæ Bruma Amarante tuæ: *Herba perpetuò virentes.*
Pulegiumq; viret;tum quæ tibi Chriſte reſurgit
  In Ierichuntinis,ſtat roſa culta,jugis.
Humidus imbriferas tunc contrahit Auſter habenas,
  Quæque aliquod nomen mitior aura gerit.
Et Zephyros Aquilo debellaturus inertes,
  Ducit hyperboreo pallida caſtra gelu. *Aquilo ventus.*
Atque caput ſeptus nebulis;gelidâque pruinâ
37. Armatas Aquilo ſpargit ab ore nives.
Et Rhodopen Scythicamq; habitans ferus incola terram,
  Tranſit ab hibernis ad nova regna plagis.
Hunc fugit omne pecus deſertaque rura relinquit, *Rura à pecore & aratoribus vacua.*
  Et tremit arctoo languida membra gelu.
In ſtabulis armenta ſuis præſepia quærunt,
  Et trepido caulas cum grege paſtor adit.
Tunc obluctantes ſuſpenſo vomere campos
  Deſerit,& ſterilem damnat arator humum.

Atque domi calidis deſes fornacibus hæret;
238. Congerit, & tepido ligna reſecta foco.
Sæpe leves nugis ubi fallit anilibus horas;
Fabula de priſcis commemoratur avis.
Sæpe etiam verſis ſuſpendit ſtamina rhombis,
Quæ priùs ex plena duxit amica colu.
Sæpe laboratum niveo de lacte cremorem
Separat, & laudat pinguia dona boum.
Calloſaſque manus, duroque aſſueta ligoni
Brachia, femineum cogit adire jugum.
Aut quod turpe magis, lentis ignavia membris
239. Serpit, & imbellis pectora torpor habet.

Ignavi plures in hieme ad focum.

Pars bona vivendi ſopor eſt, pars languor, & excors
Rixa; nec uxorem fert, famulumve gregem.
Sæpe fovet turpes infamis inertia luxus,
Perdit & æſtatis prodiga fenus hiems,
Otia virtutes frangunt, animosq; remittunt,
Criminibuſq; favet non moderata quies.
Quod curis vacuum eſt, quodq; eſt ſine Pallade (pectus,
Vix poterit vitiis hoc caruiſſe ſuis.

Otia vitiorum fomenta.

Privatos inter poterit latuiſſe penates
240. Femina; ſed poſcunt rura forumq; virum.
Hibernum illa diem modulato fallere verſu,
Et tenui poterit ducere fila colu,
Nempe laborantes matres, teneraſq; puellas
Cernis, ubi accenſis ſunt hypocauſta focis.
Explicat illa leves, in pulvinaria, telas,
Et labyrintheo ſtamine cingit acus.
Hæc vaga textilibus diſtinguit lina figuris:
Hinc flos, hinc roſeo pingitur ore puer.
Hinc mare tranquillum eſt, hic fluctus ab arte tumeſcit,
241. Et perit in ſiccis naufraga navis aquis.

Fuſum ducere, nere, variaq; arte texere feminarum labor.

Textiles figuræ.

Sanguineis illic patitur victoria bellis,
Filaque cum filis prælia muta gerunt.
Pectinis ingenio, dextræque laboribus ora
Colludunt, dulci carmine docta loqui.
Carmine quo rigidi poſſent molleſcere venti,
Brumaq; clementi mitior eſſe gelu

Hæc

Hæc teneram extollit ſuper aurea ſidera vocem: *Cantus diverſus mulierum.*
Altera ſubmiſſo grandior ore ſonat.
Huîc mediâ placet ire viâ, moderataque plaudit
Carmina, ſublatum detonat illa melos.
Pulcraque concordes ornat diſcordia voces.
Gratia neglecta major ab arte venit.
Sic faciles ſolers traducit femina brumas:
Et remanent ſolos otia dura viros.
Quod ſi fortè ferox gelidis hibernet in armis *Excubitores hiemali auræ expoſiti, dura patiuntur.*
Miles, & expoſita pro ſtatione cubet:
Cogitur algentes pallenti corpore brumas
Vincere, Sarmaticas & tolerare nives.
Cogitur & Scythicis caneſcere ſæpe pruinis,
Grandinis aut fuſæ ſaxea tela pati.
Sæpe pavent ſtricti glaciali frigore nervi,
Lentaque vix tepido ſanguine vena micat.
O quoties lethalis hiems prorepit in artus,
Perpetuoque rigent membra ligata gelu!
Sæpe tamen victæ contemnit frigora brumæ,
Cùm tulit accenſo plurima ligna foco. *Focus calidus adverſum frigora.*
Cæduntur ſilvæ, raptiſq; bipennibus ignî
Materiem domuum tigna, trabeſque ferunt.
Sive vireſcat adhuc, ſeu fortè exaruit arbos,
Cogitur ad ſtructum ferre tributa rogum.
Donec ad aſtra ferat victores Mulciber ignes,
Frangat & hibernum flamma animoſa gelu.
Mox redit in pigros ſenſim calor excitus artus,
Et ſalit admoto languida vena foco.
Ipſe etiam tremulus gratos canis hæret ad ignes,
Et calidos cineres felis amica fovet.
Cætera Rhiphæam tolerant animalia brumam;
Armaque queîs ſuperent frigora, nulla ſciunt.
Cunctorum fuga præſidium eſt. ſic Biſtonis ales; *Aves pleraq; hiemem fugiunt.*
Sic latet arguto carmine blanda ſoror.
Et fugit oblongo munita ciconia roſtro,
Inque vicem gelidi Strymonis ales adeſt.
Parvus in obſcuris latitat mus conditus antris, *Animalia pleraque in cavernis latent.*
Et tenui pauper vivere farre ſolet.
Provida ſuffoſſos habitat formica penates,
Annonæ parto fenore digna frui.

 Abdita

Abdita cuncta latent, languetq; emortua tellus,
Et vitale nihil, quo recreetur, habet.
Obſtupefacta ſilent taciturnis flumina lymphis, *Gelu adſtringuntur flumina.*
246. Quæ luſêre ſuis garrula nuper aquis.
Armatuſq; Aquilo glaciali detinet undas
Carcere, & incluſas obſidione premit.
Cryſtallo circum rigidâ ſuſtollitur agger:
Marmoreo ſurgunt lubrica valla gelu.
Adverſis Boreas mandat certamina Cauris,
His ſunt tela; gelu, frigora, flabra, nives.
Languida brumali ſternuntur marmora lecho,
Nymphaq; captivis vincta tenetur aquis.
Subjectus plantis Nereus tremit, udaque ſubdit
247. Colla jugo, ſicco pervius ipſe pedi.
Tunc Neptune tuâ paſſim regione juventus *Glacies pedibus & quandoque rotis teritur.*
Ludicra, per vitreos exſpaciatur agros.
Et modò ferratis ſe librat in æquore plantis,
Prævertens celeres mobilitate Notos.
Sæpe, etiam falſo veſtigia lubrica greſſu
Impactum glacie deſtituêre caput.
Nunc humiles agitat per ſtantia flumina currus,
Et rapitur nullis per mare vecta rotis.
At modò quæ liquidas fluvii ſulcaverat undas.
Iam nequit obductos rumpere cymba ſinus.
Sæpe tamen paſſis per ſtagna rigentia velis.
248. Navigat in ſiccis unus, & alter aquis.
Hæc hiemis ſcena eſt; his gaudet bruma theatris,
Cui liquidum fluidæ ſternitur æquor aquæ.
Quin etiam gelido tellus durata metallo *Gelu terra etiam induratur.*
Stringitur, & craſſo marmore gleba riget.
Sic cœlebs viduatur ager, ſenioque ſtupeſcit,
Et rigidas veſtit cana pruina genas.
Nudaque depoſitis calveſcit ſilva capillis, *Nives hieme cadunt & latè omnia obtegunt.*
249. Inq; vicem tonſæ nix cadit alba comæ.
Candida lanarum ſepelitur terra ruinis,
Molliter in campos deſiliente polo,
Hinc niveo aſſurgunt montoſa cacumina cœlo,
Concretiſq; riget concava vallis aquis.
Inde nives ſociis valles cum montibus æquant,
Frauſque tegit plenas inſidioſa ſpecus.

Moll

Mollia fallaci mergit veſtigia campo,
Naufragus in ſiccis ſæpe viator agris.
Quod ſi fortè ſuâ Boreas ſtatione recedens,
50. Deferat imbriferis humida ſceptra Notis:
Aut etiam plenam ſubvertat Aquarius urnam,
Libet ut æthereo pocula plena Iovi.
Frangitur acre gelu, miteſcunt æquoris undæ,
Et redeunt liquidas marmora fluxa vias.
Quàq; pedes nuper, nunc rurſum navis oberrat.
Quaſque ligat Boreas Phœbe reſolvis aquas.

Gelu & nives deniq; reſolvuntur.

Ipſe etiam raptis cœlebs Neptunus in undis;
Nunc gaudet vitreas rurſus adeſſe Deas;
Hæ profugæ celſis longè de rupibus adſunt,
51. Et ſaliunt ſtrepero per vaga rura pede.
Arvaque molleſcunt duro obfirmata metallo.
Siccus ager liquidas combibit ore nives.
Semita tunc preſſo ſignatur lubrica greſſu,
Atque tenax pingui calceus hæret humo.
Membra viatorum brumalibus humida flabris,
Torpeſcunt, rigido conglaciata gelu.
Quid memorem ventorum acies, atq; horrida bella?
Bella ſolo, (nimis heu!) cognita bella ſalo.
Æolus eſtractis poſtquam laxavit habenis
52. Nata procelloſum flabra ciere polum.
Nimborumq; parens ac tempeſtatis alumnus
Occiduos præceps Africus urſit equos.

Ventorum terra mariq; ſævientium vis.

Aut etiam fuſcas Corus violentior alas
Concutit, & rabido turbine vertit aquas.
Miſcentur maria ac terræ, varioque tumultu
Stridet ager, nutant tecta, domuſque tremunt.
Hinc proſtrata ruunt faſtigia turrium avita:
Hinc ferit afflictum quercus adulta ſolum.
Inde ſubit verſis platanus radicibus altra,
53. Et caput in molli fixa recondit humo.
Plurima convulſis laceratur montibus arbos,
Hæc ramo, hæc toto corpore trunca labat.
Quid memorem inſanis maria oppugnata procellis,
Et freta concuſſis exagitata Notis?
Non tantùm impulſæ præceps furit unda maleæ
Incitat aut rabidos Scylla proterva canes.

Nec Libycæ tantum ſyrtes, ſcopuliq; minantur; *Æquoris eversi tempeſtas.*
Quæque vorat tortas, vaſta Charybdis, aquas,
Sed furor iratum rapit implacabilis æquor,
254. Et trahit adverſis ventus, & unda, viis.
Exſurgit pelagus dubio in contraria motu
Prælia, pontivagis exitioſa viris.
Tollitur emotis in ſidera fluctibus æſtus:
Quæque polum tetigit, mox ſubit unda ſtygem.
Heu miſerum! infidis puppem qui credidit Euris,
Quiq; dedit tumido vela ferenda mari.
Obruit aura fidem: ſepelitur ab æquore tandem,
Quiſquis in æquoreis navita fidit aquis.
Vidi ego cum placidi ſulcarent marmora remi,
255. Luderet & medio navis amica freto.
Sed verſis, ſtupuit ponti ratis hoſpita, ventis,
Et didicit nullam fluctibus eſſe fidem.
Hoſtis erat pontus, tenebriſque exhorruit atris;
Brumaque laxatas deſpuit ore nives.
Cæruleum Nereus quaſſans caput, æquora ventis
Obtulit, & fuſas per freta lata rates.
Hi ſubitò fragilem rapuêre per avia claſſem,
Nec tenuit juſſas ulla carina vias. *Naufragium.*
Nullaq; luctantes ſtringebant vincula naves.
256. Nulla manus clavum, ſola regebat aqua.
Hærebant fracto reſidentia carbaſa malo,
Heu nimiùm adverſis obſequioſa Notis!
Antennæ fluitant, rapiuntq; adſtricta rudentes
Vela, nec in ſubito mens, animuſque malo eſt,
Nequicquam contrà remis imbellibus inſtant,
Remigium evertit, conſiliumque, mare.
Denique pugnantes pelagus ſuperingerit undas,
Et premit infirmam vaſta procella ratim.
Nutat & incertis dudum jactata periclis:
257. Hinc necis, hinc vitæ, ſpeſque metuſque rapit.
Tandem victa labat (tanta eſt violentia ponti)
Aggemit & nimiis fracta carina malis.
Sæva laborantem ſubvertunt æquora proram,
Preſſaque victrici conditur alnus aquâ.
Nec locus effugio reliquus; niſi cymba Charontis;
Naufragus hac ſtupuit ſe rate nauta vehi.

Paſs

Pars hic magna virûm decumanis fluctibus hauſta,
Pars tulit eximo gurgite merſa caput,
Imploratque fidem morientûm : aut litora nando,
58. Captat,& everſæ diruta membra ratis.
Scilicet infidi tanta eſt petulantia venti:
Hæc,Neptune,tui ludicra bella maris.
Hunc frangunt Siculæ truculenta pericula Scyllæ:
Syrtis arenoſo ſtringitur ille vado.
Hanc ſcopuli perdunt;hanc torta vorago phaſelum.
Ex vita ad mortem portus ubique patet.
Quid? quod & audaces Nereus vomat æquoris undas *
Per ſata,per ſilvas,Faune,Cereſq; tuas? *Innundatio.*
Vidimus elatos tumidus cùm tolleret æſtus
59. Eridanus, potis ex nive plenus aquis.
Grandior aggeribus riparumque obice fracto,
Duxit in oppreſſum caſtra inimica ſolum.
Illa ruunt totos latè populantia campos,
Quàque meant ſpoliis ditior unda fluit.
Cum ſtabulis armenta ſuis fluitantia Paſtor
Aſpicit,& tenerum per vada cæca gregem.
Bucula pontivagam ſequitur per flumina Matrem,
Et probus innocuas nat Lupus inter oves,
Mirantur Dryades vitreas per gramina Nymphas,
60. Perque nemus piſcem,per freta nare feras.
Et lubet æquoreum Fauno verſare tridentem:
Neptunoque etiam fiſtula parva placet.
Undaque per ſilvas fuſa eſt,& ſilva per undas;
Rex Pelagi fratrum regna ſuperbus habet.
Quod natura vetat,ſilvas Delphinus oberrat,
Et gratum eſt Phocis per nemora alta rapi.
Agricolæ jam ſtiva jacet,rigidique ligones,
Quæritur in dubia remus,& alnus aqua.
Proque ſuis plauſtris jam ſolvit apluſtria vector,
61. Roſtraque pro raſtris tractat,& æquor arat.
Tanta procelloſam regit inconſtantia Brumam
Cœlo inimica ſalo noxia,dura ſolo.
Quin ſua cùm pecudi deſunt alimenta,feraſq;
Triſtis habet macies,ac violenta fames.
Tũc,genus acre,lupi,* rabies quos improba ven-
Exagitat,patulis inſidiantur agris. (tris

** Lupi prædatores gregem involant.*

Aut clavis prædam ſtabulis venantur opimam,
Cùm ſilet in picto candida luna polo.
Ac ſubit incauti lupus explorator ovilis.
262. Quâ patuit ſtratæ facta ruina viæ.
Nec mora vicinâ raptam de matre capellam,
Subſidium cæcæ deſtinat ille fami.
Dente minax, flammanſque oculis, atque ore cruentus,
Dilacerat trepidam ſanguinolentus ovem:
Imponitque humeris, perque avia rura vagatur,
Atque epulis tutam quærit adire ſpecum.
Forte vigil trepidis paſtor balatibus, agnam
Noctivago prædam ſentit abire lupo.
Advolat elatisque procul clamoribus inſtat,
263. Non audituram ſolicitando feram.
Illa procul tuto latet obvallata receſſu,
Sanguineamque avido paſcitur ore dapem.
Cetera quid memorem? per mille pericula rerum.
Orbis in occaſum volvitur orbe ſuo.
Floribus excultum pomiſque ac meſſibus annum,
Denique lethali frigore claudit hiems.
Et nos bruma manet, quocunque viremus in ævo,
Hanc etiam ſtringet, quæ notat illa, manum.
Forſitan hæc aliquis, modico poſt tempore, lector
264 Inſpiciens vates, dicet, hic Autor erat.
Et tibi vaticinor: volucris rota vertitur ævi.
Hæc neque bruma tuum eſt præteritura caput.

IVBILVM ENCOMIASTICVM
Magnæ Virgini ac Matri Dei, anno hujus ſeculi 50. totidem partibus, velut ſtrophis, dedicatum.

Concludo hanc partem Encomiaſtico Carmine, mixto ferè ſcribendi genere, ex illo tamen potiſſimùm, quod in Elegia jucundum diximus, exaratum; ut facilè conſtabit utriuſque naturam expendenti. Occaſionem præbuit eruditiſſimus iuxta ac lepidiſſimus hujus ævi Lyricæ Poëſis ſcriptor Iacobus Balde, qui ode vernaculâ laude Deiparæ complexus, aliquot Poëtas ad certamen Romano ſermone verſuque auſpicandum provocaverat. Cuius poſtulatis, dum alijs occupationibus interceptus, ſeriùs obſequerer, interea alij ad lyram, aut tibiam eruditè luſerant. Ego nunc denique epodon canam; ſed auctiori verſuum ſtropharumque numero, quo anni Iubilarij quinquagenum, ad Magnæ Virginis gloriam, exæquem. Dum

DVm mihi Pierio fervet mens ebria rore,
Aeſtuat in laudes, Virgo *Maria*, tuas.
Sed tamen imparibus vatis celebrabere nervis,
Materies non es viribus æqua meis. *Impares*
Immortalis honos plectrum immortale meretur. *ad elo-*
Non facit ad tantum ruſtica Muſa decus. *quendũ*
Ars ſuperos, pulchræque iuvat præſentia formæ: *vires.*
265. Deficit ad laudes utraque cauſa tuas.

2.

Sed neque cœleſti par ſit facundia vati.
Quælibet huîc cedit Calliopea minor.
Ille tuas dignè poterit depingere dotes,
Pectore qui potuit fingere Virgo tuo.
Hoc duce tentandum eſt. Sat erit tibi prompta voluntas;
Quò vires nequeunt, hàc moderante ferat.
Virginis ætheræ modulentur carmina linguæ.
Iunctus olorinis vatibus, anſer ero.

3.

Mille tibi laudum tituli, ſunt nomina mille.
266. Plurima te decorant carmina, nulla ſatis.
Hic proſcripta refert primæ contagia noxæ, *D. Virgo*
Seminis exultans nobilitate tui. *mille no-*
Hic docet expertem vitij fluxiſſe iuventam. *minibus*
Devotoſque, ſacrâ relligione, dies. *laudanda.*
Virgineis alius ſociata cubilia lectis,
Et memorat caſtos, non ſine prole, toros.

4.

Hoc titulo reliquas vincis fecunda parentes,
Quod paris, intactâ Virginitate, Deum.
Autorem fers virgo tuum. paris ipſa parentem;
267. Et quem non capiunt ſidera, ventre capis.
Ille dedit formam, cui formam Virgo dediſti:
Finxiſti vultus illius, ille tuos.
Secula qui vincit, qui conditor omnia nutrit.
Vbere, Virgo, tuo lac puerile bibit.

5.

Hæc ego Principibus vatum memoranda relinquam:
Quæ ſtrepitum tenuis non meruêre lyræ.
Eſt tamen, eſt aliquid quo te pulcherrima cantem,
Virginei laudes mille decoris habes.

Hæc mihi cauſſa ſatis. Tum ſi quem preſſeris hoſtem;
268. Hic meus in poſitis verſibus hoſtis erit,
Ornabunt noſtros tibi parta tropæa labores.
Ornabunt verſus forma decuſque meos.

6.

Eſt tibi cum ſponſo formæ certamen honeſtæ,
Qui vincit teneras, candidus ore, nives.
Sed quoque purpureis ornata coloribus ora † † *Pulchritudo & forma D. Virginis.*
Temperat: ut pulcris lilia miſta roſis.
* Vmbra tibi eſt niveæ gratâ nigredine frontis, * *Sponſæ pulchra deſcriptio ex cant. Salom.*
Qualis in æſtivis ſolibus umbra Cedri eſt.
Sponſo fuſca places: auget color ille decorem.
269. Nox inſtar, vultu iudice, lucis habet,

7.

Alta palæſtinis qualis ſe palma viretis.
Suſtulit, excelſum tollis in aſtra caput.
Cæſaries per colla fluit rutilantior auro,
Quotque comas totidem ſpicula amoris habes.
Manat ab vberibus Cyprij vindemia botri,
Et tibi cum verbis ſtillat ab ore favus.
Frons tua labe caret, tua mens ab origine pura eſt,
Inde places homini, ſed magis inde Deo.

8.

Ut neonympha ſuum rapiat formoſa maritum.
270. Virgo, venuſtatis ſit ſtudioſa ſuæ.
Illa ſuam fingat mendaci lumine formam,
Et variet pictis rubra coralla labris.
Conſtantem formæ virtus dat ſola colorem,
Æternumque facit Virginis eſſe decus.
Hinc ſuperat reliquas Ieſſeia virago puellas,
Quantum humiles ſuperant punica mala rubos.

9.

Quæ tulit extremis veniens Regina Sabæis
Ante tuos, Salomon, officioſa pedes,
Crederis hæc ſuperaſſe tuis pulcherrima donis:
271. Delicium ſponſi ſponſa futura tui.
Sive forent gemmæ, gemmis viciſſe putaris
Quicquid Erythræo litore concha parit.
Sive metalla forent rutilis educta fodinis,
Grandius hoc aliquid munere munus erat.

10.

Cor tibi, pro gemmis, animi ditaverat arcam;
 Ut ſolet oſtriferum concha marita fretum.
Et tibi ſidereum pulchris virtutibus aurum
 Finxerat, artifici pollice, doctus Amor.
Mundi vincis opes. pretium leve, gratia fluxa eſt,
72. Auriferique ſoli, gemmiferique ſali.
Tu quæcunque tuo claudis ſub pectore dona,
 Perpetuæ dotes integritatis habent.

Dotes virtutũ in anima Deipara.

11.

Qualis Hymettæis, verno ſe tempore, campis
 Explicat ad molles prodiga Flora notos,
Nocte latet, circum rigidis obſeſſa pruinis,
 Natalesque brevi cortice ſtringit opes.
Aſt ubi purpureo rediens Sol annuit ortu;
 Rorifluiſque dedit baſia iuncta genis.
Solvitur in lætos reſoluto pectore riſus,
73. Et pandit niveos candida Flora ſinus.

D. Virgo cum floribus comparata.

12.

Talis, ad æternos Chriſti naſcentis honores,
 Parthenicos aperit Virgo pudica ſinus.
Ante ſub ignota latuit caligine noctis,
 Credita Maiorum participaſſe ſcelus;
Aſt ubi divinâ radiabat imagine Solis.
 Viſaque coniunctis oſcula ferre genis:
Cognita millenis illuxit dotibus orbi,
 Hyblæaſque, ſacro pectore, vicit opes.

13.

Lacte nitent pictis argentea lilia pratis;
74. Illa nives pulchræ Virginitatis habet.
Cæruleas illi violas demiſſio pingit:
 Caſta verecundis tingitur ora roſis.
Purpureos Zephyris debes Hyacinthe colores,
 Aeterniſque vires, Flos Amarante, comis?
Virgineum cingit patientia murice pectus,
 Et pro flore viret non moriturus amor.

14.

Pulchra triumphali curvatur in æthere gyro
 Iris, ab illuſtri progenerata patre,

Scilicet obſcuræ nihil obſtant nomina Matris,
275. Picta coloratis nubibus ora gerit.
Hinc virides induta ſinus, hinc fulgurat auro,
Et ſua Præſtanis corpora tincta crocis.
Cærula puniceis variantur cingula limbis.
A Solo tantùm ſole decoris habet.

15.

Credimus? an rutilum denſis in nubibus arcum
Virgo ſub obſcuris eſt imitata caſis?
Hæc ubi divini ſenſit nova lumina Solis,
Sidereo rutilas luxit ab ore faces.
Non ita Phœbeo ſplendet Thaumantias auro:
276. Eſt brevis, eſt anceps, quo micat illa, color.
Aſt æterna tuam diſtinxit gratia formam,
Gratia mortali non imitanda manu.

D. Virgo cum Iride & ſideribus comparatur.

16.

Eminet in tacito maieſtas inclyta cœlo,
Cynthia nocturnos cum moderatur equos.
Et Iovis excubias vigili ſtatione tuentur
Illuſtres oculi noctivagæque faces:
Ac velut affuſo diſtinguitur orbita lacte:
Hinc fulgent Hyades, Pleiades inde micant.
Mille per æthereos palantia ſidera campos
277. Sunt animæ ſpeculum, virgo decora, tuæ.

17.

In tenebris oreris: primorum noxa parentum
Nox eſt, ſed lucem non tegit illa tũam.
Septa licet denſis effulges clarior umbris;
Maior ab oppoſita lux tua nocte micat.
Mille faces Charitum virtutum mille refulgent,
Dotibus hinc animi, corporis inde nites.
Lactea tota via es, poſtquam ſine labe crearis.
Cumque Deum generas, lactea tota via es.

18.

Qualis in Eoo lucis prænuntia cœlo
Exoreris, ſoli prævia flamma tuo,
Hæc triſtes vigili proſcribit ab orbe tenebras;
Hæc exſpectatum provehit axe iubar:
Hæc recreat tacitas volucrum modulamine valles:
Hæc rigat herbarum rore fluente ſinus:

Comparatur Auroræ.

Hæc

Hæc procul umbrarum partus, phantaſmata noctis,
  Disjicit, hæc oculis fert, animiſque diem.

19.

Pulchrior aurora eſt ſcelerum quæ disjicit umbras:
  Nunciat illa diem, nunciat iſta Deum.
Hæc aufert veteris phantaſmata temporis: & quæ
  Lucifer ignoto, luſit in orbe, Deo.
Huic Matri natura favet. lætumque parenti
  Terrigenæ plaudunt cœlicolæque melos.
Hæc, quæcunque rigat ſitientem gratia mundum:
  Fundit ab æthereo, prodiga virgo, ſinu.

20.

Cynthia formoſis cedet, tibi virgo, capillis: *D. Virgo ſupra lunam.*
  Phœbeo melius ſidere ſidus habes.
Illa ſuos certis includit finibus ignes,
  Queque micat lætùm, mox caret illa, die.
Nazaridum, tu Virgo, decus, conſtanſq; planeta es.
  Quoq; ſemel fulges igne, carere nequis.
Quod capis immenſum eſt, mare lucis ſola *Maria* es
  Et quæ nocte caret lux tua, fine caret.

21.

Sol oculus mundi eſt, ac Luſco regnat in orbe: *D. Virgo Sole illuſtrior.*
  Nil niſi de tanto lumine lucis habet.
Sed tibi milleni lucent in pectore ſoles,
  Immenſaſque geris corpore lucis opes.
Nam poſtquam autorem ſolis fecunda tuliſti,
  Ipſaque viſceribus lux fuit orta tuis.
Quicquid Phœbus habet, quicquid communicat orbi,
  In radiis tenebras credimus eſſe tuis.

22.

Gemma quod in ſaxis, teſtis quod concha marinis,
  Quod ſub arenoſis unio natus aquis.
Palma quod in plantis; vernis quod lilia pratis
  Quod favus in menſis: quodque falerna ſcyphis;
Cynthia nocturnis quod habet fulgentior aſtris;
  Et quod aves inter fulminis ales habet.
Hoc in virginibus Virgo eſt. diviſa per omnes
  Munera, divino colligit una ſinu.

23.

Finge refinge tuam, bone Mardochæe, puellam, *D. Virgo*
182. Illa colore nives vincat, odore roſas. *Eſthere*
In niveis vernet natalis purpura malis, *pulchior.*
Et formæ cumulent, fulva metalla, decus.
Threicijs ſit digna toris, ſit Principis aulâ,
Et vincat reliquas æmula virgo nurus.
Cede, equidem dicam, concede, puella, *Mariæ*:
Quicquid habes, umbram vix (mihi crede) facit.

24.

Abigail potuit furibundum flectere Regem, *Abigaele*
Forma ſuam verbis conciliabat opem. *ſuavior*
Quæ tulit oblatæ ſponſum, pro munere, lymphæ, *Rachele*
183. Obſequijs formam iunxerat illa ſuis. *amabilior.*
Viſa ſuo quondam Rachel placuiſſe marito,
Diſpliceat, ſi tu viſa *Maria* fores.
Flos Rachel ſine flore foret decus abſque decore,
Et fluerent oculi, ceu, Lia lippa, tui.

25.

Cingitur illuſtri niveam diademate frontem, *D. Virgo*
Et micat in rutilis plurima ſtella comis. *ſtellis coro-*
Cedat gemma ſuis, cedat fulgoribus aurum: *nata.*
Pulchrior ex cœlo ducitur ille color.
Vim Reges metuant ferrumque hoſtile coronis:
184. Non metuit ſævas iſta corona minas.
Dempſeris aſtra polo, cœlumque abſtraxeris aſtris:
Eripies nunquam Virginis aſtra comis.

26.

Si quis ſenſus ineſt aſtris, & ſi qua voluptas,
Virgine conſpectâ ſentit, amatque polus.
Qui ſuperis placuere oculi, nunc ſidera paſcunt,
Et placidum reddunt accipiuntque diem.
Sidera nunc figunt, cui fixerat oſcula Chriſtus,
Illa labris caſtæ virginis, iſta genis.
Vbera quæ Chriſtum lactarunt, ſidera lactant.
185. Illuſtrant terras ſidera, virgo polos.

27.

O formoſa nimis, magnoque è Principe Princeps
Filia, cœleſti digna placere proco!

Quan-

Quantum ſponſa decus, qua maieſtate decora
Ingrederis! felix qui tuus eſſe poteſt.
Felix ille tuus, quem tu, nova ſponſa, maritum,
Virgineis gaudes aſſociare toris.
Ille voluptatum liquidis mergetur in undis;
Vt natat æquoreo concha repleta ſalo.

28.

Huc, age, Parthenico quicunque teneris amore; *D. Virgo amore omni digniſſima.*
186. Qui fugis exoſæ Cypridis arma, veni.
Hic & amare licet, nec amoris perdere fructum:
Et licet hic caſtis integritate frui.
Pulchra Venus fateor; ſed habet decus, abſque pudore.
Et decus, & pudor eſt, quo mihi, Virgo placet.
Iure placet, propriâ quam finxit imagine virtus,
In quam tota ſuas Gratia fudit opes.

29.

Virgine, crede mihi, noſtrâ nil maius amabis:
Huic modo iuratam da, Neonymphe, manum.
Porrige quid ceſſas? venient ſua munera ſponſo,
187. Dos erit æterni pignoris ampla nimis.
Aſpice virgineis ceſſit pars optima votis,
Quam fur nemo rapit, tinea nulla vorat.
Heres illa Dei eſt, heres ſimul illa ſalutis.
Felix qui poterit dicere; virgo mea eſt.

30.

Hoc ego cum voveam, cum me iuvet eſſe clientem,
Et virgo placeat dotibus una ſuis.
Semper in ore meo, ſemper ſub pectore vivit.
Quod ſpiro ac ſpero Virgo parenſque Dei eſt.
Illa mihi caſtis urit præcordia flammis,
188. Vnica delicijs ſufficit illa meis.
Hæc mea nocturnis inſomnia mitigat horis.
Hæc tenebras animi diſſipat una mei.

31.

Quam Bernardini veneror, meditatus, amores! *Amatores & Clientes D. Virginis felices.*
O utinam ſimiles Tuſcia mille ferat!
Quicquid ab ingenio, quicquid polleret ab arte,
Contulit obſequijs, ſponſa *Maria*, tuis
Tu deſiderium, tu ſpemque metumque fovebas,
Tu vigor, & totum pondus amantis eras.

Sed

Sed neq; Parthenici deerant tibi pignora ſponſi,
289. Annulus ac Adamas mens adamantis erant.

32.

Gratulor, ô juvenes, quotquot meruiſtis amorem
Virginis, ac tali rurſus amore capi
Mille voluptates memorant ac gaudia vobis,
Sed tamen innocuo gaudia nata ſinu.
Teſtis Agrippinâ locuples Hermannus ab urbe,
Teſtis & Albertus, teſtis Aquinus erit.
Virgo Stanislaum poſtquam complexa fovebat:
Traditus hûic natus pignus amoris erat.

33.

Hic mihi votorum ſcopus eſt, hæc meta Poëtæ.
290. Hoc lubet à verſu diſcere, Muſa tace:
Sed tamen in calidis dum ſerpet vita medullis,
Virginis obſequio plectra modusque reget.
Et voluiſſe ſat eſt, dabit hæc audacia vires;
Serviat ingenio tantum animoſa manus.
Serviat, & nunquam laſſatâ debilis arte,
Succumbat titulis, Regia virgo, tuis.

D. Virginis amor diſertos facit Poetas.

34.

Si quis habet nervos animet ſua barbita nervis,
Artibus ingenium ſuppeditabit amor.
Si quis habet venas; venas de Phocide natas
291. Deſpiciat; calido ſanguine Muſa fluat.
Cor quoque, pro chordis; pro pectine, pectora tangat:
Pro fidibus multis, ſufficit una fides.
Si tamen adductos frangat contentio nervos,
Magna feret ruptæ præmia, crede, lyræ.

35.

Quin igitur mutæq; cheles, citharæque tacentes,
Languida Pierio murmure plectra movent?
Euge manus, nervoſque, artemque, fideſque canendo;
Vires, quiſquis habes, experiare tuas.
Seu tibi maturo lucem ſol fulſerit igne;
292. Seu tibi decrepito vexerit aſtra die;
Sit patrona tibi Virgo, tutelaque natus:
Virginis ac nati ſis in amore cliens.

Mi

36.

Mille premunt caſus, cingunt diſcrimina mille?
Parce metu, ſolâ Virgine tutus eris.
Si tibi diſpliceat vitiorum turba malorum:
Sola tibi placeat Virgo, remotus eris:
Ardua virtutum fuerit cùm ſemita curæ:
Pervenies, curæ ſit modò Virgo tibi.
Quamlibet in ſortem virgo ſatis omnibus una eſt.
93. Hæc monet exemplis, auxilioque movet.

D. Virginis amor tutos facit adverſus mala, & omnes hoſtes.

37.

Quantum habeant pondus bellantis Virginis arma,
Quem pede ſubſtratum proterit, iſte docet.
Ille per æthereas quondam celeberrimus oras
Lucifer, æterno victima ſtrata rogo.
Hic Draco, qui longæ ſinuoſa volumina caudæ
Implicitus ſtellis, ore venena vomit.
Huic caput obtritum eſt, hic inanes deſpuit iras:
Quemque domare poteſt nemo, *Maria* domat.

38.

Barbara Turcarum metuantur cornua Lunæ:
94. Sunt tamen hæc pedibus ſubdita, Virgo, tuis.
Teſtis erit Selymus furibundis Lethifer armis:
Cum fremeret centum claſſibus una Thetis.
Tunc mare Reginæ didicit parere *Mariæ*:
Inde furens ventis, fluctibus inde tumens.
Perdidit hic Selymus & perdidit unda colores:
Pallidus hic fatis, illa cruore rubens.

39.

Aſſyrium ſtravit celebris Iuditha Tyrannum:
Femineus vultus, dextra virilis erat.
Quid juvat infauſtum Siſaræ memorare ſoporem,
95. Malleus infidæ quem ſociavit humo?
Una Iahel vicit tunc Herculis æmula vires:
Hydra fuit Siſaras, clavaque clavus erat.
Nempe Mariani ſunt tantùm roboris umbræ,
Quod valet hic clavus, ſica quod iſta valet.

Fortior omni femina & viro Deipara.

40.

Ne procul extremis Salomon poſcatur ab Indis
Femina, robuſtis anteferenda viris.

Quæ tulit immenſum clauſo ſub ventre Gigantem,
Fortior hæc quovis, Virgo, Gigante fuit.
Parvus erat fateor; ſed olympum mole ſubibat:
296. Quique ferebatur Virgine, cuncta tulit.
Tantus erat quem parva ſinu complexa virago eſt,
Quæ tamen hoc ſolùm nomine magna fuit.

41.

Si qua per hoſtiles ſubeunda pericula motus,
Arx erit ex ſolido Virgo adamante tibi.
Tectum cingit ebur, fulgent aſarota pyropis,
Et domus in gemmis ardet, & ære micat.
Hic quoque Davididæ thronus efformatus in auro eſt,
Tota ſuos ornat fabrica, tota tegit.
Certet & oppoſitis mundus luctetur in armis:
297. Tutus erit, quiſquis Virginis arce latet.

42.

Fluctuat ac tumido quaſſatur in æquore puppis?
Anchora iactatæ Virgo futura rati eſt.
Peſtis ad infectos cum ſe transfuderit artus:
Certa tuis aderit Virgo medela malis.
Hoſpes in ignota ſteteris cum ſolus arena:
Dux erit illa tuæ, perfugiumque viæ.
Cum tua Mœſtitiæ nubes obvolverit ora,
Virgo ſerenatâ gaudia fronte vehet.

43.

Cetera prætereunt quid enim prenſamus amantes?
298. Fallimur incerti decipit umbra boni.
Pulveris in maſſam recidit quodcunque creatum eſt:
Fluxa caducarum gratia fallit opum.
Virginis æternum decus eſt, neq; fraudat amantē:
Redditur impenſi pignus amoris amor.
Hæc neque ſpectati mentitur imagine pulchri,
Nec malè quæſiti fallit amore boni.

D. Virgin... amor ætern... num decu... conciliat. Cetera om... nis fluxa e... gratia.

44.

Abſit ab humano mendax fallacia vultu,
Quique genas circùm fucus adulter obit
Defluit, & ſenſim rugis creſcentibus, omnis
299. Perditur informi forma peruſta gelu.
O male ſuada Venus, quot ficta coloribus ora
Pingeris, inter aquas nata, roſasque Venus!

Vada

Unda fluit, pereuntq; roſæ: velut umbra venuſtas
    Præterit, ah! tantùm eſt dedecus, omne decus.

45.

Munde immunde vale; deformis forma; ſerena
    Tempeſtas, effrons frons, inhonorus honos.
Flos defloreſcens, ingloria gloria vultus,
    Fallacique nitens, decolor ore, color.
Hac pharetrâ depromit amor, quæ ſpicula fundit,
300. In ſtygio quondam ſpicula tincta lacu.
Inde venenatas lento ferit igne medullas.
    Tu cave; ſit mundus, ſit tibi vilis amor.

46.

Hora fugit, celereſque rapit lux nata quadrigas,
    Fertur ab effuſis menſis & annus equis:
Et paribus jactata rotis protruditur ætas:
    Formaque cum vita præcipitante ruit.
Denique morborum ſtant fuſa examina circum,
    Et nocet, & prodeſt; hinc calor: inde gelu.
Ah miſeros! & adhuc mundo fidamus amantes?
01. Sit tibi Virgo parens, ſit tibi cura Deus.

47.

Eſte procul turpes, infamia numina, Parcæ
    Nil dignum, tanto nomine, Parca facit.
Nulla fides pietaſque nigris textricibus orci eſt:
    Quæ vix cœperunt Licia, ſæpe ſecant.
Et mihi fallaci ſub forfice vita pependit,
    Sumque mori viſus deficiente colu.
Nullus ad auxilium rigido properabat ab orco:
    Quæ faceret vitæ ſpem mihi, Virgo fuit.

48.

In te noſter amor, poſt Chriſtum Virgo, quieſcit.
2. Tu mihi votorum meta, caputque manes.
Hæc quæcunq; ſalit liquidis mihi purpura venis,
    Geſtit ad obſequium proſiliiſſe tuum.
Sed tamen admoto cum mors laceraverit ungue:
    Et vincet medicam peſtis adulta manum.
Quæ durum mollire queant ſolatia morbum
    Suffice, pax animæ, præſidiumque meæ,

Poſt Chriſtum D. Virgo noſtra in morte patrona.

49.

Cum mihi funeſtâ flammas affulſerit horâ,
    Vltima funebribus fax animata focis.
Et rigor exanguis tremulos ſtipaverit artus,
303. Lethifer ac gelido ſudor ab ore fluet.
Te duce, te ſociâ, mortis penetrare receſſus
    Iuverit; auſpiciis ibo ferarque tuis.
Seu mihi vivendi fueris, ſeu cauſa migrandi;
    Munus erit dextræ, vitaque, morſque, tuæ.

50.

Cum modò diffractis erumpens vita feneſtris,
    Geſtiet ad patrium capta redire ſolum.
Cumque aliquis manibus pertentans brachia, dicet:
    Ignotas abiit ſpiritus iſte vias.
Tu mihi conceſſæ, moderatrix optima, vitæ,
304. Cujus ad imperium mors quoque dulcis erit.
Tu, rogo, diſpenſes venturi tempora ſecli;
    Vt mihi quæ vitam ſuſtulit hora, ferat.

REVEREND. GENEROSIS AC PRÆnob. Fratribus ac Dominis,

D. FRIDERICO Conſil. intimo Electoris Col. THEODORO CASPARO Canonico Mogunt. & Spir. WILHELMO Can. Monaſt. Trev. & Padeb. FERDINANDO Can. Hil. & Padeb. FRANCISCO WILHELMO Teut. Ordinis Militi, JOANNI ADOLPHO Can. Hildeſienſi, Satrapis in Bilſtein, Waldenburg, & Fredenburg, Dominis in Schnellenberg, Waterlap, Herdringen, & Furſtenberg.

Octo ex Majorum ſerie heroes, nullo nobilitatis vitio degeneres, ſuis ſinguli virtutibus eximis, ad exemplum, cum elogiis trium ejuſdem familiæ Præſulum, proponuntur.

Non leve præclaris pondus virtutibus addunt,
    Illuſtres priſcæ nobilitatis avi.
Calcar honoris honor. ſtimulis exempla laceſſunt.
    Qua fixêre pedem, nôs juvat ire, via.

Dege-

Degeneres Aquilæ nunquam peperere columbas.
Quod cedri pariunt germina, cedrus erit. *Non degeneres à Maioribus*
Deficiens patrias oleaſter rarus olivas
Cenſet, & antiquum vite labruſca genus.
Conſtant magna ſibi. vos clara è ſtirpe Nepotes
Stalis adhuc digne poſteritatis honos.
Ite licet per pulchra retrò veſtigia Patrum,
Sit quoque virtutum maius eundo decus.
Æmula natorum ſperatur gloria. Famam
Reddere, cum famæ fœnere, laudis erit.
Pellæi genitor Macedûm fortiſſimus heros,
Vicendus nato, vicerat ipſe patrem.
Viſus Alexander patrem ſuperare Philippum;
Gloria quâ vicit, gloria ſola fuit.
Pars veſtrum devota Deo; pars eſſe propago.
Seminis, & patriæ ſpes meruere domus.
Creſcite utrimque precor; vos relligione parentum
Vos ſerâ digni poſteritate Patres.
Plurimus in vobis ſurgat Theodorus, avorum
Et decus, & mitræ gloria rara ſuæ.
His quoque Caſpari creſcant venientibus annis,
Nec partu jaceat deficiente domus.
Sic Superi jubeant, ſic quos memoramus avitâ
Stirpe Patres, cœlo non renuente, velint.

1. Wennemarus. *prudens.*

Symbolum. *Nemo ſibi naſcitur uni.*

Fulta tuis quondam viguit Reſpublica curis,
Perque tuas clades libera clade fuit.
Hoc raræ virtutis erat, communia gentis
Commoda privatis poſthabuiſſe bonis.
Sic rebus minus ipſe tuis dum conſulis heros,
Non poteras famæ conſuluiſſe magis.

2. Fridericus *fortis.*

Symbolum. *faciendum & patiendum.*

Rara ſimultates peperit fortuna Malorum,
Quos malè conſultus vertit ad arma furor.
Unus erat pectus varios armatus in hoſtes,
Et quot erant Patriæ, Principis & quot erant.

Augeat alter opes Patriæ, ferat alter honorem;
 Omnia dat, vitam qui dedit ipſe ſuam.

3. Hermannus *Pius.*

Symbolum. *plusquam præſentia curas.*

Arma tulit miles, poſitis ſed mitior armis:
 Munera ſervandis Manibus ampla tulit.
Dura ſecuturæ movêre piacula vitæ;
 Ad benè flectendos hac pietate rogos.
Functorum quicunque memor, ſic funera mollit,
 Æternum in vivis nomen habere meret.

4. Wennemarus *gravis.*

Sxmbolum. *Virum facit Virtus.*

In paucis te rara virum ſapientia cœlo
 Extulit; uxoris nec minor illa tuæ.
Scilicet exemplum pietatis femina magnum;
 Tu ſimul exemplum relligionis eras.
Nec fuerat laudum pars hæc poſtrema tuarum,
 Vir gravis at nulli creditus eſſe gravis.

5. Fridericus *pacatus.*

Symbolum. *Cedant arma togæ.*

Non Te per cædes rapuit mavortius ardor,
 Ingenio placuit mitis oliva tuo.
Sic pietas, ſic pacis amor ſuper æthera vexit
 Terricolis gratum, cœlicoliſque virum.
Sidera compoſitis dum ſcanderet Icarus alis,
 Quam cuperet pennas tunc habuiſſe tuas!

Joannes Abbas Sibergenſis, *Religioſus.*

Symbolum. *Bene qui latuit, bene vixit.*

Clara Sibergenſi quamvis fuit abdita clauſtro
 In latebris virtus, fulſerat illa tamen.
Ordinibus multum ſacris debere videris,
 Sed tamen & ſanctus debitor ordo tui eſt.
Tu lucem virtute tuâ, lucem ille refundis.
 Evehis illius nomen, & ille tuum.

6. Fridericus ſatrapa in Bilſtein & *integer.*

Symbolum. *Plus ultra.*

Te magni Proceres, te Regum curſa vidit
 Officio gravium munus obire Ducum.
Seu belli, ſeu pacis habet legatus honorem,

Integra

Integra mens ſemper, conſiliumque tibi eſt.
Multarum integritas, poſt dura pericula rerum,
Integritas vitæ creditus eſſe tuæ.

7. Caſparus Satrapa in Bilſtein & *fidelis*

Symbolum. *Præſum ut proſim*

Quid tibi Relligio, quid Patria debeat uni,
Quàm bene præfueris, profueriſque tuis,
Integra collapſis memorant nova tempora ſacris,
Cum Rheni dubio fluctuat amne fides.
Hæreſis illa tuum ſcopulis illidere geſtit,
Sed proprium infregit pernicioſa caput.

Theodorus Epiſcopus Paderbornenſis. *Pater Patriæ.*

Et Societatis Jeſu ibid. fundator.

Symbolum. *Iudicium melius poſteritatis erit.*

Te meritis impleſſe tuis cælumque ſolumque
Terrorem ſcelerum Juſtitiæque decus,
Teſtantur monumenta tuæ clariſſima vitæ;
Seu Muſas foveas, ſeu pietas apes.
Hinc, licet improlis, natorum millia cenſes,
Teque unum memorat Patria tota Patrem.

8 Fridericus Dominus in Bilſtein. *Sapiens*

Symbolum. *Hic nullum metuit, qui metuit Deum.*

Quod tibi diſpliciant hamatæ munera dextræ,
Quod niſi conſultâ nil operere manu;
Quod vitiis hoſtis, quod ſis virtutis amicus,
Infractumque malis pectore robur alas.
Quod tibi conditi Sapiant pietate labores;
Cetera deſipiant, hoc Sapientis habes.

Guilielmus Teutonici Ordinis Magiſter. *Patiens*

Symbolum. *Vt patiar patiar.*

Seu tua belligeræ tractaret Palladis artes,
Seu tuæ manſuetæ dextera; magnus eras.
Digna magiſterio virtus eſt viſa fuiſſe,
Seu premeres hoſtes, ſeu premerêre tuis.
Denique cum victus Sævum patêre Tyrannum;
Victorem Virtus ſuſtulit una ſuum.

F I N I S.

PALÆSTRÆ ELOQUENTIÆ LIGATÆ HEROICA POESIS

PRÆCEPTIONIBVS
& Exemplis illuſtrata

AVCTORE

R.P. JACOBO MASENIO è SOCIETATE JESU.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis & Sumptibus Wilhelmi Frieſſem ſub ſigno Archangeli Gabrielis in platea vulgo Tranckgaß. Anno 1655.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri ac Ampliſſimo Domino,

D. PETRO SIBENIO

CELEBERRIMI ET perantiqui Monaſterii S. VITI in Gladbach Ordinis S. Benedicti, Congregationis Bursfeldenſis Abbati, necnon ibidem, in Bôichholtz & Oëd, Domino temporali.

Reverendiſſime, ac Ampliſſime Domine.

PAtere, obſecro, Reverendiſſime Domine, pauculas haſce ex Parnaſſi viridario decerptas lauros Tuo me in horto adverſus improborum injuriam plantare. Siquidem his ego T. R.mam Pater.tm delectari haud obſcurè intellexi, nuper illis coronari digniſſimam, quando ad Patris Jodoci Ked Societatis noſtræ viri defenſionem in Hülſium Weſalienſium Prædicantem, tam evidenti falſitatis jugulatione ſtylum acuiſti, ut ad juſtum provocatus *Examen*, planè

planè indignus appareat, qui Verbi Dei patrocinium, tanta ſcripturarum corruptelâ, deinceps inter ſuos profiteatur. Sanè niſi frontem omnem exuerit, erubeſcere cogitur, nihil ad propoſitum ſpectaſſe quæſtionis ſcopum, extra lineam tela cecidiſſe irrita. Te nebulas à doloſo homine ſuffuſſas, clariſſimâ doctrinæ luce prorſus abſtergente, detecta fraudum latibula, & vulpina falſarum opinionum receptacula patuiſſe. Fateor me amore veritatis Te æquiſſimum ipſius Patronum juxta animo amplexum eſſe, & ingenii, cujus ego in humaniori diſciplina vim non omnino ignorabam, in Sanctioris Theologiæ receſſibus majorem etiam Virtutem admiratum. Igniculos verò aliquos ejuſdem ſoli patrii communionem ſubjeciſſe non auſim diffiteri, eſt enim quoddam in hujus recordatione Societatis vinculum, quod ignorantibus quoque iniicitur, ut tum etiam, cum hiſce affectionibus, â natura inſitis, obluctantur, abſolvi prorſus nequeant. Nolo tangere religioſæ utrimque vitæ participationem, quam neſcio, quo pacto nonnulli imminuunt, dum ſub diverſo habitu conjunctos habitare animos ſibi minus perſuadent. Falluntur enim vero plerique, & neſciunt, æmulatione ſtudiorũ, pietatis doctrinæque inflammari uſum potius,

quam charitatis extingui. Habitu, non voluntatibus diſſidemus, quotquot ſæculi tumultus averſati ad religionis quietæ portum appulimus: nec paucorum inquieta ingenia, multorum infamare pacem charitatemque debent. Quare & hoc optimæ voluntatis noſtræ in Te Tuumque Ordinem pignus deponere apud R diſſ.^{m} Dn.^{aem} T, ſubmiſsè volui. præſertim cum quædam etiam Tibi non inexplorata tangat, & malis moribus, ex Tuo ingenio, adverſetur. Neq; ea ſpero aſpernaberis ſtudia, quæ ut in Te ipſo eximiè poſſides, ita in aliis juxtà amplecteris. Fave Præſul optime, populari calamo, & vale, Duſſeldorpii A, 1654. Cal. Jun.

Rd.^{mæ} T. D.

Servus

L. M. S. L.

CAPUT I.

De Carmine Heroico ſive Epico, ejusque etymo & natura.

Carmen hoc à præcipua quam tractat materia, Heroum videlicet geſtis, nomen traxit. Epicum etiam atque Epopœia dictum, ab orationis excellentia, cum ἔπος dictionem ſignificet. Univerſim igitur hæ voces omni hexametro poëmati conveniunt, quod quidem in aliis quam Heroum geſtis, tanslatè Heroicum, ceterum propriè in quavis materia Epicum dicitur. Quia tamen res magnæ ab illuſtribus viris geſtæ, quales ab Homero Virgilioque carminibus celebrantur, ſuo aliquo merito nomen ſingulare ſibi vendicant quo à ceteris Poematis diſtinguantur, Epopœjæ illis titulum, à pleriſque datum, relinquemus; ut tantò facilius & hujus, & reliquorum in Epicis carminum naturam exponere liceat, mutuoque diſcrimine ſeparare. Hæc obiter de Etymologia monuiſſe non ſuffecerit. Nunc paucis etiam generatim naturam indagabimus.

Ad hanc præcipuè poëſin ſpectat omnis illa diſſertatiò, quam parte I. tum de fingendi concipiendique ratione lib. I. tum de elocutione lib. 2 inſtituimus, quo ad perfectionem Epici carminis univerſim aſpirantem, ante omnia remitt mus. Hic quod reliquum, atque huic inprimis carmini eſt proprium, trademus.

Eſt verò Epicum carmen universè illud, quod *rem quamcumq; hexametro verſu ac gravi oratione imitatur.* Hoc vel Phyſicum eſt, de natura rerum creatarum, artiumque ac ſcientiarum, ut Manilius & Lucretius, tum in Georgicis Virgilius, ſcripſere; vel ethicum de vita hominum, ut ceteri pleriq; Poëtarum dedêre. Porrò ethicum in duas ſpecies diſcedit, in agatheticum & cacethicum. Illud bonos hominum mores exponit, atque in heroicum propriè dictum, tum deinde Encomiaſticum ſecatur: quia vel heroum tantum, vel aliorum etiam hominum mediocriter excellentium virtutes explicat. Heroïcum, vel unam tantum præcipuam Herois actionem proſequitur, & Epopœia, receptâ paſſim voce, dicitur, ut eſt Æneis Virgilij. vel plures ejuſdem virtutes perſtringit, & panegyris ferè appellatur, ut apud Claudianum in Stiliconis honorem extat. Cacethicum improbos hominum mores ad fugam & deteſtationem conciliandam exprimit quod ab Epico Poëta non eſt alienum, cum & Claudiani Rufinus & Satyræ multorum ſine vitio exponant vitia. Ceterum univerſim de poëſi Epica monuiſſe ſuffecerit.

Hexametrum carmen, cum adhibetur naturis rerum, hiſtoriis artibus aliiſque rebus, quæ fictione Poëtica non exornantur imperfectum in hac arte opus eſſe, quodque hiſtorici magis, quam Poëtæ cenſeri poſſit, licet ob metrum in poeſis ordinem admittatur. Quocirca nec de quavis poemate hoc loco agemus, ſed illo tantummodo, quod nota aliqua ac laude ſingulari, cum fictionis, tum elocutionis eluceſcit.

CAPUT II.

De Epopœia natura & proprietatibus.

EPopœia heroica. *Eſt actio una heroü, veriſimiliter expoſita verſu hexametro ad amorem virtutis excitandum.*

1. Requiritur ut ſit actio heroica, id eſt, ſupra conſuetum humanæ vitæ virtutiſque elevata uſum. de qua actione Ariſt. 6. moral. ait, ἔστι δ' ἡ τοιαύτη ὑπὲρ ἄνθρωπον οὖσα οἷον ἡρωϊκή τις, καὶ θεία. Eſt verò talis ſupra hominem, quaſi heroica quædam, ac divina quod quidem cum tragœdia illi commune eſſe poteſt; cum aliis tamen Epicis non patitur confundi, quæ uſitatas etiam virtutes, aut contra vitia proſequuntur. Hanc autem excellentiam actionis heroicæ, ſi minus per hiſtoriam, certè per idoneam fictionem debet obtinere, quæ tamen præſentis ævi diſciplinæ, moribuſque probatis conveniat, atque excluſis Veterum Deorum auxiliis, tutelarium Cœlitum Angelorumq; apte extollatur. Porrò in virtutibus illæ inprimis eminent, quæ morales dicuntur, atque ex his fortitudo. Deinde non poteſt illuſtris eſſe actio, ſi vel interrumpatur gravioribus vitiis vel etiam infelici exitu cum ſcelere terminetur. Omne enim bonum, ut ajunt Philoſophi ex integra cauſa; neque heroicum eſſe poteſt, quod vel adverſæ fortunæ, vel pravis affectibus ſuccubuit. Denique ipſa debet eſſe perſona illuſtris, aut certè per hanc actionem è vulgo exmi; alias actionis dignitati haud parum obfutura.

Quod verò controvertitur, an vera eſſe hæc perſona atque actio debeat? Dubium non eſt, quin præſtet veram eſſe, juxta Ariſtotelem, ſi in Tragœdia dramaticè proponatur. quanquam etiam laudet aliquando fictam (de re Poët. c. 7.) Agathonis cui nomen Ἄνθος. quod videlicet ſimilitudo quædam eſſet, atque imago rerum verarum. de quibus Vide apud nos p. 3. de poeſi dramatica. Verum in Heroico poemate, quod Epopœiam dicimus, hoc planè neceſſarium duxero, ut ſaltem

Hero-

Heros celebri virtute poſteris innotuerit, ne actioni, quæ proponitur tanquam poeſios argumentum, etiamſi hæc quoad rem confictа eſſet) credibilitatem deroget. hæc enim & ad poeſin hanc ſufficit, & minimum requiritur; cum factu incredibilia ad amorem deſideriumque paris virtutis impellere nequeant. Cavendum itaque, ne quid fama vulgi aut hiſtoricorum fides adverſarium tuæ, quam ſtatuis, heroicæ, in certa perſona, actioni tribuant. Quæ cauſa eſt, cur Heros ille, vel noſtræ eſſe ætatis nequeat, ut cujus fortiſſima quæque facinora latere non poſſint, vel obſoletæ eſſe memoriæ non debeat; ut ſi Romuli alicujus fortitudinem felicitatemque extollas, quod ſeræ ætatis ſcriptor vix quicquam de illo novum atque irrepertum credibiliter queat producere, notis autem, jamque paſſim celebratis, gratiam reperturus non ſit; neque eadem liceat fictionibus atque epiſodijs exornare, quæ veriſimilis rationem promereri non poſſint. Maximè igitur idonea futura eſt, quæ uno alterove, à te remota ſeculo nec fingendi libertatem adimet, nec credibilitatem omnem tollet.

2. Requiritur ut ſit una actio, quoad ſubſtantiam, videlicet (cum fabulæ, per quas veriſimiliter ornatur atque atque extollitur, adeoque tota actio cum poeſi varia, quantumvis connexa eſſe poſſit) Hinc Ariſt. in Poet. c. 23 de Epopæia dicit: verſari illam, περὶ μίαν πρᾶξιν, ὅλην, καὶ τελείαν, ἔχουσαν ἀρχὴν, καὶ μέσον, καὶ τέλος· *circa actionem unam, totum, integram, initio medio atque fine conſtantem.* hoc eſt quæ à principio ad finem uſque uniformiter decurrat, neque tamen ex diverſis actionibus, tanquam partibus, componatur. Unde eandem πολυμερῆ ibidem eſſe vetat. neque tamen in fabulæ totius conſtructione illud exigit, cum addit, *imitationem Epicam minus unam eſſe, quam Tragicam, quod ex qualicunque imitatione plures Tragœdiæ fiant.* Accedit quod implexiones in Epopœia plerumque crebriores, quam in Tragœdia, reperiantur. In ſola igitur actione, quæ fictionibus exornanda eſt, non in ipſis fictionibus unitas quæritur; nec qualiſcunque, vel generica, vel aggregationis, vel temporis, ſed indiviſæ ipſius actionis, ut nihil ab ea tolli poſſit, quin eius integritas violetur. Debet enim Poeta, in fabulæ, ſubſtructione, unum quiddam ſpectare, ut ait, cap. eod. 23. Ita Homerus fortitudinem in Achille ſic commendat, ut eius ornandæ gratia vitia cum virtutibus per fictionem in eo confu-

confuderit, laudatus eo etiam nomine ab Horatio fuerit: dum inquit.

> Scriptor honoratum ſi forte reponis Achillem,
> Impiger, iracundus, inexorabilis, acer,
> Jura neget ſibi nata, nihil non arreget armis.

verùm quam hæc rectè infra videbimus Benè quidem, quod ad fortitudinem extollendam, ut in Vlyſſe ad prudentiam, ſpectent pleraque. Sed à vitiis virtutem extolli poſſe nondum mihi gentilium hominum autoritate perſuaderi patiar. Non laudo Statium, qui, ut in ſua Achilleide actum cum Homero eundem non ageret, ſic ait.

> — Quanquam acta viri multum inclyta cantu
> Mœonio, ſed plura vacant. Nos ire per omnem.
> Sic amor eſt, heroa velis.

Hoc enim magis erat texere panegyrim, quam Epopœiam. Dubium hoc loco eſt. Poſſintne perſonæ plures ad eandem actionem virtute pari concurrere. ut v. g. Romani coſſ. pari poteſtate ad idem aliquando bellum adminiſtrandum adhibiti ſunt. Qua in re cenſeo adhibendos omnino quidem plures eſſe; ſed tamen parem neminem in illa, quæ laudatur, virtute heroica. Ita apud Hom. Achilles cum pluribus eſt, Agamemnone etiam ſe dignitate ſuperiore: verum qui æquaret fortitudine quemque ipſe in partem rerum gerendarum parem admitteret, nullus erat. Et ſi fuiſſet tam illuſtris actio illius videri non poterat. Quo tamen loco talem actionem excipio, quæ ex natura ſua plures exigit, ut ſi duorum Pyladis v. g. & Oreſtis indivulſus per omnem fortunam amor, mutuaque fides exponenda eſſet Quæ eadem in Jonatha & Davide uſque ad admirationem eminet, atque utrumque ex æquo involvit.

3. Requiritur ut ſit veriſimilis, id eſt, talis, quæ ex ſe ſpeciem veritatis habere videatur, etiamſi reipſa eſſet inter adynata. Hinc Ariſt c. 9. hoc inter hiſtoricum & Poëtam diſcrimen ſtatuit, *quod hiſtoricus ea narret quæ facta ſunt: poëta vero qualia fieri potuerunt*. Et c. 24. docet præ illis quæ fieri poſſunt, & tamen veriſimilia non ſunt, *oportet eligere potius ea quæ fieri nequeunt, ſi veriſimilia ſint*. Veriſimilitudo autem duplex eſt hiſtorica ſcilicet; quæ eſt rerum prout videntur eſſe geſtæ, expoſitio; & figurata, quæ eſt rerum ſymbolicè ſignificatarum quædam velut imago. De utraque actum p. 1. l. 1. c. 6. Prior illa veriſimilitudo ad actionem primam præcipuamque Epopœiæ requiritur. Cum ſit totius

tius hujus poëſios fundamentum, quod ſi in ſubſtantia fictum eſſe appareat, ad virtutis propoſitæ admirationem amoremque paucos excitabit; cum levius multo ſit fingere, quàm facere. Exigit igitur Ariſt. c. 17. ut Actionem omnibus nudatam epiſodiis, quibus per fictionem extollitur, tum ſuis etiam ſpoliatam nominibus: ut à particularibus abſtracta perſonis ſit universè conſideremus; ita enim, cujuſmodi ex ſua illa natura ſit, facilius elucèſcet, ac deinde adjunctis congruenter ornamentis aptius cohoneſtabitur. Ita ſubſtantiam actionis in Odyſſea nobis Ariſt. ibid. proponit. *Quidam*, ait, *peregrè profectus & claſſe ac ſocijs per varia naufragia exutus, multos annos aberat domo. Interea res illi domeſtica à procis, qui coniugis nuptias ambibant, non tantum deperdita, ſed & filius petitus inſidijs. Ille igitur poſt ſuperatas multiplices iniquiſſimi maris tempeſtates, tandem patriæ reſtitutus, procos ex inſidiis occupatos interficit.* Quæ actio in hoc ſtatu ſpectata nihil continet, quod à verò abhorreat. Unde illud ſuis nominibus contrahere ad certos hoc eſt Vlyſſen Regem & Penelopen ejus conjugem ac Telemachum filium licebit, atque in Ithaca ipſum patria conſtituere, Procis etiam & nomina & perſonas congruentes dare; ac deinde ad ſubſtantiam actionis, epiſodijs ſuis, hoc eſt, aptis fictionibus, illuſtrandam, amplificandam, atque implicandam accedere. Vis ſimile Æneidos argumentum abſque epiſodiis veriſimiliter primo conceptum proponi? Tale eſt *Quidam* „ patria urbe ab hoſtibus occupatâ cedens, in eam conceſſit re- „ gionem unde majores prodierant. qui multis terra marique „ exhauſtis laboribus, tandem ab illius loci Rege admiſſus, in „ generum quoque adſcitus, rivalem Regis vicini concitavit fi- „ lium, quem bello gravi atrocique petitus, denique victor ſu- „ peravit, ac filia regnoque alterius potitus *eſt*. Quod rurſum ni- „ hil continet à vero alienum.

Ceterum in Epiſodiis atque ornamentis per fictionem adhibitis etiam locum habet, quod hiſtorica veriſimilitudine deſtituitur, modo figuratâ non careat. cujus fictionis exempla p. 1. l. 1. c. 6. & ſeq. reperies. Quæ diligenter notanda ſunt cum hujus quædam poeſios anima ſit fictio.

4. Requiritur, ut ad amorem virtutis animis ingenerandum ſerviat. Cum enim hæc ex artibus liberalibus ſit, quæ ad animum excolendum inprimis faciunt, neque ad intellectum ſolum, verum & affectum regendum ſpectet: palam eſt, eo fine rectè inſtitutam poeſin abſolvi, ut à vitiis animos mortalium

expurget

expurget, aptetque virtutibus, quibus admiratione ac delectatione propoſitarum rerum captos, Epopœia inprimis viros heroicos imbuere conatur. Vnde Philoſophus de re Poet. c. 24. poſtquam monuiſſet in Tragœdiis admirationem concitandam ſubijcit μᾶλλον δ' ἐνδέχεται ἐν τῇ ἐποποιΐᾳ magis illud in Epopœia ſervandum, & ibid. τὸ δὲ θαυμαστὸν ἡδύ, admirabile verò dulce eſſe. Nimirum hoc melle acriorem virtutis ſaporem mitigandum cenſuit. Sanè Homeri Achilles Alexandro ad fortiſſima quæque audenda profuiſſe memoratur. Quanquam diffitendum non ſit, pleroſque veterum ab hac meta non nihil declinaſſe, cum prohibitos amores aliaque etiam vitia heroicis Principum Virtutibus, non ad cautelam, ſed offenſionem potius lectorum, ad miſcuerint Quam enim turpe, Achillem tot virorum domitoré unius Briſcidis tam impotenter amoribus ſubigi, Vlyſſem caſtæ Penelopis toro adulterum virũ reponere, Æneam tot virtutum decora perfidia ſimul atque inconceſſa venere, maculare? Enimvero tolerari hæc in Epiſodijs poterant, (nam ab actione proſcribuntur, ut quæ unitatem violent) ſi aptis remediis pœniſque, ad horrorem ſceleris patrati conciliandum, admiſſum ſceſus expiaſſent. verum hoc neglecto veniam in poeſi non merentur. Multò etiam minus Poetis Chriſtianis hæ ſanæ Poeſis labes condonandæ erunt, quibus talis in Epopœia heros formandus eſt qui aut nihil, niſi in erroribus inculpatis, peccet; aut ſi quid delinquat, graviori pœnitudine reſipiſcens execretur.

5. Ut hexametro expoſitio verſa fiat, quia ut ait Ariſt. c. 23. verſus heroicus *graviſſimus digniſſimusque eſt, quare nemo longius poem a alio metro confecit*. Quia videlicet numero ſuo hanc maximè gravitatem dignitatemque repræſentat. porrò expoſitio partim narrativa poetæ eſt, partim etiam dramatica perſonarum introductarum, iſtic velut in ſcena agentium: cui tamen propriè dicta dramatica in theatro vivam perſonarum ad verba actionem adiicit, cum Epopœia præter dictionem nihil adferat.

CAPUT III.

An materia Epopœja poſſit eſſe actio Herois, quæ virtus non ſit, & infelici non minus quàm felici exitu, inſtar Tragœdiæ, terminari?

NOn immeritò hoc loco diſceptari poterit quæſtio ab Ariſtotele aliiſque ferè præceptoribus hujus artis neglecta. Poſſitne illuſtris actio infelici exitu;aut contra actio flagitioſa felici, vel etiam infelici,exitu terminata,eſſe Epopœjæ materia? Quod illuſtris actio felici terminata exitu Epopœjæ ſerviat, jam ante docuimus. Verùm ſi oppoſito eventu concludatur, nondum ſatis liquet,quid conſtituendum ſit.

Si eadem eſſet ratio Epopœjæ,quæ eſt Tragœdiæ,definiri hæc facilè poſſent. Conveniunt hæc quidem poemata in actione *gravi*,ſive *ſeria* magnorum virorum, quam σπȣδαίαν appellant. Sed in quibuſdam alijs diſcrepant. Hinc Ariſtot ait, de re Poet. c. 5. *Qui gravem Tragœdiam à vili novit diſtinguere, idem & poſſit hoc in Epico: quæ enim ſunt in Epico, etiam ſunt in Tragœdia, quæ vero hæc habet, ea non inſunt omnia Epopœjæ.* Implicatè hic Philoſophus loquitur, cum Tragœdiam appellet σπȣδαίαν gravem, ϰ̀ φαύλην vilem;hoc enim, ſi in Epico etiam diſtinguendum: tam in tragœdia quam Epopœja reperietur. Rationem addit quæ rem incertam relinquat: cum non dicat; quæ enim ſunt in Tragœdia,ſunt in Epico,ſed contra &c.

Statuendum tamen ex eodem Ariſt. Perſonas quæ in Tragœdiam inducuntur optimas eſſe, ſi in virtutum vitiorumque mediocritate ſubſiſtant; neque enim prorſus improbi eſſe debent,nam ut Cicero,*quis patricidæ, aut proditoris ſupplicio commovetur?* Sed nec omnino probos eſſe convenit;talium enim calamitate indignamur & à virtute infelici exitu terminata avocamur. Quanquam hoc eo, quo alibi dicemus, ſenſu inflectendum ſit,& Chriſti diſciplina moderandum; qui ultima ſuorum Martyrum ſupplicia in parte felicitatis collocavit. Quocirca in propoſita controverſia ſic ſtatuendum videtur.

1. Actio gravis Heroica infelici exitu cum ſcelere terminata, qualis eſt in Statii Thebaide Polynicis contra fratrem Etheoclem,injuſtum regni ex pacto promiſſi detentorem, ſuſcepta expeditio, verùm cruento utriuſque exitio abſoluta, probari in Epopœja vix poteſt: cum quia Heroica ipſius actionis dignitas

exitu

exitu infauſto deſtruitur ; tum inprimis quia nullo ad purgandum affectum, animoſque ad virtutem impellendos emolumento proponitur, quis enim fortitudinem tam fœdo parricidio funeſtatam, aut admiretur, aut cum voluptate percipiat? quæ duo ad virtutis, per poëſin nobis conciliandæ, amorem à Philoſopho requiruntur. Fine igitur ſale poëma excidit, ideoque illaudatum eſt. Ita Statius tam in Thebaide, quàm Achilleide, quod ad conſtructionem Epopœjæ attinet, à linea aberravit. Quod ſi per errorem alter frater alterum ſuſtuliſſet, facti, poſt agnitionem facinoris, pœnitens, & Tragœdiæ, & Epopœjæ aptari res poterat ; neque enim Heroica fortitudo, per facinus extremum corrupta fuiſſet, utpote quod venia dignum erat; neque admirationis voluptatiſque omnis expers extitiſſet, quæ nunc averſionem, deteſtationemque exerciti utrimque crudeliter odij, promeretur. Vnde concluditur, *actionem Heroicam infelici exitu ſine ſcelere terminatam Epopæjæ poſſe eſſe argumentum*: quo titulo Heroes plurimi Martyrium perpeſſi poſſunt eſſe Epopœjæ digna materies.

2. Statuo, *Actio Herois cum culpa non graviſſima conjuncta, infelicem ſortita ſine ſcelere novo patientis, exitum, in Epopæja non minus, quàm Tragœdia locum meretur.* De Tragœdia tot cum Ariſtotele exempla probant Veterum, quot penè Tragœdiæ. Quanquam ſummè improbos, ut dictum, nobiſcum excludat. Neque erit cauſa cur ab Epopœja ſimilis actio reijciatur; quia Philoſophus paſſim Epicam actionem cum Tragica confundit, & in utraque, ut prius viſum, illuſtre & vile quippiam agnoſcit, nihil autem in viris Heroicis, niſi per ſcelera, vileſcit. Deinde, quod præcipuum eſt argumentum ſolumque ad perſuadendum ſufficit, finis Epopœjæ per ejuſmodi poëma obtinetur: nimirum ut pravi in animis affectus cum admiratione & voluptate ſalubri metu perpurgentur. At ubi, inquies, voluptas & admiratio in tali Epopæja? Vbi hæc eadem, quæram ego, in ſimilis materiæ, Tragœdia? Fabularum opportuna Introductione conciliatur illa poeſi gratia. neque hic per gravitatem facinoris (quam icci rco amovemus) evertitur, ut in Statij exemplo factum eſt. Metum verò ſalubrem & horrorem ſcelerum, cum virtutis æſtimatione, pœna inflicta conciliat. Verùm non diffiteor inferioris hanc Epopœjam ordinis dignitatiſque eſſe ; tum quoad materiam, quæ eſt ignobilis, quamvis illuſtris perſonæ actio ; tum quoad finem intrinſecum qui eſt infelix exitus. Vnde etiam eidem

dem non niſi accommodè ſuperior definitio convenit;ſi videlicet per actionem Herois,quælibet ejus actio gravis accipiatur, licet cum aliquo conjuncta ſcelere, modò alijs dotibus inter homines excellat. Porrò ſcelera iſta,quibus naturali inclinatione contra virtutem favemus;ut ſunt amores,uti à theatro, ſic ab Epicis excludo:cùm ſæpe exemplo magis trahant, quàm infelici exitu deterreant. Quo etiam execranda quæque ſcelera ſpectant, quibus indignationem facilè impendimus ac pœnam optamus. Nos illius Epopœjæ exemplum aliquod in Adami lapſu à Deo juſtis pœnis caſtigato propoſuimus. Cujus tamen poematis corpus, magis ad ſtudioſæ juventutis emolumentum, quàm abſolutæ artis leges compoſitum, ut ſuo loco intelliges.

Dixi exitum ſine ſcelere infelicem eſſe poſſe:nam ſi cum ſcelere ſuo punitus exitum habeat,pœnam lector aut ſpectator favebit, ac pertinaciter malitioſo indignabitur, nec illius pœna corrigetur, cui ſe neque eſſe,neque ſimilem fore arbitrabitur.

3. Statuo flagitioſam actionem felici abſolutam exitu, v.g. proditionem,quâ ſibi quiſpiam paravit imperium; licet ingenioſè repertam abſolutamque. Epopœja indignam eſſe. Hanc enim exornare dicendo fingendoque, aliud non eſſet, niſi ad vitia præmio etiam propoſito invitare. Etenim quamvis artificioſè ornatum completumque ambitionis facinus,publici, ut ſæpe ſolet, etiam boni titulo cohoneſtatum admirationem & voluptatem quandam legenti poſſit conciliare, tamen ejuſmodi illæ affectiones hoc loco non eſſent, quæ ad virtutis honeſtatiſque amorem inducerent; quod in noſtra poëſi ſpectandum eſt,niſi præcipuam ipſi ex fine dignitatem ademptam volumus.

Quæ cum ab Heroici carminis ſcriptoribus minus expenſa olim fuerint,plerique poſt Homerum in actione Epica tam deligenda quam per fictiones exornanda aberrârunt. Silius enim Italicus quamvis Maronis ſummus Venerator, jamque matura ætate;ejus ſcribendo veſtigia preſſerit,tamen quod primum erat præcipuumque, in argumento ſcriptionis, una ſcilicet actione Heroica,longè à Virgilij imitatione deflexit:qui majori judicio Homeri,ea in parte,veſtigia obſervârat.Malè igitur totum bellum Epopœja complexus eſt, cui ſola virtus Scipionis ſat digna eſſe materies poterat. Parem in ſcopulum M.Annæus

Luca-

Lucanus impegit, qui feliciſſimi ingenij atque ad eximiam Poeſin nati adoleſcens, ante annum ætatis 20. Epopœjam ſcripſit puritate ac flore ſtyli Romani, quanquam exuberantis, nobilem; ſed in ſcriptionis argumento quod bellum Pharſalicum complectitur, ab illius natura & dignitate aberrantem. Cui ſatis eſſe debuerat, aut Pompei aut Cæſaris fortitudinem belli celebrem extollere, illudque fictionibus poeſi dignis exornare quod officium Poetis Epicis præcipuum, ignoratione artis, præterijt, indebitum Hiſtorici munus inconſultè occupaturus ſumma, nemo in Veteribus latinorum poſt Maronem, Statio, in ſua Thebaide Epopœjæ dignitatem propius eſt aſſecutus; quem tamen ipſum à ſcopo etiam declinaſſe animadvertimus.

Heroicorum ſanè facinorum penuria, in hos minimè errores nos impellit. Vnus olim aut Scipio, aut Marius, aut Pompepejus plurium Epopœjarum capax erat. Et ut de Chriſtianis loquar, unus Carolus Magnus & ſeculo proximo Carolus quinctus, quot ediderunt egregiè factorum ſingularia decora, tot Epicos fatigare ſcriptores potuére. ſubactus per Auſtriacum in adoleſcentia cum inſigni victoria Maurus, domita iterum cum ſuo Duce Friderico Saxonia, interceptum in Africa Tunetum, Rexque Maurus in regnum reſtitutus, denique imperium fortiori depoſitum, quàm geſtum animo, vitaque ad extremum religioſo penè in morte triumpho concluſa, quanta vatum in uno campo ſeges! Nimirum hoc debet eſſe Epopœjæ fundamentum, actio non magnis Hiſtoriæ periodis circumſcripta, ut fingenti Poetæ per raras quaſque fortunæ eventuumque implicationes incedere liceat. Quæ cauſa cur res ſacræ & fide divina receptæ Epopœjæ minus ſerviant; quod in his ſobriè magnaque circumſpectione fingendum ſit, ne quid S. literis adverſarium inſeratur præſertim, cum hæ ita pervulgatæ ſint, ut alia, præterquam figurata, fabularum veri-ſimilitudo hîc locum reperiri nequeat. Excludi tamen ab hac poſſeſſione non debent; cùm ſuæ dignitatis prærogativa hanc utcunque bonæ poeſios notam compenſent, contraque obſoletæ antiquitatis memoriam, quadam rerum majeſtate prævaleant. Quin & multæ ſanctorum Heroum vitæ, neque vetuſtatis obliteratione ſepultæ, neque recenti nimium memoria ſuis omnino circumſtantijs exploratæ, Epopœjæ partes explere poſſunt. Euſtachii unius inter proſpera atque adverſa conſtantia, pro Chriſto amiſſæ, ac receptæ cum honoribus opes, quam digna Epico materies

teries. Adde jam alteram fortunæ revolutionem, atque ex militiæ Imperatore fortiſſimum Martyrem, alterius hæc Epopœjæ res erit Nec ſanè obſtat infelix exitus, tum quod is ſine errore ac ſcelere ab Euſtachio vltro acceptus fuerit; tum quod, communi Chriſtianorum ſenſu, ſimilis cataſtrophe forti excepta animo feliciſſima habeatur. Feminarum tamen egregia facinora Epopœjæ non debentur. Hæc enim diſciplina imbelliori huic ſexui reperta non eſt; neque viris illarum imago ad virtutem proponenda videtur; neque rarorum conſiliorum eventuumque, etiam extra bellum capaces cenſentur. Imo nec illæ viris facilè ad Heroica facinora jungendæ; quod ſicubi factum, virili id ferè habitu, diſſimulato ſexu, ſunt auſæ, non ſuadendo feminis diſcrimine Quin tamen in Epiſodijs admitti mulieres poſſint, non repugno.

CAPVT IV.

Quo pacto Epopœja & Tragœdia inter ſe conveniant, ac diſcrepent.

Convenit Epopœja cum Tragœdia in multis, ut jcciroo de utriuſque actione promiſcua diſſertatione plerumque egerit Ariſtoteles. Quare & illa quæ de Tragœdia prolixius in 3. parte diſſerimus, ad Epici carminis pleniorem cognitionem ſpectant. Vniverſè in eo conveniunt. 1. quod utraque actionem unam grandem atque à communi hominum uſu remotam proponat.

2. Quod utraque per Epiſodia fictioneſque ac digreſſiones opportunas magnificè extollatur, ad admirationem & voluptatem captandam, de quibus prolixè egimus p. 1. lib. 1.

3. Quod utraque actio vel ſimplex ſit, vel implexa, ſimplex verò dicitur, quæ vel nullam fortunæ permutationem admittit, vel in ſolo tantum exitu in felicitatem ad infelicitatem inclinatur. Vnde deſcribi poteſt, quod illa ſit, quæ *nullam admittat fortunæ ante exitum permutationem.* Contra implexa eſt, quæ talem ante tranſitum in fabulæ decurſu patitur, & priori longè eſt præſtantior, cum inopinatis ſuſpenſionibus, eventibus ac perturbationibus rerum admiratione ſimul ac voluptate animum detineat, ut varij atque inexſpectati in Odyſſea caſus oſtendunt, atque in his potiſſimum artificiosè ad veriſimilitudinem effingendis Poetæ ingenium probratur. Vt verò ſimplex in

eam

eam dividitur, quæ ſine permutatione, in felicitate cœpta terminatur; & cum permutatione fortunæ infeliciter abſolvit: ita implexa in eam quoque utrobique ſecatur; quæ admiſſi in perplexitate erroris agnitionem habet, & aliam quæ ea deſtituitur. prioris generis Odyſſea eſt, ubi inter res implicatas, modò Telemachus redeuntem Patrem, modò eundem Euryclea ex cicatrice, modò Penelope, ac denique & Laërtes pater agnoſcit, cum fortunæ inclinatione atque inſperato fabulæ totius exitu. Verùm de his prolixè ſeorſim in poëſi dramatica p. 3.

4. Conveniunt in fine, qui eſt moderatio pravorum affectuum: nam Epopæja illam quam laudat, ſuadet virtutem; quæ meritis pœnis caſtigat vitia, eadem diſſuadet. Tragœdia, correcto metu, animum ad ardua facienda perpetiendaque ſtabilit, quod in Heroicis etiam locum habet.

Iam verò quibus inter ſe diſſentiant paucis etiam obſervandum eſt.

Differunt 1. Quod Epopœja actionem unam Epiſodijs fabularum alijs alijſque actionibus, quarum ſingulæ per ſe conſtituere Tragœdiam poſſint, exornet: ut proinde, teſtante Philoſopho, in una Epopœja multæ ſint Tragœdiæ, in his verò una tantum ſimplex actio brevibus atque ex illa natis implexionibus aut etiam epiſodijs ſolum amplificetur atque exornetur. Sic Vlyſſis apud Circen hoſpitium & ſociorum permutatio ac reſtitutio Tragico comœdiæ actionem expleat, uti in eadem Odyſſea Procorum interceptio atque infelix exitus Tragœdiæ ſufficiet, cum neutra horum Epopœjæ æquari poſſit. Ratio horum eſt, quia Tragœdia brevioribus terminis in theatro proponenda circumſcribitur, Epopœja his legibus metiſque non adſtringatur.

Differunt 2. quod Tragœdia drama ſit, ſive repræſentatio rerum geſtarum, per alias in theatro Perſonas agentes data; cum Epopœja ſit tantùm narrativa, & ſi quas perſonas figuratè inducat, hæ præter ſolam dictionem nihil exhibeant, cum in dramaticis vita ipſa geſtuſque agentis cum elocutione jungatur.

Differunt 3. quod cum Epopœja tantum narrativa ſit, admiranda planè, atque etiam in Epiſodijs portentoſa atque incredibilia poſſit inducere, modo tamen, ut docui, figuratam veriſimilitudinem poſſideant; quæ in Tragœdiam, ut quæ agendo ſimul repræſentanda eſt, non cadunt.

Diffe-

Differunt 4. ſtylo ac ſcribendi genere numeriſque, cum Epopœja Heroicam planè in hexametris dignitatem requirat, contraque Tragœdia à declamatoria hac gravitate, ad familiarem propius dictionem adſtringenda ſit, nec hexametrum, niſi fortè ad oraculum reddendum, admittat.

CAPUT V.

Quæ ſint materiæ ſeu quantitatis in Epopœja partes?

DIviditur Epopœja in Exordium, Narrationem, Epiſodia ornamenta horum & Epilogum.

1. Exordium continet propoſitionem rei ſcribendæ, quam breviter & perſpicuè ob oculos collocabit, non exquiſitis ad faſtum tumoremque verbis, quemadmodum in Proſerpina malè Claudianus, in Achilleide fecit Statius, ſed Homeri potius ac Virgilij modeſtia; nec pro luce in ipſo quamprimum aditu fumum nebulaſque obijcias, denique remiſſus, ubi erit opportunè aſſurgendum.

Invocatio huic Numinis ferè adjungitur. Et ſi hoc Ethnici, quibus ſolenne fuit *à Iove Principium*, quanto æquius ut Chriſtiani id præſtent, non quidem à Phœbo, aut Minerva, ut nonnulli perperam; hoc enim eſſet pietatis officium in ludibrium & ſuperſtitionis ritum vertere, ſed divina potius ſapientia, aut tutelari genio. Sub quæ Vates, ſi res temporum locorumve longinquitate remotas, ſeu varietate diſſipatas, ſeu cauſis abdïtas, minus præſentes habere videatur, Numinis ope ea oculis ſubijci, aut ad ea ſpectanda ſe transferri non incongruè finget. Major enim vis eſt oculati teſtis ad perſuadendum. Vide infra Sarcot. l. 1.

2. Narratio præcipua Epopœjæ pars eſt, in qua fundamentum vel debet eſſe Hiſtoricum notumque, vel ſaltem de perſona vera cognitaque, cui veriſimiliter hæc actio tribuatur. In ratione vero temporum cavendum nequid cum Hiſtoricis pugnes, ut in Didone cum Ænea ſociata Virgilius, quæ multo poſt illum vixit tempore. Philoſophica item Theologica Politica Geographica Aſtronomica non ex arbitrio fingentis, ſed arte tractanda erunt. Porro totius narrationis ea debet eſſe diſpoſitio ut varietate novitate ac pulchritudine quadam rerum perfundi diſtinguique ad captandam admirationem & voluptatem queat. Quam varietatem niſi ipſa ſecum Hiſtoria adferat,

per Epiſodia opportuna ſive rei veræ, ſive veriſimilis fictionis, erit inducenda. Hæc autem varietas ſi perplexitate rerum & inopinatis ſucceſſibus aut caſibus permiſceri queat multò erit ad omnem animi motum accommodatior. Hoc autem ut alibi tradenius varia fiet perſonarum factorumque ac conſiliorum oppoſitione, quæ mutua quadam connexione ita trahitur, ut improviſus unus caſus alium nondum terminatum aut abrumpat, aut finitum excipiat. Res clarius in exemplo lucebit. Creſphon Meſſeniorum Regis filius poſtquam æmulus Polyphon patrem fratreſque ſuſtuliſſet, ipſe conſilio Meropæ Matris clam in Ætoliam evaſit, Polyphon verò ut eũ tolleret, occiſori cuivis ingentia pollicetur munera. Creſphon tamen ſervatus, jamq; adultior, ut ſe ſuoſque ulciſceretur, ficta perſona domum revertitur, ſeque apud Polyphontem Creſphonis occiſorem profitetur, quo nomine tam illi gratus, quàm inviſus Meropæ Matri, quæ iccirco occaſione quæſita ſomno in Regia ſopitum aggreditur, ac tantum non interimit. Agnitus enim à flagitio ignorantem Matrem retraxit, ac Polyphontis vindex Matriſque in libertatem aſſertor, hoſtem Tyrannum ſuſtulit. Hæc ſeu vera ſeu veriſimilis actio, quanta varietate, nexuque ac perplexitate caſuum ducitur, qui ex ſola factorum conſiliorumque oppoſitione conſequuntur. Expende ſingulos & haud gravatè ſimiles fingendo aſſequeris Maro ut ſuum Heroem ex Sicilia in Italiam traduceret, quantas in tam brevi navigatione moras caſuſque nexuit. 1. ab Italia tempeſtate ad oppoſitum Africæ littus reijcitur. 2. Hic conſilium petendi Italiam prorſus abijcere ac de nuptijs cum Didone cogitare viſus. 3. Peracta res videbatur, cum reſumpta mente ac via Italiam rurſus petit in Siciliam nova tempeſtate reijcitur. 4. Hic ab Aceſte benevolè habitus penè coactus ſubſiſtit, quod Trojanæ mulieres navigationis tædio claſſi ignem ſubjeciſſent, dum tandem evictis difficultatibus Italiam teneret ut hac ſola navigatione quinque libros expleverit. Vnde hæc perplexitas & amplificatio niſi ab oppoſitione eventuum, qui rem conſiliaque prope ad exitum perducta aliò præter exſpectationem avertebant? Verùm hæc fuſius de implicatione Dramatum.

3. Epiſodia dicuntur illa vi etymi, quæ ad odam ſeu cantum Actionis fundamentalis ornandum adhibentur. Talem actionem ſupra cap. 1. ex Homeri odyſſea, & Virgilij Æneide paucis lineis juxta Ariſtotelem incluſimus, quidquid igitur præter hanc

hanc in utroq; Opere Hiſtoriæ inſtar ad hanc actionem amplificandam, proponitur, quidquid etiam accenſetur fictionibus, hoc totũ Epiſodijs debetur. Vt proinde nõ incongruè epiſodia in propinqua & remota dividantur. illa ſunt quæ ipſum Hiſtoriæ primariæque actionis corpus ita ingrediuntur, ut ægrè ab ea ſecerni poſſint, neque, veráne, an ex ingenio Poetæ ficta ſint, appareat. Et hæc ad varietatem implicationemque eventuum ſerviunt, Remota verò, ſupra fidem plerumque, mira Cælitûm Inferûmque interventione, extolluntur, ut jcirco poeſis in his manifeſtior emineat. Hanc doctrinam ex Virgilio per me reſoluto p. 1. l. 1. c. 16. diſertè ſatis licebit intelligere. Porrò quemadmodum Epiſodia in Epopœijs longiora audacioraque, quàm in Tragœdijs ſint, jam ſuperiori cap. tradidimus. Per hæc etiam alienæ à propoſita actione, ſed tamen connexæ adducuntur Hiſtoriæ. Ita licet Homero in Iliade propoſitum eſſet Achillis fortitudinem extollere, tamen decennale Græcorum bellum totum penè inducitur. Et Virgilius licet Æneæ in Italiam tranſitum regnique poſſeſſionem aditam præcipuè ſpectaret, tamen ſecundus tertiuſque liber per Epiſodia Trojæ excidium atque Æneæ maritimos errores complectitur.

4. Ornamenta fabulæ totius ſunt inprimis *deſcriptiones* perſonarum, factorum, locorum, temporum &c. in quibus ante omnia juventus ad eloquentiam exercenda eſt, ut quę eximiam poeſi conciliant gratiam, quæque ſemel perceptæ manum ad cetera promptam facilitant; Vnde in Sarcotide noſtra, hoc inprimis ſpectavimus, ut hæc ſilva quædam eſſet deſcriptionum præcipue moralium. Deſcriptionem hic invenies perſonarum gravium in Superbia, levium in Voluptate, Dolo, & Philauto; ſordidarum in Avaritia, & Acedia: truculentarum in Ira; deformium in Fame, Morte, & Antitheo: honeſtarum in Arete & Sareothea. Actionum deinde illis conformium expreſſas imagines reperies, Tempora etiam modò bellis turbida, modo pacis otio diffluentia loca modò aſpera & horroris plena, modò amœna & deliciarum affluentia. de qua re conſule Indicem Deſcriptionum.

Accedunt *Orationes* variæ per hanc poeſin opportunè ſpargendæ. Cùm à Poeta ſæpius ad perſonas alias, velut in ſcena acturas, transferendus ſermo ſit, & hæ in judicium ac deliberationem advocandæ. Habent verè orationes illæ affinitatem aliquam in concipiendi diſſerendique ratione, cum illis quæ hi-

ſorijs inſeruntur, affectibus plerumque atque animorum concitatione plenæ. Index diverſas ſuggeret.

Denique *Comparationes* ab exemplis Heroicis, pariumque aut disparium ex ſimilitudine rerum ductæ poeſin hanc magnopere exornant. Sunt enim illuſtrium figurarum inſtar, ut iccirco eis etiam adjunxerim lib. 2. part. 1. quæ illic rectè vſurpantur, ubi vel ſingulari cultu efferenda oratio, & tunc quidem longiores comparationes amat; vel etiam molliorem quendam apparatum ſectatur, ut proinde his veluti floribus veſtienda ſit. Porrò intumeſcit oratio, cùm à rebus grandibus, deprimitur cùm à levioribus ſimilia petuntur. Vnde tam ad deſpectum, quam ad laudem horum beneficio eximiè dictio acuitur. Cùm vel levis res eſt quæ deſcribitur, vel cum impetu conjuncta brevibus abruptiſque comparationibus gaudet, ſecus ubi gravior fuerit. Sed hæc magis exemplis propoſitis, quàm doctrina capiuntur, Vide Indicem.

5. Epilogus artem non habet, inſtar enim Hiſtoriæ Epopœja illic ſubſiſtit, ubi actio propoſita finem invenit; aut certè paucis concludit,

CAPVT VI.

Ratio Epopœja concipienda ac diſponenda exemplo ad Virgilij imitationem propoſito declarata.

VT hanc concipiendi rationem in poeſi, & præcipuam & difficillimam, magis planam reddamus, ad praxin ipſam breviter veniamus, & quemadmodum imitatione Virgilij primùm, deinde etiam tuopte ductu ingenioque Epopœjam formare poſſis videamus. Virgilius ſibi Odyſſeam Homeri, tu tibi Æneidem præfige; ille ex Sicilia Æneam in Italiam, tu Carolum quintum Auſtriacum ex Hiſpaniæ litore in Africam transfer; ille regnum in Latio ſui gratia, alter in Africa amici cauſa, devictis adverſarijs, obtineat.

Subſtantia actionis hæc eſt. *Rex quidam amicum Regem poſſeſſione iniquè deturbatum magna claſſe ſuperato mari, debellatiſque hoſtibus in avitam regni ſedem repoſuit.* Heroica hæc, & digna Epopœjâ actio eſt Proinde ſuis illa, partim veris, partim fictis nominibus ad particulares perſonas contrahenda erit. Heros ex Hiſpania adveniens Carolus eſt Muleaſſes in Africa Tunetanus Rex amicus, qui per hoſtem Barbaroſſam celebrem piratam vi doloque regno deturbatus exciderat.

Libro

Libro 1. Aggrediamur primam ex Sardinia navigationem (illa quæ ex Hiſpania hucuſque fuit præterita) inde dum Africam cogitat tempeſtate in Italiam ad Tiberis oſtia reijcitur, inde Romam & ad Paulum III. Pontificem digreſſus magno honore excipitur.

2. Exponit Paulo Carolus rationes quibus permotus hoc bellum adverſus Solimanni tyrannidem infringendam ſuſceperit. Vt qui primo poſt fratres octodecim crudeliter varia morte ſublatos, etiam Muleaſſem fratrem per Barbaroſſam regno ac vita deturbare cogitet, ac deinde ad Italiæ Hiſpaniæque atque Europæ universæ poſſeſſionem aſpiret, quod nuper in Hungariam Auſtriamque terram, mari etiam ingentibus copijs allapſus ſatis probaverit, dolendumque quod à Chriſtianis etiam Regibus ad tantum facinus provocetur. Hæc illius temporis Hiſtoria fusè ſuppeditabit.

3. Pontifex probatis Caroli conſilijs, damnataque ſtulta Europæorum Principum diſſenſione, qua illum hoſtem, quem Majores vltrò junctis armis oppugnatum ibant, in patriam admittunt, opem ac ſubſidiariam claſſem pollicetur; tum verò eundem hortatur, ut graſſantem in imperio hæreſin extinguere omni vi moliatur, ne hæc denique dum foris regna nova quærit, evertat propria. Fœdam Henrici VIII. defectionem latius expoſitam deteſtatur. tum ejuſdem temporis recens nunciatam Monaſterij VVeſtphalorum Vrbis per apoſtatam Leidenſem ſubverſionem, Tragœdiamque planè admirandam ex literis recitat. De quibus iterum conſulè hiſtoriam.

4. Carolus nocte quieturus per ſomnum rerum quandam futurarum imaginem accipit. Videlicet attigiſſe ſe quidem Africæ litora, expoſitumque militem, ſed disjectis obrutiſque tempeſtate navibus, ſine commeatu & præcluſo reditu, barbarorum furori ac telis objectum, vix denique cum paucis evaſiſſe, uti ſevera poſt annos 6. Carolo, iteratâ expeditione Africam petenti, ad Algerium accidit. Hæc cum ſuis expoſuiſſet Ducibus, & alij manendum ſuadent, alij contra obnituntur. hos expeditionis ſocios ſumit, illis rejectis, qui unius ſomnij terriculamento dejecti fuerunt.

5. Carolus deſcendit cum claſſe ex Pontificijs aucta, Calarimque Sardiniæ urbem repetit, atque illic etjam Melitenſium auctus triremibus militem naves cenſet, quæ univerſim ſeptingentæ, Germanos, Hiſpanos, Italos, Græcoſque complectitur,

ſuis ſub Ducibus Naſſovio, Mendoza, Gonzaga, Vaſtio, Auria, alijſque per certa inſignia deſtinguendis, illic ab Hiſpanæ gentis Principe Mendoſio excipitur. qui honorarium epulum omnibus præſtat.

6. Carolus haud procul Guleta in Africa appellit, nullo contra hoſte veniente, quare in litus ſuos educit & caſtra metatur, ubi captis Mahometicæ ſectæ Sacerdotibus, & Mago uno, qui multa ipſi infelicia ominatus, ſuma promittit, ſi Mahometem veneretur. Cæſar his ſpretis Magum certiori exitio deſtinat, fanum Mahometis expiat ac Michaeli Archangelo iſtic ſibi cum Crucis vexillo apparenti conſecrat, votiſque & donarijs ornat.

7. Caſtris propius Guletæ applicitis mittit qui deditionem poſtulet, quo rejecto, terra marique obſidet. Barbaroſſa furit ſubmittitque mulierem, quæ, tanquam Guletana, donis veneno illitis Cæſarem tollat; ſed hæc aberrans in perſona munus acceptante, præcipuum miniſtrorum inficit, ac depræhenſa cum Sacerdotibus & Mago conſiliorum conſcijs dat pœnas.

8. Muleaſſes cum auxiliaria cohorte ſupervenit, ac Cæſarem barbaro cultu rituque veneratur, exponitque fraudem & vim Barbaroſſæ, & ſumma quæque pollicetur modò ipſius beneficio regnum libertatemque pro ſe ſuiſque obtinere poſſit, quem Carolus optima quæque ſperare jubet.

9. Carolis propugnaculis muriſque tormentorum vi pervijs, poſt datas acceptaſque clades, potitus eſt; licet ſemel Itali iterumque Hiſpani ſuis vallis pulſi, illi Sarnenſem, hi Mendozam fortiſſimos Duces amiſerint, Hoſtes ſub ſina Duce averſa vrbis parte fugerunt.

10. Cæſar deductis ad Tunetum regiam urbem caſtris obviam Barbaroſſam cum centum Afrorum & Numidarum millibus habuit, ac fortiſſimè cum ſuis pugnans, denique aciem barbarorum fregit, & cum Duce in fugam vertit. conſule hiſtoriam.

11. Cæſar ſine mora Tunetum premit. Barbaroſſa cum ſe vrbi credere non auderet, ideoque ingentem Chriſtianorum numerum in arce ſubjecto igne perdere decreviſſet, inter libertos Turcas Medelinus Hiſpanus & Catareus Dalmata popularium miſeratione tacti, ſubminiſtratis inſtrumentis quibus compedes ſolverent, captivos periculis exemêre, qui arce deje-

ctis

ctis cuſtodibus potiti, facilem in Vrbem Cæſari fecerunt aditum quam immenſis opibus victor miles ſpoliavit.

12. Cæſar ſub hæc D. Virgini ædem de Victoria dictam erigit, cum trapæo Crucis. Muleaſſem triumphans in arce reponit, pro tributo binis tantum falconibus & equis quotannis imperatis. Mendozam regali funere ſepelit. ac ſubinde ludis equeſtribus inſtitutis. Barbaroſſa Algerium fugato, claſſe coronatâ ſolvens in Sicilia victor magno plauſu recipitur.

En Hiſtoriam ſuperioris ſeculi ad Æneidis Virgili næ imitationem per Epiſodia tantùm primi generis breviter diſtributam. Veris pleriſque, ut quæ etiamnum in multorum verſentur memoriâ, atque iccirco parcius fictione amplificanda fuerint. Satis etiam ſeges prolixa rerum à Carolo ſuppeditetur; cùm & præterita narrando, & futura vaticinando, aut etiam divinitùs repræſentando, induci poſſint.

Ceterum hæc per ſingulas partes exornare poeſi, atque alterius generis Epiſodijs prolixum ſit, ac pene inutile, ad tam clara Maronis à nobis p. 1. reſoluti exempla. Hoc ſolum cavendum, ne quid Ethnicæ ſuperſtitionis fictis Numinibus inductis miſceas. Poteris tamen nonnunquam eos Dæmonum infernalium nomine inducere, & opponere Genijs cœleſtibus, qua ratione fecundiorem noſtram etiam poeſin antiqua effeceris e. g. ad imitationem fictionis, qua Iuno Æolum lib. 1. Virg ad concitandam tempeſtatem inducit, & hic poſtea à Neptuno compeſcitur. ſic tu Gentilitatem orcum adire finge, atque ab Antitheo impetrare, ut Æolum laxet, quem deinde cœleſtis Philaurus, ſive aeris tutelaris genius, rurſum ſub tenebras cum ventis ableget.

2. Vt Venus Iovi ſupplex denique intelligit, quid de Ænea futurum, & ut eidem ſe offert ſub habitu Virginis benè cœptis ominantis, ita & Religio ſeu Eccleſia, ſeu Angelus Michael Deum pro Carolo deprecans, intelligat, quo pacto illam in Europa contra Hæreticos defenſurus ſit, ac deinde ficto Virginis habitu, ex augurio columbæ oliviferæ optatos ſucceſſus rerum ſperare jubeat.

3. Vt Æneas nebula tectus Carthaginem, ſic alibi Carolus Guletam cum exercitu propius acceſſiſſe D. Michaele favente dicetur; niſi malis & illud Romæ factum comminiſci &c.

Duo ſequentes libri ut in Ænea, ſic in Carolo ſola Hiſtoriæ

præteritæ Epiſodia continent. Vnde alia poeſi non eſt opus, ſed ornatu tantum.

In 4. libro, ut indignata Dido Æneæ navigationem conatur abrumpere; ſic Antitheus, qui iccirco per Morpheum primò falſa immittit ſomnia, cùm in venatione, ſuborta tempeſtate in ſpecu feſſus decumberet. Religio tamen à Tutelari Caroli Genio obtinuit, ut is ad diſceſſum impelleret. Quare dolore amens Antitheus Tartareis ignibus immergitur. Ita Te in reliquis fingendo imitandoque licebit progredi, atque ubi &c Æneas deducitur ad Elyſium, ac proavos; ſimili modò & Carolus poterit Tutelari Genio Duce, huc incedere. ubi Carolum Magnum, Rudolphum Auſtriacum, & Maximilianum avum, ac Philippum Patrem reperiat, etiam, ſi libet, in Orco Hæreticos ac Gentiles ſine fide mortuos agnoſcat. ut magis ad horum errores profligandos incitetur.

Nos ordine hic fere Virgilij paſſus terimus, ut facilius de imitationis ratione conſtaret. Rectius & aptius etiam imitator finget, qui turbato ordine Maroniano alia alijs locis ſectatus fuerit ut v. g. certaminum genera modoſq;, quæ apud Virgil. lib. 5. proponuntur, in Carolo libro ultimo imitetur. narrationem Hiſtoricam, quam ille duobus conſequenter libris, non ſine faſtidio inſerit, potius per libros diviſos ſpargat. & ſic de reliquis. hæc enim ratio virilem magis imitationem reddit.

Porrò Magiſter hujus artis rectè ſimilem aliquem conceptum per annua in ſcholis tum ſcribendi, tum declamandi exercitia diſtribuet, ut quibus penè omne dicendi genus complectetur & exponet; ſolidoque operi cum ipſe tum diſcipuli laborem impendent, non injucundo, ſed nec inutili ſtudio; ut proximè Virgilij poſſit veſtigijs inſiſtere: quo uno nihil in omni poeſi extat divinius.

Si quæras, quo pacto minus graves Heroum actiones queas extollere, v. g. privatam, qua Carolus abdicato imperio in ſolitudine vixit? Ablego te ad exemplum, quod de Alexio ſponſam deferente p. 1. lib. 1. c. 15. exhibui. Carolus hunc diſceſſum à curis publicis ad privatum animæ pietatiſque impenſius exercendæ Studium jam dudum animo complexus, ut credibile etjam voto firmaverat. Poſt bellum igitur Saxonicum & ſubactam rebellionem, à Religione ad propoſitum implendum excitandus erit, objecta per ſpeciem mundi ac regnorum vanitate atque inconſtantia. Verùm fluctuantem cunctantemque impellas

pellat primò per Mauritij defectionem, ac deinde infelicem Metenſis vrbis obſidionem, ut denique mora omni damnata, ſceptris in Ferdinandi fratris & Philippi filij manibus relictis, ſe cum paucis Deo ac ſolitudini committat. vbi modò exercitijs virtutum, modò Aſtrologiæ alijſque ſtudijs, modò etiam venationibus honeſtis reliquum vitæ tempus ita partiatur; ut ex ſingulis mortis ac futuræ vitæ recordationem hauriat, ac denique morte præcognita, lætus triumphansque, ſuis ipſe celebratis funebribus, tanquam moriturus olor ex hac vita à Tutelari & Michaeli Archangelo ad beatorum ſedes, & præcipuos Auſtriacæ domus proceres, traducatur. En paucis ſemina rerum illuſtrium in hanc actionem ſparſa, quæ ad bene magnam Epopœjam ſuffecerint.

Alterius Epopœjæ humilioris, quæ tragico exitu abſolvitur, Mauritius Orientis Imperator, Monachos etiam ad bellum cogens, neque captivos ex barbarorum manibus, quantumvis exiguo litro, redimens, atque iccirco gravi denique morte ſublatus exemplum eſſe poterit. Quod ſanè facilius deducetur, quàm illud de Adami ſeu humanæ naturæ lapſu à nobis propoſitum, cum hic perſonæ unà cum protagoniſta inducendæ deficiant, adeoque in Epiſodijs primi generis quibus res hiſtoricè veriſimilis manet, verſari non liceat; ſed poëſi omnia & figurata veriſimilitudine exornanda fuerint, quæ nimia frequentia minus gratiæ ac venuſtatis obtinet.

Porrò quemadmodum implicari, rarioribus præter exſpectationem eventibus, Heroica actio poſſit, ex Dramaticæ poëſios inſtitutionibus plenius eruditus lector intelliget.

CAPUT VII.

De reliquis Epicorum poëmatum conceptibus Ecloga inprimis & Satyra.

QVi hæc de Epopœja aſſecutus fuerit, non magnopere laborabit in ceteris Epicis, quorum varias ſpecies, ut Genethliaca, Epithalamia, Parænetica, aliaque ejuſdem rationis p. I. 2. c. 10 exhibuimus quibus etiam Cyclici, hoc eſt fabularum ſcriptores, qualis Ovidius fuit, laborem ſuum accenſere poteſunt. Hæc enim omnia minus artis operiſque requirunt, ac ſæpe Epiſodia Heroicæ Epopœjæ, velut partes, occupant. Major in iis concipiendi libertas ac varietas, argumenta cum orationi-

bus non raro communia, Epiſodia minus & frequentia & producta. Non eſt igitur cur his diutius præcipiendo immoremur, quàm p. 1. factum eſt, Vnius tamen maximè eminentis, hoc eſt panegyrici carminis exemplum dedimus, ut præcipuarum virtutum lineamenta ſcribendo duceremus. (cum in Sarcotide Vitiorum exhibuerimus) Cyclici etiam carminis ſpeciem ad Ovidij imitationem directam in Aranea exhibuimus, tum ut elegantem hoc allegoriam incluſam magis ornaremus, tum inprimis, ut diverſos Poetarum in ſcribendo characteres in eadem jungeremus materia.

Duo tamen Epicorum carminum genera, pluſculum à communè ſcribendi ratione diſcrepans, atque iccirco ſeorſim ſuis breviter præceptionibus excolenda videntur, ut ſunt Eclogæ ac Satyræ, ab illis ordiamur:

Ecloga, eſt *humilium perſonarum poeſis ruſtica Epico verſu exegeticè, vel dramaticè, vel certè mixtim expoſita.*

1. Humiles perſonas requirit. Tales autem principio ſoli Paſtores fuère, unde hoc carmen dictum bucolicum. quod βȣκόλοι, facilè principatum inter paſtores habeant. His verè tributum olim, quia per otium, & temporis fallendi gratiâ eis maximè opportunum colloquijs cantuique indulgere. Sed cum ratio nulla eſſet, cur humiliori illo ſimpliciorique loquendi genere, quo hoc carmen inprimis delectat, ſoli paſtores inter pecora uterentur, ad Vinitores Olitores Meſſores ac Piſcatores translatum eleganter apud Sanazarium imo & Theocritum reperies. Neque obſtat, quin ad artificum opificumque officinas tranſire poſſit. Quod tamen ea lege præſtandum, ut ſinguli juxta cujuſque hominis & operis quod tractat naturam loquantur: Ne, quod ajunt, Sutor vltra crepidam. Non quod interdicam, cum nonnullis nimis rigidis hujus carminis cenſoribus ſermonem de rebus gravibus (quis enim prohibeat ruſtico homini de Regibus ſubinde ac bellis loqui?) ſed quod vetem de ijs aliter, quàm conditioni illorum conveniat loqui. e. g. Paſtor ſi Regem extollat, ab illo præcipuè argumento commendet, quod jumentis & pecoribus ſub illo tuta ſalus fuerit; Raptorum inſolentiam fregerit, paſcua ſua liberalitate auxerit, dona igitur ex grege ſeliget, quæ gratitudinis ergo deferat. Comparationes etiam & exempla potiſſimum à ſilvis agris ac pecoribus deſumet Ita piſcator de ſuis vivarijs, retibus, piſcibus alijſque huic operi vicinis loquetur. Hoc enim hominum genu

ple.

plerarumque rerum, præterquam artis ſuæ rude exiſtimatur.

2. Modus concipiendi triplex ferè eſt; aut enim Poëta, & ſcriptor carminis ipſe exponit, quid inter paſtores ſeu vinitores factum dictumque, & hic exegematicus aut narrativus dicitur: aut ipſos inter ſe homines ruſticos loquentes; certanteſque carminibus vel muneribus inducit, & hic dramaticus ac dialogeticus ad comœdiam ferè accedit, pluſque ingenij & artis continet. aut certè, quod frequens eſt, poetæ narratio cum perſonarum inductarum dialogiſmis commiſcetur, & hic mixtus appellatur. Porrò μονοπρόσωπος dicitur, quę in Eclogis unius perſonæ eſt, ut apud Virg. Alexis; ἀμοιβαῖος quæ inter perſonas plures alternat cantum, ut Tityrus. Theocritus in bucolicis Græcorum, quæ inſcripſit idyllia, maximè excellit; ut proinde Virgilius ejus preſſerit veſtigia.

3. Poëſis hîc aptanda perſonis loquentibus. Quod ſi Poeta ſolus exponat facta, audacior illa & frequentior eſſe poterit, tunc præſertim, cum de ſeipſo loquetur. Sic in Sileno ſuo Virgil. ſe cum Varo (quod ſub Chromidis & Mnaſyli Satyrorum perſona accipit) fingit Silenum in antro ſertis vinxiſſe, & carmen, Ægle Nympha ſuperveniente, obtinuiſſe. Ceciniſſe verò orbis & rerum originem, diſcretionem, reparationemque per lapides Pyrrhæ, feris, rupibus, fauniſque ac ſilvis ad cantum ſubſultantibus. Quæ ſanè pro Ecloga res ac poeſis gravior, reprehenſionem quorundam non ſubterfugit: quamvis ſua & Vari, vel potius Satyrorum perſona inducta (ut quæ gravioris hujus diſciplinę capax videri poterat) excuſationem habere videatur. Idem Virgilius cum Ecloga 5. Salonini mortem, ſub Daphnidis perſonâ, deflet, iterum nonnullis in materia graviori aberrare viſus eſt; ſed omnino perperam. Cum enim Paſtores Menalcam & Mopſum, velut de Paſtore Daphnide, lugentes inducat, finatque Nymphas feraſque ejus deflere mortem, ſqualere antea florentes agros; Paſtores erigere ſparſis floribus, cum elogio, tumulum jubeat, vinumque oleum ac lac in ſacris compitalibus eferat; nihil abs re aut fictum, aut factum fuit. Sic dum Cornelio Gallo Ægypti Præfecto Eclog. 10. Paſtoris amores perſonamque tribuit, nihil in hujus carminis naturam artemque peccat. Servius verò ſuo aberravit judicio, quando hanc Eclogam in bucolicis habendam non cenſuit. quod neque de Pollione ut ſilt idem, admiſero, eo quod res, licet graves ſint, paſtoritio tamen ſermone exponantur.

Placent inprimis in hoc carmine allegoriæ ex agreſtibus rebus ductæ, ut in noſtro factum Narciſſo, ubi Æglon munera defert ſymbolica, quæ à Melibæo ſubjecto cantu utcunque exponuntur. Placet etiam cantus ad pecora verſus, quibus ad læta invitantur paſcua, ad ſaltus fonteſque, laudatur eorum fertilitas, ubera, lanæ, fætuſque.

Satyra poema eſt, quod *actiones humanas reprehenſioni obnoxias ſalſo lepidoque dicendi genere ad mores emendandos perſtringit.* Iambis hæc olim ſcripta locum inter dramata tenuit: principio in Tragœdia, deinde in Comœdia, pro ſublatis inde choris uſurpata, ſed & hinc poſtea ob dicacitatem eliminata, à Lucilio ad Romanos Epico verſu, extra ſcenam, celebrari cœpit, a[b] Horatio, Iuvenale, & Perſio deniq; magnopere exculta, nome[n] à Satyris in ſcenam quondam adduci ſolitis obtinuiſſe videtu[r] quanquã alij cũ Varrone & Feſto Satyram à Saturitate dicant

1. Actiones hominum culpabiles, ſed tamen non extrem[e] malas (quod hæ indignationem magis, quàm irriſionem me[re]antur) jocosè perſtringit. hæc autem caſtigatio potiſſimum i[n] mores, præſentis ætatis cadit, nam præterita emendare non l[i]cet. Quin etiam ſingulatim v. g. in ebrium aut avarum tec[ta] perſona inductum, quam univerſim in corruptos urbis alicu[]jus mores, aut perpotandi multorum licentiam plerumq[ue] ſtringitur feſtivius: præſertim ſi hominis, velut in ſcenam i[n]troducti, mores aptè & urbanè depingas. quo nomine Hor[a]tius, ante Iuvenalem & Perſium laudatur.

2. Modus tractandi plerumque narrativus, quanquam dramaticè perſonæ loquentes, nonnunquam inducantur.

3. Poeſis epiſodica hîc parcè uſurpatur; hiſtorijs exempl[iſ]que locus eſt, quibus ad riſum captandum & explodenda vi[tia] appoſitis urbanè mores caſtigentur. Cavendum verò, ne in o[b]vium hic antiquis ſatyrographis ſcopulum impingas, dumq[ue] aliorum caſtigas vitia, caſtiganda ipſe admittas, quod non corrigere; ſed amplificare flagitia.

Ceterùm inventio & conceptus Satyræ nihil habet ſingul[a]re, à re ipſa plerumque orditur, comparationes à ridiculis & a[b]jectis, ad vitium quod perſtringit contemnendum & expl[o]dendum, aſſumit. Cavendum tamen ne ſordida nimium orat[io] ſcurrilitatem magis, quàm ingenuitatem redoleat. Ego quatu[or] infra exemplis concipiendi ſcribendique ratione aliquantulu[m] diverſis quandam Satyrarum diverſitatem oculis ſubijcere v[o]lui.

Caput VIII.

De elocutione Epici carminis.

VNa hujus poeſios virtus eſt illuſtrem eſſe; nam ut egregias
magnorum heroum actiones, illa, quæ hic principatum
ducit, Epopæia perſequitur, ita æquum eſt pari orationis colore
ejus imaginem adumbari, ne ſuo parum aptè propotypo con-
ſentiat. Altera tamen ipſius virtus non minus Epico ſcriptori
inculcanda eſt: ut ſcilicet perſpicua maneat oratio. loquimur
enim, ut eximiam quam de magnis rebus exiſtimationem con-
cepimus, aliorum quoque animis ingeneremus, quo ſi excida-
mus propoſito, operam oleumque perdimus, fruſtra gemmas
exhibebis non agnoſcentibus. Præcipua igitur hoc in carmine
ars erit, conjunxiſſe utramque virtutem (tanquam in dotem
unam) ſine obliteratione alterius. Paucis multa Ariſtoteles di-
xit de re Poet. c. 22 *ſit perſpicua, non humilis.* Quemadmodũ verò
illuſtrari perſpicua oratio poſſet verbis rarioribus, gravioribus,
tropicis item apteque novatis Epithetis dignioribus ac circum-
locutionibus; deinde phraſibus modò figuratis, modò ex græ-
cis etiam fontibus appoſite traductis, modò exemplis compa-
rationibusque ac quandoque etiam licentiis poetarum oppor-
tunè uſurpatis. integro libro part. 2. expoſui, atque Epici po-
tiſſimum carminis, ut quod primas facile in poeſi habet partes,
exemplis uſus ſum, caſtigatis etiam, qui in vitium declinarent
ſcriptoribus; proindeque hic labor meus non omnino deſidio-
ſo & hebeti lectori poterit ſufficere. Vt tamen exemplis rem:
breviter tanquam abjectum ſcriptorem illuſtri opponam, de-
inde & aliquot inter ſe illuſtres comparabo. Lucret. l. 6. de ful-
mine ait.

1. — Quali naturâ prædita conſtent
2. Fulmina, declarant ictus, & inuſta vapore
3. Signa, notæque graves halantes, ſulfuris auras.
4. Ignis enim hæc ſunt, non venti ſigna, neque imbris.
5. Præterea per ſe accedunt quoque tecta domorum,
6. Et celeri flamma dominantur in ædibus ipſis.
7. — Per totum concreſcunt aëra nubes,
8. Vndique uti tenebras omnes acheronta reamur
9. Liquiſſe, & magnas cæli compleſſe cavernas.
10. Vſque adeò tetra nimborum nocte coortâ

 11. Impen-

11. Impendent atræ formidinis ora ſupernè,
12. Cùm commoliri tempeſtas fulmina cœptat.

Ex his pars prior ad verſum 7 uſque licet de re gravi atque illuſtri tractet, planè eſt humilis, neque ab oratione ſoluta præterquam numeris diſtinguitur: niſi, quod malè in 1. verſu pro *conſtent*, ſupponi *ſint*: & in 3. pro *auras*, adhiberi *odores*. Ceteri tres verſus nil coloris aut caloris poetici habent. Sextus verſus licet poeticum quid phraſi ſua redoleat, junctis tamen ad ſubſtantiva proximè Epithetis vileſcit, ac frigide concluditur.

Pars altera à verſ. 7. ad 12. poeticis coloribus ad illuſtrem ornatum enititur ſed fumi inſtar evaneſcentibus: cum perſpicuitatis ac convenientiæ amittat gratiam. quam enim inconveniens, *cœli ingentes* dicere *fornices*: tam ineptum *magnas cœli cavernas implere*. Quæ vero ſunt v, 11: *atra formidinis ora*, *quæ impendent Supernè?* an hæc ſatis perſpicua, & opportuna translatio? verſus 8. & 12. licet magnopere reprehendenda non habeat; illic tamen comparandi modus *undique uti reamur liquiſſe*; & hic verba grandia *commoliri cœptat*, abſque ſignificandi virtute, parum gratiæ merentur.

Quantò illuſtrior cum perſpicuitate ſermonis ille qui de eadem materia ſic ſcribit Virgilius 1. Georg:

1. Ipſe pater, mediâ nimborum in nocte, coruſcâ
2. Fulmina molitur dextrâ; quo maxima motu
3. Terra tremit, fugêre feræ, & mortalia corda
4. Per gentes humilis ſtravit pavor: Ille flagranti
5. Aut Athon, aut Rhodopem, aut alta Ceraunia telo
Deijcit. *Idem lib. 8. An ſic habet.*
6. — Vidiſſe Jovem, cum ſæpe nigrantem
7. Ægida concuteret dextra, nimboſque cieret &c:
8. Namque improviſo vibratus ab æthere fulgor
9. Cum ſonitu venit, & ruere omnia viſa repentè.

Quam gravi & apta phraſi dictum, *nimborum in nocte moliri Jovem fulmina* Illud vero ver. 6 quam præterea rarum & à translatione *ægidis* ad nubem elegans! ut ſi Iupiter in tempeſtate, contra mortales pugnans, nube tanquam ſcuto uteretur, quo ſe cœlumque tegeret. Illud v. 2: *maxima motu*; *terra tremit*, quam aptis ſimul & illuſtribus verbis per M & A grandeſcentibus, per T & R quaſi contrementibus exprimitur. Sic in verſ. 4. *humilis ſtravit pavor*, abrupto numero finitum, velut ſimul proſtratos homines convenientiſſimè exprimit. Mox verò fulminis

minis omnia ſternentis celeritatem verſu 5. ac 9. oculis penè ſubijcere videtur. ipſa verba præcipitanter involuta. *Et ruere omnia viſa repente*, rerum cadentium ruinam nobis repræſentant.

Alteram tamen Epici carminis dotem, quæ eſt non tantum decora verborum phraſiumque ac periodorum inter ſe compoſitio, verum etiam perſonis rebuſque aptè ad naturam illorum exprimendam conveniens, Virgilius in verſ. 4. & ſeq maxime expreſſit. In qua dote. penè ſolus ille inter antiquos ſcriptores eminet. Lucanum audiamus lib. 1. Pharſ.

1. Qualiter expreſſum ventis per nubila fulmen
2. Ætheris impulſi ſonitu, mundique fragore
3. Emicuit, rupitque diem, populoſque paventes
4. Terruit; obliquâ perſtringens lumine flammâ,
5. In ſua templa furit, nullâque exire vetante
6. Materiâ, magnamque cadens, magnamque revertens.
7. Dat ſtragem latè, ſparſoſque recolligit ignes.

In hoc carmine illuſtri ſimul perſpicuoque dos prima Epici ſermonis ſatis eminet; ex altera tamen orationis dote minus aptam inter membra ſua compoſitionem exhibet, rebuſque minus appoſita, quam illa Maronis eſt dictio, iccirco quod nimium per conjunctionem *que* ſæpius recurrentem, velut in re levi, exultet: quinto autem verſu apta deſit connexio. In eodem hæret vado Silius Italicus quantumvis diligens æmulator Virgilii lib. 7. ita canit,

1. Vt cum fulminibus permixta tonitrua mundum
2. Terrificant, ſummique labat domus alta Parentis;
3. Omne hominum in terris trepidat genus: ipſaq; oborta
4. Lux atrox micat, & præſens adſtare viritim
5. Creditur intento perculſus Juppiter igne.

Hic, præterquam quod in verſ. 3. verba aliquam trepidationem audienti imprimant, cetera parum rebus ſunt apta. hoc etiam appoſito orationis nexui advertatur, quod prius cadere Jovis templa ac trepidare homines, poſt atrocem lucem oboriri per ὕστερον πρότερον dicat. Taceo quod *viritim adſtare perculſum igne Iovem* parum perſpicua & idonea tranſlatione memoret.

Statium & Claudianum parte 1. l 2. expenſos paucis hic tango. Vterque ita illuſtrem ſectatur orationem, ut perſpicuitatem non raro negligat compoſitionem etiam rebus accommodam minus curet, quanquam, ut Statius Claudiano illuſtrior, ita

etiam

etiam obſcurior ſit habendus. Ovidio in Epicis perſpicua oratio nunquam, illuſtris tamen illic, ubi rerum magnitudo admittit, nonnunquam deeſt. Statius ita Argonavim propulſam deſcribit lib. 5. Theb.

1. Ecce autem, æratâ diſpellens æquora prorâ,
2. Pelias intacti latè ſubit hoſpita ponti
3. Pinus, agunt Minyæ, geminus fragor ardua canet
4. Per latera, abruptam credas radicibus ire
5. Ortygiam, aut tractum pelago decurrere montem.

Auguſta tane oratio. Sed quam audax & remota locutio verſ. 3. *fragor canet per latera*, hoc eſt fragore remorum latera ſpumant, quanto illuſtrius & ſimul perſpicuè magis Virgilius *ſpumas ſalis ære ru bant*. Quamvis & lib. 8. idem longè ad rem exprimendam aptius dicat:

1. Unà omnes ruere, ac totum ſpumare reductis
2. Convulſum remis roſtriſque ruentibus æquor.
3. Alta petunt. pelago credas innare revulſas
4. Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.

Celeritatem exprimit. *Una omnes ruere*, gravitatem laboris *ſpumare convulſum remis æquor* Magis apte dictum *innare cycladas* quam *ire Ortygi..m*, & *concurrere montes*, quam *decurrere*. Ut jam taceam, Statium ad unam *pinum* acervare epitheta, ut *diſpellens æquora*, & *hoſpita ponti*, *Pelias* pinus ſeu navis. hoc enim eſt inutili rem mole extollere.

Idem Statius l. 8. ita Theb. ita Regem noctu vigilantem in caſtris deſcribit

1. --- Alto caſtrorum ex aggere Adraſtus
2. Lethificos tenui captabat corde tumultus.
3. Quanquam æger ſenio. Sed agit miſeranda poteſtas
4. Invigilare malis. illum æreus undique clamor
5. Thebanique urunt, ſonitus & amara laceſſit
6. Tibia, tum nimio voces marcore ſuperbæ

Quo pacto inprimis bellicoſo Regi convenit. *lethificos tumultus tenui corde captare*? ſanè hoc loco vix quicquam idoneum. nam quomodo *captat*, quod averſatur? quomodo *corde* id facit, & non aure potius? quomodo *Tenui corde* Rex bellator? quomodo *tumultum* potius, quam ſtrepitum obſcure & procul inſonantium armorum? quomodo *lethificos tumultus* appellat, tam vocis patum auguſtæ epitheto? Cur excipit, *quanquam æger ſenio*? talis enim maximè vigilat. cur *miſeranda poteſtas*, quam pleri-

plerique ut felicem adorant? cur hæc *agit malis invigilare*, quæ tot excubiis ſervatur? quomodo *arcus clamor* aptè dicitur *aris ſonitus*? & quomodo hic *clamor urit* potius, quam perſtringit? quomodo *amara* eſt *tibia* bellum ultro ſectanti? quale vero prodigium *vocum* eſt, quæ *marcore* ſunt *ſuperba*? fortè hic error typographorum ſit, marcore, pro *rancore* ponentium; quod quamvis ſine laude, foret tamen tolerabilius. En quot quantæque in parvo carmine labes ſint, adverſus ultimum præcipuè Epici carminis decorem.

Magis ad rem vigil pro ſuis excubiis deſcribendis Virgilius lib. 9. Æneid.

1. Hæc ſuper è vallo proſpectant Troës, & armis
2. Alta tenent, nec non trepidi formidine portas.
3. Explorant, ponteſque & propugnacula jungunt.
4. Omnis per muros legio ſortita periculum
5. Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum eſt.
6. Niſus erat portæ cuſtos.

Primo verſ. *hæc ſuper è vallo* velut proſpectantes ſuo habitu depingit. Deinde trepidos facit miniſtros, non ducem, & laborem citatum perjuncta, connexione gemina, ſubſtantiva apte exprimit, multitudinem quarti carminis tarditate, Vigilum induſtriam per 5. verſus celeritatem, ubique accommodè exponit. Hoc nimirum decorum eſt, quod in altera hujus poeſios dote obſervandum erit, cum quo illuſtris perſpicuitas in his etiam verſibus eluceſcit.

Audiamus & Claudianum afflictam fame Romam De bello Gildon. coram Jove hoc habitu producentem.

1. Exitium jam Roma timens, & feſſa negatis
2. Frugibus, ad rabidi limen contendit olympi.
3. Non ſolito vultu, nec qualis jura Britannis
4. Dividit, aut trepidos ſubmittit faſcibus Indos:
5. Vox tenuis, tardiſque gradus, oculique jacentes
6. Interius fugêre genæ, jejuna lacertos
7. Exedit macies, humeris vix ſuſtinet ægris
   Squalentem clypeum

Perſpicuum ſatis eſt, verum, neque grave, aut illuſtre ſatis; neque tali perſonæ exprimendæ ſat idoneum. Levioribus enim phraſibus numeriſque velut in re læta exultat, idque 1, & 5. inprimis verſu, ubi parum aptè proſilit. nec laudo *negatis frugibus feſſam* dici, & quid in altero verſ. epithetum *rabidi* ad rem facit?

Ali-

Aliquanto aptius extremo languore deficientem Ovidius depingit 6. Metam.

1. Diriguitque malis, nullos movet aura capillos,
2. In vultu color eſt ſine ſanguine, lumina mœſtis
3. Stant immota genis, nihil eſt in imagine vivum.
4. Ipſa quoque interius cum duro lingua palato
5. Congelat, & venæ deſiſtunt poſſe moveri,
6. Nec flecti cervix, nec brachia reddere motus,
7. Nec pes ire poteſt.

Non omnino tamen illud aſſequitur decorum, quo rebus aptatur ratio. Quorſum enim in 1. verſ. ponit, *nullos movet aura capillos*, an illud ex ægritudine? an deinde poſt graviſſima mortis proximæ argumenta, rectè quod minus eſt ſubjungitur *Nec pes ire poteſt?*

Aptiſſimè omnium Maro Æneid. 11. moriturum ex vulnere deſcribit.

1. Labitur exſanguis, labuntur frigida letho
2. Lumina, purpureus quondam color ora reliquit.
3. —— —— tum frigida toto
4. Paulatim exſolvit ſe corpore. lentaque colla,
5. Et captum letho poſuit caput: arma relinquens,
6. Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

An non hic ſenſim velut cum homine exſpirat vigor carminis? quod credas ver. 1. & 2. adhuc vivere, ver. 4. & 5 denique mori, ut cum 6. demum verſu anima ſuo corpore diſſoluta, jam levior evolare videatur. Manent tamen perſpicua ſimul omnia & illuſtria.

Hæc prout ſe primum mihi obtulerunt, exempla ad cenſuram vocavi; tum ut dotes hujus poeſios facilius aſſequereris, tum ut Virgilij in cæteris præſtantiam oculis ſubjectam imitari liceret proprius, ac minus perfectam aliorum ſcribendi rationem pro virtute, ut imperitiores aſſolent, mihique olim evenire memini non amplectereris. Plura ejuſdem argumenti & obſervationum ſimilium cenſuras in part. 1. lib. 2. reperientur, quæ inprimis ad rationem purè excolendam ſunt utiles: Vix enim quiſquam propius certiuſque quam hac via duci poterit.

CAPUT

CAPUT IX.

De charactere elocutionis, & cultu Epici carminis ab aliis, & inter ſe diverſo.

Nunc proprius ipſum diſcrimen, quo hoc carminis genus, tum ab aliis, tum etiam ſuis in membris diſtinguatur, videndum eſt. Vniverſim 1. monendus eſt lector. Omnia in hac poeſi, quam in Elegiaca eſſe grandiora, quod ut in conceptibus jam ſatis oſtendimus, ita in verbis, ſententiis, periodis totoque elocutionis habitu minimè poteſt eſſe ambiguum, cum ad poeſios decorum requiratur, ut oratio rebus aptetur, quæ in hoc ſcribendi genere ſumuntur illuſtriores.

2. Diſcrimen tamen & in hac ipſa poeſi Epica universè ſumpta non leve reperiri; eò quod non tantum rerum, ſed & perſonarum habenda ſit ratio: aliter enim ruſticus v. g. aut opifex, de eadem re ſeu belli ſeu pacis, quam nobilis, politicus, doctus, aut Princeps diſcurrit, humiliori dictionis genere ſumptisque aliunde fabulis exemplisque mentem exponit; aliter etiam homo ridiculè aliorum mores, quam ſeriò eoſdem perſtringens aut laudans. Quæ cauſa cur vulgarium hominum Eclogæ planè humili ſermone perſequendæ ſint; in ſatyris etiam vix ſupra hunc gradum ſit aſſurgendum ad ſublimem certè characterem qui rebus maximè ſeriis impenditur, non enitendum; cum res etiam graves ſimul graviter ac ridiculè proponi nequeant.

3. Non minus obſervandum, Epicum carmen, quando ab eadem perſona non tantùm de diverſis ſed unâ etiam actione ſcribitur, aliis aliiſque ſui partibus pro earum varietate, cultum etiam varium poſcere. aliter enim in rebus levioribus, aliter in gravioribus aliter in lætis, in mœſtis aliter, nec eodem in compoſitis, quo in turbulentis & affectioni obnoxiis rebus incedendum. Voluptatem & dolorem, ſpem & metum, indignationem & fugam alia atque alia arte captamus. neque quicquam eſt, quod ita, aut oblectet, aut impellat, quam varius iſte orationis habitus, & velut ejuſdem oppugnatoris diverſæ machinæ.

4. Obſervandum eſt orationem duplici potiſſimum ratione extolli magnificamque ac grandem fieri poſſe. primo per dictionem verbis ſententiiſque exquiſitis amplificatam ornatamque juxta modum doctrinamque quam 1. part l.2.c.25.tradidi. ſecundo figuris ſententiarum acrioribus, quæ per interroga-

tiones,

tiones, exclamationes, apoſtrophas, aliaſque affectionibus exprimendis idoneas rationes exacuuntur. Prior illa ornandi illuſtrandique orationem diſciplina mitioribus in rebus, modò gravibus, modò etiam levioribus (cum ratio, ut hæ ornentur poſtulat) ſerviet; præſertim cum illud agimus, ut dicendo rebus aliqua ad perſuaſionem dignitas accedat. Philoſophi enim vox eſt τῇ δὲ λέξει διαπονεῖν ἐν τοῖς ἀργοῖς μέρεσι. dictionem elaboratam eſſe decet in rebus magis exilibus. Ut vero ſimul intelligeres, quando ab hoc ornatu remittendum eſſet, ſubjecit. μήτε ἠθικοῖς, μήτε διανοητικοῖς. non tamen in moratis, neque ijs quæ ſenſibus abundant cauſam addit; quod ſplendida dictione mores & ſenſus obſcurentur. Poſterior exornationis ratio tunc potiſſimum requiritur, cum incitanda per graviores affectus oratio ad movendum magis, quam delectandum componitur. In priori florens magis ac ſplendida dominatur ac circumducitur oratio epithetis, metaphoris, figuriſque grandioribus plenior atque ambitioſior. in poſteriori juxta affectuum naturam, vel incitatur, vel producitur dictio, iratus magis abruptis inciſiſque membris fertur, crebrò interrogat exclamat, vovet, minatur: metaphoras figurasque illuſtriores, faſtidit. Dolens circumductis magis ſententiis periodiſque lentum ſermonem trahit, interque ſuſpiria & exclamationes etiam ſæpius interrogat, vovetque. Metuens rurſum orationem, quam mœſtus per ſpondæos tardabat, & gravius circumferebat, dactylis, levioribuſque verbis ac ſententiis præcipitat. Quod ſi vero hi affectus miſceantur orationis, etiam non unus manebit habitus.

Porrò ad hujus doctrinæ vim uſumque propius intuendum, illa tibi adeunda erunt, quæ de charactere triplici part. 1. l. 2. c. 23. & 24. diſertè ſatis diſſeruimus, ad heroicæ in primis poeſios genium, exemplis appoſitis etiam adumbratum. Vt ſi hæc cum illis quæ hac parte l. 1. c. 3. de Elegia tradidi, præceptionibus componas, utriuſque facile diſcrimen obſervare poſſis.

Nam 1. quod verba ſpectat, grandiora plerumque ſectatur, crebra ac peregrina non raro amat epitheta, metaphoris & frequentior, & magis elatis (quanquam intra ſimilitudinis aptæ terminos ſubſiſtendum) delectatur. Antiquata etiam novataque loco ac tempore non aſpernatur 2. Longiora non rarò ſectatur membra, periodoſque ad 4. 5. 6. 7. rarius 8. & 9. verſum extendit. Vt proinde quantum Orator ab Hiſtorico, tantum ab Elegiographo Epicus ſcriptor diſſideat. 3. Figuras nullas

nullas excludit, gaudet etiam illuſtrioribus, tamen eo, quo prius monuimus diſcrimine. 4. cum hæc poeſis in omni genere dicendi verſetur, exornet, deliberet, arguat, morata non minus ſit (cujus actio, vel ſermo indicat animi mores) quam pure ſpeculativa; omni cultu ita erit varianda, ut ſi doceat, conſultet, mores deſcribat, magis obvia conſectetur, ſententiaſque gnomicas viro ſapiente dignas, tanquam lumina quædam hujus orationi interſerat: in ceteris verò dictione illuſtriori efferatur. 5. Epica poeſis præ ſuavitate majeſtatem inprimis ſpectat, ideoque gravitatis ſtudio ſubinde per eliſiones non ingratè hæret, numeriſque nunc volubilibus nunc retardatis hoc agit, ut rei exponendæ naturam imitetur. Mirus hujus rei ante alios artifex Virgilius, ut facilè ex adductis alibi exemplis liquet. Sic Ovidius loquetur de Arte. & Epiſt. 4.

Quadrupedes inter rabidi certamina curſus,
  Depexæque jubæ plauſaque colla juvant.
Sive ferocis equi luctantia colla recurvas,
  Exiguo flexos miror in orbe pedes,
Seu recta juvet ire via, volatille citatus,
  Vixque opus emiſſo ſubdere calcar equo.

Epicus Poeta ut hæc magis extollat illuſtretque in equite atque equo per ſua adjuncta deſcribendo exempliſque diducendo magis hærebit: aut certè elationi rem eandem phraſi efferet. Claudianus in Conſul. 4. Honorij ſic canit.

1. Cum vectaris equo, ſimulacraque Martia ludis.
2. Quis molles ſinuare fugas, quis tendere contum
3. Acrior, aut ſubitos melior flexiſſe recurſus?
4. Non te Maſſagetæ, non gens exercita campo
5. Teſſala, non ipſi poterunt æquare Bimembres
6. Vix comites alæ, vix te ſuſpenſa ſequuntur
7. Agmina, ferventeſque tument poſt terga dracones.
8. Vtque tuis primum ſonipes calcaribus arſit,
9. Ignoſcunt patulæ nares, non ſentit arenas
10. Vngula, diſcuſſæque jubæ ſparguntur in armos,
11. Turbantur phaleræ, ſpumoſis morſibus aurum
12. Fumat, anhelantes exundant ſanguine gemmæ,
13 Ipſe labor pulviſque decet, confuſaque motu
14. Cæſaries; veſtis radiato murice ſolem
15. Combibit, ingeſto criſpatur purpura vento.
16. Si Dominus legeretur equis, tua poſceret ultro

17. Ver.

17. Verbera Nereidum ſtabulis nutritus Arion;
18. Serviretque tuis, contempto Caſtore, frenis
19. Cyllarus, & flavum Xanthus ſpreviſſet Achillem.
20. Ipſe tibi famulas præberet Pegaſus alas
21. Portaretque libens; melioraque pondera paſſus
22. Bellerophonteas indignaretur habenas.
23. Quin etiam velox auroræ nuntius Æthon,
24. Qui fugat hinnitu ſtellas, roſeoque domatur
25. Lucifero, quoties equitem te cernit ab aſtris,
26. Invidet, inque tuis mavult ſpumare lupatis.

Planè eximium ligatæ eloquentiæ ſpecimen hoc loco vates ille præbuit, quod ipſe huic redivivus Virgilius invideat. Nihil enim deſultorius iſte exultansque numerus hic vitij habet, ſed cum rem depingat ſimilem in virtutibus numeratur. Quam vim ſcribendi, cum aliquando deceat, ac mirificè ornet, neque Virgilius ob ſeveriorem naturam ſecutus ſit, operæ pretium fuerit paucis obſervaſſe.

Præcipua ejus in membris, Sententiis, ac periodis ad certos numeròs formandi ratio conſiſtit. Familiare enim Claudiano eſt cæſim ſeu minutis incedere membris, illaque vel duobus pedibus & cæſura, vel tribus & cæſura, vel certè dactylo (cæſura nonnunquam addita) terminare. Ut ſtatim hic in tribus primis verſ. liquet, ac deinde repetitur. quod cum etiam certo verborum ad numerum delectu præſtet, neceſſe eſt eodem ſæpe cantu velut ex ultimi ferri. Virgilius autem licet ejſdem tanquam elegantioribus numeris inſiſtat crebrius, tamen ſæpe variat nec religioni ſibi ducit, quoque carminis loco etiam abſque cæſura incidere membrum, eâ tamen lege, ut vel moram vel præcipitationem aliquam ſimul in rebus hoc pacto indicet, ut idcirco quod vitium imperitioribus videri poſſit, virtus habeatur. qua ratione majorem etiam carmini ex varietate conciliat gratiam. Ita, quod Claudianus repudiaſſet, 10. Æneid. dicit.

Tollit ſe arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat. *ita iterum 11. Æneid.*
Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis
Huc obverſus & huc.

Potuiſſet Maro dicere. *Tollitur arrectus quadrupes*, ſed conatum equi cunctantis exprimere ſcribendo maluit, quam carminis mollitiem ſectari. Sic ejuſdem in omnem partem obluctando verſi imaginem in verbis ultimi hemiſtichii eleganter expſuit.

Ita

Ita neque uſurpaſſet Claudianus illud Maronis lib. 7. *Sublimes in equis redeunt.* neque illud - *arduus altis Pulverulentus equis furit.* cum tamen utroque loco illuſtris perſonarum. ſtatura egregiè extollatur. illic per hærentem monoſyllabam *in*: hic per geminas ſyllabas *ard.* & *alt.* tardantes vicinitate pronuntiationem, tum deinde propter hemiſtichium conſequens abſque cæſura finitum, quod hærere in ſequentibus dictionem abruptam facit. Jam verò Maronem tam multis, minutimque cæſis membris ſententiam periodumque non implere, cuivis, utrumque legenti, ſtatim eſſe obvium poterit. quanquam in ſua Proſerpina Claudianus in membris producendis ambitioſior fuerit magiſque orationis cultu niteat.

Iterum Caudianus diſſoluta ſine conjunctionibus membra ſæpius in unam periodum congerit, ac deinde minutis particularum repetitionibus gaudet, ut hoc in exemplo à verſu 2. ad 7. item in 11. & 12. tum 14. & 15. videre eſt. Denique rotundioribus ferè periodis, idque plerumque quàm in fine hexametri inclinato ad quietem numero. ita ut ſæpius vox antepenultima moloſſus ſit, penultima dactylus, & ultima ſpondæus. Vt verſ. 12. & 15. vel etiam, ſpondæus, aut anapæſtus, antibacchius & bacchius ſe invicem conſequantur & v. 19. & 26. nondum tamen abſolutas pleno ſenſu periodos in medio etiam carmine ſuſpendit: ut facilè obſervabis, quæ univerſim lætam exultatemque orationem efficiunt, ac proinde ſimili materiæ accommodatam.

Vnum diſſimulare non debeo, ne hac Vatis illius commendatione, à Virgilio te averſum in errorem abducam. Maro enim ſive verbis propriis ſive tropicis utatur, minus ab eximia Romanæ linguæ puritate, & appoſita ſignificandi virtute deflectit, Claudius minus ſignificanter própriis, & translatis audacius utitur. In propoſito id exemplo paucis ſpectamus Maro ſic, opinor, ioqueretur.

Cum provectus equo pugnæ ſimulacra referres
Martia, vix habiles quiſquam intentare ſariſſas
Doctior, aut ſubitos in gyrum flectere curſus,
Aut ſinuare fugam, &c.

Neque enim *vectari* frequentationem & levitatem quandam ſonans pro tanto ſat aptum duce: neque *tendere* ſat illius actionis ſignificativum, *ludere* etiam ſimulacra parum congruè translatum neque *mollis* fuga epithetum uſque adeò idoneum, quam

Virgi-

Virgilius requirat. Et ne ſingula examinem, amputaſſet Maro tanquam otioſum quidquid à 10. verſ. uſque ad 26. adjicitur. nimia enim exemplorum copia in his ſimilibuſque affluit, ut ſi in locum unum omnis huc faciens poeſis accervanda eſſet.

En ut Virgilius aptè exultantem ſub equite equum depingat 3. Georg.

—— docuere ſub armis
1. Inſultare ſolo & greſſus glomerare ſuperbos.

Et poſt Primus equi labor eſt animos atque arma videre
3. Bellantum, lituoſque pati tractuque gementem
4. Ferre rotam, & ſtabulo frenos audire ſonantes.
5. Tum magis atque magis blandis gaudere magiſtri
6. Laudibus, & plauſæ ſonitum cervicis amare. &c
7. At tribus exactis, ubi quarta acceſſerit ætas,
8. Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque ſonare
9. Compoſitis ſinuetque alterna volumina crurum,
10. Sitque laboranti ſimilis: tum curſibus auras
11. Provocet, ac per aperta volans, (ceu liber habenis)
12. Æquora, vix ſummâ veſtigia ponat arena.
13. Qualis hyperboreis aquilo cum denſus ab oris
Incubuit &c.

Hæc; ut & priora Claudiani mediocri ferè charactere exarata, clarius rem oculis ſubijciunt. Ut verſ. 1. 8 & 9. videaris intueri tolutim incedentem equum, mox verò ſequentibus effuſo curſu volitantem, quod Claudianus ab 8. uſque ad 12. egit. Sed quod dicat *turbare phaleras* nimis eſt minutum, ſequentia ſatis audacia, uti & 9. verſus. Claudianus ad illuſtrandam phraſin, hoc agit, ut tropos rariores inducat. Unde mavult dicere *ungula ſentit arenas* quam tangit: *aurum fumat*, quam ora *veſtis* ſolem combibit quam excipit &c Fateor cum ab animatis ad inanima fit translatio, illuſtrari phraſin, verum, neque in uno ornamenti genere nimium eſſe convenit: neque committendum, ut inconveniens ſit translatio, non enim omne quod rarum eſt illuſtrat, quid enim galea in lepore? Malim audire *aurum fumat* anhelitu, quam *morſibus*: malim dicere *veſtis* colorem aut pluviam *combibit*, quam *ſolem*: licet hæc rariora habeantur. Quantò elegantius in metaphoris ludit Virgilius cum v. 1. dicit, *glomerare ſuperbos greſſus*. v. 9. *ſinuare alterna volumina crurum* v. 10. *curſibus auras provocare*! minus hæc inter doctos rara, quia magis idonea, nec tamen iccirco minus illuſtria,

ſtria, quia aptam comparationem involvunt. quod equi inflexione pedum, & glomerantem fila, & ſuperbe incedentem, & ſinuantem veſtes imitentur; celeritas eorum auræ etiam non immerito conferatur. at quid morſibus cum fumo? quid illuſtratæ à Sole veſti cum bibente? Hæc quia multi parum obſervant, cœcum de Poëtis, uti etiam univerſim de phraſi elegantiaque Romanæ linguæ, judicium, non ingenio & ratione, ſed affectu & naturæ inclinatione abſolvunt. Virgilium plures laudant, quam imitentur. Laudem conſenſus ſapientum extorquet; imitationem privatæ, ſed corruptæ æſtimationis præſcribit autoritas, ac proinde, ut omni familiare eſt vitio, amplectuntur, quod laudare in aliis erubeſcerent. Quare plures hac ætate aut Statii, aut Claudiani imitatores reperies, quam laudatores. Raritatem ad illuſtrandam orationem ſectantur, nec illuſtres denique, nec rari futuri; cum quod frequentari cœpit rarum permanere non poſſit. Hæc iccirco enucleatius diſſero, ut intelliges, quâ cautione ex Poëtis illis, ita legendus ſit probatæ orationis Succus, ut illa quæ crudioris ſaporis ſunt negligantur.

Ut vero magis penetres, quantam Epicum carmen vim in verbis, nunc amœno, nunc horrido, nunc incitato, nunc hærenti numero digeſtis collocet. paucula ex ejuſdem potiſſimum exempli materia adiiciamus.

En ut celeritatem equitis exprimat Maro ut Æneid

— — Volat ecce per hoſtes
Vectus equo ſpumante Sages.
— Converſiſque fugax aufertur habenis *lib.* 1.

Ipſa ſanè carmina numeris volant. Cõtra tardè incedens numeris hæret:

Ergo inter cædes, cedentiaque agmina Tarchon
Fortur equo, variiſque inſtigat vocibus alas. *lib.* 11.

Exultim verò incedentem hoc verſu ibid. adumbrat.

Quadrupedante putrem ſonitu quatit ungula campum.

Magnificè gradientem, & ornatum ſic depingit lib. 5.

— — Quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis, veſtigia primi
Alba pedis, frontemque oſtentans arduus albam.
Et ib. — — juber ordine duci
Inſtratos oſtro alipedes, pictiſque tapetis:
Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent.
Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.

Qui hic atque illic Majeſtatem, in ultimo præſertim verſu expreſſam non intelligit, hebes eſt. Sic gravem concurrentium equitum ruinam pari verborum & numerorum gravitate depingit lib. 11.

> Connixi incurrunt haſtis, primique ruinam
> Dant ſonitu ingenti. præfractaque quadrupedantum
> Pectora pectoribus rumpunt.

Sic alibi neglectis etiam numeris & ſyllabis uſitatis mavult rei, quam carminis dignitati conſulere. ut Ecl. 4.

> Cara Deum Soboles magnum Jovis incrementum

Et Æn. 2. Conſtitit atque oculis Phrygia agmina circumſpexit.

Et alibi Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.

Et Æn. 4. -- Gemituque & femineo ululatu. *Et* procumbit humi bos.

Et alibi. Omnia Mercurio ſimilis vocemque coloremque

Ex his facile obſervabis, quo pacto huic carmini ſua dignitas comparari queat, in verbis, ſententiis, numeriſque: atque eliſionibus etiam ultro accerſendis, producendis, aut contrahendis dictionibus. Quod nos etiam in Sarcotide per varias deſcriptiones variè ſecutos intelliges. De periodorum circumductione, quo maximè carmen Epicum ab alio quovis ſeparatur, non exiſtimem in re ſatis manifeſta, oratione noſtra exempliſque opus eſſe. Nunc cum in ipſis etiam Epicorum carminum generibus diverſis, diverſa ſit ſcribendi ratio, hanc fas non erit negligere.

CAPUT X.

De charactere Eclogæ, Satyræ, panegyris & ſilvarum Epicarum, tum denique Epopœiæ.

QVæ de charactere triplici part. 1. l. 2. tradidi hic ſuppono, non recolo. Vniverſim ſtatuo Eclogam in charactere infimo verſari, ac ruſticam hanc Muſam toto orationis habitu ab Heroica differre iccirco quod illa ad humilium perſonarum genium formata, illarum ſermonem, mores ac indolem appoſitè debeat referre, uti de hac quoque neceſſarium eſſe jam ante tradidimus. Huic nemo peritorum doctrinæ adverſatur, plerique etiam ſentiunt, Virgilium in Eclogis plus nimio cultum, Theocritum

critum in Idylliis apud Græcos propriùs eius Muſæ ingenium repræſentare. De conceptu Eclogæ ſupra actum c. 7. nunc elocutionem ſpectamus.

1. Verba hic erunt communia à ſilvis, agris ac re quavis ruſtica, operumque atque artium inſtrumentis petita. phraſis, ſuis quandoque epithetis à pedeſtri oratione aliquantum deflectens ſed neglecto penè cultu brevis plerumque, at ſimplici magis candore, quam arguto laconiſmo.

Vnde Virgilius licet in Ecloga 1. paulò illuſtrius circumductiuſque loquentem Melibœum principio induxiſſet, tamen ſtatim in Tityro deflectit, nec ſupra Paſtoris repræſentatum ſermonem aſſurgit. Periodi breves, intra duo vel tria carmina plerumque abſolvantur: neque enim vaſto ſpiritu, memoriaque rerum multarum ruſtica gens orationem implet ac proſequitur.

2. Metrum ſit hexametrum purè: nam licet Theocritus alterum quandoque verſum alio inflexerit carminis genere; illud tamen, niſi in cantu, olim uſitato, imitandum non duxerim, neque Maroni id viſum placuiſſe. Numerum verò minimè decet eſſe ſuperbum, qualis Lucani, aut Claudiani; ipſe Virgilius plus æquo in illo gravis habetur, Obſervatum verò gratiam in hoc carmine mereri abſolutum cum verbo, primo loco, dactylum, uti & quarto: modò ne immodicè, hoc præſertim loco id fiat. quod à Theocrito magis, quam Virgilio eſt uſurpatum. eliſiones non magnopere affectat, niſi fortè in res triſtes grandeſque incidat.

Eſt igitur hoc dicendi genus in Epicis, ſive etiam Cyclicis planè infimum, Et poëticum magis conceptu ac numero, quam ſtylo & charactere ſcribendi, quo cum ſoluta oratione non rarò conſpirat. Figuris tamen dicendi diſſidet. Vt minutis repetitionibus *Sic Virgil. Eclog. 1.*

— ipſæ te Tityre pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.

Sed & integri verſus intercalari cantu eleganter repetuntur. ut Eclog. 8.

Incipe Mœnalios mecum mea tibia verſus.

Gratum cumprimis, ſi per inverſionem, ſeu correctionem quadam repetantur. ut Virg. Ecl. 7.

Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo:
Phyllis amat Corylos, illos dum Phyllis amabat;
Nec myrtus vincet Corylos, nec laurea Phœbi.

Et ib. Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis &c
Fraxinus in ſilvis cedet tibi, pinus in hortis.
Et Eclog 7. Pan etiam Arcadiâ mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadiâ dicet, ſe judice victum.

Brevicola item, ac multiplicata ex re ruſtica comparationes gratiam obtinent. ut Virgil. Eclog. 3.

Triſte lupus ſtabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti: nobis Amarillidis iræ.

Et Ecl. 7. Formoſi pecoris cuſtos, formoſior ipſe.

Quæ grata etiam oppoſitione in dialogiſmis Eclogarum ſibi reſpondent:

Sic Ecloga 8 Corydon dicit.

Nerine Galatea thymo mihi dulcior hyblæ,
Candidior cygnis, hederâ formoſior alba.
Reſpondet Thyrſis Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior ruſco, projectâ vilior algâ.

Sententias quoque & adagia ex rebus familiaribus petita amat. Vt Ecl. 3.

—— jungas vulpes, & mulgeat hircos.
Et ib. Latet anguis in herba.

Hæc, aliaque Poëtis bucolicis familiaria, curioſus earum rerum arbiter facilè dijudicabit. Nobis uno etiam exemplo hac in re verſari libuit, in quo plura repetitionum genera huic carmini uſitata licebit agnoſcere, & nonnulla alia, quæ exemplo magis, quam præceptis inculcantur.

Quin tamen nonnunquam in hac poëſi aſſurgere paulò altius liceat, non ibo inficias. ut cum Poeta ipſe ſua in perſona loquitur, licet rem exponat agreſtem. Sermo enim illius etiam de rebus vilioribus cenſetur eſſe gravior. Ita quoque res lugubres, & agitatæ inter ruſticos homines contentiones, graviorem ac magis inflammatam dictionem exigunt.

Satyra Eclogam ſcribendi charactere proximè conſequitur. Verſatur enim in ridiculo potiſſimum, cum proſequatur vitia riſu atque exſibilatione digna: quod rectius urbanis fiet ſalibus, cum Horatio, quam dicaci acrimonia Lucilij, Juvenalis, ac Perſij. At facete urbanus, quam ſi. ſalſius riſus jocuſque, non alio, quam humili ſermone ſpargi dignius poteſt, quis enim aut ampullatâ, obſcuraque Perſij aut culta acrique dicacitate Juvenalis eum è riſum moveat? Propius hoc aſſecutus eſt Horatius vel ipſo Perſio teſte Satyr. 1.

Omne

— Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, & admiſſus circum præcordia ludit,
Callidus excuſſo populum ſuſpendere naſo.

Quod verò ridiculum inprimis ſpectandum duxerit, cauſam ipſe reddit Horatius lib. 1. Satyr, 10.

— Ridiculum acri
Fortius & melius magnas plerumque ſecat res.
Hic ſcripta quibus comœdia priſca viris eſt,
Hoc ſtabant, hoc ſunt imitandi.

Verùm tamen miſcuiſſe invectivas ſuis priſcos Satyris ipſe non negat Horatius lib. 1. Satyr. 4.

Eupolis, atque Cratinus, Ariſtophaneſque Poëtæ,
Atque alij, quorum Comœdia priſca virorum eſt,
Si quis erat dignus deſcribi quod malus, aut fur,
Aut Mœchus foret, aut Sicarius, aut alioqui
Famoſus multâ cum libertate notabant.
Hinc omnis pendet Lucilius.

Hoc poſito controverſiam, quæ hic inter graviſſimos intercedit autores, de ſtylo & charactere hujus orationis, cum alij Iuvenalis, alij Horatij dictionem præferendam cenſent, ita facile abſolvemus; ut ſtatuamus, præcipuas utriuſque in hoc genere ſcribendi virtutes pro argumenti tractandi neceſſitate ſimul ac varietate, relictis ceteris, conſectandas eſſe. Neque enim mordacium facetiarum continuata atque acervata ſeries placere diu poterit, ut proinde invectivæ magiſque ſeriæ reprehenſiones miſceri appoſitè queant, illic præſertim, ubi generatim aperta vitia perſtringuntur. Quod nec ab ipſo Horatio neglectum eſt. In his verò propius aliquantò cum Iuvenale ad Epopœiæ accedere dignitatem quid vetabit? In reliquis verò ubi ſapientum gnomis diſciplinaque virtutum ac ſcelerum deteſtatione per eruditam vatis, tanquam Ethici doctoris, inſtructionem auditor imbuitur, tum deinde in quibus vitiorum fœditas, errorque turpis deridetur, humili atque ad inſtruendum apto ſermone, qui nihil arduum obſcurumque debet continere, recte cum Horatio incedemus. Ita futurum eſt, ut neque protrita nimium vileſcat in poëſi oratio (cujus illa conſtans proprietas eſt, ut illuſtrior ſoluta dictione aſſurgat). neque in Epopœiæ terminos audacius transferatur: cum gratâ ex varietate, mixturâ, quandam inter Eclogæ humilitatem & majeſtatem Epopœia, mediocritatem ſectabitur.

Horatium itaque ante Iuvenalem in eo quidem habeo, quod urbano magis ſale orationem aſperſerit feſtivus deriſor; ſed cum illud non rarò & numero erectiori, & minus etiam protrita (modò tantum perſpicua) phraſi fieri poſſit, cumque etiam ridiculo admiſceri nonnunquam poſſit reprehenſio acrior, Iuvenalem hac in parte Horatio præfero. Perſium licet grato quandoque auribus verborum ſono aſſurgentem, tetricum tamen, ſeverum atque inter obſcuras nebulas latitantem, cenſorem vitiorum ceteris poſthabeo.

Etenim declinandam, & abjectionem nimiam, qualis ſubinde in hoc genere eſt Horatii, &, qualis eſt Perſij tumorem, exemplo primum obvio doceamus. Sic Horat, Sat. 1. vota inania ſectantis carpit.

Cetera de genere hoc (adeo ſunt multa) loquacem
Delaſſare valent Fabium. Ne te morer, audi
Quo rem deducam. Siquis Deus. En ego, dicat
Iam faciam quod vultis; eris tu, qui modo miles,
Mercator, tu conſultus, modo ruſticus, hinc vos,
Vos hinc mutatis diſcedite partibus, eia,
Quid ſtatis? nolint.

Quidquid hic à ſecundo hemiſtichio fluit, juxta ſua inciſa pronuntiatum, vix à ſolo audiente carmen eſſe intelligetur. ita nihil præter orationis ſolutæ ſtylum, etiam in ipſis obſervabile numeris, adfert. Quid igitur pars hæc à liberæ dictionis Satyra diverſum habeat, ut omnino oportebat, nondum ſatis diſpicio. Iuvenalis dixiſſet,

Tanta querelarum moles, ut ſola loquacem
Delaſſare queat Fabium, atque ore catenas
Herculeo auratas dirumpere. Fac age votis
Aſpiret Deus his aliquis. Scenamque theatri
Humanam ſic ex lubitu decernat agendam.
Heus tu perſonam miles depone, phaſelum
Jam ſcandes mercator, & hoc te fenore paſces.
Tu juris modo conſultus, ſis ruris arator,
Proque Stylo ſtivam tractes, Palinure triremi
Diſcedas, & tu Prætor relinque tribunal.
Subula te deceat, ſcutum hunc. quin otyus hinc &
Hinc permutatis diſcedite partibus, eja
Quid ſtatis? Dubiæ ſortis percellet imago

Attonitos

Attonitos, nolint priſcâ ſtatione moveri.

Ita nimirum fecundus ille, phraſi illuſtriori, atque uberiori affluit, digniorque qui hoc in cenſu Poetarum numerum augeat. Quocirca ſi ab altero in hoc ſcribendi genere diſcedendum ſit, meo arbitrio Horatium deſeram; Juvenalem, ſed tamen ab obſcœnitate expurgatum, amplectar.

Hoc Perſius raram obſcuramque multò magis orationem conſectabitur.

Illa querelarum ſcabies multa ora fatiget,
Et Fabij, quamvis fandi prurigine linguam
Ventilet accenſam. Sed enim potiatur amata,
Nec Deus abnutet, votorum pinguia Craſſo. &c

Verum quid meis verbis illius pergo ſcribendi fingere indolem, loquatur ipſe Perſius in ſimili propemodum materia Satyr. 5. de votis mortalium.

Hic ſatur irriguo mavult turgeſcere ſomno,
Hic campo indulget, hunc alea decoquit, ille
In Venerem eſt putris. Sed cum lapidoſa podagra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tum craſſos tranſiſſe dies, lucemque paluſtrem
Et ſibi, jam ſeri, vitam ingemuêre relictam.
At te nocturnis juvat impalleſcere chartis,
Cultor enim juvenem purgatas inſeris aures
Fruge Cleanteâ.

Animadvertis, opinor, quemadmodum Horatij oratio macilento quodam atque exſucco corporis incedat habitu, ut voluptatem quandam ex ridicula rerum deſcriptione captet; contra Perſius turgid[illegible] hanc eandem delectationem ambiat: uterque ille nimis exſucca, hic nimium craſſa oratione tardus. Iuvenalis inter utrumque medius, ipſa dictionis amœnâ agilitate tanquam in ſcena hiſtrio omnem perſonam induit, riſumque majorem [illegible]dientium voluptate perfuſum occupat, cum eleganti oratio[illegible] flore, res quaslibet, vel ornatu ſuo, vel turpitudine ocul[illegible] ſu[illegible] ijciat, ut Poëtam eſſe intelligas.

Rara ubique venatur Perſius & remotè translata, protritum ipſi nimis ſit illud Virgil. Æn. *dulci declinat lumina ſomno.* cum tamen hoc quivis *malit*, quam *turgeſcere*, hoc eſt inflari, *ſomno* Quam remotum eſt, quod ſenis digitos appellet *Veteris ramalia fagi?* hoc tamen cum ex ridicula comparatione gratiam

mereatur, in ſatyris non reprehendo, verum quod male exactum tempus *Craſſos dies, lucemque paluſtrem* nuncupet, craſsè ſatis locutus eſt; neque enim per ſe illud ex metaphora venuſtum, neque ad riſum facete captandum idoneum; quemadmodum & ſequitur videri quibuſdam poterit. *Iuvenum purgatas inſeris aures Fruge Cleantea.* hoc eſt, juvenes ex Cleantis Philoſophiâ inſtruis. Quo loco uti & alijs obſervare licebit in Perſio, raritatis gratia, ſtudium innovandæ phraſis. dicendum enim, auribus fruges inſerit neque *hunc alea decoquit*, ſed hic rem decoquit alea. neque *in Venerem* ſed Venere, *putris*.

Tumorem orationis ridiculum non damnavero illic, ubi res quoque tumida, congruâ dictione exponenda erit. Sic Cornutus Perſij Magiſter aptè principio Satyræ 5. tumorem illi & obſcuritatem exprobrat.

— quantas robuſti carminis offas
Ingeris, ut par ſit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto
Si quibus aut Prognes, aut ſi quibus olla Thyeſtæ
Fervebit, ſæpe inſulſo cænanda Glyconi.
Tu neque anhelanti coquitur dum maſſa camino
Folle premis ventos, nec clauſo murmure raucus.
Neſcio quid tecum grave cornicaris ineptè,
Nec ſclopo tumidas intendis rumpere buccas.

Hoc eſt: *noli tu Perſi tam grandia atque obſcura loqui, qualia Scriptores Tragici de Progne & Thyeſte, de quibus ſat inſulſe Glyco. Non enim trahis folles, aut veluti ſtrangulatam vocem cum cornicibus edis, aut inflato ore prorumpis.*

[illegible] Perſius bonæ Magiſtri correctionem, verum
reipſa non ſatis eſt obſecutus. Nam poſt excitationem cautam in Satyra, quam tumide inter nebulas incedit.

— Ira cadat naſo, rugoſaque ſanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello &c.
Dilvis helleborum, certo compeſcere puncto
Neſcius examen: Vetat hoc natura medendi.
Navim ſi poſcat ſibi peronatus arator,
Luciferi rudis: exclamet Melicerta periſſe
Frontem de rebus. Tibi recto vivere talo
Ars dedit, & veri ſpeciem dignoſcere calles,
Ne qua ſubærato mendoſum tinniat auro.

Meras halat nebulas. hæc loqui magis, quam intelligi voluit.

Ne-

Ne iraſcaris, dum aniles tibi fabulas diſſuadeo. Tu miſces helleborum, neſcius quantum in libra (ad purgationem) adhibere debeas, quod eſt contra medendi artem. ut ſi ruſticus perone calceatus, navarcha eſſe velit, qui nec Luciferi quidem ſtellam norit. hunc enim Melicerta (Deus maris) impudentem eſſe clamat. Tu recto pede incedere & veritatem agnoſcere dedicisti, nequa ſpecies falſi æris ſuo te fallat tinnitu.

Ridebus hic magis ineptiam, quam elegantiam, dum audis *Veteres avias de pulmone revellere, diluere helleborum, Luciferi rudem eſſe, frontem de rebus perire, recto talo vivere &c* ut taceam, neque rem, neque verba apto ſenſu nexuque cohæreſcere.

Quemadmodum tamen in Satyra tropi audaciores, allegoriæ, ironiæ proverbia ab humilioribus plerumque contemptiſque rebus ducta locum in Satyra habeant. p. 1. lib. 2. c. 7. docuimus.

Obſervanda hæc univerſim. 1. Satyram plerumque verba magis abjecta, & ſordida ſectari hinc apri *clunes* facilius quam tergum, *ſumma* quam pinguedinem, *nidorem* potius, quam odorem culinæ dicet, vertice *raſo* malit, quam tonſo. Vide Iuvenal. in fine Satyræ 5. ſono item magis diſſona ſectatur. Vnde *braccas* præ femoralibus, *buccas* præ genis, *Vaccam* præ bove amabit. Ridicula item ſectatur epitheta. Hinc *latrante* ſtomacho, *plorante* gula ib. Iuven. Metaphoræ item delectant, à rebus ſordidis petitæ ut inſulſas *ructare* ex pectore voces. Sic & comparationes à rebus contemptis ducuntur, *Duceris planta* (pedibus extraheris) *velut ictus ab Hercule Cacus* Iuv. ib.

2. Amat hiſtoriolas à perſonis vilioribus petitas, aut ſiquidem ab illuſtrioribus, non tamen illluſtres, ſæpe niſi ad contrariam vitio virtutem probandam adferantur. Hinc Iuven. præter reliqua ibid. ſic canit:

Cras bibet Albanis aliquid de montibus, aut de
Setinis, cujus patriam, titulumque ſenectus
Delevit multâ veteris fuligine teſtæ;
Quale coronati Thraſea Helvidiuſque bibebant
Brutorum & Caſſij natalibus Ipſe capaces
Heliadum cruſtas, & inæquales beryllos
Virro tenet phialas, gemmas ad pocula transfert
A digitis, quas in vaginæ fronte ſolebat,
Ponere Zelotypo juvenis prælatus Hiarbæ,

Tu Beneventani Sutoris nomen habentem
Siccabis calices naſorum quattuor.

Nihil hic obſcurum, niſi ex antiquitatis ignoratione reperitur. Senſus eſt *Cras ex Albani aut Setini montis vino bibes, cuius vas teſtaceum (quo vina condebantur) vetuſtate obliteratum, patriam & titulum vini non amplius præferat. quale Thraſea & Helvidius eius ſocer (in tuenda libertate ſub Nerone, Brutos qui Tarquinium ſuſtulerunt, & Caſſium, qui Cæſarem æmulati) in natalatio feſto biberunt. Virro (dives) in cryſtalla, & phialas beryllos, ac gemmas alias transfert. quas Æneas, Didonem Hiarbæ Regi præripiens, in fronte capuli ferebat: tu ſcitu ex deformi vitio Vatinij ſcurræ (ex ſutrina Beneventana) Neroni grato, quod quatuor anſarum erit, hauries.*

Quanquam verò exempla delectent, non tamen ſuaſerim à tam ignotis peti, ut inter mediocriter etiam doctos, ante bibliothecæ ſcrutandæ ſint, quam ſenſum aſſequaris. hoc enim conatu intercidere gratiam neceſſe eſt. Quare hoc titulo Juvenalis magnam hæc ætate amittit voluptatem, quod abſtruſa non pauca ſui ſeculi vitia congeſſerit, poſteritatis memoriam non habitura. Poëtam non ætati uni, ſed omnibus ſeculis ſervire neceſſe eſt.

3. Figuras grandiores non ambit, minoribus tantum & vibrantioribus dedita. In ijs, ubi mores inſtruit, & generatim caſtigat vitia ſententiarum luminibus gnomiſque inprimis delectatur. Vt Juven. Sat. 14. Satis oſtendit. Minus frequens in his cum ſingulatim errores caſtigat. Hic enim magis hoc agit, ut perſonas ipſas dramaticè, velut in ſcenam agentes producat, eorumque mores ſalſis dicteriis parœmiiſque quandoque perſtringat. Quæ cum utcunque ſcribendi in hoc genere rationem varient exacuantque, quatuor Satyras dedimus, quibus hanc utcunque diſtinctionem, ornatuſque varietatem oculis ſubjecimus, ut infra videbibus.

4. Numerum minus in periodis rotundum quærit. aliquando in medio carminis abrumpitur; interrogatis reſponſionibuſque ſuſpenditur, Eliſione hiat, languidè ſerpit, aut minutim diſſecatur, monaſyllabis in fine tardatur. Verùm hæc, qui omnia temere, & neceſſitate magis, quam virtute metri auſus fuerit, is quod optimum eſt, non aſſequetur. Horatii hac in parte negligentiam imitandam nemini ſuaſerim. Juvenalis nimia eſt rotunditas & Epopœiæ vicina, magis Perſij hac in re varietatem amplector.

Poſt

Poſt Satyras proximum in Epico carmine locum dignitatis aſſequuntur carmina Panegyrica Genethliaca, Epithalamia, votiva, paranetica, & quidquid ejuſcemodi poëmatum extra Epopœiam occurrit in Hexametris, quæ cum graviores rerum permutationes affectuumque impetus rarius complectantur, plerumque mediocri charactere, & florenti quodam orationis genere delectantur. ut mihi quidem Ecloga ruſticorum, Satyra mordacium cauſidicorum, cetera in Epicis poëmata florentium diſertorumque juvenum, Epopœia gravis virorum ſenumque videatur oratio. Quocirca & hanc gravius minuſque exultanter ac floridè, quam Panegyrin ceteraque id genus poëmata neceſſe ac decorum erit incedere, quæ cauſa cur Sarcotiden ego ad Virgilianos numeros propius, Carolinam vero panegyrin propinquius ad metra Claudiani exultantia inflexerim.

Ad hanc verò imitationem facilius præſtandam, cum & phraſin, & numeros, ac horum præcipuè Poëtarum genium, ſuo agnoſcere diſcrimine oporteat, exercitationem quampiam deſcriptæ ad imitationem Araneæ præmiſi, qua illorum ſtylum numeroſque ingenio aptare conatus ſum, ut in eadem veluti tabula ductæ ſingulorum effigies ſuo magis colore & habitu diſcernerentur. quanquam & hoc mihi eveniſſe credibile ſit, quod cum paucula quorundam vitia declinaverim, minus etiam virtutes ſim aſſecutus: cum propria vix eſſe imago poſſit, quæ cuncta non referat. Verùm hoc tam religioſè non egi, quam ut varietatem quandam optimis Poëtis pro rerum affectuumque diverſitate, non negligendam proponerem, A quo ſi non aberrem propoſito, ſcribendi fine non excidi.

CAPUT XI.

De imitandi uſu atque exercitatione tam via reſolutionis, quam compoſitionis.

CVm ad exercitationis ſtudium viamq; ac rationem imitandi (quam in uſu potiſſimam, maximeque expeditam, ars quævis habet) propius acceditur, hæc ante omnia ſe offert quæſtio. Quinam in Epicis imitandi ſint? quod cum abundè ſatis definiviſſe illa, qua præcipuorum Vatum expendi ſtylum diſquiſitione videar, pauca adiicio, neque enim obſcurum eſt, hoc cuique imitandum, quod optimum eſſe convincitur.

Verum tamen ipſa naturæ ingenijque diverſa in diverſis nationbius inclinatio, hoc poſtulare videtur, ut non idem dux ſit omnium. Et ne diverſarum totoque cœlo diſſitarum gentium indolem componam. Inferioris Germaniæ populi non facilè illam Statij gravitatem probabunt, aut etiam aſſequentur; nec contra Bojorum gravitas ad illam ſeſe Ovidij lenitatem facilè inclinabit.

Naturæ ſequitur ſemina quiſque ſuæ.

Hos igitur ſi prompta expeditaque ad hanc in poëſi eloquentiam ducere conſtitueris, noli ad illa primum ſcriptionis exercere prototypa, quæ ab eorum ingenio longiſſimè abſunt, ſed illis primum autoribus exemplisque inſtrue, quibus & natura delectatur, & ars facultaſque non adverſatur. Operæ pretium tamen fuerit, præcipua eorum autorum vitia non minus, quam virtutes obſervaſſe; ut ab illis ad has, quanto poſſunt ſtudio, deflectant, primum enim lanæ colorem tenaciſſimè retinent, & Facilius error vetatur, quam corrigitur Suo quiſque ingenio ſat labis trahet, ut proinde hanc alienis etiam cumulare maculis longè futurum ſit turpius. Alterum eſt, ut poſtquam unius poëtæ genium ſtylumque utcunque eſt aſſecutus, is tum deinde ad illum ſe vertat, quem vel laudatiſſimum, vel iſti proximum docti, ſuffragatione plerorumque Sapientum, habent; atque ex hoc, quæ ſibi vel deeſſe, vel supereſſe prudenter compererit, ſtudioſè caſtiget. Sic Bojus ubi nativam ſuæ gentis gravitatem, pari ex Statio hauſtâ gravitate, ad tumorem, & confragoſum quendam durumque orationis ſonum, alliſam ſenſerit, in Ovidij ſeſe lenem ac melle quodam delibutum ſermonem quanto poterit opere inclinet; Secus Belga, ubi ex illa Ovidij lenitate remiſſum ſeſe, abjectumque nimis eſſe intelliget, ex Statio majeſtatem aliquam illuſtriori orationi induat. Mihi tamen principio Claudiani amœna exultanſque dictio maximè placuit, à qua me deinde magis ars & ratio, quam naturæ impetus ad Ovidium Virgiliumque abſtraxit. Ceterum qui principio ſoli ſeſe Maroni addixerit, ac deinde, ubi firmato ingenio ſtyloque in hoc ſolidè ſubſtiterit, ad alios ſe verterit, quorum ſuis quique dotibus excellunt, ut optima tantum ab eorum poëſi ad imitationem ſuam traducat, rejectis deterioribus; hunc ego facillima ad hujus artis abſolutionem viâ inceſſurum exiſtimo. Quanquam hac ætate novi ſcriptores non deſint, lectu digniſſimi, in quibus Vincentius

Guini-

Guiniſius in Heroica ſua poëſi, aureâ mediocritate leniter profuit, Alexander verò Donatus, Statium propius æmulatus, grandiori quadam verborum pompâ atque apparatu ingreditur. Reliquum eſt ut ipſum imitandi uſum per utramque viam Reſolutionis & compoſitionis proſequar. Eadem hic cum illa, quam in Elegiacis tradidi, methodus tenenda eſt. Primum viæ reſolutionis inſiſtamus.

Exordiamur ab Ecloga 1. Virgilij *Tityre tu patulæ*: cetera iſtic vide ac ſic reſolve. Melibœus loquitur)

Tityre tu ſub patulæ fagi tegmine recubans, ſilveſtrem muſam tenui avena meditaris: nos dulcia patriæ arva, fineſque liquimus, nos fugimus patriam; tu Tityre in umbra lentus formoſam Amaryllida ſilvas doces reſonare, (Tityrus reſpondet) Deus nobis hæc otia ô Melibœe fecit. Namque ille mihi ſemper erit Deus, ſæpè illius aram tener ab ovilibus noſtris agnus imbuet; ille, ut cernis meas errare boves permiſit, & ipſum quæ vellem calamo agreſti ludere:

Hîc ex reſoluta hoc pacto oratione facilius illius naturam doteſque perſpicis. certè tertium aut Hemiſtichium quarti, cum ferè coincidant, rectius alterutrum ſua oratione Maronem eliminaturum fuiſſe intelliges. Nunc quod ad verba phraſinque, præter verſum quartum, humilia ſunt omnia. Prior quidem pars Melibœo propria, aſſurgit ſolutæ orationi nonnihil diſſimilis, ſed poëſi perquam tenui. nam in primo verſu ſolum epithetum *patula* ad *fagum* additur. deinde *tegmine* pro vmbra, minus propriâ ſignificatione adhibetur. Soluta enim oratione rectè dixeris, tu ſub fagi vmbra recubas. Verſus n. 2. phraſi quidem poeticâ eſt, ſignificatione tamẽ vox *avena*, eam tenuẽ relinquit. ita & verſus 3. per dactylum in antepenultimo pede finitum attenuatur. Verſus 4. nihil ab Heroici carminis dignitate alienum continet; niſi, fortè rem ſignificatam. Cetera quæ Tityrus loquitur, proſa nihil grandius ſonant. niſi quod *illius* ſecunda contrahatur, & *aram agnus imbuere* dicatur, libertate in proſa minus uſitata.

Hac reſolutione facilè ad prima carminis hujus principia naturamque penetrabis. Fac pari in Satyris arte id conſequaris. Iuvenalis Satyr 14. Sic de mercatorum navigantium ingenio & fortuna diſſerit

> Curatoris eget, qui navem mercibus implet
> Ad ſummum latus, & tabulâ diſtinguitur unâ.

Cum ſit cauſa mali tanti, & diſcriminis hujus
Conciſum argentum in titulos facieſque minutas.
Occurrunt nubes & fulgura; ſolvite funem
Frumenti dominus clamat, piperiſque coëmptor;
Nil color hic cœli, nil faſcia nigra minatur.
Æſtivum tonat infelix, ac forſitan ipſa
Nocte cadet fractis trabibus, fluctuque premetur
Obrutus, & Zonam lævâ morſuque tenebit.

Qui navem mercibus ad ſummum latus implet (Mercator) & tabula una, à mari & morte) diſtinguitur, Curatoris (amentibus dari ſoliti) eget. Cum tanti mali, hujuſque diſcriminis, argentum in titulos facieſque minutas conciſum cauſa ſit. Occurrunt nubes (fortè) & fulgura; Dominus (tamen) frumenti & coemptor piperis, clamat: funem ſolvite, nil hic cœli color, nil nigra faſcia minatur: æſtivum (tantummodo levi tranſitu) tonat. Ac forſitan infelix, ipsâ nocte, fractis cadet trabibus, & fluctu obrutis premetur, morſuque leva manu Zonam (cum loculis) tenebit.

Orator hic quædam, ut facilè animadvertis, adjiceret; alia etjam detraheret, namque illud, *in titulos facies minutas conciſum eſſe*, parum ad pondus orationis facit; ut & illud, quod *piperis coëmptor* dicatur, nubes verò, *nigra faſcia*. Quæ ut ſatyricis verſibus idonea, ubi ridiculo inſerviunt; ita Heroicæ poeſi minimè conveniunt. Illud verò, quod dicat *zonam læva, & morſu* tenendam malim, *aut morſu* vel *morſuve*. alias enim alterutrum redundat, quanquam & Heroicis indignum videatur.

Ex Heroicis, quæ mediocris ſunt characteris aliqua reſolvamus. ſic Virgilius lib, 3. navigantes deſcribit

1. Tum litore funem
2. Deripere excuſſoſque jubet laxare rudentes.
3. Tendunt vela Noti, fugimus ſpumantibus undis,
4. Quà curſum ventuſque gubernatorque vocabant.
5. In medio apparet fluctu nemoroſa Zacynthos &c.
6. Mox & Leucatæ nimboſa cacumina montis
7. Et formidatus nautis aperitur Apollo &c.

Tum funem deripere litore, & excuſſos rudentes jubet laxare. Noti vela tendunt, & ſpumantibus undis fugimus, quà ventus & gubernator curſum vocabant. Nemoroſa in fluctu medio Zacynthos apparet. ac mox nimboſa Leucatæ montis cacumina, nautiſque formidatus Apollo aperitur.

In 5. & 6. verſu poetica ſunt epitheta, *ſpumantibus* & *nimboſa* phraſis. item tota in 3. & 4. carmine poeſin ſonat, cetera proſæ affinia, niſi quod fluctu pro fluctibus uſurpet. Hanc enim varietatem in phraſi magis amat Virgilius. Claudianus & Statius tropis hanc plerumque orationem extollunt ſtudioſius. Sic ille in tertium Honorij Conſ.

1. ——— Qualis piratica puppis
2. Dum prædam, de more, putat, viduataque cæſis
3. Remigibus, ſciſſis velorum debilis alis,
4. Ora gubernaclis, antennis ſaucia fractis,
5. Ludibrium pelagi vento jactatur & undâ,
6. Vaſtato tandem pœnas luitura profundo.

Quibus reſolutis, invenies in 2. 3. 4. 5. & 6 verſu tranſlata ab animatis ad inanimata epitheta, ut oratio elevetur. Sed de his alibi dictum ſatis. Mallem hoc loco Claudianum in 2. verſu *que* ſuperfluum reſcidiſſe ac tranſtuliſſe in medium, ubi plura diſſoluta tum deinde toto magis orationis habitu aſſurgere: nam *de morte putat* & *debilis alis &c.* phraſi manent exilia.

Iam & compoſitionis via paucis inſiſtamus. Et, ut breviores ſimus, illam ex Iuvenale tranſlatam orationem uſurpemus. Elegiacus ſic loqueretur

Quis furor eſt plenis oneratam merce triremim
Infido nimium credere velle mari?
Vitaque morsque tibi tabulâ diſtinguitur unâ.
Argento debes tanta pericla tuo.
Fulgura contemnit cœcaſque ex nube procellas,
Quem rapit oſtenſi cœca cupido lucri.
Sæpe tamen rapidâ premitur miſer obrutus undâ,
Et cum ſperato fenore vita perit.

Hæc ſi cum ſatyrico genio compones, facilè diverſitatem obſervabis. Cum Heroicis propius quoad loquendi rationem convenient, ſi preſsè (ut quandoque fit) ſine amplificatione ſcribamus. Ita enim loqui licebit.

Quis furor Arctois oneratam mercibus alnum
Vaſto inferre mari? tabulâ diſtingueris unâ,
Mortis ab exitio. Tantorum cauſa malorum
Argenti fulgor lucrique inſana cupido eſt.
Fulgura contemnit cœcaſque ex nube procellas
Frumenti infelix Dominus: qui forſitan iſta
Nocte cadet fractis tabulis, fluctuque premetur
Obrutus, ac rapta vitam cum merce profundet.

Va-

Vnde liquet, quemadmodum tam Elegiaca, quàm Heroica poëſis minutiora quæque ad riſum captandum idonea ſunt, reſcindat. Ceterum ſi piſcatoria aliqua Ecloga inſtituenda ſit, minutæ etiam hæ res locum invenirent ac gratiam. Iam verò & profuſior multò Heroicus ſcriptor, non modò Elegiaco, ſed & Satyrico eſt; ut ex ſupra dictis facilè intelliges. Hic enim verſu 2. maris æſtum fluctuſque magis diſertè exornaret, ut periculorum quandam imaginem, ad navigationem diſſuadendam, oculis ſubijceret, quod tu à Virgilio 5. Æneid copioſius, quam hoc loco neceſſarium ſit, præſtitum invenies. Satis erit, non omnino Bœoto me viam digito magis, quàm præfixo ubique gradu, deſignaſſe. Quod ſi tamen aſſurgere magis ſcribendo ad Heroicam majeſtatem lubeat, ſic loqui in propoſito exemplo licebit.

Quis furor Arctoas Indòrum merce carinas
Adverſum Boreæ furias, tumidique frementis
Oceani motus paſſis effundere velis?
Vita natans pelago, tabulâ diſpeſcitur unâ,
Horrendæ exitio mortis, pendetque ſub aurâ
Velivolâ dubiæ ſtulta inconſtantia ſortis.
Improbus argenti fulgor radiantis, amantem
Obliquare oculum, mentemque in devia raptam
Incantare potens, turpiſque inſania lucri
Lubrica nutantûm ſuadent diſcrimina rerum.
Æoliæ inſurgant acies, & aquoſus Orion
Deſpuat auſtrali furibundas ore procellas
Et ſimul Ætnæis Brontes Steropeſque caminis
Horrida deſudent irato fulmina cœlo.
Negliget impavidus &c.

Nimirum grandioribus paſſim vocalibus, frequentioribus epithetis, iiſque rarioribus, alluſionibus ad fabulas, hiſtorias, peregrinas gentes ac loca, tropis crebrioribus verbiſque ac phraſibus minus uſitatis grandeſcit oratio, ut dictum doctumque alibi fuſius. Vis etiam vitioſæ orationis habitum elata nimium aut etiam abjecta dictione exprimamus? Age ſic loquamur, non tamen ad invitationem, ſed cautelam imitatoris vatis.

1. Inſanum! Arctoas nimis imprægnare carinas
2. Merce Travancoricâ, tumidaſque rapacibus undis
3. Immerſare rates, Erinnyas æquore vaſto

4. Bac-

4. Bacchantes ventorum æſtro fremituque profundi
5. Auſibus irritare novis væcordia cordis,
6. Et mentis dementis opus, ſic prodere vitam,
7. Suſpenſam è tabulâ juxta confinia mortis.
8. Illætabilium ſunt incentiva malorum
9. Argentique aurique decus quod ſtringit ocellos,
10. Et prudens animos hamatâ eſt fraude tenere.

Major inſania eſt hæc loqui, quàm agere. nam primi 4. verſus frigidè intumeſcunt, ceteri inepto aut luſu, aut abjectione viloſcunt. Rudioribus tamen fortaſſe hic verborum troporumque luſus non diſplicebit Sed expendamus obiter. In 1. verſ. carinas *impragnare* quàm rara tam inſulſa eſt translatio, à re parum illuſtri ad grandem. 2. verſ. epithetum *Travancorica* ab Indiæ regno Travancore grandius, quàm celebrius eſt. verſ. 3. nec *immerſare*, pro immittere nec *Erinnyas* pro furijs *aptè* hoc loco uſurpatur. Verſ 4. nec *bacch ntes*, nec *aſtro* appoſitè ad ventorum Erinnyas transferuntur. Sic verſ. 7 inſolens eſt phraſis. verſ. 8. longa tantùm ſine virtute verba. verſ. 10. præter inſolentiam elocutionis *fraus hamata*, metaphorâ ingratâ dicitur. Ceterum luſus ille vocum conſonus. Verſ. 5. & 6. parum in re præſenti. placet neq; *auſus novi* rectè feruntur. Verſ. 9. tenue nimium eſt *decus ocellos ſtringere*, ut verſ. 10. tenere. Ex quibus facilè liquet, quanta circumſpectione ac delectu ad purgatum abſolutumque carmen opus ſit.

PALÆ-

PALÆSTRÆ ELOQUENTIÆ LIGATÆ HEROICA

POEMATA PRÆCIPVORVM generum

AVTORE

R.P. JACOBO MASENIO è SOCIETATE JESU.

AMICE LECTOR.

QVod in Elegiaca poeſi à nobis actum, ut ne idem ubiq; elocutionis emineret genius, ſed pro rerum varietate varius;id non minus in Hexametris verſibus neceſſarium duximus. Vniversè quidem hæc poemata ſuó cum numero, tum rerum ferè pondere graviora ſunt, verùm & loquendi grata varietas,& perſonarum conditio,& momenta cauſarum,& affectuum viciſſitudo non unum ubique colorem admittunt. Si Statius nonnunquam gravitatis,& Claudianus numerorum obliviſci potuiſſent, plus apud poſteros laudis poſſiderent, nunc virtutes has ſine vitijs non obtinent,ipſa ornamentorum copiâ preſſi.

Mediam,quantum per ingenium licet,viam tentabimus, in rebus humilioribus,ut ſunt Eclogæ, humiles erimus numeris, etiam ruſticè quandoque languidis. in Satyris paulò aſperiores gravioreſque, in panegyri ad laudes comparata, medio ſtylo efflorentes,& numeris ad Claudiani ingenium rotundius, lætiuſque, per acutas vibrataſque ſententias,excultis:(quis enim tetricâ fronte encomiaſten agat?)denique in Sarcotide,ſeu lapſu humanæ naturæ graviori Stylo, numeroque ſeveriore, ac nonnunquam aſperius hærente; ut in re mœſtâ,tardiores incedemus.eâ tamen lege,ut ubi rerum varietas,& prolixius inſertæ florentium rerum deſcriptiones tulerint, ſimul ipſa lætius efferatur oratio,rurſum inter ardua futura tardior, inter declivia remiſſior.

Quæ cauſa,cur & poſtea, in una Tibi Araneæ deſcriptione, (præter nobile fingendi in rebus ignobilibus ex Ovidio exemplum)quatuor præcipuorum Poetarum in ea Stylum ſcribendique diverſitatem utcunq; oculis junctim ſubijcere voluerim.

ECLOGA. NARCISSUS.

Puero IESV ab Innocentum clade ſubducto
Paſtores,muneribus,& carminibus gratulantur.

MELIBOEUS, & ÆGLON.

DVcebant per rura gregem Melibœus & Æglon,
Alter oves,& lactentes ſub matribus agnos;
Alter rure capras paſcebat:uterque canendi
Artifices, dulces inflabant ore cicutas
Alterniſque ſuos memorabant verſibus ignes.
Incipe tu Melibœe prior,certabimus ambo

Alter

(Alter ait) quis Narciſſi mereatur amores,
Melib. Accipe parvè puer, blandum mea munera carmen
Cedrus in arboribus; Libani ſublimior extat,
1. Et roſa Pæſtanis fragrat ſuaviſſima campis,
Narciſſus ſuperat. Cedris excelſior ille eſt,
Suavior ille roſis. Violæ ſpectantur odore,
Lilia pulchra colore placent, & mella ſapore.
Pulchrior his noſter Narciſſus, dulcior his eſt,
Vitis habet botros, Narciſſus mitior his eſt.
Poma dat autumnus; Narciſſus gratior his eſt,
Paſcite nunc teneræ, nova gramina paſcite, capræ.
Ægl. Accipe parve puer tenui cum carmine munus.
Eſt mihi namque gemens, blando cum compare turtur,
2. Quos nuper tectis ſilvarum mater in antris
Excluſit viridis recubans ſub tegmine frondis.
Horrida tempeſtas ſilvas cùm fortè minores
Sternebat vertens teneris cunabula pullis,
Has ego tunc miſeratus aves (nam cerno trementes
Et matrem juxtà mœſtâ cum voce gementem)
Accipio, calidoque ſinu ſubduco fovendas.
Implumis perijt reliquarum turba volucrum,
Has ego ſervavi geminas: Narciſſus habebit.
Accipe parve puer tenui cum carmine munus.
3. *Melib.* Tantùm carmen habet pauper Melibœus; at Æglon
Munera, carminibus tantùm certabit uterque.
Accipe parve puer blandum, mea carmina, munus.
Tu mihi turtur eris, mœſtâ tu voce gemebas,
Horrida tempeſtas cunas dum verteret omnes
Infantûm, & Regis gladius ſæviſſet iniqui,
Crudelis gladius, crudelia funera portans.
Hanc Pater, & matres orbæ flevêre procellam;
Flevit ager, mœſtæ flevêrunt funera ſilvæ.
Vos teſtes valles Solymeæ, voſque myricæ
4. Quæque ſcelus ſervat de ſanguine decolor unda.
Vidi ego cùm tenerum mater premit ore puellum.
Atque ulnas inter condit, gremiumque paternum,
Hoſtibus obluctans nequicquam, & ſidera clamans,
Quæ tamen avertant miſerantia ſidera crimen.
Sed te Miliacus trepidantem exceperat hoſpes
In gremio, dives pecorum, nec avarus Amyntas.

Ille

Ille tibi latebras oſtendit;cùmque ſitires,
Ille tibi mulſit capras lac ſæpe bibiſti.
Paſcite nunc teneræ nova gramina,paſcite,capræ.
5. *Æglon.* Quod ſi præ mœſto tibi turture fortè columba,
Blande puer,placeat:par eſt mihi dulce volucrum,
Manſuetum genus,& niveis per amabile plumis,
Pulchra corona caput cingit,variumque notarunt
Sanguineæ pectus maculæ,nil blandius illis.
Nec pecudes metuunt,has inter pabula carpunt.
Et medijs ſtabulis,medijs præſepibus errant.
Nil etiam metuunt homines:hos leniter alis
Verrunt,& manibus vix ſe ſubducere norunt.
Heu!metuo,nequis volucres immitior hoſtis
6. Illa queet,pereantque,inſons mea turba,columbæ.
Accipe parve puer tenui cum carmine munus.
Meli O tu parve columbule, mi Narciſſe,meorum
Vltimus & primus,canimus quos ſemper,amorum,
Mitior in cunctis tu diceris eſſe columbis.
Pro niveis veſtit plumis tua pectora candor.
Eſt nive candidior vultus,ſunt lactea colla,
Vt roſa purpureis vernant tua tempora malis.
Si qua tuo capiti maneat texenda corona,
Hæc quoque detractis roſa ſit pulcherrima ſpinis.
7. O tu parve columbule,mi Narciſſe,meum cor.
Te pecorum quoque tangit amor,præſepia vix dum
Nactus adhuc fœnumque puer tractaſſe putaris,
Fœnum quod bobus poſitum,quodque eſſet aſellis.
Tu pecus,& te te pecudes foviſſe feruntur.
Paſcite nunc teneræ nova gramina,paſcite capræ.
Æglon Eſt Gallina mihi pullorum ſedula nutrix,
Attamen infelix mater;nam perdidit omnes.
Non cortes potuere ſuos defendere pullos,
Non Gallina parens.Quicquid vix prodijt ovo,
Vixque minurire,aut primas effingere voces
Noverat,hoc volucrum raptoribus vnguibus hæſit.
Vnus de ſeptem ſupereſt modò pullus,habebis
Hunc dono Narciſſe;rapax nam cetera Milvus
Abſtulit,& teneras laceravit prædo volucres.
Adjungam matrem:nihil illâ blandius uſquam,
Seu pullum acceſſens vocitet,ſeu præbeat eſcam

Vena-

Venatrix,paſſis tremulum ſeu colligat alis;
His latuit,fratrum cùm cetera turba periret.
Nondum carmen adhuc,diſtinguere tempora nondum
9. Scit ſatis,addiſcit nunc prima elementa canendi.
Hunc Narciſſe tibi,niſi munera ſpernis,habeto.
Melib. Parve puer blandæ ſoboles,ac gaudia Matris
Solus & in pullis Gallinæ filius albæ.
Baſia mille tibi mater dat,baſia reddis,
Mille tuæ Matri; tenerumque fovetis amorem.
Diceris & Matri,puer optimè,& unice;Mater
Optima,& una parens tibi;ſic certatis uterque;
Victori centum victus demum oſcula ſolvit.
Vt gallina ſuos pullos amplectitur alis,
10.Et tenerum delibat apis per paſcua florem,
Sic Matris latet ille ſinu,ſic baſia captat
Non timet hic milvos torvis licet vnguibus acres,
Infeſtos nimium milvos,qui nuper in agris
Bethlemicis ſævam latè fecêre ruinam.
Narciſſus ſupereſt,Narciſſum Mater amavit,
Abſtulit hunc gremio,tutiſque recondidit antris.
Hic latuit,noſtris ſervatus amoribus,infans.
Paſcite nunc teneræ nova gramina,paſcite,capræ.
Ægl. Lacteus & parvo vixdum digreſſus ovili
11.Eſt agnus mihi,jam primas lanugine malas
Veſtit,& in gregibus didicit diſtinguere matrem,
Cum vocat è ſtabulo tenerum balatibus agnum,
Si taceat,quæſita tamen non fallit odore:
Vellere quin etiam niveo,quo matribus una
Omnibus anteijt formoſior,agnita ſæpe eſt,
Non hæc lactenti ſua denegat ubera nato,
Quæque dedit mater,non hic delata recuſat.
Non ovum ſimile eſt magis ovo,cygnus olori
Lac lacti niveæ proles quàm candida matri.
12.Vnica ſanguineo pectus juvenile colore
Diſtinguit nota,portendens quid neſcio fati
Heu metuo crudele lupos genus omnia nuper
Vaſtarunt latè, balatibus omnia circum
Implerunt matrum,raptos per ovilia natos
Dum quærunt,fruſtraque extendunt ubera lacte.
Hos Lupus acer habet;reliquus mihi ſufficit agnus.

Hun

Hunc Narciſſe feres dono; nam cetera deſunt.
Accipe parve puer, tenui cum carmine, munus.
Melib. Munera ſi deſunt, non deſunt carmina nobis,
Carmina, queîs teneros per paſcua ducimus agnos:
13. Agnus eris Narciſſe mihi, tibi carmen avena
Noſtra canet, blandæ ſi deſunt forte cicutæ,
Materies mihi ſemper eris, formoſior agno es,
Ille licet niveas vincat candore pruinas:
Alba liguſtra quidem, ſunt lilia candida, nix eſt
Candida; candidior tamen his Narciſſus amatur.
Candidus ille puer, puero eſt quoque candida Mater.
Melleus ille puer, puero eſt quoque mellea Mater.
O nimium dilecte puer, dilectaque Mater!

AMICE LECTOR.

Quatuor hoc loco Satyras dedimus, genere ſcribendi nonnihil diverſas. Priores enim duæ in excolendis univerſim hominum moribus verſantur. Unde ad docendum magis compoſitæ, Stylo aliquantùm humiliori incedunt, ſententiarumq; abundant luminibus, quarum ad inſtruendum generatim uſus hoc loco, & opportunior reperitur, & gratior. Conceptibus tamen inter ſe altera ab altera diſſidet, cùm ſecunda ironicè opes extollat, quarum ſtudium prima ſeriò damnavit; quod concipiendi genus, magis ad ſalsè irridendum eſt comparatum.

Aliæ duæ Satyræ ad particularium hominum errores, magis uſitata ſatyrographis concipiendi ſcribendique ratione, deſcendunt. quæ lumina ſententiarum, ab univerſalibus rebus petenda, parcius admittunt; ſed ridiculo ex moribus captando aptiores ſunt; quod in particulari hominum aberratione ferè reperitur, præſertim ſi levioribus vitijs conjuncta fuerit; cùm graviora flagitia indignationem potiùs ſeriam requirant. unde quarta noſtra Satyra materiam huic ſcriptionis generi maximè idoneam complexa eſt Styli etiam gravitate, quæ tum par eſt, in hujus exercitationis palæſtra enititur; in qua neq; ad Eclogæ humilitatem dejicienda prorſus oratio, neque ad Epopœjæ majeſtatem eſt extollenda. Cetera quæ ad hanc poeſin ſpectant, tibi ex ſupra traditis erunt repetenda.

Satyra I.

In noxium mortalibus divitiarum ſtudium, & paupertatis contemptum.

Centum Oratores rauco clamore fatiſcent.
14. Si vecors auri ſtudium damnare laborent.
Sed tamen eſt contra duratâ voce tonandum, &
Archilochi, aut Flacci res traducenda cachinno.
Fortè lycambæis ſalibus conſperſus, & acri
Lixivio vatum cantus, purgatior eſſe
Moribus incipiet nonnemo. cui melior mens,
Ebria nec ratio ſubmerſa cupidine rerum eſt.
Quem pudor & virtus minus urgent, ſubditus auro *Divitiæ*
Vivet. ad audaces fatuoſque opulentia ſpectat. *infa-*
Stultorum hi tantum ſapiunt, poſtquam horrea complent *tuant.*
15. Frugibus, & Lydo ciſtæ complentur ab auro.
Ipſe Mydas, fulvo quamvis cingatur Hydaſpi,
Auriculæ oſtendent Dominum. plerumque laborat
Senſu, qui locuples cenſu eſt. Portator Aſellus.
Sæpè peregrina clitellas merce gravatus
Non fruitur gazis; ſatis illi eſt carduus aſper,
Et mordax lolium, aut cum pondere venter inanis.
Omnia qui ſecum, ritu cochleæ ſua portant, *Paupertas*
Multorum inſidijs tuti quacumque vagantur. *tuta eſt &*
Gratius eſt ſufferre parum: ne forte laborent *onus leve.*
16. Imbelles humeri, manifeſtum ſemper onus ſunt
Argentumque aurumque premunt quemcumque ferentem.
Et fortem enervant animum; robuſtior ille eſt
Qui paupertatem curvâ cervice recepit,
Quoque minus portat, magis hoc eſt fortis egeſtas.
Magnum onus & nullum eſt. gravat hoc ſine pondere multos
Et multos levat, alarum ceu remige, vectos.
Hæc levius fertur, quæ ſemper fertur egeſtas.
Inter opes nutritus, opum damnum magis horret.
Qui callum obduxit tam paupertatis amicus,
17. Hic minus adverſæ præfert incommoda Sortis.
Aſpera nos uſus docuit lenire ferendo.

Servit

Servit egeſtati nemo, nec ſervit egeſtas,
Sufficit ipſa ſibi. quivis conferre tributum
Huic debet, ſimile hoc magnis habet illa Tyrannis.
Nullus opum Dominus, qui non famuletur iiſdem, *Divitiæ*
Algeat aut ſudet cœlo vexatus iniquo. *opprimunt*
Nec malè turbato toleret phantaſmata ſomno. *Dominum*
Sæpe umbras patitur curarum; ſæpe latronum, *curis & la-*
18. Aut furum inſidias metuit. Quicumque comati *boribus.*
Incedunt, facilem præbent luctantibus anſam.
Eſt aurum tantum ſpolium, quod fortior aufert.
Hinc ſibi vectigal Reges, hinc præmia ſervus
Demetit, hinc alimenta domus, prædamque cohortes
Hinc avidâ reliquum inſomnis ſpe devorat hæres.
Turgidus ut Phrygia devolvitur Hermus arena,
Sic volvuntur opes: te præterlabitur unda,
Quæ captes hauſtro tua ſunt. at cetera rurſum
Oceanum repetunt: ſolo res omnis in uſu eſt, *Divitiæ,*
19. Momento ſervit, momento deperit. Ipſas, *quæ ad ne-*
Si minus utaris, teret ædes ſola vetuſtas. *ceſſarium*
Saxea Mauſolea jacent. Scaurique columnæ. *uſum cor-*
Præcipuum eſt corpus, ſtomachiq; lacuna vacãtis *poris non*
Cui ſervire queat quidquid corraſeris auri. *ſunt inuti-*
Omnia Pygmaleon congeſſit; ſed tamen unam *les.*
Corporis ad navem ſpectarunt hæc onerandam.
Veſtis ei Attalica, & curata cuticula, totum.
Iſta ſaburra fuit, parvæque apluſtria navis,
Quam demum ſtygijs mors fractam abſorbuit undis,
20. Innocuos multos paupertas præſtat, & omnem *Paupertas*
Præcludit ſcelerum foſſam. Non eſſet adulter *multos in-*
Abſque auro Phrygius juvenis, Laiſque metallo *noxios præ-*
Nuda, Corinthiacum damnaſſet fortè lupanar. *ſtat, aurum*
Sæpe bonis caruiſſe bonum eſt, niſi Jupiter auro *corrumpit.*
Immixtus plueret, Danaen modò fabula vatum
Non caneret, mores aurum corrumpit honeſtos.
Ferrea poſt aurum cœperunt ſæcula. Dives
Qui nunquam mendax fallat, perjuria nunquam
Evomat infelix, hic corvo eſt rarior albo.
21. Fallaces libræ, fallax menſura, colorque
Fucatus rerum, merx putrida, ficta metalla.
Fucum homines vultu, fucum ſermone loquuntur.

Difficilis res eſt probitas ubi prævalet aurum; *Difficulter*
Quantumvis vigiles animi perrumpet in arcem *opes cum*
Et virtutis aget prædas. Rariſſima dos eſt *virtute*
Virtus cum nummis: Vel avarus habebere multis, *iunguntur.*
Si parcas; ſi non parcas, tibi luxus in ædes
Luxurieſque affine malum penetrabit, & audax
Ambitio, vaniſque elata ſuperbia criſtis.
22. Ambiguæ res ſemper opes: Onus has & habere eſt,
Et nec habere onus eſt. Niſi quid numeraveris in re,
Nullo eris in numero. Recto laudaberis uſu.
Hunc quicumque tenet, tenet omnia; quiſquis eundem
Amiſit, medio pauper vileſcet in auro.
Nunquam animi ſordes fulvo illuſtrabit ab ære.
Si tibi ſementis parva eſu, confide Tonanti *Deo confi-*
Hic tibi multiplici cumulabit fenore plauſtrum, *denti nil*
Cum levis implebit reliquorum urtica maniplos. *deerit.*
Vivo tibi ac loculos noli impinguare Nepotum: *Stultus eſt,*
23. Eſſe probos malis, quàm lautos. Stultitia hæc eſt, *qui pro Po-*
Atque inſanus amor Patrum, tranſcribere averno *ſteris opes*
Infelicem animam, nati ut diteſcere poſſint. *corradit.*
Ah quanto eſt ſatius lacero ſi mantica tergo
Pendeat, & ſtomachum latrantem mucida farris
Cruſtula componat! Melior dos ſæpe nepotum eſt
Paupertas, quàm divitiæ. Corrumpere multos
Vidimus has; illam vix accuſare licebit.
Multa fames docuit, moderatrix gnara, Cleantē. *Paupertas*
Quæ plenus venter paraſiti, quæque Nerones *multa ſuos*
24. Delicias inter rerum neſcire coacti. *bona docet,*
Si quiſquam ſtertat, paupertas vellicat aurem, *ut vitare*
Evigilare jubet ronchoſque abrumpit inertes. *otia, luxum*
Hæc pigrum ad curvos humerum durare labores, *ſuperbiam.*
Hæc docet obſonare famem, cum nauſea vexat *&c.*
Heſternâ ventrem ingluvie, gratamque palato.
Hæc Bambergiacum facit offam implere catinum.
Si tibi luxuries, luxuſque infamis in ædes
Irrumpat. contra paupertas ſedula cuſtos,
Ceu clypeum, obtendit fumoſi rudera muri.
25. Si tumidè inſurgat criſtata ſuperbia, lappas
Obijcit, ac fœdis linit obſita fæcibus ora,
Et fuligineum cerdonum opponit odorem.

Non

a Non tamen abjectas faſtidit gloria mandras
Hanc etiam Upilio Ieſſæjus; hanc & Agaſo
Beniamita tulit. Manibus quibus ille flagellum,
Iſte pedum tulerat, ſceptrum tractaſſe ſtupemus.
Pauper erat Chreſtus b magnas dũ rexit Athenas,
Non metuendus opum vi, ſed virtute Tyrannos
Subdere Romanæ fecit ſua colla ſecuri,
26. Accinctus gladio Curius; ſed nudus ab auro.
Fabricius Pyrrhi gemmas metuebat & aurum,
Non timuit ferrum, ſprevit, quem vincere poſſet.
Fortibus Æmilium quiſquamve ignorat in armis?
Fortior ille tamen, neglecto creditur auro.
Qui tenuis, quondam ſtivam verſabat aratri
Serranus, potuit Dictator condere leges.
Et juga, quæ bobus detraxerat, Auſonidum illa
c Cervices ſuper impoſuit. Si pinguior auges
Et res & ventrem, ſi quantum milvus oberret.
27. Demetis agrorum, non aſpernére minores,
Qui vix terna ſecant macilentis jugera bobus.
Cras tibi fortè ſeges lapidoſâ grandine ſtrata
Procumbet, cras tempeſtas ſuper horrea forſan
Ingruet, & partum conſumet fulmine fenus.

a Multi Pauperes ob virtutem honorati.

b *Phocion, ita ob frugalitatem dictus.*

c *Non igitur deſpiciendi Pauperes.*

SATYRA II.

In nimiam opum cupiditatem.

QVid mihi Socratica tunicatum ex claſſe Magiſtrum
d Obijcis, aut tabula nudum fluitante Biantem?
Omnia qui ſecum portant, Cumis nec aſellum
Invenient, à quo portentur. Nempe pedeſtris
Militiæ tantum turmas conſcribit egeſtas.
28. Chryſogonos laudo, meminit quos Tullius olim
Syllæ opibus fruitos, libertatemque ſecutos.
Rideo Democritos, & quoſlibet Abderitas,
Munera Sardöo natos perſtringere riſu,
Quæ Divûm largo diffundit copia cornu.
Res rara eſt hilaris paupertas. pluribus illa
Formidanda magis, quàm tartara nigra videntur.
Luſtrali pellunt multi cacodæmona fonte,
Sed Paupertatem, vix ulla piacula tollunt.

d *Paupertas apud omnes contemnitur; divitiæ æſtimantur.*

Hos etiam invenias auro qui ſidera vendant.
29. Qui tetro malunt animam debere baratro,
Quàm debere homini. Paſſim modò quæritur aurum
In ſicco ac udo, remis ſimul atque quadrigis.
Sub clypeis aurum, ſub papilionibus aurum
Quæritur, ex raſtris aurum caſtriſque vovemus.
Hac ſpe ſceptra Nero tenuit, Corydonque ligonem.
Rari qui prorſus norint contemnere. Nulli
Sunt Heracliti tunc quando obtruditur aurum.
Diluvium ſi quæ tempeſtas advehat, ille *Pauperes*
Qui gravis eſt auro facilè enatat; at cui ſæpe *facilè à*
30. Res pauma eſt levior primus ſubmergitur undis. *Magnati-*
Sublevat auri onus, at qui nil habet, ille gravatur. *bus ab aula*
Omnia egeſtati deſunt, clauſæ undique valvæ *& aquitate*
Dum rogat auxilium. Clauſæ ſunt judicis aures *excludun-*
Cum Themidem implorat: ſolum panduntur ad *tur, niſi*
aurum. *munera*
Dum loculis ſtreperũ dedit icta pecunia plauſum, *adferant.*
Tunc aulæ ac aures reſerantur. ubi affer avara,
Affer hirudo, canit, cui muſica diſplicet, ille
Ante fores vigilet, Craſſis intrare licebit.
Sed tamen ut Corydon ſubeat quandoque neceſſe eſt,
31. Et paupertati decerpat poma. Coloſtrum,
Caſeus & pinguis cenſum farcimen omaſi,
Quæque ſuum debent vectigal. Scilicet hædi *A Pauperi-*
Ruricolûm in caulis tantùm paſcuntur, in aulis *bus parcè*
Hi Dominos paſcunt. Meleagrides atque capellas *viventibus*
Alter alit, fruiturque alius, vix ſigmate parvo *lautè Divi-*
Coctum olus agricolæ, & Succidia rancida lardi, *tes aluntur.*
Aut quæ fumoſo detracta eſt perna camino,
Ponitur, hæc menſa eſt genialis tota diei
Quod tantos Cræſi includant æraria cenſus,
32. Hoc debent Codris. Alitur modo dives egeno.
Ille metit, ferit hic. Qui mollia ſerica texunt
Et Tyrio ſuccos ſpargunt in vellera fuco,
Cannabeo incedunt tecti velamine lumbos.
Nulla ſalus inopi Plutum te poſcimus omnes. *Ipſi paupe-*
Divitiæ regnant, multis laudatur egeſtas, *res & con-*
Appetitur paucis, ſpretum licet itur ad aurum. *temptores*

Invideant quamvis ſuperi, Dea nulla per orbem
Tam calidis colitur, quam diva Pecunia, votis.
Huic vacuas pauper ſupplex extendere dextras
33. Cernitur, & petaſum, nudato vertice, inanem.
Supplicat huic dives, quamvis turgente crumena,
Et gravis incedat decumani abdomine ventris.
Primus hic auditur. Cæcutit Plutus, ad ædes
Magnatûm offendit celſas, tranſitque mapale
Stramineum, ac humiles congeſtas ceſpite caulas.
Divitibus donantur opes. Dum munera ſpargit,
Poſtremi accipiunt inopes. Seſtertius Iro
Sufficit, at lauti rapiunt Seſtertia Craſſi,
Nec pennata caſis affixa eſt gloria, ſummis
34. Hæc locat in tectis, velut alba ciconia, nidum.
Deſpiciens tuguri carioſa tigilla ruentis.
Quiſquis inops idem vileſcit; quiſquis abundat,
Noſcitur, & digitis vulgi monſtrantibus, audit,
Hic eſt, hunc nudo venereris, Marce, capillo.
Hunc curvis genibus flexâ cervice ſalutes.
Dum loquitur, ſileas, & dum ſternutat honores.
Conſequere à tergo, nummos habet, aureus eſt vir.
Antiquis à Torquatis ab origine cenſet
Ter centum proavos. auditur hiante Senatu,
35. Et reliquum pando vulgus rapit ore loquentem.
Scilicet auditum clavis facilè aurea pandit.
Præconum quamvis certet clamore Menalcas,
Vix ullam impellat, reſeratis poſtibus, aurem;
Quamvis pelle Jovis, cedroque notanda loquatur.
Momentum ac pondus verbis accedit ab auro,
Delphicaque effundit quivis oracula dives
Ex tripode eſt, quamquam frigus boreale loquendo
Afflet, & attexat viles, ut aranea, telas.
Aurea ſunt, quæcumque auro tangente linuntur.
36 Hic procerum affrictu magnes opera omnia tangit.
Sis ovis ipſe licet; dum ſis Athamante creatus,
Velleris aurati poſſeſſor habebere Phryxus.
Si tibi fama deeſt, auro mercabere famam.
Si virtus, aurum pluris modò vænit. Amicos
Quæris? amicitiæ vinclum procuditur auro.

divitiarum, ad opes aſpirant. Opes divitibus potius dantur, quam pauperibus.

Honor non Pauperibus, ſed Divitibus confertur.

Divites præ Pauperibus auſcultantur.

Fama, virtus nobilitas, for-

Nobilitas auro, ſapientia penditur auro.
Hoc ſine nec ſapiens quiſquam eſt, nec ſtemmata proſunt.
Omnia ſi perdas, aurum ſervare memento,
Et nihil amiſſum eſt; concedunt omnia Pluto.

ma, dignitates, connubia, fides ex opibus penſantur.

37. In pretio pretium eſt, Huic ipſa meretur honeſtas.
Sit tibi Therſites genitor, fraterque Thyeſtes
Sit Medea ſoror, nec ſit tibi gratia linguæ,
Nec vultus, mens ipſa etiam delira vacillet:
Et præſtans, & pulcher eris, ſi fulſeris auro.
Sit Pater Æneas, frater formoſus Iulus,
Ipſa Venus genitrix: niſi commenderis ab auro,
Et vanos titulos, & nomen inane dolebis.
Curia divitibus patet, obfirmatur egenis:
Eſt locus ante fores Codro, ſit Craſſus in aula.

38. Siqua vacet ſedes, ſi quem fortuna ſenatum
Poſtulet expleri, ſi quis tibi teſtis habendus,
Siqua tuis thalamis conſors jungenda rogetur,
„ *Protinus ad cenſum, de moribus ultima fiet*
Quaſtio, ad arbitrium cenſus ſententia fertur.
„ *Quantùm quiſque ſua nummorum poſſidet arca,*
„ *Tantùm habet & fidei*, formæque & honoris & æqui.
Pluto paret Amor: placet amplâ dote Megæra.
Pluto paret Honor: primas tenet Euclio ſedes.
Paret & ipſa fides; nulli modo creditur Iro,
39 Iurato licet, ac teſtanti ſacra Deoſque.
Quid facimus Polycarpe? nimis tibi ſordet egeſtas.
Et pretio pretium reliquis accedere rebus
Cum populo cenſes. Audi vulgariter hoc eſt
Fari: barbatos decet hic audire Magiſtros,
Et ſub Apoſtolico caput inclinare Senatu.
Dolioli unius Cynicus quod ſuaſerat hoſpes,
Allatrator opum, cui pera ſat ampla ſupellex
Vna fuit, Piſcatorum ſchola porrò ſecuta eſt,
Denique mille alij Chriſto duce. Quod tibi promā

Sapientes tamen, Apoſtoli & Chriſtus audiendi potius ſunt, qui paupertatem opibus præferunt.

40. Conſilium melius? vin' his ſapientior eſſe?
Ille cui ex cœlo quondam ſapientia nupſit
Rector Idumæus, quo non opulentior alter,

Argen-

Argentumque aurumque, ut inania pondera, riſit.
Vanum opus, exclamabat, opes, vaniſſima merx eſt,
Quæ vitijs dominum curiſque emancipat ægrum.
Hinc tu virtutum, ni vis prudentior eſſe,
Sume rudimentum. Pannoſa, ſed optima Egeſtas
Formatrix morum eſt: doctas hæc explicat artes,
Virtutumque magiſterium centonibus abdit.
41. Subde manum ferulæ, quondam hæc doluiſſe juvabit.
Agreſtis quamvis fugias umbracula mandræ *Paupertas*
Vaſque cavum Cynici, villæ innutritus opimæ, *maximè*
Pygmalione ſatus: Regum genus eſſe, inopumque *laudata in-*
In cenſu ſcribi poteris. Pugnantia non ſunt *ter medias*
Dives inops, & inops dives: facit uſus utrumque, *poßideri*
Dives ut infelix egeat, ut pauper abundet. *opes poteſt.*
Nempe refert animo, qui ſis. opulentia non eſt
Bis denas auro gravidas implere diotas,
Et nunquam impleri. Qui plurima poſſidet, ipſe
42. Non poſſeſſus opum vi, nec diviſor iniquus,
Pendere tam promptus quàm ſumere: dignus habere eſt,
Nec paupertatis pretium malè prodiget auro.
Hunc ego te Polycarpe velim, non inter haberi
Valvarum obſeſſores, Codri Hecaleſque nepotes.
Te virtus potius, quàm ſors apponat egenis.
Sic neque vileſces populo, nec habeberis aulis
Indignus, poteris majorum extendere ceras,
Ac Tyrio ſaturare tuas è murice braccas.

SATYRA III.

In fraudulentum & imperitum controverſiarum ſcriptorem, qui alium confutaturus ubique ferè à ſcopo quæſtionis aberravit, ideoque à doctiſſimo viro nuper ad examen vocatus, merito ſuo miſerrimè vapulat.

L*igneus* in ſilvis Rhamno dominante triumphat, *Arrogan-*
43. Et pingues ſuper elatus regnabit olivas, *tia & au-*
Ac ficus ſuper, & Vites. Submittite vos nunc *dacia Præ-*
Cervicem, o Cedri, palam concedite Palmæ, *dicantis,*
Rhamnus adeſt. Quid Lignee vis? quã conficies rẽ, *qui ut*
Murmure cum rauco cathedramq; aureſq; fatigas *Rhamnus*
Et centum frangis calamos, ſtridente papyro, *inter ar-*
Adverſus Keddum, Socioſque, fidemque Latinam? *bores vult*
Ilia quantumvis Stentor rumparis, & omnem *dominari.*

Conſumas bilem chartâ livente natantem,
In victas nunquam Rhamnus dominabere lauros.
44. Horſum, age, jam vocat *Examen* quod maximus *Heros*
Gladbacides urget. Cur obliquantibus hirquis
Turpe fugam exploras? cur obmuteſcis, & hæres
Iam ſaxum ſacrumque inter mactanda velut ſus?
Examen juſtum impendet; noli exanimari,
Nec talpas inter latebras diſquirere inerteis,
Dic ſodes, toties tua cur reſponſa vacillent?
Cur nihil ad rhombum, ſed ubique quadrata rotundis
Aptantur? (ſolùm hâc retinetur Ligneus anſâ)
Si Keddus poſcat lepores, tu ducis aſellos:

Gladbacides Lignei reſponſiones prorſus alienas ad Keddi poſtulata examinat.

45 Nec quicquam matulâ Codri fers dignius Ad rem
Obſecro, dic aliquid; nec tam delirus oberres.
Omne forum ſunt quiſquiliæ, ſunt rancida tantũ
Segmina VVickleſi ex lardo, crambéque recocta
Ter decies, vix quam eſuriens queat eſſe Saguntũ.
Hæc tamen obtrudis Samio ceu digna Magiſtro,
Ac tripode expromptum, carmen recitante Sibyllâ
VVeſalicá ex tepido, poſt fracta inſomnia, nido.
Nempe olidum redolent iſthæc oracla cubile,
Vixque putem vigilantis. Aqua hæret ubique Miniſtro.

Antiquorum hæreticorum deliria obtrudit.

46. Et velut ebria, ſic nutant reſponſa Petat quis
Inſtet, & adjuret per barbam, artemque Magiſtri,
Perque torum Patris, natorum denique cunas,
Vnius ut poſſit rationem exſculpere veri.
Cur ego Calvino tenear plus credere, quàm quod
Lutherus, quàm quod Menno docuêre tenendũ?
Conveniunt, velut ælurus cum muribus. Album
Lutherus quod vult, Calvinus tradidit atrum.
Si cauſam poſcas, Scriptura impellit utrumque.
47. Hæc lucere diem negat, affirmatque; calere
Et frigere putat flammas; vulpem facit agnum;
Hac Lutherani Calviniſtæque triumphant:
Omnibus hiſce fidem addicit ſcriptura ſerenam.
Fallitur hâc nullus quamvis contraria promat,
Hic vinum, ſed acetum alter vaſe hauriat uno.
Heu ſtulti! proprij ignorant vitium eſſe palati.

Nihil ad rem adfert, cum poſtulatur à Calviniſta, ut oſtendat ſe rectius ſcripturam intelligere, quam Lutherani, qui ex eadem S. Scriptura oppoſitos errores tradunt.

Tam

Tam malè coctа ſuo non ſunt ſacra biblia ſucco,
Obtrudant ut diverſum cuicunque ſaporem.
Vnum olus eſt, una eſt hic conditura, coquuſque
40 Spiritus eſt idem. Stomachi morboſa lues eſt;
Ille ſalutares corruptè digerit eſcas.
Quidlibet hinc quivis ſapit, atque apponit edendum
Ex olla licet unâ: Dic mihi, Lignee, tandem,
Dic agedum, ſic nunc Præſul doctiſſimus inſtat:
Cur nihil ad Keddi dignum quæſita reponis?
Quî Scriptura poteſt album componere nigro,
Et tua, quæque adfert Menno, Lutherque probare?
Des rationem oro, quâ non mendacia firmes,
Oppoſitæ partis, Clamatum jam ſatis uſque
45. Ad ravim, & feſſas oneras his vocibus aures:
Hæc Scriptura docet ſano exantlata cerebro,
Hanc turbant omnes, ego puro ex fonte propino.
Sic barbatorum dux ſeminiverbius infit,
Et tonat ex celſa rauco ſtridore cathedra.
† Contra alter buccas inflat prægnantibus iris,
Errorem, errorem! inclamans. ne credite Calvi
Liligeri aſſeclis, ſacrorum evertitur ordo,
Biblia habent aliud: nos hæc ſecreta tenemus,
Debilior vertex alijs: Myſteria quivis
50. Hæc portare aſinus clitellis tradita neſcit.
Sic mulus ſcabit alternâ in prurigine mulum.
*Hic panem & Chriſtum cœnæ ſub vincula cogit,
Atque impanato ſua condit ſacra Tonanti.
Alter inane Dei ſimulacrum præbet, utrumque
Biblia torturæ debent ſubjecta fateri.
Quis non monſtroſum veſtri execretur abortum
† Syncipitis, quando fato indignante, Tonantem
Fingitis abjeciſſe Cain, Iudam atque Sãulem
Ante ſcelus: tetras Erebi laxare cavernas,
Fumanteſque ſpecus, immortaleſque cataſtas
Immeritis? Heu, quænam immanior ulla tyrannis!
Quis Buſiris tantum irarum in pectore coxit?
Sed tamen hæc Calvus dat commentaria Doctor,
Αὐτὸς ἔφα Scriptura docet nolenſque volenſque.
Quid Lutherigenæ? rauco obnituntur hiatu

† Se mutuò ex eâdem ſcripturâ damnant hæretici, tanquam contraria.

** Per ſcripturam Luther. docet Chriſtum ſimul cum pane exiſtere: Calviniſta Chriſtū figurari hic, non exiſtere.*

† Per ſcripturam Calviniſta peccatores ante præviſa ſcelera à eo ad infernum deſtinates, contra quam Lutherani & Catholici.

Nequicquam, & contra pugnantia biblia tendant. a
Qualis in oppoſitum cornuta it fronte juvencum.
Friſonico nuper taurus ſubductus aratro.
Sed tamen antè ruent bipedalia cornua, centum
52. Antè terent ruptis veſtita volumina bubus;
Quàm malè formatam doceant contraria ſectam.
Quis ſtupor, o Superi, quænam hæc vecordia cives!
(Exclamat Keddus, repetit ſapiente papyro
a Gladbacides) digitusne Dei pugnantia ſcribat?
An quæ vera fuit, mendax ſcriptura loquetur
In ſenio demum delirans? Obſecro nunc te,
Lignee, cui vis credemus? namque alterutrius
Corruptus ſtomachus prorſum, inſipienſque palatum eſt;
Cùm Luthero aliter ſapiant, & biblia Calvo.
53. Deſipit, ut rem dicamus, corruptus uterque,
Corruptorque aliorum. Stat ſcriptura vetuſtis
Qualis erat Patribus guſtu invariata fideli.
Et quamvis paſſim Præconum falſa novorum
Spargantur fermenta; manent tamen azyma nobis.
b Perſtitit integris Romana Eccleſia faſtis,
Qualis Apoſtolico quondam fundata ſenatu.
Integritas conſtat, volvuntur ſecula circum,
Volvitur hanc error juxta comes, inſidiaſque
Nequicquam adverſum molitur; at illa perennat:
54. Hic velut hydra iterum cervicibus improba centum
Pullulat, inque novam ſpargit zizania meſſem.
c Nempe Berengarius cocti myſteria farris
Ridebat, vacuam depingens corporis umbram,
Et tu incruſtatum rides Calvine Tonantem.
Simoniſtarum quæruntur ſcruta caducis
Eruta ruderibus, ſcabrâque rubigine adeſa.
Quiſquis adulterio thalamum inceſtaverit, hic eſt
Flagitiorum inſons, nec lilia Gallica tergo
Promeruit, vel caſtratos augere ſpadones
55. Eutropios inter. Quiſquis conclavia latro
Irrupit, medioſque infregit acinace ſomnos
Cum jugulo, hic tantùm eſt Superûm decreta ſecutus.

Haud

a Cum Dei ſcriptura non pugnet ſecum, neceſſe eſt ut eius interpretes contraria ex hac docentes aberrent. Quis igitur ſapiens his credat.

b Romana Eccleſia, quæ ſecundum Patres veteres ab Apoſtolis inſtructos ſcripturā interpretatur, errare nequit.

c Berengarij errorē de Euchariſtiâ Calvinus revocavit. Vti etiam Simonis Magi, & Florini hæreſin, quod ex decreto Dei omnia fiāt improborū hominum ſcelera.

Haud aliter licuit faſtis urgentibus, Olim
Hæc Magus, & nunc Calvinus. Sic tempora nobis
Erroreſque renaſcuntur. Vah perdite, quid te
Tam fecit vitioſam rurſum halare mephitim?
Cur iterum Florini hæc excrementa reſorbes?
Nulla reformatos ſatis unguentaria purget.
Aſſyrio quamvis cum ſmigmate balſama jungat.
56. *d* Exprobrat hæc eadem Lutheri bardocucullus;
Sed nihil hic redolet præſtantius. Ille Lupanar
Hoc primùm ingreſſus, fidei corrupit odorem.
Loripedem valgus ſequitur, pœtuſque ſtrabonem.
Nunc audite Sophi, peregrina oracula nobis
e Hæc cortina dabit. Iuſti menſura fides eſt.
Nam ſcabiem abſcondit ſceleratæ mentis, & ulcus.
Putreſcens animi; facit hæc cacodæmona ſanctum.
Magna fides Calvine tua eſt! Quanquam omnia primus
Hæc non delires: prius hanc Manichæus, adulter
57. Deformis fidei, cerebro procudit inani.
Lutheruſque prior veterum hæc cimelia priſcis
Sordibus eduxit, preſſit veſtigia Calvus.
f Virginitas monſtrum eſt, fruſtra obluctabimur igni,
Libertas captiva ruit ſub vincula carnis.
Sic olim plures upupæ cecinêre, ſuæque
Doctorem Iſlebium carmen docuêre Catellæ;
Calvinuſque antè exemplo, quàm voce probavit.
Scommata quid memorem cœlis intorta? Tyrannum
Eſſe Deum fingunt, noſtriſque haud æqua tuliſſe
58. Viribus in legum tabulas mandata Tonantem.
Nil fidendum operi clamant; quodcunque patramus
Flagitium eſt. Mœchos omnes, fureſque, latroneſque
Efficiunt, Siculâ dignos pendere cataſtâ.
Claudite nunc valvas, domuum, uxorumq; cubile,
Et bona firmatas cuſtodia muniat arcas,

d Lutherus licet hæc improbet, tamen Dux autorque corruptæ doctrinæ fuit.

e Fidem ſolam ad iuſtitiam peccatori ſufficere ſine opere bono ante Calvinum Lutherus & olim Manichæus tradidit.

f Lutherus & Calvinus caſtitatis vota improbarunt, negantes ſervari hanc poſſe.

Mandaſſe nobis Deum impoſſibilia omniaque opera noſtra peccata eſſe docuerunt.

Namque fides Evangelicos hæc ſola tuetur;
Servari non poſſe fidem. Mandaverit autor,
Sitque Dei legum tabulis firmata voluntas;
Fixerit hic pœnas noxis, & præmia factis;
Sanguine ſignârit proprio decreta; proborum
59. Inſtruat exemplis: tamen unâ voce, *neceſſe eſt*,
Evertunt virtutem hominum, ſuperumque favorem.
Fruſtra agis ut proſis, ſi nil niſi crimina poſſis.
Ecquid ad hæc blateras infelix Lignee? ſus hoc
Lota volutabro es. Nullo tu flumine ſordes,
Lixivioque ſatis purgas. inſignia Patris
Hærebunt, quamvis ceruſſis improba frons ſit
Incruſtata tibi, miniove inducta rubenti.
Ipſa licet divina tibi ſcriptura rogetur,
Non dabit hæc ſceleri, quocunque intorta, colorem.

Calviniſtæ reipſæ ſuum magis Calvinum, quàm verbum Dei ſequuntur.

60 Perfidiæ nullum eſt velum, quo tota tegatur,
Detrahit hoc tandem tempus ſimulatio primùm
Affricat huic fucum, & virtutis imagine tectam
Producit, facilis plauſum meritura theatri,
Cui novitas quæcunque placet, Sed fallere cautos
Ficta nequit: Vulpem agninâ ſub pelle latentem,
Exuvijſque aſinum rident geſtire leonis.

SATYRA IV.

In adoleſcentem Germanum peregrinis nuper moribus cultuque leviſſimo, ſecundum caput, pedes & femora deformatum, ut monſtrum novi ſeculi videri poſſet.

SAlve Tyndaridum novus, o Germane, ſororne
An frater dicam? Nam credere cogar ab ovo
Te prodiſſe: ſed an ſexus diſcrimina cernam,
61. Haud equidem teneo. Vetus illa Semiramis eſſe
Iure queas, ſi ficti habitus & laxa comarum
Fimbria nos moveat. Pompâ hâc perſona theatro
Es Pompejano digna, Orcheſtram populorum
Millia ſpectantûm centena implere videndo,
Et ſatiare potes. Splenem exonerare licebit,
Democriti quamvis, Ioviali è ſidere, ſpectent.

Dic mihi quem teipſum facias, quem te modo dicam?
Saxo parens, Cattuſque Pater cunabula nato
Prima dedit teneriſque implevit pultibus ora,
61. Hirta rudimento dum ſtupa inſurgeret. Ex hoc
Tempore mutatis regionibus exul oberras.
Rudera luſtraſti Troiæ, Romæque ruinas,
Niliacamque Pharon, Mauſoleumque ſuperbum.
Oſtia Averni, Solis menſam, antrumque Sibyllæ;
Nil tamen antiquo cuſtodis Tuiſcone dignum,
Laudator veterum, ſectator ubique novorum.
Quod vas ſyncerum fuerat, nunc denique aceſcit.
Nam rogo, quid faciant hæc ſextipedalia circum
Quæ ſolas onerant ocrearum pondera plantas?
63. (Ordior à pede, cū præpoſtera cuncta ſequamur)
Hic medij bovis exuvias tibi Cerdo revinxit.
Quam læto ſeſe corium diſpandit hiatu!
Credo mathematicos peregrè efformarier omnes,
Tam graphicè ad numeros incedunt: circulum
    utroque
Deſcribunt paſſu, qualem vix Clavius auſit,
Cum ſtudet everſis mutare quadrata rotundis.
Quis porrò mihi tinnitus diverberat aures?
Prô Superi! pedibusne an equis? quo tenditur? Hem te.
Tune eques infelix puerum qui obtrivit euntem,
64. Dum ferit admotis nimium calcaribus armos?
Ocyus amoveas hinc tintinnabula, ne quod
Garrula divulgent cædis per compita crimen.
Inſontem, clamas, hoc te accuſarier auſu,
Perque ſtygem juras, nullius terga caballi
Te glabraſſe premendo, aut inguina ſuffodicaſſe.
O caput Anticyris dignum, Helleboroque! Quid inquis?
Te nec equo, nec aſello uti, & calcaria ferre?
Quin etiam feſſo nectuntur ephippia tergo,
Seſſuroſque juvent quæ pulvinaria clunes?
65. Verbera erunt contra quandoque, ubi grandinat ictus,
    Sed tamen aſſurgamus, & his majora canamus.
Quid lumbos circum ſpecto? ſatis arcta ibi res eſt.
Telæ deficiunt, aut forfice menſor aberrat,
Dum nimium anguſtis reſecat femoralia limbis.
Quid ſi pingue tibi diffracta repagula tergum

Peregrè mores Patrios Germanus exuit.

Latè hiantibus ocreis incedens, pedes in gyrum ridiculè circumagit; calcaribus armatus ſine equo

Femoralia planè anguſta, & pudendo orna

Laxet, & indigno pateat cortina receſſu, *tu ſub um*
Dedecus hoc cui debebis? comperta tacemus *bilico flori*
Francigenûm Treveris exempla; modeſtia cogit. *bus ſericu*
Hoc tantùm moneo; menſuram cuique ſuam des, *diſtincta.*
66. Quæ ſupereſt pedibus tergo hæc donetur aluta.
Hác etenim cur ampla egeant, anguſta redundent?
At magis eſt aliud riſu ac ſarcaſmate dignum.
Quot ligulis, quot lemniſcis holoſerica circum
Pendula ſegmentis ſunt verſicoloribus! Ohe
Oſtia, quæ craſsâ pudor obvelare lacernâ
Debuerat, picto nunc ſtulta ſuperbia faſtu
Illuſtrat, vario exornans emblemate florum.
Anne Priapeos rurſum ædificabimus hortos?
Quiſnam iſtic Upuparum eſt nidus? ut omnia fœdo
67. Exemplo ſplendent! quorſum hæc ſpectacula luxus?
An juvat ingenuum huc à fronte auferre ruborem?
O pulchrum, quo nil reperit deformius uſquam
Moria, dum mores fingit peregrina venuſtos!
Qui ſic delirant rectores forficularum,
Hos pro acubus Siculas par ſit verſare triremes.
Iam quid ego Attalicis conchylia mixta figuris
Commemorẽ, Phrygijſque illuſum veſtibus aurũ? *Veſtis auro*
Quot rogo Mæandris virgata hæc bracca vagatur? *inutili pro-*
Quando erit ornamentorũ ſatur? Ingluvies hæc, *fuſione vir-*
68. Quâ tantum femora abſumunt, quid laudis habebit? *gata.*
Nolo tuum thoraca videre; hic ſe nova bilis *Thorax ar-*
Funderet in calamum, quæ te magis atramento *ctus brevi-*
Denigraret, & infami ſignaret amictu. *bus lacinijs,*
Nuper erat ſinuum pondus ſat inutile, nunc vix *& perfectas*
Obvelat nudos arctata lacinia lumbos. *manicas ne-*
Brachia tunc etiam pendebant arctius; at mox *bulis lineis*
Femineo latè fluitant multitia cinctu, *late fuſis,*
Et nebula hæc circum ſe fundit linea, credas *cultus.*
Icarijs rurſum ex humeris ſubſurgere plumas,
69. Iamque peregrinas cœlo ſe inferre volucres.
Non dicam elato pendentia carbaſa collo,
Quæ poſſint Batavam ſatis impręgnare biremem,
Cum trepidant expoſta cavis ludibria ventis.
Heus age ſpectator, viden' ut Cretenſia Prætor

Ordinus

Orditur? mappam extendit, repetuntur arenæ;
Jam tandem ipſe venit Bubaſtus. Cedite fungi,
Et cucumis minor: en ventoſa cucurbita prodit.
An ſacra producet Junonia? Prævius ipſe,
Nunquid adornatæ producet fercula pompæ?
70. Planè hominem video graphicum. Quid conſequitur? quid
Sic antè & retro circumſpicit? At nihil uſquam
Apparet, ſolus faciet ſpectacula nobis.
Ipſe fabrè ad pompam percultus ſufficit. Hem te,
Hic corrugatis depreſſior ocrea ſulcis
Adducenda; illic melius lunetur in arcum,
Et circum fluitent cruralia carbaſa. Velis
Quandoque ire juvat majoribus. An ſat inunctis
Ceruſſis circum ſplendent? an acu Phrygianâ
Irretita ſuis plagulis depingitur ora?
7. Jam video ſatis hæc curata, ſed obſecro; quis nunc
In ſcenam ſeſe hic effert; Myſteria ſecum
In theca portat bipedali. Sede reclinem
Excipit actorem noſtrum, evolvitque galero.
Nudatoſque humeros circum nova lintea pandit.
Ocyus huc ſpectatum, in Scenam Roſcius exit.
Ecce arcana palam ciſtâ bipatente trahuntur.
Ni fallor cava tonſtrinæ ſunt ſcrinia, prodit
Dentatus pecten, calamiſter, acuſque capillo
Fingendo, & cum ſorficibus ſetaceus exit.
72. O quot purgando capiti inſtrumenta videmus!
Hæc olim amovit Siculâ Dionyſius aulâ
Cautius, eſtque nucum per aduſta putamina tonſus.
Qui drides? uno abſurdo ſic plura cavebat,
Tormenti minus, & diſcriminis hinc habiturus.
Non illic reperit fucata ſuperbia nidum,
Et centum curas reliquas cum crine reliquit.
Spectandum, ut doceant oculi, cultura comarum
Quantum operæ poſcat, quantoque impendio alenda.
Incultam citius glebam Montenſis arator
73. Vomeris ac raſtri dentato pectine formet,
Quam capitis meſſem curret crinitus Iõpas.
Aſpice nunc agitur capitis res. Pectine crines

Dignus qui hoc habitu in ſcena ad ſpectaculum præponatur.

Ocrea etiam ceruſſato linteo ridiculè perfunduntur.

Tonſor magno apparatu ad crines reſecandos, calamiſtròque excolendos adhibetur.

Luſtran-

Luſtrantur, coit errantûm vaga ſilva comarum
Ad perpendiculum dentalis. Laxior illic
Forficis admorſu cadit à cervice reſecta.
Hic nimium fruticante pilo prædenſior umbra eſt.
Demete quid ceſſas? crveſis; occlamat Iôpas
Malo redundare hanc ſegetem: nam curta nimis res.
Haud exporrectu eſt facilis, citò raditur ampla:
74 Ficta ego pro veris nolo caliendra capillis
Heus calamiſtrum igitur puer adfer, ſat calet igne.
Fac criſpi placidè cirri cervicibus errent.
Odi cum còma propendet, velut humida collo
Mappula, per tenues ſpargatur mollius auras.
Obſequitur tonſor. properat calamiſtra ciniflo.
Iam ſua adurendus patitur tormenta capillus.
Hæc Ixionia eſt illi rota. Quin caput omne
Frons, aures, naſuſque iſthoc emblemate pictos
Induitur cirros, tibi ne diſcrimina deſint?
75 Egregiam verò laudem ſic eſſe notatum.
An tu naturam melius facienda docebis,
Quam ſupremus eandem autor? Num digna videtur
Iſthæc cura viro? quorſum hos vibrata per orbes,
Aſſurgenſque gradatim humeris, ac vertice toto
Torta capillorum faciem nunc meſſis inumbrat?
Sed patiamur; at hæc quorſum caudata ſupellex
Cirrorum in gremium lævâ tibi defluit aure?
Fortè pudet nō eſſe bovem caudatum, aſinumve,
Quod cincinnorū placeant hæc ſyrmata. Verùm
76. Nunc quoq; ſtultitiam obſervo majoribus aptam
Opprobrijs. cur promiſſæ ſine lege capronæ
Infeſtant oculos? Nullius homuncio frontis
Iam video es factus. nec de Frontonibus eſſe
Romanis. Cincinnatos vis inter haberi.
Ridicula omnino res, & muliebriter acta!
Es vir, & obnubis faciem. Dic ſimia præ te,
Quantum habeat frontis? Quod majeſtate decora
Bruta ſuper vultum extollit, modò amore decoris
Perditur & Charites quæſita hæc gratia turpat.
77. Reſtat adhuc aliud: pelvim nunc tonſor abenam
Arripit, & pingui irroratur ſmigmate mentum,
Spectaturque chalybs raſorius. Euge ſupinas

Cauda comarum promiſſa, & antiæ capronæ in oculos defluentes.

Inunctum ſapone mentum raditur

Porrige

Porrige nunc malas, ſterilemq; metamus avenam. *myſtax acuitur, & barba hiſpanicè.*
An rapiam Volſella comam radicitus? Ohe
Siſte, inquis, ſiſte, hoc nimium dolet Euge palumbe,
Jam ſatis eſt, Volſella jacet, ſtipulas reſecemus,
Nupera quas meſſis, nobis repetenda, reliquit.
Jam totus glaber hic ut Caſtor prodis ab ovo.
Muſtacibus quid vis faciam? modicéne ſecabo?
78. Annuis. intactis rellinquam cornibus, illic
Os ubi percurrunt reſtringam forfice. Porrò
Vlteriuſne jubes aliquid? dic judice vitro.
Romani in pedibus; tu fers in muſtace lunam.
Relliquias menti nunc tondeo. Redde ſaponem,
Congrio, ſic melius ſicâ rademus acutâ.
Quam barbam cupis eſſe? Alemannam vis, an Iberam?
Hiſpanizo, inquis, peregre eſt mihi nata. Tenemus:
Hybrida barba tibi eſt, peperit Germania mentum,
Et tellus Hiſpana pilos: conjungis utrumque,
79. Ac patrijs quodvis tantum vis moribus uti.
Recte agis. hinc etiam nevit tibi Gallia braccas,
Auſonidæ dederunt thoraca, & pilea Turcæ.
Omnium homo populorum unus ſic denique factus.
O bene compoſitum juvenem! Sic nil tibi deſit,
Tam varijs formoſa nites cornicula plumis.
Denique id exſpecto, quem ſit comœdia finem
Hæc habitura. ſuas poſuit jam mala ſalebras
Vtraque, & artifici glabratum forfice mentum.
Aſpicio. Veniunt aliæ nunc ordine caſpæ.
80. Quid latet? Hem naſum terebrant opobalſama, *Pulvere odorato, pigmentarioq; crines ſparſi albeſcunt, balſamoque tinguntur.*
Myrrhæ
Lacryma, caſtoreum arcanum, muſcuſque, erociq;
Pulvis, amomi uvæ, fibra nardi, baccaque myrti,
Aſpalathi & Caſiæ flores, & quidquid odorum eſt,
Pars cinis, & pars unguentum. Quorſum iſta?
videbis.
Porrige jam, chirurge, meum recreare cerebrum
Quod poſſit: nimium capitis pituita moleſta eſt.
Quin & odoratis nivibus conſperge capillum;
Nam decet hoc tectum brumali algere pruinâ,
Sic modò nobilium mos eſt, caneſcere pulchrum
81. Eſt juvenes, ſparſos cygneis tempora plumis.

Candida

Candida olorinis habitat Sapientia rectis.
Huc age, da ſpeculum. Nunquid ſatis omnia bellè?
Iſtic delirant refugæ de fronte capronæ.
Hic pilus obſtipam nimium conſurgit in haſtam,
Inde genas ſtipulis etiamnum horreſcere cerno.
Rurſum ad forficulam tonſor, glabra area non-
dum eſt,
Horridior ruſco eſt illic. Niſi cernis acutûm
Hæc ſuſpende tuo ſpecularia vitrea naſo.
Sic recte! in nitida totus nunc ſplendeo pelvi.

Ad ſpeculum examinatur emendaturque raſura.

82. Dixit, & applaudens ſpatioſi orcheſtra theatri,
Ad lepidæ ſalſùm riſit ſpectacula pompæ.
O quæ Stultitia eſt, quam cana hæc ſecula nobis
Denique parturiunt! quantis virtutibus olim
Florebas, Romane, priuſquam Publius Urbem
Intonſam Siculis docuit raſoribus uti.
Poſthæc Caligulæ, Heliogabalus, atque Nerones,
Monſtra hominum, bis luce una tonſore refecti
Mentum & palpebras, callibleparoque peruncti.
83. Laudo ego Publicolas, Ancos, forteſque Camillos
Oraque bellantum quæ nulla novacula raſit,
Et ſolo poterant hoſtes perſtringere vultu.
Nempe comata fuit talis Germania quondam,
Galliaque, admiſſis poſtquam eſt exculta Sicambris.

Hac mollities quondã Romanis florentibus, ut & Germanis inviſa, deniq; exitialis fuit.

ARANEA NASONIS
Imitatione expreſſa, & diverſa quatuor illuſtriorum Poëtarum ſtylo exculta.

CLAUDIANUS

INfeſti Mavortis equos, ſtrepituque fremente
Tympana, barbaricaque manus in cæde natantes
Mens averſa fugit nec enim tam ſæva voluptas
Incitat, aut tanto Vatum ſuccendimur auſu.
Parva per anguſtam diſcurret aranea telam
84. Mille vias, flexuſque ſequens, facilique paratu
Nexile fundet opus, primùm ſuſpenſa tenaci
Fundamenta trabi figet, doctâque Minervæ
Arte, decuſſatis deducet ſtamina filis,
Mox flexo circum lunatos tramite ductus
Orbibus involvet, donec pendentia tignis

Retia venturis firmentur in æthere prædis.
Tu modò naturæ tacitas Sapientia cauſas
Ac rerum ſecreta doce. Quis penſa miniſtret?
Quæ fundat tot fila colus? quæ ſtamina nectat
Deducatque manus? vacuo quis currere cœlo
Dædalus, aut varias faciat contexere fraudes
Et bene diſpoſitis volucres involvere telis?
Nuper ab annoſo libratam fornice vidi
Flexipedem, prono tecti per devia lapſu,
Præcipitare viam. ceu cum malefactor ab alta
Volvitur immiſſus trochlea, ſimiliſque cadenti
Infringit medias, pendenti fune, ruinas.
Iuraſſes volucrem, tam ſe vibrabat aperto
Æthere, tam varios curvabat in aëre gyros.
Nam ſimul ac medijs inter laquearia filis
Mobile ſuſpendit corpus, verſatilis alta
Pegmata per gracilem repetit funambulo callem.
Mox ſubit adverſam, celeri pede mota, feneſtram.
Partaque nexilibus ſuffigit ſtamina nodis.
Clavus abeſt, viſcuſque tenax: ars ſola laborat
Ingenijque vigor. Lapis ipſe favere putatur,
Segnius obſiſtens fixis in margine lanis.
Inde per oppoſitos libratur in aëra ſaltus
Inſtructura viam, mediumque per æthera pontem,
Quo ſecura ruat, duplicetque plicatile filum.
Ac veluti geminas nectit vagus hiſtrio turres
Funibus, ingrediturque ſibi tranabile cœlum,
Alituum complexus iter: nunc obvius aſtris,
Nunc obverſus humo. quin & veſtigia funi
Implicat, & manuum plantas convertit in uſum.
Haud ſecus anguſto, ſe jactat Aranea calle,
Confunditque vias; ſed non ſine lege citata
Fila rapit, centrum, ceu gnara matheſios, aptè
In medium componit opus, denſatque coacta
Stamina, ne ſubitis pereant obnoxia ventis,
Aut levis incautos evertat culpa labores.
Tum reliquo graditur ſpatio, ducturaque gyris
Fila ſuis, varios ex ordine circinat orbes,
undum imitata novum, medio cui proxima centro

Malefactori ex trochlea dimiſſo & funambuloni comparatur aranea.

Terra jacet, cœlumque ſuo ſuſpenditur axe,
Majori ſenſim creſcens ambage, ſuoſque
Involvens filis, errantibus, arte planetas.
Sic operi contexit opus, centumque ſuperbit
Ordinibus, totidemque ligat ſub tegmina nodis.
89. Haud aliter Tyrios ſtrinxit Tritonia caſſes
Fraudibus implexura feras: ſeu mollia primùm
Vellera contexto properaret ducere fuſo,
Seu rudibus primos filis componeret hamos.
Hoc Triviæ contendat opus: tam rara trahuntur
Stamina, tam mirâ concinnat ab arte laborem.
Ipſa ſibi propriam lanis eviſcerat alvum,
Et, licet exiguo vivat jejuna paratu,
Ducit inexhauſto fecundas pectore telas.
Ipſa colus fuſuſque ſibi eſt, nec licia deſunt,
90. Aut radius, ſi fila trahat, ſi ſtamina texat.
Longa fames, vacuumque penu, ſimul indiga rerum
Pauperies artem docuit; quâ parte volanti
Objiciat telam volucri, durumque laborem
Sumine muſcarum paſcat, culicumque ſagina.
Ergo vigil medijs telæ ſtationibus hæret
Excubitor, vel priſca locat poſt rudera muri
Inſidias, vel pampineâ latet abditus umbrâ.
Haud prædator iners: venientibus eminus eſcis
Intentus, ſecumque vovet tacitéque precatur
91. Ne tardet novus hoſpes iter, ne devius erret,
Sed properet cupido ſolatia grata palato.
Si tamen à lauta placeat recreatio menſa
Prodit in antiquam polytechnicus hiſtrio ſcenam
Inſultatque ſuperbus humo, faciliſque choragus
Deponit volucri ſtomachi faſtidia motu.
Sæpius illaqueata ſuo ſuſpenditur orbe
Damnatæ ſimilis, nec jam veſtigia vitæ
Vlla ſuper, livet gelido cutis atra veneno,
Inque globum collecta ſtupet, profuſa gravatam
92. Opprimit ingluvies, ventriſque ſaburra retardat.

VIRGILIUS

Fama antiqua refert Triviæ ſub Numine primum
Illam ævo meruiſſe rudi, toleraſſe labores
Venantûm in ſilvis, cum ſe Dea montibus altis

Inferret,

Inferret, multâ circum ſtipante catervâ.
Hæc etiam in reliquis (non aſpernabile viſu)
Parva licet, tamen ex humero pendente pharetra,
Spectari major cupiens, ſeſeque, ſuaſque
Metitur ſocias, & paſſus paſſibus æquat.
Poſtquam altos ventum in montes bijugis Parnaſſi,
3. Aut Pindi nemus umbroſum, monſtrante magiſtrâ,
Occultos latè ſaltus, atque avia ſilvæ *Venatrici*
Retibus, & poſitis didicit circumdare telis, *in ſilvis a-*
Occultare dolos, laqueoque involvere prædam. *ranea ſimi-*
Interea vigiles operi, intentoſque gerebat *lis.*
Illa oculos, quâ parte feræ, quo calle patentes *Venationis*
Curſibus in campos ruerent, atque agmina cervi *deſcriptio.*
Pulverulenta agerent; jamque hos, jam deſtinat illos
Ictibus, aut timidas adigit ſub vincla rapinas.
Sæpius ignaro laqueos inducere collo
4. Vidit aprum, fulvumque incurrere tela leonem,
Fruſtra eluctantem mandentemque invia lina.
Sæpe per obſeſſos venantûm indagine ſaltus
Inſequitur, facilique juvat deprendere curſu,
Quo ſe cunque daret velox fera; Præpes Arachna,
Perque humiles valles perque antra virentia muſco,
Occupat, illa ſtupet circum præcluſa canum vi,
Et jaculis hæret Nymphæ conterrita. Talis
Implicitas pedicis gaudebat figere prædas,
Prompta manu, prompta & pedibus, nec deſes in armis.
Paſcitur hoc ſtudio ſpectans Dea, paſcitur omnis
Et Dryadum chorus, & Fauni ſub montibus altis
Errantes, ſeu cum pedicis nemora avia cingit,
Seu cum præcipites in retia provocat apros.
Ergo animi ſolers fingique ad quælibet apta
Laudari meruit, pulchræque cupidine laudis
Auxit opus, primoque capax adjecit honori.
Et jam fama volans Lydas effuſa per urbes
Extulerat Nympham, facta atque infecta recenſens.
Heu, tamen, heu! cui non fraudi fuit ardua rerum
5. Gloria, quò ſeſe ingenij decora alta malorum
Præcipitant; fuit hæc quondam, fuit inclyta Virgo
At poſtquam infelix animos elata tumentes,
Alterius puduit famulam ſe fingere nutu,

Perdidit

Perdidit egregios ſcelerata ſuperbia mores.
Ergo jugum pertæſa, putat ſibi cuncta licere.
Nunc exire domo nunc ſilvas, & loca quævis
Ambire, atque omni venabula figere campo.
Nunc etiam furtim poſitos evolvere caſſes:
Et captas tacitis prædas ſubducere linis,
97. Diſſuadente Dea facinus. ter limine in ipſo
Inſanam admonuit, multumque hortata tumentem eſt.
Ter Scelus eripuit manibus, totieſque relapſæ
Verberibus duris, & vimine terga tenaci
Deſcripſit miſeræ, atque obſcuro carcere fregit,
Nequicquam; neque enim patitur vecordia frenum.
Tum verò exardens irâ, impatienſque malorum
Sævit inops animi, cœcoque in carcere clauſa
Bacchatur, laniatque genas atque ubera vellit,
Et demum in tales erupit Arachna querelas.

Impotentis fœminæ indignatio.

98. Ergone te capiti ſperaſti illudere noſtro,
Crudelis, noſtroque etiam nunc ſanguine gaudes?
Hæc fuit illa fides? etiam nunc Numina fallunt?
Me miſeram! nimis, heu, fronti ſum fiſa ſerenæ.
Eia age Tiſiphone furiali accincta flagello,
In me verte faces. certum eſt abrumpere vitam,
Et laqueo (ſic fata jubent) infringere collum,
Aut patrios remeare lares. Sic dixit, & omnes
Implorat furias, clauſtriſque, & poſte revulſo,
Tentat iter patrum, mortique elabitur atræ.

OVIDIUS

99. Vt primum reduci patrias pede tangit Hypœpas
Patris Arachna dolor, ſed ſtultæ gaudia matris,
Durior ille, tamen ſtulto parcebat amore:
Blandior illa; ſed inſanam, dum fovit Arachnen
Perdidit indulgens, & contra inſurgere fecit.
Gnara colu, genitrix Lydās celebrata per urbes
Hoc ſtudio, Patria natam verſabat in arte.
Iamque præit tenui lanas diducere tractu,
Iamque ſuis primos digitis glomerabat in orbes:
Illa ſubit docilis, ſeu docta reſolvere lanas,
100. Seu glomerare fuit; penſumque explere parata
Addit adhuc, & viſa ſuam eſt ſuperare Magiſtram.
Nec tantum niveam penſis involvere lanam;

Fila pe[...] ducenti[...] tenentiqu[...] deſcripti[...]

Sed quoque diſcretis intexere ſtamina filis
Edidicit, teliſque novas ſuperaddere telas.
Sæpe parens gnatæ, telas dum neſcia vidit,
Atque laboratas filo variante figuras,
Agnoſco, ſunt hæ telæ, ſunt Palladis, inquit.
Subridet, tantuſque placet nimis error Arachnæ.
Sæpe ſuos Dryades ſaltus, Nymphæque ſorores
Deſeruêre choros, tantum eſt noviſſe puellam.
Cantatur populis, cantatur Arachna Monarchis:
Nomen Arachna ſonat, magnum & memorabile nomen.
Audijt hæc etiam ſacra de rupe Minerva,
Tantaque Mæoniæ ſtupuit præconia telæ.
Eſſe etiam ſibi quæ titulos, quæ Palladis artes
Vendicet, & proprijs auſit ſubſcribere telis.
Cogitet hæc ſecum tacitâque exæſtuat irâ,
Vindictam cupiens. Ergo mentita ſeniles
Induitur vultus, falſoſque in tempora canos
Spargit, & admoto veſtigia ſtipite fulcit.
Tunc ſic orſa loqui, quæ te vecordia peſſum
Abripit? aut quæ te tranſverſa ſuperbia torquet?
Heu melius ſapuiſſe decet te perdis, & omnem
Exſcindis famam, quod Dîs cupis æqua videri.
Conſilium ne ſperne meum, depone tumorem,
Cede Deæ, veniamque roga, dabit illa roganti:
Quod ſi ſola putas, laudem tua fila mereri,
Ecce placet conferre pedem ac opponere telas.
Nec mora, cum ſubito tumet indignata furore,
Vixque colu abſtinuit, ſic demum affata Minervam.
O Stolidam! nimium detritis ſenſibus ævum
Obfuit, hæc tibi ſi qua domi modo filia ſervit,
Si qua nurus præcepta ferat; mea tela per orbem
Tantum laudis habent, quantum meret inclyta Pallas.
Rumpe moras, tectiſque pedes hinc ocyus aufer.
Cur non Pallas adeſt? cur hæc certamina differt?
Tum Dea; Pallas adeſt, larvamque à fronte removit,
Pallas adeſt. inquit, nec jam certamina differt.
Obſtupuit genitrix; tamen imperterrita virgo
Nil timuit, licet invitus mutata notaret
Ora rubor, mox abſcedens velut ignis in auras,
Nec pudet incepti, cæcaque cupidine flammæ

Fertur

Fertur adhuc, mora nulla fuit, cum partibus ambæ
Oppoſitis geminas tollunt in prælia dextras.
Vincta jugo tela eſt, mediam ſubtegmine telam
Conjungunt, radijſque inter currentibus explent
Pectinis auxilio, certatim nuda moventur
Brachia, ſuſceptum ſtudio minuente laborem.
Miſcentur variæ mutato ſtamine formæ
105. Ornat Arachna Jovem, ſed Phœbi lumina Pallas.
Poſſet Arachna quidem niſi Dîs minor eſſet, haberi
Arte prior, poſſet laudem, palmamque mereri,
Ni foret elatæ damnanda ſuperbia mentis.
Præſentes ſtupuêre Deæ, multumque ſilendo
Hac ex arte probant: nec doctum carpere livor
Poſſet opus, tantum ingenij decus enitet iſto,
Ipſa ſuos etiam confeſſa rubore dolores,
Ingemuit Pallas, perfectaque ſtamina rupit
Et quem forte manu radium ſuccenſa tenebat
106. (Hunc præciſa dedit nuper Berecynthia buxus)
Ter quater in frontem tumidæ colliſit Arachnes.
Hoc age, ſubjunxit, pretio tua ſtamina jactes.
Non tulit infelix laceram cum vulnere famam,
Vlciſcique Deam cuperet, ſi poſſet Arachnes,
Non potuit ſolam potuit ſibi tollere vitam.
Ergo rapit laqueum, colloque inſana revincit
Licia, Mæonijs hærentia licia telis.
Pendentem è media Pallas miſerata feneſtra
Sublevat, & multâ luctantem morte reducit.
107. Vive quidem infelix, pende tamen, improba, pende,
Dixit, & hærenti lethæo fonte liquores
Aſperſit, cecidit vultus, cecidêre capilli.
Contrahit illa caput, corpuſque in corpore totum
Abſcondit, tantum digiti pro cruribus exſtant,
Cetera Venter habet, qui ſparſi ſigna veneni
Servat adhuc, laniſque tumens nova ſtamina fundit.
Addidit hæc miſeræ jam diſceſſura Minerva.
Lex ea ſcripta tibi ſeriſque nepotibus eſto:
Tuque tuumque genus, his exercebere pœnis:
108. In vacuo ſemper textrix verſabere cœlo,
Vanaque futilium fingens ſimulacra tapetum,
Quos neque diſcretis liceat variare figuris,

Nec ſaturare croco, nec inani pingere fuco;
Sed putrido fragiles deforment vellere poſtes.
Adjecitque ſuas tunc præſens Delia pœnas:
(Namque ſcelus meminit quondam fugientis Arachnæ)
Vilis, ait, tenui ſedem rimabere muro,
Ante locans textas ſtomacho latrante ſagenas,
Et decepta tuos fruſtra ſpeculabere caſſes,
Rumpentur, vaniſque dabunt ludibria ventis,
Rara ferent vacuo prædæ ſolatia ventri.
Longa fames & multa tibi jejunia pellem
Exurent, macieſque teget miſerabilis oſſa.
Sic, ait, elatumque vibrans Tritonia telum,
Abripuit medias pendentia texta per auras,
Illa fugit propriis penè intercepta catenis,
Vixque ſuam poſt ſe reperit fugitiva catervam.

STATIUS.

Ergo fatiſcentis rimoſa cubilia muri
Indignata ſubit, brumamque Aquilone ſtupentem
Plejadumque exoſa nives: dum fervida cancri
Sidera Phœbeos affundant largius ignes.
Hic odiorum alimenta fovet, priſcaſque retractat
Mente ſimultates, & nigro undantia felle
Corda tumens, reparat cunctantem in prælia ſenſum.
Integra mox animos, caſuſque oblita priores
Emicat, æſtivas audax tentare palæſtras,
Solicitare Deas, atque æmula retia cœlo
Pandere, nexilibus ſpolium implexura catenis.
Sic Dictynna tibi, ſic inſultare Minervæ
Prædatura amat ac telis expandere fraudes
Arva ſuper, Divaſque ſacris inceſſere templis,
Ac delubra ſequi; nec relligione locorum,
Majeſtate domus, ſpoliive pudore moveri.
Scilicet oratu motum pendentis Arachnæ
Conceſſiſſe Jovem memorant: monumenta ſuarum
Hæc ferret laudum (licet averſante Diana)
Obſtreperas circum, cœli per inane, volucres
Cogeret in fixos, ventris ſolatia, caſſes.
Hinc petit obſcuros ſilvarum fraude receſſus,
Caucaſei prærupta jugi, lernæaque pigri
Stagna lacus, repletque tuas Campania vites,

Culminaque annoſis Codri pendentia muris.
Quin ubi jam canis veſtitur campus ariſtis,
In ſegetum meſſes camporumque audet aprica
Stringere Lydæo contextas ſtamine lanas.
Hinc agit incautos frumentarique paratos
In calles paſſim culices, ac pigra volantum
Agmina muſcarum, fœtæque paludis alumnos.
Sæpe etiam volucrum croceis examina pratis,
113. Hyblæum populata thymum, ſuccoque gravata,
Implicat inſidijs filiſque tenacibus ambit,
Eluctantûm iterum, truculentaque terga minantûm,
Sed quandoque animos virtus dejecta ſupinos
Succumbit jam fraude minor: non ſpicula denſos
Effringunt aditus, non adverſantibus hamis
Ala levat, peſque elapſus meditatur inanes
Sub Labyrinthæis ambagibus. Ah, malè pugnas,
Nequicquam ore fremis, bellatoremque figuras
Murmure, fuce, tuo. nec enim tua claſſica terrent.
114. Iuratum eſt capiti, tecto latet hoſtis in antro,
Et lautam eſuriens ſibi ſpondet aranea menſam,
Nam ſimul ac cortina levi nutare rapinâ
Incipit, occultis venatrix fuſa cavernis,
Involvit trepidis hærentia corpora textis,
Alarumque pedumque vias, captivaque membra
Colligit amplexu, ſtomachique in clauſtra recondit.
Et quamvis tenui vivat contenta paratu,
Acris hyperboreâ Boreas dum regnat ab Arcto,
Cum tamen ad prædas annus laxatur opimas,
115. Pampineoſque quatit thyrſos ſemeleia proles,
Indomitam laxata gulam, ventriſque carinam
Aggravat, ac pingui muſcarum abdomine complet.

SERE-

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO Hungariæ & Bohemiæ Regi AUSTRIÆ ARCHIDUCI &c. LEOPOLDO IGNATIO

CArolum *Auſtriacæ familiæ decus ingens, Imperij Rom. lumen Hiſpaniæ columen, Germaniæ noſtræ ſidus Turcarum terrorem, Europæ totius miraculum, ſive dum capeſſeret, ſive cum adminiſtraret, ſive denique, cum multorum unus regnorum gubernationem deponeret; talem tantumque ex Proavis heroem Majeſt. Tuæ* Leopolde, *inter Nepotes præſtantiſſimo Adoleſcenti, paribus animis, æmulaque virtute, jam tum Carolinam hanc indolem ſpiranti, velut in parva tabella gigantem, propono: rudi quidem poeſios colore adumbratum, ſed egregiis ſummi Principis ornamentis factorumque monumentis dignum, quem in oculis ſinuque feras & ad cujus virtutum lineamenta tuam hanc ætatem formes. Rara illi fortuna etiamnum in primo vernantis ævi flore nondum annum ſextum ac decimum egreſſo Caſtellæ atque Aragoniæ regna detulit, quæ deinde altero poſt anno, Imperiali diademate, poſt avî Maximiliani fata cumulavit. Neque indignum ſors hæc occupavit. Ætate viros, prudentia ſenes æquare viſus, ad togam juxta ſagumque promptus, bellorum fulmen erat, pacis ornamentum, oppreſſæ religionis præſidium, pietatis rariſſimum ſpecimen.*

Habes in hoc uno abſolutiſſimi Principis *imaginem, ſeu ſpeculum pulcherrimum, ad quod tuos formare mores poteris, affectiones componere, ſtudia erigere, frenare impetus, torporem, ſiquis obreperet, corrigere. In hoc vitæ prototypo, Tuæ Maieſt. & æquitatis leges, & temperantiæ præſcripta, & clementiæ veſtigia, & ceterarum denique virtutum occur-*

rent exempla. Quæ ut tanto illaberentur ſuavius, faciliuſque memoriæ ſubvenirent, heroicis metris illigare placuit, Tiuſconis primi Germanorum Regis imitatione, qui ut Aventinus eſt autor a fortiſſima quæque Majorum facinora verſibus complexus eſt, ut juventus his à teneris imbuta annis, æmulatione laudis, gloriaque provocata, ad paria virtutum exercitamenta inflammaretur. Plurium non requires illuſtrium factorum imagines familiæ veſtræ abs Rudolpho, & priſcis Leopoldis aut recentibus etiam Ferdinandis petendas. Una inſtar omnium à Carolo ſuppeditari poterit, Tuaque erit opera, ut Leopoldos Carolis honore ſuppares, Auſtriacis interſeras. Nondum eſt cur cum Alexandro lugeas; nihil à parentibus vincendum relinqui ingentia etiamnum ſub Turcarum jugo regna atque imperia gemunt, Romanis Aquilis debita. Campum habes cum laboris, tum gloriæ ampliſſimum, quo non tantum dominationis, ſed & religionis Chriſtianæ vexilla explicare licet, ac tropæa figere. Age, viâ exemploque præluxit Carolus, docuitque in Africam, ſuarum etiam victoriarum monumenta transferre. Alios præceptores vivos nequaquam requires, ſi hunc mortuum ſecutus fueris; hic tacendo plura, quam alij docendo ingerent. Licebit etiam, ſi ita viſum Boleslai IV. Poloni Regis factum non indecorum imitari, qui nequid à paterna degeneraret indole, Patris effigiem affabre expreſſam ante pectus ex collo gerebat pendulam, ac quoties facinore aliquo, aut regij nominis ageretur honos, aut virtus poſtularetur, hanc intuitus exoſculatuſque; abſit inquit, mi pater tuo quicquam nomine indignum ſtatuam. b Quæ res, ut illi ad omnem honeſtatem calcar, ita Maieſt. Tuæ Caroli hæc proavi effigies, ſi minus ante pectus, certè in illo recordatione perpetua expreſſa, incitamentum eſſe ad ſumma quæque pro religione ac patria, cum ſuſtinenda, tum perpetranda eſſe poterit.

a Hiſtor. lib. 1. b Cromerus lib. 8.

rit. Porrò ut facilius ad animum Maieſt. Tuæ, rudioruque adoleſcentiæ, ſubmota obſcuritate, allaberetur, notis quibuſdam appoſitis illuſtrare aliquantulum placuit. Fave, & accipe quod ex benevolo in Tuam Majeſtm. calamo fluxiſſe animadvertes. Ita votis Tuis de cœlo apud Deum propitius interceſſor aſpiret Carolus, & talem ſuo te exemplo auxilio que formet, qualem nos illum hodie veneramur. Duſſeldorpij Anno 1654. 12. *Auguſti.*

Humillimus. T.M.

Cliens,

I.M.S.I.

PANEGYRIS HEROICA.

IN LAUDEM,

Summi Rom. Imperatoris, Hiſpaniarum Regis, & Belgarum Principis Caroli V, Auſtriacæ gentis eximij herois.

ANgele Regnorum Princeps, quem terra Patronum
Europæa colit, prono Germania vultu
Audit, & occiduo veneratur Iberia *a* cælo,
Auſtriacæ tutela domus. Cui laurea Cyrrhæ *b*
Silva patet, funditque latex Aganippidos *c* undas,
Vernanteſque Helicon *d* thalamos ad carmina pandit.
Cedit Apollo tibi, citharamque inclinat & arcum.

116. Muſarum tu plectra regis, calamoſque gubernas
Doctius, Heroumque aptas præconia chordis.
Vatis opus, dextramque move, cui magnus Achilles
Auſtriadum, *e* raruſque Heros exercitus armis
Carmen erit. notos poteris memorare Labores,
Virtutemque artemque viri, quam teſtis & æquus
Arbiter ætherio moderaris Numine præſens.
Tu mihi materies laudum es, digniſſime Muſis
Carole, Germanæ decus immortale coronæ
Heſperiæque *f* domus columen. Cui Rhenus *g* amorem

117. Debet

a Hiſpania, ab Ibero Fluvio illius celeberrimo ſic dictæ. *b* Alter Parnaſſi vertex ſacer Muſis & Apollini, uti Niſſa Baccho. *c* Fons Hippocrene ſic dictus quod ungula Pegaſi equi excuſſus fingatur. *d* Mons Bæotiæ haud procul à Parnaſſo Muſis ſacer. *e* Carolus quintus, Auſtriacæ domus alter Achilles. *f* Hiſpaniæ, ſic dictæ, quod inter Europæ partes Heſperum, ſeu occidentem ſolem ſpectet. *g* Rhenus fluvius Germaniæ Bætis Hiſpaniæ, Eridanus ſeu Padus Italiæ Rhodanus Galliæ Scaldis Belgij pro ipſis regionum populis, tropicè hic accipitur.

17. Debet & obſequium, Bætis famulantibus undis
Subjacet, Eridanus pronas ſubſternit arenas,
Formidat Rhodanus. Scaldis proſtratus adorat.
Quæ, precor, eximios in te congeſſit honores
Tam larga fortuna manu? quæ ſceptra tot uni
Contulit? Europamque tuo ſub jure paventem
Iuſſit ad Auſtriacos vultum ſubmittere faſces? *a*
Novimus. Angelicæ Pandunt oracula voces.
Imperium pro te Virtus legata popoſcit,
Ambitione piâ. tibi ſuffragatus avitæ
18. Stirpis honos, tibi fumoſis palatia ſignis. *b*
Sed fortuna tuis longè virtutibus impar,
Et minus oblatis facunda pecunia donis
Emendicato pro te potuere favore,
Divinæ quam mentis opes. Suffragia dixit
Integritas, pretiumque tibi Clementia fecit,
Mitis adulatrix, capti ſine crimine, vulgi.
Majorum vincis titulos, faſtoſque potentum
Laude tuâ. Æneam pietas per ſecula vexit
Poſthuma, trans ævi metas, & flumina lethes. *c*
19. Neſtora *d* conſilium; robur Chironis alumnum; *e*
Victoremque Stygis; *f* prudentia rara Catonem; *g*
Pellæum *h* fortuna Ducis, ſuper æthera famæ
Subvectos humeris, radiantibus intulit aſtris:
Te collecta levant, in te cumulata feruntur
Quæ ſparſim natura Patrum diviſerat ævo.
Tu ſuper invidiæ nebulas, dubijque favorem

Omni [illegible]

 Nutan-

a Faſces Romanis uſurpati pro ſigno imperij. *b* Nobilitatis olim ſignum propoſitæ in atrio Majorum imagines. *c* Fluvius inferni ſic dictus ab oblivione, quam apud inferos eſſe veteres credebant, Æneas autem immortali nominis gloria ſuperavit. *d* Neſtor inter Græcos ante Troiam, & ſenio (quo tertiam hominis ætatem, acceſſit) & eloquentia, & Sapientia facilè princeps. *e* Achilles Græcorum fortiſſimus qui Hectorem occidit. *f* Hercules, qui inferos penetraſſe, & cerberum eduxiſſe fingitur. *g* Cato uticenſis ſtoicæ vitæ ac diſciplinæ fidei ac prudentiæ inter Romanos laudatæ gravitate ſingulari. *h* Alexander (ſic dictus ab Alexandro Pellæo Alexandriæ conditore) feliciſſimus Imperatorum in bello fuit.

Nutantem populi, famæ ludibria calcas,
Contemptum laudemque tui contemnere viſus,
Nec ſine laude tamen. Velut acroceraunia, *a* montes,
120. Quos, ſive adverſis Boreas aquilonibus urat.
Seu leni circum Zephyrus ſpiramine lambat,
Seu mare tranquillum, ſeu deſpumantia cingant
Æquora, Fortunam vultu patiuntur eodem.
Mens immota tibi eſt, nec inani volveris æſtu,
Quæ ſors cunque premat. Spem cum formidine jungis,
Formido conjuncta ſpei eſt; fiducia nequid
Audendo præceps, aut deſperatio peccet.
Vidimus æquoreas Palinurum *b* fortè per undas
Securam captare viam, placidoque ſopore.
121. Tranſtra quieturis poſitum conſternere membris;
Cum ſubito unda furens, præcepſque ruina, jacentem
Volveret, ac medio finiret in æquore ſomnum.
Vidimus & pavidis ſulcantem marmora remis,
Æſtum inter tumidumque maris trepidare furorem,
Sed tamen ingentes animos opponere nautam,
Qui dubio portum tenuit diſcrimine victor.
Spe timor erigitur, ſpes eſt moderanda timore;
Tutius in medio eſt. Virtus ſecura malorum
Hâc tua ſede latet. multis prudentia laudi,
122. Sed vulpina fuit, multiſque profuſio famam
Virtutis titulo peperit: conſtantia viſa eſt
Quæ fuit elatæ dura obfirmatio mentis.
Turpis avarities frugalis nomine vitæ
Delituit; fortem dixit temerarius error,
Et caſtum qui cautus erat; gravitatis honorem
Sæpe ſtupor, cautique dedit cunctatio nomen.
Incorrupta tuos extollit fama labores,
Nec virtus tua vatis eget; mendacia vulgi
Transvolat, & celſo figit veſtigia cælo.
123. Mens prudens operum eſt. Lapis eſt hæc
Lidius auri.

Virtutibus quædam vitia ſunt vicina.

Prudentia eiusque Explorat-

a Epiri montes ſic dicti ab ἄκρον vertex &: κεραυνὸς fulmen, quod ſummo vertice ſuperent regionem aëris in qua fulmina generantur. *b* Hic gubernator navis Æneæ dum ſomno ad clavum indulget, delapſus in mare perijt.

Explorat quæcunque manus facienda capeſſit, *partes, &*
Actaque ſuſpenſo digito componit agendis, *officia.*
Et quodvis metitur opus. tanquam impiger olim
Dædalus *a* artifici labyrinthum condidit auſu,
Antè per ambages iter inflexuſque viarum
Præmenſus, lapides muris trabibuſque ferendis
Aptavit, quo quæque loco, quo ſurgeret apta
Ordine materies; quem Minotaurus honorem
Sede ſua caperet, quas victima tingeret aras
124. Lectorum juvenum. Prius iſthæc fabrica mente
Quam manibus conſtructa fuit. nec regula muro,
Aut perpendiculum deerat, ſurgente columnâ.
Lex operis ratio eſt, ſolers prudentia factis
Eſt menſura tuis. Hæc, quæ veneranda vetuſtas,
Quæ novitas laudata tulit, componit utrimque,
Ingenij fomenta ſui. juvat optima rerum *Exemplis*
Mnemoſyne *b* cuſtos, juvat exploratus Homeri *virorum*
Æacides; *c* juvat Æneam voluiſſe Maronis; *fortium &*
Quæque ſub Æmathijs Macedo Dux *d* prælia ſignis *doctrinæ Sa-*
125. Geſſit ovans; quæ Scipiadæ *e* duo fulmina belli; *pientum uti*
Quæque per Auſonias *f* vaſtator Punicus oras

a Athenis fabrili quondam arte celeberrimus, ſed homicidij reus in Cretam profugit, ubi Minois Regis juſſu labyrinthum opus propter implexas ambages admirabile condidit. *b* Mater Muſarum, latinè memoria. quod ab hac artes pendeant. *c* Achilles ſic, quod ab Æaco, viro juſtiſſimo genus duceret. Homerum ſuæ vitæ ſcriptorem habuit: propter quod Alexander M. in Sigæo ad ipſius tumulum exclamavit. O fortunatum, qui tuæ vitæ præconem Homerum inveniſti! *d* Alexander per Æmathios (ſic olim dicti Macedones) totum orbem ſubjugavit, poſt Perſas & Indos devictos, apud Gandarides primum ſubſiſtens. *e* Romani heroës, qui maximè in Africano bello cõtra Hannibalem & Carthaginienſes claruêre, in Aſiam quoque contra Antiochum profecti inſigni hunc clade profligarunt. unde alter Cornelius Scipio Africanus eſt dictus; alter ejus frater Lucius, Aſiaticus. Horum Avus P. Cornelius Scipionis primo cognomen tulit quod ſeni parenti vice Scipionis ſeu baculi eſſet. *f* Italicas oras ab Auſonibus ejus olim populis ſic dictas.

Ingenioque manuque potens; quæ Iulius *a* armis
Pompeiuſque ferox, per quos inviſa tyrannis
Romuleas auſa eſt primum violare ſecures.
Naſcitur his epulis animi ſolertia; quæque
Nutrimenta capit, rebus diviſa gerendis
Diſtribuit, quocunque ſcholæ Plato *b* tradidit olim,
Hoc facis eſſe ſuum; dignisque laboribus aptas
Quidquid Epicteti calamo profluxit honeſtum.
126. Socratico quidquid ſudit Sapientia partu,
Quidquid Stoa tacens, quidquid vocale lyceum
Tradidit, ac doctis Academia volvit Athenis,
His animo majora foves, parvoque ſub orbe
Corporis, ingentem ſapiens complecteris orbem.
Hinc recti pravique vias, fineſque decori
Dedecoriſque tenes. Quas leges ſcribat honeſtas,
Quas natura ferat? quantum regina voluntas
Imperio, quantum ſubjecta potentia poſſit?
Quidquid agas, cautos præmittis ad ardua ſenſus,
127. Et libras momenta operum, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri? ſuſcepta negotia raro
Deſeris, hanc nunquam de te ſocordia victrix,
Aut levis extortam tulit inconſtantia palmam.

Prævidere difficultates & ſuperare.

a Annibal Pænus natione, filius Amilcaris Carthag. ducis, cui ad aras juravit, ſe Romanos perſecuturum; quos jam 25. an. natus poſt domitam Hiſpaniam, in Italia graviſſimis cladibus attrivit, T. Sempronium apud Trebiam, Flaminium apud Trebiam Thraſimenum lacum, Æmiliū ad Cannas, aſtu magis, quam viribus, profligavit 43. millibus cæſis, ut ex nobilium digitis ſubtracti annuli tres modios cum dimidio confecerint, occupaturus Romam, niſi in Campaniam ad delicias male divertiſſet. *b* Qui cum Pompeio genero multis inter Romanos Victoriis celeberrimus, civili denique bello colliſus, & acie Pharſalica victor imperium primus Romæ occupavit, à M. Bruto ejuſque ſocijs ſublatus eſt. *c* Plato ac Socrates ejus Præceptor, quibus Ariſtoteles ſucceſſit maximè celebres in Græcia Philoſophi. Et Plato quidem in Academia Athenis, uti in lyceo ſuperiori loco Ariſtoteles docuit. In Stoa porticu rigidiores Philoſophi Stoici dicti, in quibus Epictitetus qui Romæ ſub Nerone floruit, admirabilis doctrinæ ac vitæ homo. ut lucerna ipſius fictilis ob hominis memoriam 3. mil drachmarum empta ſit.

Adverſos obices, & quæ te cunque morantur
Vincula perrumpis: nec tarda pericula frangunt,
Incautumve tenent. prius hæc prævisa ſubiſti
Pectore, quam toleranda humeris. diſcrimine læta
Exſurgit, floretque malis interrita virtus.
Hæc ſecura ſui eſt quidquid fortuna minetur.
128. Pacis aduletur ſtudium; tranquilla quieſcit.
Mars fremat; intrepidos extendet ad arma lacertos.
Inſidiæ circum, rabieſque, iræque laceſſant;
Diſijciet fraudes, exarmatumque furorem.
Conſilio nunquam caruit prudentia, nunquam
Auxilio nudata ſuo eſt. Deus arbiter æqui
Adfuit, objecitque ſuum Patientia ſcutum.
Te tamen ad belli leges diſtringere ferrum
Cernimus, exertumque pari componere laude
Pacis ad arbitrium. Seu te petat aula togatum,
129. Civiliſque ſuis clauſum reſpublica muris
Gaudeat; externis ſeu bella frementia regnis,
Præſentemque manum, regnatoremque requirant;
Promptus ades, ſemperque tuus. Manus altera laurum
Fulmineam; *a* placidam manus altera tendit olivam, *b*
Pacis amans, bellique potens. Sapientia nunquam
Deficit auguſtum pectus, ſeu publica cures,
Seu privata geras. regnum moderaris utrumque
Laude pari. Quicunque tuum latus aſſecla ſtipat,
Quique miniſterio regalis clauditur aulæ,
130. Hunc virtute probas, & quem diuturnior uſus
Commendat, primas adfert ad munia dextras.
Non tibi Sejani *c* molles, vafrique Cleandri *d*
Aularum placeant Domini, nec prædo relictus

Bello ac pace Conſilio ac manu promptum eſſe.

Probatos aulæ ac Reip. miniſtros deligere.

 Arcadio

a Lauro triumphantes utebantur, ut quæ à fulmine immunis fertur. *b* oliva pacis ſignum, ut quæ pinguis & fertilis eſt arbor. *c* In aula Tiberij Imper. potentiſſimus, ut huic præter ſolum nomen nihil reliquum eſſet, fratris Druſi uxore abuſus eſt, Druſo per venenum ſublato. Sed miſer denique à ſenatu ſententia capitis damnatus, & cum filiis trucidatus, triduo in publico jacuit, ludibrium Romæ quæ eum ante adoraverat. *d* Par hujus, quæ Seiani apud Commodum fortuna, ex imo gradu ad aulæ præfecturam per vafritiem evectus, mox honoribus infami morte defunctús eſt.

Arcadio tutor;*a* nec quem male protulit Auſtro
Infidus Stiliconem Aquilo, qui ſæpe triumphis
Ornatam, turpi maculavit Sanguine Romam
Proditor, abſolvitque ſuos moriturus honores.
Fundamenta quatit. multos rapit ardor habendi
131. Harpyiis *b* ſimiles, quibus & reverentia juris
Et vilis pietas, populorum colla tributis
Preſſa gravant, ſpoliiſque manus implentur avaras.
Sunt quos pulcher honos, & non ignobile nomen
Principis, inſanâ raptos vertigine, ducat,
Artifices fraudum; quibus eſt ſimulatio virtus;
Verba doloſa, fides; aſtus, ſolertia prudens.
Noverat Auſtriades *c* cautus diſcernere mores,
Et nudare dolos; perque explorata clientûm
Munia, ſepoſiti penetrare recondita ſenſus.
132. *Sunt animi mores ſpeculum; veſtigia mentis*
Index vultus habet: mendax ſimulatio frontis
Nulla diu; ad proprios redeunt fucata colores.
Principis eſt noviſſe ſuos: ne durus amicis,
Hoſtibus occurrat facilis: ne præmia recti
Occupet improbitas, ſcelerumque innoxia plebes
Sentiat inflictas, noxarum munera, pœnas.
Ars bene poſſe regi; eſt maior rexiſſe, ſuprema
Siquis utrumque poteſt. Multis ſervire neceſſe eſt
Cui ſervit plebs multa Duci. non omnibus idem
133. Impetus eſt animis. Prius exploranda facultas,
Ingeniumque favorque hominum, quam ſtricta poteſtas

Princeps, ut prudenter imperet, ſubditorum ingenia noſſe debet.

Imperet;

a Theodoſius Imp. moriens Arcadio filio orientis Imperium ſub tutela Rufini aulici, Honorio occidentem tutore Stilicone reliquit; ſed uterque ſuo Domino infidus, ille Alaricum Gothorum Regem ſolicitat, ut neceſſitate hac Imperium ad ſe transferret, ſed cognita perfidia, occiſus, caputque & manus dextra portis Conſtantinopolitanis affixa, in quem tragicè Claudianus Poëta invehitur. Stiliconis inſignis encomiaſta. Hic quamvis Honorij ſocer, tamen filio ſuo Eucherio regnum aſſerturus, Suevos Vandaloſque in Italiam provocat; ſed Romæ cum filio in foro pacis infami morte ſublatus eſt. *b* Aves rapaces virgineo vultu, in Stymphali Arcadiæ palude, ab ἁρπάζειν rapiendo, ſic dictæ. *c* Carolus V. ab Auſtria gentis ſuæ patria ſic appellatus.

Imperet, ac rigida firmet mandata ſecuri.
Non tamen arbitrio quovis pendere regentem
Fas erit, *Obſequium vulgi eſt.* nec tradere leges,
Sed poſitis parere decet. *Plebeia nunquam*
Regna diu conſtant. Vnum eſt reſpublica corpus,
Vno animo regitur, vitâ vegetatur eâdem:
Senſus ineſt capiti. primam hic Sapientia ſedem
Collocat, hinc motus partes ſparguntur in omnes,
134. Hinc ſuus, & membris decor eſt, & idonea virtus.
Scilicet imperium magnâ ratione gubernas
Carole, ſcis quantùm mereatur mobile vulgus,
Et vulgi Dominus; quantùm generoſa tuorum
Nobilitas Procerum; quantùm Germanus Ibero
Diſtet, ab Auſonio Francus, Batavoque Britannus.
Quilibet officioſus adeſt, humeroſque fidele
Curvat ad obſequium. Tu Rex cuicunque probaris;
Te Regem quicunque probat; ſua munia quiſque
Viribus æqua ſuis; meritoſque potitur honores.
135. Contemptum ſe nemo dolet. Quos robur ad arma
Atque ingens animus generoſis imbuit auſis;
Hectora, *a* bellorumque Duces vis eſſe tuorum:
Quos placidi mores prudenſque modeſtia format,
Hos cupis Arſenios; *b* his juſſa palatia ſubſunt,
His paret ſoboles. Aulæ moderator Iberæ
Cum Belgâ eſt conjunctus Iber. Dux Italus armis
Imperat, Odryſiaſque *c* manu contorquet habenas.
Hoc ſolidum belli corpus laudare putaris, *d*
Cui caput Italicum, Germanum pectus, Ibera
136. Dextera. Sic trucibus viſus concurrere Mauris, *e*

Idonea cuique munia imperanda sunt.

Ll 7 Sic

a Hector Trojanorum fortiſſimus Regis Priami filius. *b* Arſenius raro in aulis exemplo doctrinæ pietatem adjunxerat, ic-circo à Theodoſio Imp. Arcadio & Honorio præceptor datus verùm ille, cum, ob plagas acceptas, hujus vitæ inſidiaretur Arſenius in Eremum ad Deo ſerviendum ſe contulit. *c* bellicoſus, quod hi populi feroces, & martii eſſent: *d* Optimum Carolus exercitus illud corpus dicebat, in quo pro ſummo capite Italus, Germanus pro generoſo pectore, Hiſpanus pro manu pugnace deſerviret *e* In bello Africano, quando Muleaſſen, Tuneto expugnato reſtituit.

Sic Pœnos terrere Duces, ſic Turcicus horror
Verſus in oppoſitas, Solymanno hærente, a catervas
Tu tamen adjunctus rector rectoribus ibas,
Sub Ducibus miles miles, ſub te Dux arma ferebat,
Accipiens quæ juſſa daret. Vidiſſe ſuorum
Aſpectus; contra ſpectatum à milite Regem, *Imperator belli ſolertia ac vigilantia.*
Pars pugnæ felicis erat. *Dat gloria vires,*
Et vultus plus ſæpe poteſt, quam Cæſaris ira.
Non deeras ubi fortè tuis fortuna deeſſet
137. Injurata comes. Te ſolicitudo parentem
Oſtendit miſeris, ſolers vigilantia ſervum.
Viſere caſtra pedes, tentoria promptus obire,
Pervigil à media ſomnum ſecludere nocte
Viſus, & afflictis ſolatia ferre maniplis.
Conſilio tu ſæpe tuo, tu ſæpe tuorum
Obvius adverſis, dociliſque, ac recta momentûm
Tam facilis præcepta ſequi, quàm ferre ſequenda.
Scilicet *hunc audit miles civiſque regentem,*
Quem conſulta regunt. Quid Martis inutile fulmen,
138. Dum potes exarmare tuos, ſine cladibus, hoſtes?
Conſilio utilius, quam viribus arma geruntur.
Et Mars arte valet. quiſquis ſine ſanguine vicit,
Bis vicit; minor eſt civili bellica laurus.
O decus æternum noſtri prudentia Regis, *Deſcriptio Prudentiæ*
Gloria regnorum, moderatæ regula vitæ,
Conſilii lumen, morumque magiſtra bonorum,
Virtutumque parens, tu mutua federa ſancis
Pacis amans, placidaſque regis ſub legibus urbes,
Et juris momenta tuo ſub pondere libras,
139. Juſtitiæ rectrix. Tu Martia porrigis arma,
Vimque jubes virtute premi, ferroque ſecari
Vulnera, cum mollem detrectant ulcera dextram.
Tu procul ad poſitas tranſmittis lumina metas,
Quæque futura vides, tu finem tangis honeſti,
Ante tuos, ratione viam præmenſa, labores.
Tu tradis quid quæque ſibi reſpublica poſcat;
Quæ leges aulam deceant, quas bella requirant;

Qui

a In bello Germanico, quando Solymannum Turcarum Imperatorem 300. armat. mil. Auſtriæ imminentem longe inferiori militum numero fugavit.

Qui mores ornent Dominos, quæ facta clientes;
Tu Regum conſulta regis mandaſque viciſſim
140. Membra caput, rurſumque caput ſua membra tueri.
Auſtriaden tu ſola facis Regina potentem
Imperiis, arteſque doces quibus arma triumphis
Excolat, & preſſos formidinis impleat hoſtes.
Tu quoque bellorum feſſam componere dextram
Pace ſoles, dignoſque operum decerpere fructus.
Æqua Themis *a* tibi juncta ſoror præcedit euntem. *Iuſtitia ejusque partes & officia.*
Dux Heroa ſuum quidquid clypeatus in armis
Aggreditur Princeps, quidquid molitur inermis,
Ad juris præſcripta regit. Quodcunque colendi
141. Numinis officium primus ſibi vendicet æther;
Quam poſcant humana fidem, reſpublica curam,
Improbitas pœnam, Virtus ornanda favorem.
Quas leges Rex ipſe ſibi præfiniat æqui;
Quam libertatem faciat, quo limite ſtringat.
Haud ſecus æterno dum conderet omnia verbo
Omnipotens, quod quæque ſibi natura popoſcit,
Providus attribuit. pluvias arentibus herbis,
Et ſolem madidis, Zephyrum vernantibus arvis,
Et rigidis Boream. conceſſa volucribus ala eſt;
142. Sed ratio donata homini, ſui robora brutis,
At ſine conſilio: juſſi parere leones,
Cornipedes *b* ſua frena pati, ſervire moloſſi:
Stare datis elementa locis, affundere terra
Germen, & acceptos homini mare reddere piſces.
Parvus in orbe, Deus Rex eſt. examine juſto
Librat cuique ſuum. Magnum ſic inclytus orbem
Dirigit Auſtriades. Debent huic ſacra vigorem *Fidei & Religionis prolapſæ inſtaurator.*
(Pro dolor! incultis dudum ſqualentia templis,)
Relligio gravibus debet concuſſa ruinis,
143. His humeris ſubnixa diu, cum ferveret atrox
Hæreſis, & ſparſis involveret omnia flammis.

Inde

a Dea Juſtitiæ Cœli ac Terræ filia, cujus vetus ac celebre oraculum in Bæotia ad Cephiſum amnem. *b* Equi, qui pedes cornu munitos habent.

Inde Cheruſcorum *a* flagrans Germania turmis,
Cattorum inde furens. Cum nec ſua flumina Rhenus
Sufficeret, rabidiſque incendia frangeret undis,
Danubius; flammas vomeret pro fonte Viſurgis, *b*
Amiſiusque *c* ſuos cum fluctu volueret æſtus.
Heu quam deplorata fides, calcataque ſacris
Relligio dedit afflictæ ſpectacula ſortis!
Quas fudit lacrymas! quanto lamenta dolore
144. Suſtulit auxilium inclamans! ſonuere retracto
Auſonidum valles gemitu, Tarpeiaque rupes *d*
Reddidit acceptos miſerando murmure planctus.
Viſus & Eridanus *e* ſubmerſis volvere ripis
Flumina, turbataſque Tibris confundere lymphas
Tempeſtate novâ: tumidis mugire procellis
Auſter, *f* & oppoſitos Boreæ ſpumare furores.
Nec modò trans gelidas Alpes, *g* ſed celſa Pyrenes *h*
Culmina, famoſique vadum translatus Iberi,
Occiduas clamor trepidantis perculit arces.
145. Attonitum procul Auſtriaden rapuere tumultus.
Nec mora, tendentem dextras, & mœſta gementem
Approperans Divam ſolatur, talia fatus.
Heu! quam te video miſeram, pulcherrima quondam
Relligio;

Italia & Hiſpania ſe oppoſuit naſcenti hæreſi.

a Cheruſci olim qui nunc Saxones & Catti, qui modò Haſſi dicti ſunt. qui præcipui fautores & promotores hæreſum à Luthero & Zvvinglio natarum extitère, licet ad Rhenum Moguntinus Princeps, ad Danubium Bavarus & Auſtriacus aliique per Germaniam Principes ſeſe obiicerent. *b* fluvius Saxoniæ, ubi primum hæreſis exarſit & orta eſt, in vicinas deinde gentes, ceu exæſtuans flumen transfuſa. *c* Fluvius VVeſtphaliæ quam inſana Anabaptiſtarum ſecta evertit. *d* Mons capitolinus Romæ, ſic dictus à Tarpeia virgine, quæ Romanam illic arcem Sabinis prodidit armillas pacta in pretium; ſed armis ſeu ſcutis, (quæ Sabini per armillas intellexerunt) obruta, & in monte ſepulta, nomen illi reliquit. *e* præcipui Italiæ fluvij *f* Auſtralis ora per Pontifices, hæreſim anathemate damnantes, ſe Boreali oræ, id eſt Germaniæ, oppoſuit. *g* Montes Altiſſimi qui à Super mari ad inferum per 10. mil. paſſuum facile exenduntur, & Italiam à Gallia & Germania ſeparant. *h* Pyrene puella in montibus qui Italiam ab Hiſpania ſeparant, ſepulta, nomen reliquit Pyrenæis montibus.

Relligio, quæ tantorum nova cauſſa malorum?
Quo decus antiquum, quod bis ſeptena tulêre
Secula, quò tantæ collapſa potentia Divæ?
Tunc ea, quæ Solymas *a* olim moderata tenebas,
Quamque Palatina *b* quondam Petrus arce locatam
Extulit, & geminum regnanti ſubdidit orbem?
146. Quò priſcus defluxit honor! quò lilia frontis *Religio profligata variis in locis Germaniæ.*
Purpureæque genæ, roſeiſque corallia labris?
Quis malè fœdatam prædo, ſeu turpis adulter
Talem auſus violare fuit? Da ſcire dolorem,
Vltor ero. Senſim vires animumque recepit
Diva, verecundos tollens ad ſidera vultus,
Auſtriadenque ſuum. Superos innoxia culpæ
Teſtor, ait, non me ſcelerum contagia tangunt.
Immeritam lacerant; pœnas ſine crimine, poſcor.
Vnus homo, qui tam gravium fax prima malorum,
147. Opprobrium noſtræ gentis *c* fideique nefandus
Transfuga, Veſano ſtimulatus pectoris æſtro
Vim fecit, ſpoliumque mei detraxit honoris.
Hinc mihi Saxoniæ gentes, hinc proditor Albis *d*
Hinc Lichus *e* inſultat, contraque audacia Nicrum *f*

Da

a Hieroſolymis olim Chriſti Religio maximè floruit nunc per Turcam occupatis *b* Palatinus mons Romæ quem olim Principes illius Reip. incoluere. Vnde Palatium hodie quævis domus regia dicitur. *c* Religioſus enim ex ordine D. Auguſtini Lutherus, arrogantiâ ſingulari primum in Pontificis (ut vocant) Indulgentias, deinde in jus Canonicum quod publicè exuſſit, graſſatus, antiquas hæreſes, ex S. Scripturæ perverſa interpretatione ortas, ſed extinctas, in lucem revocavit inceſtæ ſe deinde libidini tradidit, ac doctrinæ & vitæ libertate plures facilè in eandem perniciem traxit, ſed quem denique diſcipuli Melanchthon, Caroloſtadius, Zvvinglius, Calvinus, deſtituerent, in ſuas quique opiniones & hæreſes diviſi, ut cæci ſint qui hanc turrim Babel non agnoſcant. *d* qui præter Saxoniam, Magdeburgum & Miſniam interluit. *e* Bavariæ fluvius qui Sueviam alluit & Danubio infunditur. *f* qui Nicer vel Neccarus dicitur, & VVittenbergicum agrum irrigat.

Danubiique *a* caput ſpumantibus erigit undis.
Rhenus abit Viadruſque *b* retro, Mœnuſque *c* vagatur
Devius, & placidos corrumpit lupia fontes. *d*
In me quiſque ſuas inimicis fluctibus iras
Deſpuit inviſamque Petri quatit unda triremem.
148. Da, precor, auxilium, nec enim te fortior heros
Ferre poteſt. tibi ſubverſas procumbet ad aras
Hæreſis, obſtrictaſque dabit violentia palmas.
Mitis adhæc Princeps blandis ſolatia verbis
Reddit, & exerto Superos mucrone precatur.
Divi, ſiqua fides; quidquid conceſſa poteſtas,
Viſque animi dextræque queunt, afflicta meretur
Relligio; miſeræ totum hoc impendere certum eſt.
Sic voveo. Dabit hæc ſcelerum, dabit improba, pœnas *Bello Religionis hoſtes oppreſſi Saxone & Haſſo capto.*
Hæreſis, extendet fractas ad vincula dextras,
149. Et preſsâ cervice gemet; niſi ſponte remiſſum
Conſiliis, flectat perverſa ſuperbia collum.
Vix ea, cum fremitus circum clangorque tubarum
Concurſuſque virûm, lato terrore, reſultat.
Hinc ruit infeſtis *e* Haſſorum exercitus alis,
Inde furit plebs Saxonicis collecta maniplis.
Arma fremit, rapit arma minax. Quacunque videres
Hoſtis erat. pars Auſtriaden furibunda petebat,
Pars violenta manus ſacris admovit avitis,
Atque ſuis avulſa tholis ſimulacra trahebat

150. Nu-

a In Germania prope Rauracos montes ortus 70. facile exceptis fluvius oppoſito fere Rheni curſu in orientem fertur, atque in Pontum ſex oſtiis irrumpit. *b* Nunc Oderam vocant Pomeraniæ fluvium, qui & Sileſiam, & Brandeburgum alluit, *c* Franconiæ fluvius, qui Moguntiæ Rheno infunditur. *d* Lupia VVeſtphaliæ Padebornenſis agri flumen. His ſcilicet affines accoloæ ex hæreſi corruptionem traxère. *e* Saxones & Haſſi Carolum componendis Religionis controverſiis intentum ſubitis armis aggreſſi opprimere imparatum potuiſſent; verum exiguo milite illorum conatus tamdiu eluſit, dum par ipſe jam diſtractos ultro ac ſeorſim invaderet, ac primò in Saxoniam ſecutus Fridericum Principem, hoſtium caput, prælio victum, captumque in vinculis tenuit, Philippum Haſſiæ Dominum ſupplicem ad pedes ac deinde captivum habuit.

150. Numinis, & ruptis Divorum lipſana clauſtris,
Argentumque aurumque Deo per multa dicatum
Secula, ſacrilegis raptabat perfida dextris.
Hæc Evangelij pietas naſcentis, honorque
Relligionis erat. Tanto diſcrimine Cæſar
Excitus, celeres rapit ad nova prælia turmas;
Parva manus; ſed multorum Dux inſtar obibat
Carolus, hoſtileſque animo præſente phalangas
Atterebat. qualis Spartana ex gente Melampus *a*
Celſus obit, munitque gregem, ne forte luporum
151. Inſidioſa fames, rabieſque inimica capellis
Incuſtoditam rapiat, ſine vindice turbam.
Tum ſi forte Lacon, *b* aut vaſtâ ſtirpe Moloſſus
Se comes adjungat: contra imperterritus urget
Ore lupos, laceroſque rapit mordacibus armos
Dentibus inſiſtens, donec vel ſaucia condat
Terga ſpecus, vel præda ſolum proſtrata cruentet.
Non ſecus Auſtriades Dux auxiliaribus armis
Fortior, adverſas, mutatâ ſorte, catervas
Preſſit ovans, victorque fugâ diſiecit apertâ.
152. Ille Cheruſcorum Rector Fridericus atrocem
Fortunam in Vinclis gemuit. ſimilique Philippus
Haſſorum Dominus collum intractabile fato.
Subdidit, incerta vix libertate potitus.
Ergo fides relevare caput, ſparſoſque capillos *Religio inſtaurata.*
Nectere Relligio, nec deſperare ſalutem!
Templa ſuum revocare decus, ſacra lapſa vigorem.
Nec deerat pietatis honor, nec cultor, avitâ
Captus lege, nepos. ſpoliatis Carolus aris
Ipſe preces ſupplex; & munera larga ferebat.
153. O quoties pronus Superis flagrantia fudit
Udis vota labris, quoties ſingultibus aras
Impulit, ac tacitis duxit ſuſpiria fibris,
Vt minus averſum ferret Germania Numen,
Vtque fides impulſa gravem factura ruinam,
Staret adhuc, pietaſque locum ſubnixa teneret.
Non ego ſi largis Helidonis inebrier undis, Atque

a Nomen Canis ita dicti à nigris pedibus Spartani autem nobiliſſimos alebant canes. *b* à gente ſic dicti canes maximè illic celebres, quanquam & modo grandiores, quales Anglici, moloſſi dicantur.

Atque renaſcentem fecundo Pallada *a* ſenſu
Concipiam, Delphiſque *b* regam delubra Sacerdos,
Phœbeoſque teram tripodas. mea carmina factis
154, Exæquato tuis. quondam præſtantior hoſtem
Nunc laudes ſuperas nec tantum vera putaris
Vincere, ſed vatum de te mendacia ceſſant,
Quod fingunt minus eſt factis. ſibi Romulus *c* armis
Concedet, pietate Numam tranſcendere viſus.
Regulus *d* occumbat, Deciique *e* ferantur in hoſtem
Præcipites, minus eſt patriam ſervare cadendo;
Stantis major honos. Marij *f* celebrare triumphos,
Laurigeraſque comas, vinctoſque ex more tyrannos
Fas aliis fuerit; victoria pulchrior illa eſt
155. Quæ dolet afflictum, quamvis proſtraverit, hoſtem.
Scilicet affectus animi moderatus iniquos,
Te prius expugnas, victuſque in prælia tendis,
Clementerque furis pugnas, ut parcere poſſis,
Et ſine clade noces. Reſpublica nulla Tyrannum
Ve victore timet. primas clementia partes
Semper agit, mollitque æquos admiſſa rigores.
Vidimus afflictos, ſub te dominante, colonos

Fortu-

a Pallas ſeu Minerva ſcientiarum Dea, ex cerebro Jovis nata fingitur. *b* Delphicum Apollinis oraculum in Græcia maximè celebre, ubi ex tripode vates, futura pronuntiabant. *c* Romulus Romæ conditor & Princeps maximè armis, ut Numa poſt illum Religione Remp. Rom. ſtabilivit. *d* Regulus Attilius primus Rom. in Africam trajecit & victo Amilcare 200. oppida & totidem hominum millia cepit, ipſe denique arte Xantippi lacedem captus, Romamque ut captivi permutarentur miſſus, cum re, ipſa volente, infecta rediſſet Carthaginem dolio clavis armato, præciſis palpebris impoſitus vigilia & dolore enectus eſt. *e* Decij tres pater filius, & nepos, cum ſe pro ſalute patriæ devoviſſent, pater bello Gallico, filius Hetruſco, nepos Tarentino, ut occumberent, in hoſtium tela irruerunt. *f* Ex humili villa Arpinate ad urbem ac denique & conſulatum pervenit, quem ſepties geſſit. Iugurtham captum ante currum egit, ad aquas Sextias Teutones deinde & Cimbros ſuperavit, rurſum triumphans. Civili tamen bello à Sylla victus, & captus immiſſum percuſſorem Gallum vultus autoritate terruit. ſub cinna revocatus rurſum conſul honores denique cum vita abſolvit.

Fortunam revocare ſuam: ſqnalentia paſſim
Arva ſubinductis reparare novalia ſtivis.
56. Vidimus illatis ditari mercibus urbes
Quas Indus, *a* quas dives Arabs, *a* quas ultimus orbis
Funderet, & noſtris induſtria traderet oris. *Reſpublica*
Vidimus & mutas iterum reſonare Palæſtras *mercimo-*
Muſarum ſtudiis, totamque biverticis *b* undam *niis & ſtu-*
Montis inexhauſtos ad carmina ducere fontes. *diis florens.*
In laudes ſe larga tuas affundere Phocis *b*
Geſtit & Aonios Phœbus offerre liquores.
Ac vatum ſatiare ſiſim. Tu prodiga rerum
Materies, ſeu te videat Pax alma togatum *c*
57. Seu mereare ſagum. *c* Felix te quiſque beatum
Prædicat, exoptatque, miſer. Quæ poſſidet arca *Liberalis*
Privatis opibus, quos dant æraria cenſus, *Princeps.*
Participant alii: nil non commune potiris.
Muneribus tua pauperiem ſolatur opimis
Dextera, ſubſidioque inopum tibi vilius aurum eſt.
Divitibus quidquid Nereus *d* devolvit arenis,
Pactoluſque *d* jubente vado, pretioſaque fulvis
Hermi *e* Nais aquis, quidquid Nabathæus Hydaſpes *e*
Parturit aurifluis per ſtagna tepentia venis,
58. Inſtar aquæ cenſes: affuſa refunditur unda;
Largiris quæcunque capis. Sit Iberia dives
Fluctibus, Heſperioque Tagus *f* fluat aureus amne;
Tu fluviis melior Princeps cenſeris Iberis.
In miſeros partiris opes; hæ ditibus undæ
Æs pariunt, rarumque capit plebs indiga fructum;
Tu prodeſſe cupis, nec egenti munera differs.

Quas

a Indi auro, Arabes aramote frequenti celebres Indica autem
ıvigatio per Carolum aucta. *b* Parnaſſus gemino ſurgit ver-
:e ad cujus pedes fons amœnus Caſtalia proſilit, in regione
eotiæ quæ Phocis dicitur, juxta quam Aonia regio Muſis et-
n conſecrata. *c* Toga veſtis in pace domi, ut ſagum foris in
llo uſitatum, *d* Ponitur pro mari Deus maris Oceani &
ethyos filius qui ex Doride Nympha Nereides marinas Nym-
ias ſuſcepit. *e* Fluvii auriflui. Pactolus, & Hermus in Lydia.
ydaſpes fluit in Media & India, Arabiam (in qua Nabathæa
) tangit. *f* Tagus Heſperum ſeu occidentem verſus in luſi-
ia, aureis fluere arenis fertur.

Quas bellum conſumit opes has fertile rurſum
Colligit. Hoſtiles armata potentia gazas
Atterit, ac prædis inimicas exuit urbes.
159. Præmia quiſque ducum; Cæſar ſupremis honorem
Felici ſub marte refert. ſine munere ſervis.
Ipſa tibi virtus pretium eſt. Sat credis honeſtum
Quod patriæ te poſcit amor, quod publica ſuadent *Amor bo*
Commoda, quod miſeranda rogant diſcrimina vulgi. *communi*
Immemorem te ſæpe tui, propriæque quietis
Novimus oblitum, per denſa pericula tendis;
Ut populi vitare queas. & commoda ſpernis
Propria; ne miſeræ ſpernas incommoda gentis.
Tu patriæ pater ipſe tuæ eſt. ſub nomine tanto
160. Imperium dulce eſt. gaudent parere miniſtri
Tunc etiam cum dura jubes; quæcunque putantur
Aſpera mollit amor, rigidas in crimina pœnas
Quantumvis offenſa manus diſtringat, amare
Crederis, & tantùm noxas odiſſe malorum. *Scelera à*
Nimirum, *Dominis toleranda iniuria non eſt;* *bono Prin*
Cum fovet indulgens ſceleris patientia vires. *cipe punien*
Impunita trahit ſocias audacia noxas. *da.*
Quam lenis medicina nequit, dat ſæpe ſalutem
Dura manus, rigidum ſecat ulcera putrida ferrum,
161. Perfuſumque acri vulnus coaleſcit aceto.
Nec morbis unum ingenium eſt, nec moribus unum.
Certa ſuis eſt herba malis. Quæ mollibus aura
Imbribus arentes nuper ditaverat agros:
Nunc ruit importuna ſatis Aquilone rigente
Sæpe opus eſt. peſtem Zephyri vexêre faventes.
Et prodeſt nocuiſſe manu quandoque regenti;
Et parſiſſe nocet. *Vitiis ubi munera dantur,*
Gratuito rarus fuerit virtutis amator.
Præmia virtutem maneant, & crimina pœnæ.
162. Ipſe etiam populi Rector, ne mollius in ſe
Urgeat imperium. *Regem parere, decorum eſt,* *Bono Prin*
Cum leges mandata ferunt. bene jura clientis *cipis exem*
Imperat, exolvitque ſuum. bene ſtringit habenas, *plo compo-*
Et patitur. Talem Auſtriaden miramur in aula, *nenda Reſ*
Talis caſtra regit, legum decreta bonarum

No

Non magis imperio, propriis quàm moribus urget.
Præcipit exemplis, ac plus perſuadet agendo,
Quàm mandando probat. Non nunc ſimulatio mutae
Turpis adulantem Dominis, vitiiſque faventem;
163. Qvi quæcunque lubent, indulgent facta Regenti.
Principibus plerumque ſuus Seianus in aula eſt.
Sit Regis lex prima Deus. ſic inclyta quondam
Auſtriaden Themis erudiit. *Rex regna gubernat,*
Reges ipſe Deus. ſervitque creata poteſtas
Sub majore minor. *Princeps lex viva ſuorum,*
Et recti ſpeculum eſt. imitatur facta Regentum
Tam præſens ætas, quàm poſtera, Pluribus idem
Moribus ut prodeſt ſanctis, ita peccat iniquis.
Iuncta poteſtati probitas confirmat honorem.
164. Nititur hac ſtabilis fundata potentia Regum,
Hac conſtat ſecura quies. *cum crimine regnum*
Omne breve eſt. ſolio malè conjunguntur eodem
Improba libertas, atque inconſulta poteſtas.
Poſt malè calcatas leges, plebs calcat honorem
Principis, & ſpreti vileſcit gloria ſceptri.
Ne Dominum perverſa ſuum cuſtodia cingat, *Princeps Satellitium probum habeat,*
Flagitioque favens; *æqui, quem ſtipat iniquus*
Nomen habere nequit. Foveat probitatis amantes,
Qui cupit eſſe probus. rectos quicunque tuetur
165. Se quoque defendit Princeps, quique invidet æquis,
Invidet ipſe ſibi. facilis mereatur amorem *Amare magis quam terrore ſubditis imperet.*
Plebis, amore ſuo, Regis bis nomine gaudet,
Qui populos animoſque regit: nam corpora vulgi
Indignum eſt Domino tantùm parere jubenti,
Obluctari animum; gratas amor arte catenas
Iniicit, & faciles rapit ad mandata clientes.
Arma tegunt; ſed ſæpe premunt. cuſtodia virtus
Optima, munitumque latus ſat gentis amore eſt.
Hæc quæcunque metu Dominis ſubjecta reguntur
166. Stare diu nequeunt. *nil cum formidine tutum eſt.*
Mutatur cum ſorte metus. dolor arma miniſtrat.
Extimulat trepidas ſolers audacia vires.
Nec timor obſequij cuſtos diuturnus habetur.
Quos genuit natura pares, quandoque reducit
Arbitrio fortuna ſuo, vulguſque regenti.

Exæquat.

Exæquat, Dominoſque facit parere miniſtris.
Non deerunt hoſtes; quamvis lex regula factis,
Quamvis meta Deus fuerit. *Res optima quæque*
Invidiæ cibus eſt, livor pulcherrima carpit.

Invidiæ expoſiti ſunt regentes.

167. *Peſſimus interpres.* multis inviſa poteſtas
Et regni titulus: multis ſuus indole Princeps
Diſplicet. *Ingenio cuius ſervire regentem,*
Pulchra quidem dos eſt, ſed corvo rarior albo.
Non aſpernetur tenues, ſit promptus adiri,
Comis in alloquio, vultuque ad verba ſereno;
Sed mores gravitas, majeſtas digna loquelam
Temperet, abrumpatque rudis conſortia vulgi.
Obfuit hic nimium. *Veneranda potentia Regum*
Miſceri cum plebe nequit. præſentia Regis,
168. Non, niſi rara, juvat. Proceres ſpectentur in urbe,
Sintque aures oculiq; Ducis, quibus omnia luſtret,
Omnia ſcrutetur: ne quid diſcordia turbet,
Inſidiæ violent ſcelerumque audacia peccet.

Plebi Rex nec durus eſſe, nec familiaris nimium debet.

Conſultor ſit ſæpe Plato, *a* ſit ſæpe Lyæi
Cultor Ariſtoteles *a* Senecæ poſt fata loquentis
Os videat, cupidiſque animis oracula condat.
Vt bene ſit vivis, non vivos conſule Princeps:
Sic ſolus, non ſolus eris, conſulta favore,
Atque odiis caritura leges, Se nemo dolebit
169. Rejectum, nemo conſultor munera poſcet.
Hæc Aſtræa *b* ſuo documenta ferebat alumno.
His ubi munitus fueris, deforme putabis
Majorem imperio, virtutibus eſſe minorem.

Princeps doctorum libros qui ſine affectu ſunt debet conſulere

Tu regni ſol, magne, tui es. ſol cetera vincit
Sidera, tu proprios ſuperas virtute clientes.
Hic orbi ſine labe micat; tibi crimina nullam
Aſpergunt majora luem. Sol omnibus idem
Terrigenis; tu Germanis, tu Rector Iberis
Romaniſque idem es. mundum fovet ille calore,

Omnibus æquum eſſe.

170. Tuque

a qui omnes de recta adminiſtrandi Remp. ratione ſcripſere Et hic Neronis, peſſimi Principis, optimus præceptor, patum à Lege Chriſtiana alienus, ſi non particeps fuit.

b Jovis & Themidis filia, Juſtitiæ præſes, pro ipſa hic Themide uſurpatur.

170. Tuque favore tenes, radiis hic educat aurum,
Terrarumque ſinus implet; tibi pulchrior auro
Vulgi affulget amor. Sol annua tempora cœlo
Digerit, & vernis diſtinguit floribus agros,
Meſſibus æſtates, autumnos fructibus implet:
Tu quoque donorum largus, ſua jura colonis,
Præmia militibus, civi commercia defers.
Per te cultus ager, tibi vectigalia reddit,
Æqua tamen: per te defenſæ civibus urbes
Defendunt Dominum: per te dat curia leges,
171. Et recipit juſtumque fovet, juſtoque fovetur.
Quò pietas te ſancta vocat, quo Eccleſia Mater
Huc ſequeris. ſacris per te reverentia Mitris,
Doctorumque refulget honos, ſic dirigis omnes
Demiſſio erga meliores, aut maiores.
Ut melior te quiſque regat, quem laurea Muſis
Eximium, *a* decorat; quemque Infula clarior effert.
Diceris Auſonidum prono veſtigia vultu
Obſervaſſe Patris. *a* Stupuit te Roma potentem,
Demiſſumque ſimul, quem majeſtate timorem
Hauſerat armatâ, blando convertit amore,
172. Poſtquam oculis vanæ didicit mendacia famæ.
Non Gothico terrore trucem; non, Attila, *b* vultum
Non, Alarice, *c* tuum torvâ cervice minantem
Humano vultu.
Oſtendit trepidis; ſed qualem blanda poteſtas
Fingeret, auguſtum ſpecie, ſine nube ſerenum.
Frons Germana fideſque tibi, quam neſcia fraudum
Simplicitas, nulloque doli velamine candor
Candido ac minimè doloſo animo.
Proditus exornat, non te fallacia voces
Fingere, non mendax docuit ſimulatio vultum.
Hoſtibus arma palam, non pacis imagine tecta,
173. Non occulta geris; pugnamque odiumque profeſſus

a Doctores, Epiſcopos & ſummum Pontificem obſervas, Clementis enim Papæ pedibus advolutus Carolus, quem ante captivum tenuerat; ei deinde ſingulari humanitate, cum omnium admiratione, intime eſt conciliatus. *b* Attila Rex Hunnorum, qui per Germaniam & Italiam (ſubverſâ hic Aquileia) ita rem Chriſtianam afflixit, ut flagellum Dei appellatus fuerit. *c* Rex Gothorum, qui Romam occupavit & evertit, quo nomine & alius poſtea ejuſdem gentis Rex Roma etiam potitus brevi Italorum inſidiis circumventus periit.

Exeris, intentoque prius, das vulnera ferro.
Nec Laërtiadæ *a* fraudes, nec Epëia *b* vafræ
Artis dona probas. quod viribus auſus Achilles,
Quodque Hector virtute, tuum facis, æmulus heros.
Eſt rutilis aliquod ſpatium ſublimius aſtris *Fortitud*
Trans Lunæ Venerisque *c* polos, cui proxima Solis *In bell*
Regia, belligeris ſedes heroibus apta,
Hic Martis domus eſt armamentaria Divi
Hoc poſuere loco. Fulgent hic æra Tonantis,
174. Thoraces clypeique, haſtæque, enſeſque minaces,
Queis Briareus *d* Cœuſque jacent, vaſtuſque Typhoeus
Centimanuſque Gyges. Victoria mille tropæis
Vexilliſque ornata ſedet, manibusque coronas
Exhibet, & meritis implectit ſerta capillis.
Hunc olim memorant raptum juvenilibus annis
Te ſubiiſſe locum. Stipaverat inclyta Virtus,
Herculeuſque Labor comes huc deduxit euntem. *Armati*
Et facies aulæ placuit. placuere feroces *deſcriptio*
Armorum ſpecies. rapuit manus altera torvam
175. Bellonæ *e* galeam gladium manus altera duxit
Quo quondam Perſeus *f* ſecuit trucis ora Meduſæ.

Lorica

a Ulyſſes ſic dictus à laerte patre, hic Rex Uticæ & Dulich Græciæ inſularum, Græcorum aſtutiſſimus in bello Trojan qui ut hoc declinaret, inſaniam ſimulavit, uti Achilles in mu liebri ſe habitu abdidit. uterque vero adductus, rem Græcoru ſuſtinuerunt, ille fraudibus, hic viribus. *b* Epeius faber equi in gentis Trojani, quo, per armatos in eo latentes, urbs intercept fingitur occaſio fabulæ creditur, quod is muralem machinam quam equum ſeu arietem vocant, invenerit. *c* Martis cœ lum quintum ſupra. Lunæ, Mercurij Veneris & Solis poſi tum. *d* Gigantes (ſeu Titanes ut alij) à Terra geniti cælum ſibi debitum ex patre Titane contra Saturnum & Jovem occupare volentes in Phlegræis Theſſaliæ campis montibu congeſtis adverſus Deos pugnaſſe feruntur. in his Briareus & Gyges centimani, Typhæus ſeu Typhon ingenti corporis mo le fuiſſe fingitur. Jovis fulmine omnes proſtrati. *e* Dea Belli, ſoror Martis, cui Sacerdotes proprio ſanguine ſacrificabant. *f* Jovis ex Danae filius, Andromedam Cephei filiam Marinæ bel luæ objectam liberavit, & adamantino enſe (Harpen vocant) à Vulcano accepto, Meduſam Gorgonem, (quæ ſerpentibus cri nita, in ſaxa ſpectatores converteret) averſus, obtruncavit.

Loricam Mars ipſe pater cervicibus aptat,
Vulcani *a* ſudantis opus, raraque Cyclopum
Arte labor; ſtygiis merſam induraverat undis,
Et rutilos Indo limbos induxerat auro.
Ærato reliquum corpus vallavit amictu,
Qualis in Odriſiis, bellator maximus, oris
Dura Corinthiaco *b* veſtitus membra metallo
Ipſe Getas Thraceſque *c* ſuos præcedere viſus.
176. Talis eras: talem cupido Victoria mater.
Strinxit in amplexu. Meus, inquit, Carole Princeps,
Natus eris, victor patriis dominabere Belgis,
Heſperiæque tuæ. Dabit hæc te vindice pœnas
Atque rebellantes ſtringet ſub vincula dextras.
Quantumvis gravibus Germania ſæviat armis
Inferior virtute tua ſuccumbet, & uni *Bello domita*
Deferet imperium, ſubmittent colla, jubaſque *Germania*
Succuſſator Equus, *d* trepidique ad vincla Leones. *& Italia.*
Et Cattus pavidos in nodum colliget ungues.
177. Gallica marceſcent detractis lilia *e* ſertis,
Et frontis victricis honos. Franciſcus Iberos
Quos ſibi promiſit victori, victus adibit.
Caſtraque carceribus mutabit, ſerta catenis.
Roma tuis etiam quaſſata ferociter armis
Depreſſa cervice gemet, ſacraſque tiaras *f*
Proteret immiſſis vecors Bellona maniplis,

 Horrebiſ-

a Vulcanus artis fabrilis Deus, Cyclopibus monoculis in Ætna pro famulis uti fingitur, ut ſunt Brontes, Steropes & Pyraemon. *b* Corinthus ære inſigni nobilitata eſt. *c* bellicoſæ gentes, ut proinde apud illas Mars natus fingatur. *d* Saxones per equum, quem ferunt in inſignibus: uti Bohemi aliique Germaniæ populi per leones intelliguntur. Cattus, veteri uſurpatione, Haſſus eſt. *e* Lilia (quæ Gallorum inſigne faciunt) tunc emarcuerunt, cum Rex illorum Franciſcus in bello Italico, ad Ticinum flumen & urbem (alii Papiam vocant) Inſubriæ, captus, à Ferd. Piſcario Davalo & Car. Borbonio Gallo, Cæſaris Ducibus, ac deinde à Lanoio in Hiſpaniam ductus eſt. *f* Pontificem & Cardinales Cæſaris miles, Borbonio duce, (in prima urbis occupatione calente) fœdè ſacris profaniſque ſpoliatis, captivos detinuit, dum ingenti ſe auro redimerent, quod facinus ipſe Carolus deteſtatus fertur.

Horrebiſque tuum facinus. Terrebitur Auſter *a*
Quo te cunque feres, Inſubria *b* porriget haſtam,
Deponent Veneti Clypeos Florentia *c* Parmam.
178. Serviet Eridani *d* dominantibus herba capillis,
Ticinuſque novas plectet, Tiberiſque coronas.
Victores armata Thetis *e* trans æquora claſſes
Provehet, ac Siculas *f* implebis navibus undas, *Africa devicta.*
Oceanumque reges Libycum. Tibi litora ſternet
Africa pugnanti ſupplex, tibi Pœnus Eliſæ
Poſthumus, Æthiopeſque nigri, Numidæque feroces
Et Cyrenaicus celer, & Naſamonius atrox
Victima Matris erunt pavidæ tremet altera gentis
Carthago, quam Tunetum dixere nepotes, *Aſia territa.*
179. Et Tarteſſiaco *g* flectet ſua mœnia ſceptro.
Te quicunque bibit Pontum, *h* Tanaiſque *i* fluenta,
Quoſque lacus Mæotis alit, *k* quoſcunque Propontis, *l*
Armatum metuent. Tu formidata Tyrannis
Tela animoſque geres, & de victore triumphum
Victor ages, dominoſque tibi ſervire videbis.
Sic ait, & roſeis admovit baſia labris.
Iamque viam retro Princeps ceſſurus abibat,
Cum ſubitò lætos reſoluta tonitrua plauſus
Inſonuere Duci. late cyclopea ſpargunt

180. Ful

a Italia & Africa, quæ nobis verſus Auſtralem plagam eſt. *b* Italiæ pars verſus Alpes quæ Sabaudiæ jungitur, Ciſalpina olin Gallia dicta. *c* Vrbs Hetruriæ in Italia, quam Carolus ſubactam Mediceis reſtituit. *d* fluvii celebriores Italiæ Carolo ſubjectæ. *e* Dea maris pro mari poſita. *f* quæ maria Carolus ingreſſus eſt, quando ad reſtituendum Muleaſſen Tuneti ſive Carthaginis Regem in Africam egreſſus, Pœnos Didonis (ſive Eliſæ poſteros, Æthiopes Numidas &c. bello vincit, Muleaſſe reſtituto. *g* Hiſpanico, à Tarteſſo ſeu Carteia urbe maritima Bœticæ. *h* Pontus Aſiæ minoris Provinciæ venenis & exilio Ovidij celebris *i* Tanais Scythiæ fluvius qui in Mæotidem eiuſdem regionis paludem influit. *k* mare quod ab Helleſponto ad Thracium Boſphorum extenditur, quæ loca & maria à Turcis poſſeſſa, & contra Carolum armata, ejus potentiam timuerunt. Barbaroſſa & Solymanno fugientibus. *l* Sic fulmina vocantur, quod ea Cyclopes Jovi cudere fingantur.

180 Fulmina Cælicolæ. Siculæ tremuêre Charybdes, *a*
Scylla ſuos reſoluta canes immugijt undis.
Tela triſulca ruunt. Sparſas bibit Africa flammas,
Et Tunetanis flagrant incendia campis.
Nec procul hinc noſter Princeps à litore Pœno.
Vobis ſi qua fides, Afri, eſt, exponite pugnas
Auſtriadæ, veſter memoret certamina miles.
Et quæ belligeris ſurgunt monumenta tropæis.
Quidque triumphatis Muleaſſes debeat oris.
Debeat Heſperio Regi? depingat eumtûm

Fortis in bello inferendo.

181. Armatorum ingens in Pœnos fortiter agmen,
Cedentemque retro Maurum, Numidamque fugacem.
Vrbibus admotum vaſto molimine Martem.
Portarumque obices & fractos viribus Afros
Nec minus Algerium *b* referant tumidumque procellis
Nerea, divulſumque ſuis à ſedibus æquor
Auſtriaden contra: dum claſſis Iberica portum
Naufragijs, Afraſque jacens implevit arenas,
Jumentorũ hominumq; graves complexa ruinas.
Scilicet hanc potuit cladem Mavortius heros

Fortis in Naufragio & hoſtium impetu ſuſtinendo.

182. Infracto ſpectare animo, potuitque natantes
In pelago tabulas, animaſque in morte ſuorum
Fluctibus obluctantûm atris, & inulta cadentûm
Funera, tantorum ſocius perferre malorum.
Hinc immite furit trucis inclementia venti;
Tempeſtas hinc ſæva maris cœlumque ſolumque
Eripit, & dubias rapit in diverſa carinas:
Inde ſuas Pœni cumulanr Numidæque *c* ſagittas,
Et ferro miſeræ geminant ſpectacula cladis.

a In freto Siculo hinc Charybdis vortiginoſum mare naves abſorbens inde collidens ſaxũ, Scylla eſt: illa rapax ante mulier, hæc amans puella fuiſſe fingitur, & illa à Jove fulminata: hæc à Circe venenis mutata & infernè cincta canibus. *b* Carolus dum altera expeditione in Africam, Algerium nobilem illic urbem portumque, Barbaroſſæ ſedem peteret: tempeſtate & magna ſuorum clade rejectus, admirabili conſtantia fortunæ obluctatus, vix denique cum paucis ſalvus Europam repetijt. *c* Numidæ equitatu inter Afros, ob celeritatem, celebres, vagi ac otioſi pene homines, qui ibi morantur, ubi pecori læta reperiunt paſcua.

Nulla ſalus, non unda gravis diſcriminis expers,
183. Non tellus ſecura mali. Superaverat omne
Sors mala conſilium. Sed enim, *fortuna minaci*
Virtutem terrere poteſt, non frangere caſu.
Conſtitit Auſtriades, qualis Naſamonia *a* rupes
Suſtinet iratum rabidis aſſultibus æquor,
Telorumque imbrem, quamvis extrema minetur
Efera barbaries, quamvis adverſa furorem
Exacuant elementa ſuum: ſine nube, ſerena
Magnanimi frons una viri eſt, tantumque procellæ
Non feriunt pectus. quaſſatis, integer ipſe
184. Sufficit ordinibus, præſens, collapſaque fulcit,
Exemploque præit: redeunt ad ſigna manipli,
Et quamvis metuenda, pudet metuiſſe clientes,
Cum Dominum perſtare vident, contraque flagrantes
Bellorum furias, tempeſtatumque ruinas
Obfirmare animum. Qualem dum forte leænam
Circumſtant rabidique canes, haſtæque feroces
Venantum; trepidant catuli ſub matre latentes,
Exoptantque ſuis ſpelæa fugacia ſilvis:
Vt tamen erectam contra ſpumare parentem,
185. Cumque viris terrere canes, ac ſpernere tela
Obſtantûm adſpiciunt, redeunt in membra calores,
Et crudi teneros acuunt ad vulnera rictus,
Dum ſua deſperans venator ſpicula vertat,
Roſtra canis. tandem ſeſe, catuloſque leæna
Colligit, & facili gaudet ceſſura triumpho.
Talis in armatâ miles ſtatione locatus
Durabat, magnique premens veſtigia Regis,
Nunc ſtabat, nunc retrò pedes, cum laude ferebat.
Sic conjuratis undantia marmora ventis,
186. Cælorumque hominumque minas, ac ſpicula, fregit
Vnius Herois virtus. Victoria victi
Cæſaris, hæc reliquos tranſcendit ſola triumphos.
Ille Philippiades *b* Perſarum victor, & horror
Indorum ſignis obiȷt victricibus orbem,
Sed fortuna ſuo vexilla volantia flatu
Extulit imprægnans, faciles ceſsère procellæ,

Fortuna minus, qu

Vnda

a Rupes Africæ *b* Alexander Magnus qui Patrem Philippum, uti & Carolus habuit. Vnde uterque Philippiades eſt.

Vnda rates vexit, poſitoſque in gurgite pontes *virtute*
Suſtinuit, nullaſque dedit Rhamnuſia *a* plagas. *niti.*
Noſtra Philippiaden dant ſecula, ſorte minorem,
187. Majorem virtute ſuâ: minus ille laboris;
Hic plus laudis habet. dignum magis illud honore eſt,
Quod virtus, quàm quod ſtatuit fortuna tropæum.
Mens excelſa tibi, ſublimibus æmula cœlis,
Cordis in arce ſedet, quæ dedignata latere,
Nec vulgi ſtrepitus, nec inania vota moratur:
Immortale decus ſequitur, famæque theatrum
Occupat. *Illuſtris virtus eſt ſemen honoris,*
Et calcar virtutis honor, fax mentis honeſta
Gloria, nec quæſita tamen. fugit illa ſequentes,
188. Vmbrarum ſimilis, tantum fugientibus inſtat.
Æternas tu cogis opes, mortiſque tributo
Exemptas, quos nulla lues, nigrumve venenum
Corripit invidiæ, nec ſortis ſpicula tangunt.
Quæ patriæ tibi ſuadet amor, quæ dictat honeſtas,
Quæ legum decreta monent, quæ gloria Divûm,
Promptus adis, dextramque regunt conſulta potentem.
Cernimus erectas terris aſſurgere moles *Magnificis*
Mirandorum operum, celſis palatia muris *templis opes*
Excreſcunt, divumque ædes faſtigia tollunt, *impendere.*
189. Et ſubeunda tuis præeunt ad ſidera votis.
Sic effundis opes. Contemptis, optimus heres,
Ipſe Deus gazis fruitur, gaudetque profuſo
Poſteritas auro, gaudent virtute nepotes.
Nec patienda fugis, Quæ ſors te cunque dolentem *Patiens*
Afflixit, nunquam potuit ſuperare medelam. *malorum,*
Pharmaca vulneribus noſti patientia multis *& tolerans*
Sufficit una malis. dejecto corpore morbis *iniuriarum*
Mens erecta ſibi conſtat, vincitque ferendo.
Si te Fama nigris inimica adverberet alis,
190. Pellis noctis avem, *b* vacuaſque remittis in auras,
Et ſurdos repetit verboſa Calumnia ventos.
Principe magnanimo minor eſt iniuria quævis.

a Rhamnuſia Nemeſis eſt Dea, quæ homines bonis male utentes, pœnis inflictis perſequitur. ſic dicta à Rhamnunte Atticæ pago ubi colebatur. *b* Vt Fama albis alata pennis, ſic nigris Calumnia eſſe fingitur, quæ hic fama inimica dicitur.

Vt vulgus, ſic illa ſubeſt, non longa ferentem
Tempora, non varijs laſſant incommoda noxis,
Spes firmat nutantem animum, regiturque futurâ
Præſens ſorte dolor, mens immortalia volvit,
Et premit elatis mundi ludibria votis.
Hæc tibi, dum teneris ætas pubeſceret annis
Jam Sceptro propior, fertur, præcepta dediſſe
191. Cæſar avus, memorique animo fixiſſe tenenda.

Regno per mortem cedere.

Care Nepos, ſenſim fragili decedimus ævo,
Haud procul à metâ ſtamus. Nos Arbiter urnæ *a*
Admovet, imperiumque jubet mutare ſepulcro.
Huc te fata vocant, quo nos decedere juſſi
Cogimur ire loco poterit ſors fallere tanta,
Mors nunquam poterit. *Sceptris nonnemo potitur,*
Nemo diu: brevis hora datos, expoſcit honores.
Vive, precor Superos, & ſecula vince parentum,
Junctaque multiplici cumuletur gloria ſceptro,
192. Sis belli pacíſque decus: tamen unica virtus
Laus ſit prima tui, non te gypſatus avorum
Tollet honos, non in tabula ſpectata Rudolphi *b*
Fortis imago Ducis, quem nobilis Auſtria primum
Protulit imperio. *Vana ludibria famæ*
Innixos proavis fallunt, ſine laude, nepotes.
Optima nobilitas ſola Virtute, probatur.

Temperantia.

Hæc neque fulcitur ſceptris innixa potentum,
Nec metuit depreſſa ſibi. procul abdita turpi
Ambitione ſedet: nullos ſuſpirat honores
Anxia, nec vacuæ captat mendacia famæ
193. Laudis avara ſuæ, nec inania ponderat auri
Præmia; ſed magnâ celſi de pectoris arce
Deſpicit, abjecto quidquid miramur in orbe.

Nobilitas vera non ab avis, ſed virtute eſt.

Attamen oblatos non aſpernata favores
Fortunæ, potiturque bonis, fruiturque labore,
Audirique cupit. *Virtus alimenta requirit.*

Opes & honores, non

Qua

a Æacus cum Minoe & Rhadamantho, qui morientium apud Inferos Judices, ex Urna, nomina educere finguntur. *b* Habſpurgi Comes & Auſtriacæ familiæ præcipuum lumen; Virtute bellica ac pietate prorſus illuſtris, quibus dotibus Imperium promeritus, latè potentiam extendit, poſtquam Ottocarum Bohemiæ Regem, atque Auſtriæ poſſeſſorem ſubjugaſſet.

Quæ latet, hæc paucis prodeſt. quam velat egeſtas
Sordida deſpicitur; quam gloria deſerit, hæret,
Admittat, non quærat opes, *ſit gloria donum,*
Non merces; veniant, non accerſantur honores.

ſemper negligendi.

194. Non ſpectanda quidem. ſed nec ſpernenda potenti
Fama viro, quæ tam vitijs afflata nigreſcit,
Quam ducit niveos ſociâ probitate colores.
Hæc meminiſſe juvet. regni quicunque theatrum
Ingreditur, dignos componat Principe mores
Plebis ad arbitrium, ſpectantis conſulat orbis
Iudicium. *minus errabit, quicunque regetur,*
Et populum ſimul ipſe reget. quicunque timendus
Ipſe timebit adhuc legum obſervator & æqui.
Vna prior moderanda tibi eſt res publica mentis,

Sibi ipſi imperet, qui aliis rectè imperare volet.

195. Et famuli ſenſus, & depravata cupido,
Ira flagrans, præcepsque furor, vecorsque libido:
His minor indignas quiſquis concedit habenas,
Servit in imperio Regisque amittit honorem.
Tot, quicunque regit, ſubmittit colla Tyrannis,
Quot paret vitiis. Aliis præſcribere leges,
Et calcare datas: pœnis adſtringere ſontes,
Indulgere ſibi: non eſt res digna coronis;
Sed laqueis. *cave quæ Rector damnaveris ore,*
Suaſeris exemplis: verbis hæc fortius urgent.

196. Nil tibi peccanti clemens ignoſce; ſed urbi
Sæpius; & *vires non experiare nocendo*
Qui Princeps vis eſſe diu. quæcunque dolebis,
Mitiget offenſam juſtaſque remiſſio pœnas,
Atque etiam parcendo feri facinusque puteris,
Non odiſſe homines: *populi vix cura Tyranno eſt:*
Qui Sceptrum, non vulgus amat. qui regna timore
Firma quatit; rurſumque ſuâ formidine captus
Concutitur. *Metuit Princeps, metuitque Tyrannus;*
Iſte ſuis, aſt ille ſuos, timor alter amoris

Clementia, in pœnis adhibenda.

197. Fungitur officio, vindictæ ſuſtinet alter.
Fit quandoque nocens, dum vult punire nocentes.
Qui ſcelus iratus plectit, ſine crimine non eſt.
Sis licet, offenſus parces. cum laude, clienti
Si te noxa petat. *Magna eſt hæc gloria, ſummos*
Lædi impune Duces, hoc credimus eſſe Leones,

Qui calcare queunt hoſtem, parcuntque iacenti.
Quantumvis rapiat demens ignobile vulgus
Seditio, cæcusque furor, clementia telum
Sæpe fuit, quo fracta ruit diſcordia gentis.
598. Et fera blanditijs capitur, ſenſimque leones
Submiſere jubas, & mollia juſſa ſequuntur.
Præceps ira mora, ſpatium indignatio poſcit.
Tandem animus ratioque redit. Non ſemper ab Auſtro
Tempeſtas tumidi non ſemper in æquore fluctus:
Certa quies. ſenſim feritas plebeia quieſcit.
Quam reſecare nequit conſulta potentia culpam,
Diſſimules. *medicis olim incurabile vulnus,*
Sanatum quando: quæ mora eſt. & tempora proſunt.
Imperium dulce eſt. *Quædam eſt regnare voluptas;*
599. *Sed regitur, quicunque regit.* qui pluribus unus — *Regnum*
Imperat, huic plures uni mandata reponunt. — *cum cura &*
Hoc regno proprium eſt: onus eſt, quod plurimus ambit, — *timore con-*
Rarus ferre poteſt. Pretioſum purpura velum; — *iunctum*
Sed tamen ignoti multis tegit ulcera morbi. — *eſt.*
Mille latus ſtipes, & mille clientibus armes,
Non ſatis his munitus eris prudentia ſi te,
Si pietas, ſi certa fides, ſtudiumque tuorum
Deſtituant. *paucos Regum deducit ad aulam*
Regis amor, patriæque ſalus. ſibi quilibet ipſe — *Aulici ſuū*
600. Proximus eſt. *quicunque gerit pro Principe curas,* — *magis bonū,*
Curat & ipſe ſibi. nemo ſine munere ſervit. — *quam regni*
Obſequium hic donis, alius metitur honore. — *& regis*
Indiga nobilitas, & quæ ſua præmia ſperat — *quærunt.*
Adſtat ab officijs. *Ruſinis a creditur aula,*
Arſenii fugiunt, & quorum nulla cupido eſt.
Hic rarus procerum eſt, ſua qui diſcrimina ſpernit,
Publica dum vitat, paucos commune periclum
Terret, & afflicti tangit miſeratio vulgi.
Hoc onus eſt Regis. multorum vulnera ſentit:
601. Et quoque non proprios dolet, adſtringitque dolores.
Providet ignavis, ſimul ignariſque malorum
Membris ſæpe caput. *Quem nil incommoda tangunt*
Proxima non præſit. Multis prodeſſe bonorum
Principis eſto bonum. nec facti præmia quærat — *Rex bonus*
regni com-

Sufficit

a Ille improbus, hic probus. ut ſupra notavimus.

Sufficit ipſa ſibi virtus. Procul omne tributum
Durius, & qui fulva gravant æraria cenſus.
His malè firmatur fulcris oneroſa poteſtas,
Sceptra levent, dives fuerit Reſpublica tantum,
Princeps dives erit *gaza eſt hac optima Regum,*
202. *Qua regnum fruitur.* ſparſi per membra calores
Totum corpus alunt: Stomachum malus opprimet humor,
Cum moles nimium gravat indigeſtâ ciborum,
Obtunditque caput. Fulvi congeſta metalli
Materies, curis animum, noxisque fatigat,
Nec Regem ſinit eſſe bonum, *virtutibus aufert,*
Et præbet vitiis damnoſa pecunia vires.
Ex deſiderijs rerum menſura petenda eſt.
Semper eget quicunque cupit, Rex ſemper abundat,
Cui ſatis eſt, quidquid fortuna ſuprema miniſtrat.
Ne malè diverſis inhies, ſine jure, coronis.
203. Sufficiat quod ſorte tuis diadema capillis
Implexum eſt. magnis ingentia regna periclis
Sæpe objecta patent, crebræ per vaſta procellæ
Æquora funduntur, quæ longis brachia ramis
Porrigit immenſum, patitur Sæviſſima quercus
Fulmina, nec rabidis minus eſt obnoxia ventis.
Obvia regnorum quicunque pericula norunt,
Hæc fugiunt, *cupidos facit ignorantia Reges.*
Fulgor opum, titulique leves, ac ſplendidus error
Decipiunt. Aſiæ poſtquam ſubjecerat orbem
204 Magnus Alexander, doluit ſupereſſe coronas,
Et vincenda ſibi. Perſæ jungantur Achivis,
Indica Medorum ſceptris, nihil eſſe putabit:
Et voto deerit, quidquid poſſederit alter.
Te Proavi meliora docent. exempla Rudolphus
Jure capeſſendi ſceptrum, virtute regendi,
Firmandi pietate dedit. Veſtigia tantum
Preſſa tene, felixque tuam moderabere gentem.
Hæc memorabat avus. Celsâ tu mente reponis
Dicta ſenis. promptisque tuos rationis habenis
205. Stringis ad obſequiũ mores, populũque benigno
Colligis imperio. Rabies nunc improba Turcæ
Pœnorumque ſubacta jacet, nunc hæreſis atram
Expuit infelix bilem, nec atrocia Martis

moda, & opes ſpectat.

Avarus & cupidus Rex nemo bonus & felix.

Imperium, ſubiectis hoſtibus. non detrectandum.

Fulmina pacificam complent terroribus auram.
Tendit adhuc pugnax nequicquam in prælia Gallus,
Et ſubigendus ovat. Poſt tot diſcrimina rerum,
Poſt belli paciſque vices, jam proximus aſtris
Mortaliſque Satur vitæ, contemnere noli
Quod fortuna dedit: noli deponere ſceptrum
207. Quod virtus tribuit, prudens ſolertia rexit,
Defendit pietas, mitis clementia fovit.
Hoc te ſupplicibus poſcit Germania votis,
Quique bibunt refluum Scaldim, *a* quæcunque rapaci
Eridano, ac celebri gentes potantur Ibero,
Cunctorum vox una petit, Te Carole, Regem.
Quod ſi fortè tamen regnorum mole gravatos
Exoneres Atlas humeros, Germania fratrem
Poſtulat Alciden: *b* *Fernandi* nomine gaudet,
Sic etenim conſulta ferunt oracula: nunquam
Stantibus imperium *Fernandis* Tuiſconis oras
Vertere, nec Gothicæ ſubmittere colla ſecuri
Poſſe coronatam patrijs virtutibus aulam
Auſtriadum. Quæcunque tamen fortuna ſequetur;
Poſteritatis honos, ac magnæ gloria famæ
Stabit, & æternas referet clementia lauros.

AMICE

a Belgæ, Itali, Hiſpani ac tota Europa obſtupuit, quod Carolus in Philippum filium, Belgij, Hiſpaniæ, Siciliæque regna transferret, exemplo hactenus incognito. *b* Hercules ſic dictus ab Alcæo avo, qui aliquando pro Atlante feſſo cælum ſuſtinuiſſe fingitur.

AMICE LECTOR,

UT præcipuarum Virtutum deſcriptiones leviori calamo exaratas in Carolina panegyri reperies; ita Vitiorum imagines, majori adumbratas opere, fuſiuſque ductas in Sarcotide noſtrâ reperies, ad hoc præcipuè à nobis concinnatam, ut plerarumque magis in poeſi communium quidam quaſi Hortus eſſet, unde rudior etiamnum ætas ad hanc diſciplinam erudienda delectationem uſumque caperet; ut quæ, tanquam pictoriæ artis diſcipuli, per ſingulorum ſeorſim membrorum ductus ac lineamenta, ad corporis totius idoneam conformationem traducenda ſit. Quocirca noli inprimis abſolutum Heroici poeſios corpus, in hac mea Sarcotide requirere. Hoc enim, ut omnino agerem, mei inſtituti non fuit. Deinde ne accuſes deſcriptionum, ſive frequentiam, ſive quæſitum amplificandi ſtudium: cum id mihi præcipue faciendum duxerim, ut congeſtam aliquam illarum ſilvam, uno tamen in opere, quo eminerent illuſtrius, proponerem. Indicem omnium ad libri calcem exhibebo, Stylum propius ad Virgilianam modeſtiam, candoremque ſimul inflexi; ut qui ſolus penè omnium cum majeſtate orationis perſpicaciam aptiſſimo nexu conciliarit, & cum neceſſe eſt, humilis ſine abjectione, grandis ſine tumore rarus doctuſque ſine obſcuritate, numeroſus ſine affectatione. Quorum primum non vitavit Ovidius & Silius, alterum Lucanus tertiumquecum altero Statius, quartum denique Claudianus.

Argumentum & reſolutionem librorum præmiſi, ad ſtudioſa juventutis facilem uſum, imitationemque: cujus etiam rudioribus materiam ſufficere volui; ut qui in illo deſcriptionum Campo, majori aliquando operi præludere utiliter poterunt.

SARCOTIDOS
LIBER I.

Argumentum breve Hiſtoricum & poëſios reſolutio.

HIſtoria, Deus Adamum & Evam humani generis parent condidit, atque in Paradiſo Voluptatis collocavit, quo u felicitati Cacodæmon invidens, molitur ſuis illam inſidijs ſub vertere.

Poëſis ac fictio. Cùm in Heroico carmine, tanquam in Trago dia, conveniat, ut ſit totius aliquis operis Princeps, Adamu & Evam uno Sarcotheæ, id eſt, Naturæ humanæ (quam Dea Carnis appellamus) nomine Poëta complectitur. Cujus Anta goniſta eſt Draco infernalis Lucifer Antitheus, id eſt, Dei ad verſarius. Sarcotheæ ſociæ fautriceſque perſonæ, per proſopo pœjam junguntur, Arete (uſitato græcis vocabulo) Virtu Agape ſeu Charitas; Themis ſive Iuſtitia; Elpis ſive Spes, Dia nœa ſive Ratio ac Mens, Metanœa ſive Dolor ac Pœnitenti Cõtra Anthiteo ſociantur, Furiæ, Dolus, Mors Morbi, Senectu Labor, Paupertas, Fames &c. quarum interventu totius rei ex peditio & eventus implicatur & ſuſpenditur. Primum itaqu raptum, ſeu mentis exceſſum vates fingit, quo ex ſublimi to tius orbis inconſtantem imaginem contemplatum, ut ſcilicet occaſionem habeat de cauſa mali inquirendi, quæ ex natur humanæ lapſu, Dæmoniſque vi ac fraude accipitur. Deind Paradiſi amœnitatem ex ſimilitudine locorum rerumque ter reſtrium adumbrat, tum & Sarcotheæ creationem figuris re rum cognitarum explicat, cui ſocias moribus atque habitu dig no attribuit, ſtudiaque omnium exponit. Denique Antitheun invidiâ irâque ſeſe primùm, tum Acherontis totius conciliun dirâ oratione inflammantem exhibet, Morte, Morbis, Curis, Labore, Luctu, Paupertate, Fame, ad ultionem excitis. Poſtre mò violentiam & furorem omnium, quo ex inferno in orbem irruperint, depingit.

Ornament: ſunt Deſcriptiones variæ, ut 1. Hominum diverſo rum in orbe ſtudia 2. Paradiſi 3 Creationis humanæ 4. Formo ſarũ Virginum 5. in horto delicias ſectantiũ. 6. furioſi & inferos invocantis. 7. Mortis & reliquorum ſupra, tum & Antitheide formis ſpecies, deinde Orationes ejuſdem. Denique compara

tiones.

tiones. 1. figuli cum Deo creante. 2. Floris cum Sarcothea creata. 3. formoſæ cum Eſthere &c. 4 Erumpentium de clauſo carcere cum vento & Aquis exundantibus.

Imitatio. Chriſti deſcenſus ad Inferos & Luciferum cum Morte & inferno expugnantis ſervire paria meditanti poterit. Hic enim primum ad Patres in Limbo tanquam Elyſios campos Paradiſo ſimiles deſcendat, ibique, Moyſi Abrahamo, ceteriſque junctus. Denique libertatem Dæmonis in humanum genus queſtus, junctis illis, infernum irrumpat, Mortemque & cetera arci monſtra cum Lucifero æternis catenis adſtringat. Propior etiam imitatio hujus libri futura eſt, ſi Luciferum ex inferno Furijs Vitijſque ſtipatum eduxeris Iudæos ad Chriſti in horto captivitatem necemque extimulantem. Quid ſi mulierem (id eſt Deiparam) quæ caput Serpentis conterat (ut in Apocalypſi eſt) omnibus donis à Deo ornatam, tanquam Pandoram alteram, cui ſingulæ SS. Triados perſonæ ſuas dotes conferant, inſtruxeris, quæ ſuis Virtutibus cōtra Luciferum ejuſque aſſeclas ab Inferis erumpentem armata, victum ſubigat, Amoris divini arte & auxilio? Quid ſi etiam ultimus Antichriſti Dæmonem ex inferno advocantis apparatus, pari arte exhibeatur? Quid ſi Eliæ (quod primæ libri parti accommodum) ex hoc orbe ad Paradiſum translatio, ejuſque illuc cum Enocho jucunda ſocietas? Aut verò etiam eorum ex Paradiſo ad terram contra Antichriſtum pugnaturorum reductio hac ratione exponatur? Quæ enim futura ſunt, vates partim ex Angelorum oraculis, partim in ſomnio, raptu, aut objecta imagine prævidere poterit, non ſine fictionis gratia.

Prin-

PRincipum culpæ, ſtygiæque tyrannidis ortum,
Et quæ ſera premant miſerandos fata nepotes, *Propoſitio*
Servitio turpi ſcelérum, pœnaque malorum,
Pandimus, O ſacræ moderatrix Diva poëſis, *Invocatio*
207 .Quæ citharæ quondam nervos, artemq; regebas *divini Nu-*
Ieſſiadæ, faciles ad carmina ſuffice vires. *minis.*
Non mihi Pieridum Nymphæ, Cirrhæque receſſus,
Nec Phœbea placet, Laurus nec oliva Minervæ,
Pegaſeusve liquor, priſcorum ſomnia Vatum,
Pro Muſis Divina parens pro culmine Cirrhæ
Major Olympus erit; fundet mihi dulcior undas
Gratia, Palladium vincet Sapientia Numen.
Tu cæptis, o Diva, fave, noſtrosque labores
Dirige inoffenſo per ſecula priſtina curſu.
208 Quo me cunque rapis ſequar impiger: omnia namque
Te ductrice patent, rerumque occulta tueris,
Prima opifex, noſtræ ſpectatrix prima ruinæ.
Audior ? En facili rapior per inane volatu
Tellurem ſuper, & liquidam ſuper ætheris auram,
Trans avium Boreæque vias. jam ſidera præter
Ambulo nimborumque domos & fulminis aulam
Tranſgredior, ſupraque polos, flammaſque micantes,
Innocuos calco plantis audacibus ignes.
Ecce oculos animumque ſubit, quodcunque coercet
209 Æquor, & Oceanus flexis interluit undis; *Orbis & eo-*
Aut cingit ſpumante ſalo: ſeu nomina ſervet, *rum quæ in*
Seu titulos cum gente ferat, mutataque verrat *orbe uni-*
Litora, & Heſperium pelagus confundat Eoo. *verſim ge-*
O parvi menſura Soli, nimiumque coacta *runtur, de-*
Terrarum infuſo moles circumflua ponto! *ſcriptio.*
Ut mortale ruit ſtudia in contraria vulgus,
Devotumque ſuis, lymphato pectore, curis
Incubat infelix! Pars hæc poſtrema laborum,
Aſtriferos orbes, & celsâ mente Tonantem
210 Ferre Deum, cælique animo ſecreta tueri.
Præſenti impendunt oculos, procul omne futurum
Deſpicitur, tardumque movent ventura timorem.
Hic levis inflati ventis agitatur honoris,
Paſcitur & vacuo, magnumque affectat inane
Regum aulas aureſque ſequens. Vento alter amoris
Navigat,

Navigat, & Cyprijs Sirenas captat in undis,
Donec inexpertis ſcopulis periturus adhæret.
Hunc auri pretioſus amor, pulchrique cupido
Fenoris aggeſtis facit impalleſcere nummis,
211. Divitijs inopem curiſque ingentibus ægrum.
Hic partis fruitur, patriamque eviſcerat arcam,
Curarum impatiens, & Bacchi mollis amator.
Hos ſumpto juvat ire ſago, vibrare ſariſſas,
Arma ciere virûm, ferroque laceſſere Martem.
Hos piget inſanis corpuſque animumque perîclis
Obijcere, & vitam ſubito damnare ſepulchro.
Ille ſolum populare vago faſtidit amore
Ignoti cupiens, peregrinaque littora viſens;
Sed brevis hic furor eſt rurſum faſtidia retrò
212. Palantem revocant, ac nota in tecta reponunt.
Incertis rapimur. Ducit ſua quemque voluptas.
Hic vovet uxorem thalamo, quam devovet alter
Extinctam tumulo. Steriles petit alter amores;
Fœcundos alius, patriaque in ſede nepotes.
Hic ſenium exſpectat, rugaſque in fronte ſeniles;
Hunc pudet ætatis, canoſque abſtergit inertes,
Indignâ ſenibus mentitus imagine formam.
At quæ ſumma mali eſt, vitæ hæc diſcrimina raros
Criminis expertes faciunt, vacuoſque doloris.
213. Vivendo morimur. Magnarum tædia rerum
Et belli morbique vices, ſeniumque juventæ
Incumbens, reſecant lætantûm in ſemine meſſem.
Quantumcunque fluat rebus fortuna ſecundis
Momento refluit, totuſque evertitur axis;
Mobilitas immota manet. Nil certius uno eſt,
Certum ſtare nihil. Quin & moderamine cœlum
Inconſtans proprio, rutilo nunc explicat auro
Solis equos, pulchraque rotas in luce coruſcat;
Nunc atro obſcurum nebularum ſqualet amictu,
214. Obnubitque jubar: Zephyro nunc ſpirat amico;
Nunc furit adverſo Boreâ: nunc rore ſuavi
Liquitur: humentes Auſtro nunc laxat habenas.
Sola manat miſeris tantum conſtantia rebus.
Tu mihi tantarum interpres Sapientia rerum
Tam duros hominum caſus, tot in orbe laborum

Princi-

Principium memora, cauſaſque evolve malorum
Vmbrarum Princeps & opaci Rector Averni
Antitheus, quondam æternas damnatus ad umbras.
Proſcriptuique polo cum cæco Marte Tonantem
215. Infelix peteret, ſuperoſque laceſſeret audax,
Ærea concuſſis laxavit vincula clauſtris,
Carceribuſque pedem rurſum extulit. Ore minaci
Armatâque manu naſcenti triſtia mundo
Bella movens, latamque ferens toto orbe ruinam.
Invida livoris rabies, mentiſque venenum
Ambitio, tantos potuit concire furores
Antitheo, tantos bellorum extollere fluctus.
Eſt locus auroram propter, roſeumque cubile *Paradiſi*
Tethyos, & nati clara incunabula Phœbi. *deſcriptio.*
216. Protopatri natale ſolum, quo primus in agro
Luſit, & innocuæ libavit gaudia vitæ.
Hortorum decus hic, & amœni gratia ruris
Vernat, inoffenſo nunquam ſpoliata decore.
Quidquid Achæmenio nares demulcet odore,
Blanditurque oculis, veriſque meretur honorem,
Hoc Charites poſuêre loco. domus ipſa favonî eſt
Plaudentis levibus per aprica ſilentia pennis.
Exulat omnis hiems. nullis vexata procellis
Hic roſa ſuccumbit; nullo expalleſcit ab Euro.
217. Naſcendo moriens; non Sirius ardor anhelam
Decoquit, aut rapto flacceſcit languida ſucco.
Inviolatus honos violæ eſt, & tota juventus
Chloridis æterno pandit labra florida riſu.
Nullus Hyperboreo Boreas glacialis ab axe
Infeſtas ventorum acies, niviumque procellas
His infundit agris, nullis hic cana pruinis
Arua rigent nullo coaleſcunt frigore Lymphæ.
Aurea perpetui ſurgunt palatia Veris.
In medio laxatur humus; fontemque perennis
218. Spirat aquæ, lateque ſinum telluris inundat,
Infundens avidis felicia balnea pratis.
Flumine quadruplici manet fons, divite ripâ
Quem velut illimes complectens alveus undas.
His fecunda vadis, atque obſtetricibus auris
Tellus læta parit; nulliſque exercita raſtris,

Reſpuit

Reſpuit agricolas, & duri vomeris uſum,
Naturæ contenta bonis, Zephyrique favore.
Pomiferis latè ſilvis, & fructibus omnem
Implet ager campum, nec marceſcente vigore,
119. Poma ſub æternis nutant argentea ramis.
Blanda voluptatis conceſſaque munera, vitæ
Præſidium, faciliſque neci medicina fugandæ.
Hic indulta Dijs, verùm mortalibus arbor,
Interdicta, viret. pulchros habet aurea fructus.
Præſagoſque malique, bonique, omniſque futuri.
Heu! comperta nimis memoro, dudumque probata.
Poſteritas mihi teſtis erit, magnuſque parentum
Ordo docet. Tantis etenim pulcherrima campis
Sarcothea infelix Virgo ac lacrymabile nomen
120. Sarcothea his præerat cuſtos, hereſque perennis,
Ni malè conſultas pandiſſet fraudibus aures,
Hoſtibus auſcultans & federa pacta relinquens.
Hanc conſanguineam terræ, maſſamque rubentis *Hominis*
Informem limi, primò Sapientia, rerum *primi crea-*
Artifici finxiſſe manu, formamque dediſſe *tio, eiusque*
Creditur ipſa ſuam, Dîſque immortalibus unam *deſcriptio.*
Æquaſſe, ut dignam patriæ tranſcriberet aulæ.
Quale laboratâ figulus tellure figurat *Comparatio*
Autor opus, dextrâque lutũ, argillamque tenacem *figuli cum*
121. Fingit, & accenſis ductam fornacibus urit. *Creatore*
Gleba rudis primum eſt, & terræ pondus inertis, *Deo.*
Formatum tamen arte placet, menſâque repoſtum
Exornat niveis inſtructa triclinia vaſis.
Qualis & informi vermis flos naſcitur agro; *Compar.*
Ac luteâ exoritur maſsâ, quem fertilis hortus *Floris. cum*
Concipit, & cœlum fecundâ parturit aurâ. *naſcente*
Primum nympha rudi ſeſe lanugine veſtit *homine.*
Lactentes poſt hæc calyces, herbamque comantem
Explicat, & gratam foliorum porrigit umbram;
122. Horti delicium vel aprici gloria ruris.
Talis virgo fuit, patriâ tellure creata.
Vitales primo thalamos in corde locavit
Sedem animæ, ac puræ, ſenſata cubilia, vitæ,
Infeſtis removens Acherontica ſemina noxis.
Tum cerebri diſponit opus, mentiſque ſupremum

Ordinat

Ordinat imperium, & rationis collocat arcem, *Rationis imperium.*
Quam circumfuſam tenebris caligine denſâ
Eruit, æternâque dedit clareſcere luce.
Hanc regere affectus juſſit, ſceptroque potiri.
223. Membrorum dominam, vitæ, morumque magiſtram
Obſervantem æqui, ac legum decreta ſequentem.
Huic tempeſtates animi fluctuſque tumentes
Irarum mulcere datum eſt, fœdoſque voluptæ
Inſultus, ſcelerumque auſus compeſcere freno.
Inſuper humanos vultus, & frontis honorem
Auguſtum, raræque decus memorabile formæ *Forma pulchritudo.*
Ipſa dedit; niveas ornabat purpura malas,
Et mixtus candore rubor, pulchriſque roſarum
Gratia vernabat labris, ac luce ſerenâ
224. Caſta renidentem decorabant lumina vultum.
Iuncta venuſtati majeſtas blanda decorem
Auxerat, ætherioque probabat ſemine natam.
Par cervicis honos: flaventes lactea circum
Paſſa comas, eboris ſparſo decus addidit auro,
Perque humeros ſpargente Noto, niveoſque lacertos,
Pectoraque, inveſteſque ſinus errante capillo,
Cæſaries levibus plaudebat ludicra ventis.
Cetera membrorum ſeries ſpectando, nec ullis
Veſtibus obnubis, nulloque obſtricta pudore.
225 Caſtum tota decus: famulantibus artubus uni
Reginæ menti. Nulli tam conſona Divæ
Forma fuit. nil diſtorto ſubſidit hiatu,
Nil tumet aſperius, totum Charis explicat una.
Exemplo caruit tantæ concordia mentis,
Et formæ conjunctus honos. ſordeſceret Eſther
Et turpis Suſanna foret, neglectaque Iudith
Si junctæ ruerent ſimul in certamina formæ.
Illa igitur, decus una ſoli, ſpeſque una polorum,
Progenies ſuperûm, per læta roſaria campi,
226. Inter & illecebras oculorum, atque aurea Tempe:
Pomiferas latè ſilvas, lucoſque virentes
Luſtrat, & innocuum ſpectatrix paſcit amorem
Nympharum, hanc aderant circum pulcherrima turba, *Virtutes homini adiuncta.*
Sarcotheæ comites *Areteq;, Themiſque, Agapeque.*

Inſon-

Inſontisque animæ *Dianoeæ*, & neſcia culpæ.
Prima Arete ſuſpenſa ſinus, flavumque coërcens
Impoſitâ crinem galeâ, clypeataque pectus
Armatum, ſacram dextrâ vibraverat haſtam.
Nec minor ire Themis (quamvis concederet armis)
227. Viſa fuit, nuda illâ quidem, fugienſque decoris,
Expertem fuci vultumque animumque ferebat:
Pura tamen niveum velabat purpura corpus,
Purpura Luciferi turpem complexa ruinam
Ingenio formantis acus. Nec prorſus inermis
Enſem dextra tulit, viridem manus altera palmam.
Iuncta dein Agape Dianoeæ, dulce ſororum
Utraque par; illa ornatu ſpectabilis auréo; *Forma rara.*
Hæc niveâ teneros artus circumdata byſſo:
Æmula phœbeis illi duo lumina flammis,
Labra roſis, ebori cervix, malæque pruinis:
228. Huic lactis per colla decus, perque ora nitebant
Lilia, ſiderioque agnata modeſtia vultu.
Omnibus unus honos formæ, ſtirps una deorum eſt.
Omnes Sarcotheam per amœna vireta ſequuntur,
Et ſocias carpunt violas, plectuntque roſarum *In pratis de-*
Serta, coronatos blandè vinctura capillos. *liciari in-*
Perdit odoratas decerptus Amaracus umbras, *ter flores &*
Narciſſuſque comas, pulchroſque Hyacinthus amictus, *fructus.*
Plenaque flammeolis oneratur fiſcina calthis.
Libertas jucunda loci eſt, ſceleriſque voluptas
229. Neſcia: nunc dulci ramorum frigore lenes
Declinant ſolis radios, fuſæque per herbam
Mollibus in pratis curarum expertia ſomno
Membra locant; non pluma capit, nec picta figuris
Stragula, barbarico nec conopea paratu,
Non libet his tanti pretioſum ambire ſoporem.
Blanda quies, ſed inempta placet. formoſaque pictis
Herba toris, roſeo quam Chloris purpurat oſtro,
Quamque ornat natura parens: ubi blandior aura
Alludit placido ſomnum fotura ſuſurro.
230. Hic menſæ genialis opes, & dapſilis arbos
Fructibus inflexos fecundo palmite ramos
Curvat ad obſequium, præbetque alimenta famenti.

Eſuries

Eſuries tamen omnis abeſt, proſcriptaque ſacro
Ingluvies campo: quædam eſt libare voluptas,
Delicijſque fames tantùm ſatianda fovetur.
O quoties viridi divulſum ceſpite pomum
Sarcotheæ placuit. quoties admota palato
Perſica, libato quoties aurantia ſucco!
Iſte ſapore placet fructus, placet alter odore:
231. Illi candor ineſt, roſeumque huic apta colorem
Forma dedit, parit illecebras hic quælibet arbos,
Invitatque aliquo, quævis gratiſſima, dono
Viderat Antitheus niveam per gramina Nympham
Errantem, & facilis captantem gaudia ruris,
Paſcentemque animum jucundæ munere vitæ.
Vidit, & indoluit tantorum herede bonorum,
Tam cultæ telluris opes, tantaſque teneri
Vivendi illecebras: quin & palatia divum
Clauſa ſibi, quæque infans is bona perdidit exul,
232. Exhereſque poli, felici accreſcere Nymphæ.

Oratio Luciferi invidi & indignantis, ob homines ſibi in felicitate prælatos.

Ergo, ait, immeriti patrijs proſcribimur aſtris
Cœlituum proceres, magni decora alta Tonantis
Primigenæque Deûm? noſtiſne indignior heres
Sedibus exultet, luteæ pars ultima terræ,
Brutorumque nepos? cur non hic fulmine noſtro
Corruit, æternâ caput involvente ruinâ?
Nos nati propiore Deo, nos candida cœli
Turma tenemus adhuc magnæ veſtigia formæ,
Quam Sophia effinxit, divino pollice, mater.
233. Nos decus ingenij, nos rara potentia cœlo
Aſſeruit! quid nunc generis primordia noſtri.
Et regni titulos, conſanguineumque Tonantem
Commemorem? vires, & nobilitatis honorem?
Nomina digna quidem; ſed non habitura favorem
Adferimus. ſemel excidimus crudelibus aſtris,
Et conjuratas involvit terra cohortes,
Fata manent, tenet & ſuperos oblivio noſtri,
Indecores premimur, vulgi tolluntur inertes
Ac viles animæ, cæloque fruuntur aperto.
234. Nos Divum ſoboles, patriaque in ſede locandi
Pellimur exilio, mœſtoque Acheronte tenemur.
Heu dolor, & ſuperum decreta indigna! fatiſcat

Orbis

Orbis & antiquo turbentur cuncta tumultu,
Ac redeat deforme Chaos; Styx atra ruinam
Terrarum excipiat, fatoque impellat eodem
Et cœlum, & cœli cives. ut inulta cadamus
Turba, nec umbrarum pariter caligine raptam
Sarcotheam, inviſum caput, involvamus? ut aſtris
Regnantem, & nobis dominâ cervice minantem
235. Ignavi patiamur? adhuc tamen, improba, vivit?
Vivit adhuc, fruiturque Dei ſecura favorem?
Cernimus? & quicquam Furiarum abſconditur Orco?
Vah pudor, æternumque probrum ſtygis! occidat, amens
Occidat, & noſtræ ſubeat conſortia culpæ.
Hæc mihi ſecluſo cœlis, ſolatia tantum,
Excidij reſtant. juvat hac conſorte malorum
Poſſe frui, juvat ad noſtram ſeducere pœnam
Fruſtra exultantem, patriaque ex ſorte ſuperbam.
Ærumnas exempla levant minor illa ruina eſt,
236. Quæ caput adverſi labens oppreſſerit hoſtis.
Quid moror? apta Dolus pugnanti ſuggeret arma.
Simplicitas patet inſidijs. via fraudis aperta eſt.
Huc agite umbrarum cives, ſtygiæque phalanges,
Vltrices Furiæ: ſtirps funeſtiſſima noctis
Eumenidas, tuque imprimis, ſcelerata malorum
Alecto inventrix: cui luxus, & improba ſervit
Ingluvies, quæque à pulchro ſeducis honeſto
Illuſtres animos, ſcelerumque adſtringis habenis.
Dixit & imperium ſenſit famulator Avernus, *Concilium*
237. Pallenteſq; animæ, ſtetit impigra turba Tyranni *Inferorum.*
Ante pedes, ſceptrumque potens, ſoliumque veretur,
Excipiens mandata Patris, quæcunque nefandis
Paſcitur, & ſtygio livet ſuffuſa veneno.
Dirarum *Mors* prima fuit; miſerabile monſtrum, *Mors*
Horrendum, ac deforme malum. Frons pallida torquet
Mille oculos, queis cuncta videt, neque fallitur ulli.
Surda caput, nullæque patent orantibus aures.
Liventes exſucca genas, vixque oſſibus hærens,
Naribus infenſum tetra aſpirabat odorem.
8 Flumine dimenſam ſignabat clepſydra vitam
Lævâ impoſta manu: vibrabat dextera falcem
Hactenus intactam, nec ab ulla cæde rubentem.

Ianuitori

Innumeri circum, famulatrix turba, Dolores, *Morbi*
Morborumque hærebat iners genus. improba Peſtis
Tartareis ardens facibus, demenſque furore;
Alba Phthiſis turpiſque Elephas, ac lenta podagra,
Et tremula incerto Febris variabilis æſtu.
Debilis has inter Mortis cognata *Senectus* *Senectus*
Stipite fulta gradum, vitreoſque aſſueta per orbes
239. Imbelli plantas oculo firmare caducas,
Hic aderat, rugis illi cutis aſpera ſqualet,
Statque humeros contracta breves, faciemque peruſta
Horrida crinigero ſilveſcunt tempora mento.
Mœſtarum juxtà *Curarum* affunditur agmen, *Cura*
Infelix agmen, vigiles traducere noctes
Inſomni aſſuetum ſtudio placidæque quietis
Impatiens, preſſam jugulare in corpore mentem.
Has præter *Labor* inſequitur, nuduſque lacertos *Labor*
Incultuſque, rigans madidos ſudoribus artus.
240. Et *Luctus Gemituſque* alto ſuſpiria ducens *Luctus*
Fracta animo; lacero diſciſſum pectus amictu.
Cæſaries impexa riget, lacrymabilis atris
Obſita frons nebulis, toto ſedet horror in ore.
Ipſa tenebroſis *Paupertas* nata ſub antris *Paupertas*
It comes, inveſteſque ſinus, & pectora nuda
Vix rupto centone tegit, cava lumina triſti,
Subſidunt vultu, digitis manus horret aduncis,
Et ſuadere nefas, & multum *audere parata.*
Dira *Fames* juxta. exangui præpallida vultu, *Fames.*
241. Vix cute deformes malarum obtecta cavernas,
Torva ſupercilio, caſtas nudata patentes
Ventris habet pro ventre locum pro clunibus oſſa.
Tibia ſurarum vacua, ac hærentia vixdum
Incerto dubitans firmet veſtigia greſſu.
Hæc ubi confuſo ſtipaverat agmine Regem
Turba ſuum *Dolus* Antithei digniſſima proles *Dolus*
Altior aſtabat reliquis. hunc fingere, vultus
Mille ferunt, doctumque novis illudere formis,
Atque animos verſare rudes: huic Proteus ipſe
242. Ceſſerit, & fictæ capiatur imagine frontis.
Vix aderant: mox Antitheus mandata ſilendi
Torva dabat, plenoque minax ſic ore profatur.

Tœnarij proceres, quorum ignorata poteſtas
Hactenus, umbrarum tenebroſo conditur antro.
Vivimus opprobrium ſuperûmque, hominumque; nec ullis *Oratio Luciferi Dæmones adverſus hominem inflammantis*
Obſequijs colimur. pœnarum ingentia tantum
Pondera, fatorumque minæ, flammæque voraces,
Æternâ nos morte premunt. quid inulta manemus
Turba, quid ignavo dudum torpemus averno?
244. Eripiant cœlos ſuperi, geminoque negentur
Orbe poli: nondum hinc languet calcata poteſtas.
Eſt animi virtus, eſt fraus, eſt cauſa nocendi.
Plebs nova terrigenûm tumidis cervicibus audax,
Imminet, & noſtris gaudet ſe creſcere damnis,
Exſors ipſa malis juvat hanc infamia Ditis.
Et ſpolijs tantis fruitur, tellure vagatur
Immanis, ſceptroque ſolum moderante coërcet,
Invaſura polos, Nos ſegnis turba protervo
Spernimur ingenio, totiſque expellimur aſtris:
245. Terra data eſt: etiam terris excludimur ipſis,
Infames ac probroſi ludibria mundi
Hoc patimur? nondum aſtrigenas confundimus oras,
Devotâque cadit cœlumque ſolumque ruina?
Tartareos adjuro lacus, ſtygijque Draconis
Horrendum Antitheus teſtor caput. una petetur
Sarcothea. ultori Nympham involvemus averno.
Vos animos rebus faciles aptate gerendis,
Me duce conſtabit cœptum. prior omnibus unam
Aggrediar, prior illecebras & mellea vocum
46. Blandimenta dabo, pulchrâque tenebitur arte
Fraudibus intercepta meis, & carcere vincta.
Vos fidas præſtate manus. nec plura locutus
Arma ſimul fremit, arma minax, ferrumque, faceſque,
Sulphuraque, & piceas cogit per tartara nubes,
Fulminaque infundenda ſolo. ruit omne per antrum
Immenſum vulgus, furvæque per ardua turmæ *Inferno erumpentes Furiæ.*
Terrarũ eluctantur humo, objectaſque fremendo
Aſſiliunt portas, urgentque immanibus auſis
Murorum adverſam molem; dum rupta ſilentûm
7. Antra patent horrenda, ſoloque fruuntur aperto.
Ventorum haud aliter cœcis luctatur in antris

Crudelis rabies, arcto dum carcere magnis
Flatibus intumuit, crevitque leviſſima moles.
Nunc hos, nunc illos aditus molimine duro
Explorat, dubiæ pendent cum rupibus arces,
Succuſſæque horrore tremunt, capita alta premuntur
Silvarum, ac vulſis quatitur radicibus arbos.
Quà via facta, ruunt, diffracta repagula cedunt,
Et tetræ patuére ſtygi, quacunque per orbem
248 Funditur, emiſſis acherontica turba manîplis.
Qualis præcipitum Nereus raptatur aquarum
Horriſono ſtrepitu, poſtquam laxavit habenas
Carceribuſque ruens captivas eijcit undas,
Obice perfracto. tum libertate receptâ
Æquoreos volvit montes, perque avia ſpumans
Fertur, & effuſâ trahit obvia quæque rapinâ.
Fluctus agros, fluctus ſegetes involvit agrorum:
Obſtat nulla domus, vallumque furentibus undis;
Molle fatigatos donec mare temperet æſtus.
249. Sic archerontei Manes, ac pallida fuſci
Caſtra Dei, circum fremituſque minaſque dedere,
Et populatrices latè effudêre phalanges.
Horridus ante alios Melanurgus, torvus Alaſtor
Diſciſſuſque habitum, flammantiaque ora Pyraſter
Succenius, Miaruſque atrox, ſævuſque Noherpon
Et ſeptem armatus capitum truculenter Hydraſpis,
Ac tetro Polymorphus adeſt variabilis ore;
Nunc fera, nunc Serpens; nunc vaſtâ mole Gigantum,
Nunc Pygmæorum brevis è grege nanus;ad omnes
250. Illecebras fraudum, & diras formabilis artes.
In medio, turbas inter provectus ovantes,
Cernitur Antitheus. reliquis hic altior unus
Eminet, & circum vulgus deſpectat inane.
Frons nebulis obſcura latet, torvumque furorem
Diſſimulat fidæ tectus velamine noctis.
Serpentum exuviæ maculoſo tergore ſqualent,
Exornantque humeros, & lubrica crura recingunt.
Sanguineâ vertex criſtâ, galeâque minaci
Fulgurat & parvis capitis coma fluctuat hydris.
251. Squamoſum gemini currum vexêre Dracones,

Comparat Ventorum & undarum cum erumpentibus per vim.

Luciferi habitus, & currus.

Angui

Anguipedes ambo. fulvis expanditur alis
Dorſum immane feræ; circum ſplendentibus armi
Pinguntur maculis, ſquamiſque rigentibus horrent.
Volvuntur tereti contorta volumina tergo:
Os trifidam exertat linguam; frons lumen acutum
Evibrat, & patulis fumant de naribus ignes.

LIBER II.

Brevis libri reſolutio.

Hiſtoria. Cacodæmon per fraudem, hominem in Serpentis ſpecie aggreſſus, perſuaſit pomi à Deo vetiti eſum. Homo igitur fruſtra Dei conſpectum fugiens ſuamque nuditatem folijs obtegens, punitus, & de paradiſo ad terram labore ſuo excolendam ejectus eſt, Serpens etiam maledictionem pœnamque eſt promeritus.

Poëſi. Educuntur ab Antitheo infernales acies in Paradiſum, ac præmittitur ficto habitu, perſonaque ac moribus inſtructus Dolus, qui Sarcotheam ad vetitam arborem, & Antitheum illic inſidiosè ſub ſerpentis forma latentem deducat denique venenata Amoris proprij ſagitta tactam, Dianæâ, ſive Ratione, ſimul blandiente, impellat. Quo conſilio adductus Homo prodigioſo etiam Serpentis incitatus oraculo, vetiti pomi eſu, divinas humanaſque leges violavit. Simul orbis cum omnibus elementis turbari mutarique cœptus, ſimul omne malum & Dæmones ab inferis in orbem effuſi. Ne tamen victa Sarcothea ab Antitheo in orcum viva abſtraheretur, Arete ſeſe cum divina Pronæa, ſive Providentia, Anticheo objecit, repulitque ultimum exitium intentantem, quanquam Themis Antithei furorem & Sarcotheæ perfidiam accuſans, ſeſe orbi, in cœlum elata, ſubduxerit. Sarcothea cum Dianœa, malè ab Antitheo tractata, Dei inquirentis conſpectum ſubterfugit; hæc etiam nomen Metanœæ fruſtra, ut lateret, ſumpſit. Sorores reliquæ, præſertim Agape multis vulneribus malè tractatæ, omnes denique Paradiſo exturbatæ, atque à Fame afflictæ, inprimis Sarcothea, vix hoſpitium apud duram parcamque Dominam Tellurem repererunt, quæ Servituti illam ac miſeris ruſticorum laboribus mancipavit.

Ornamenta. Deſcriptio, 1. primævi orbis à tempeſtate bellis ac morbis immunis. 2. Doli fictam Amoris perſonam aſ-

ſumentis. 3. Dubitantis in ſcelere. 4. Concuſſi orbis. 5. Duelli inter Areten & Antitheum. 6 Sarcotheæ & comitum paradiſo ejectæ. 7. Famis affligentis, & duræ Telluris. 8. Agriculturæ, & orbis ſine auro & lucro pacati. Deinde Orationes uſurpatæ. 1. Doli eſum pomi vetiti ſuadentis. 2. Aretes & Themidis de Antithei vi querentis. 3 Oratio deſperantis Sarcotheæ. 4. Dei Sarcotheam & Serpentem punientis. 5. Hominis in fame hoſpitium poſtulantis. Denique, comparatio Dei cum paſtore ovem perditum quærentis.

Imitatio Chriſtus naſcens pacem orbi inferat, contra quem Lucifer Ambitionem regni, ſub Pronææ aut virtutis ſpecie deſtinet, quæ Herodem ad cædem Innocentium inflammet, tota Judæa tam funeſta clade turbata, Iuſtitia terras deſerente, Herode ulciſcentibus Furijs, ac morbo ad deſperationem verſo.

Vel Synagoga, Calumniam ſub Veritatis imagine, aut Odium ſub Amoris ſpecie deſtinet, ut Chriſtum impietatis apud Pilatum accuſent, quem immeritæ damnatum neci, totus orbis, concuſſis elementis, teſtetur ſed, Chriſtus ex morte victor Luciferum victum ab orbe profliget, ad inferos ableget, Iuſtitia in mundum reductâ, & Paradiſo hominibus patefacto. *Vel* Deiparæ Angelus cœleſtis Sponſi Amorem, pomo lilioque in caſti amoris ſymbolum ex paradiſo oblato, nuntiet. Illa dubitans victas denique manus det; toto orbe novis nuptiis, pace frugumque copiâ applaudente. Lucifer hunc partum impedire conatus, à Virtute Dei ſuperetur; qui, deſperans dejectuſque mundo, ad orcum pœnasque æternas proturbetur. *Vel* denique Luciferi per Amorem proprium decepti, atque à D. Michaele ex cœleſti Paradiſo proturbati, atque ad infernalem ſervitutem abjecti lapſus exponatur. *Erit* & locus exprimendi Prodigi, per Voluptatis Lenocinia primùm capti, deinde & à vitijs, profligata omni virtute, ſuperati, poſtremò fame victi. *Ita* Lutherus per Hæreſim Religionis ſpecie oblatam deceptus, totum orbem nova doctrina concutiens, evertenſque, proſtratâ Fide & Iuſtitiâ Eccleſiam, à qua ipſe denique exturbatus, exemplum pertinacis arrogantiæ reliquit.

Talibus

TAlibus Antitheus Paradiſi in limine monſtris
Subſtitit; occulto lapſus per rura meatu :
Ignoratus adhuc, rutiliſque incognitus aſtris.
252. Fœderibus nondum ruptis elementa fidelem
Mutavere ſitum; nondum compage ſolutâ
Terrarum poterant ſcriptas tranſcendere metas
Audaces ventorum animæ; nondum æquoris ira *Orbis à*
Ferbuit, alternos quondam paſſura labores: *tempeſtate*
Nondum fulmineis incanduit æthra procellis, *bello &*
Tempeſtas ignota fuit, non horruit imber *morbis prin-*
Grandinis, aut madidam ſubvertit Aquarius *cipio im-*
urnam. *munis.*
Aſtra ſuum fulsêre diem, ſine nube ſerenum,
Proſcriptis cœlo nebulis; ſibi bruma licere
253 Haud quicquam voluit, rigidas exoſa pruinas
Arctoaſque nives: Zephyrus Borealia rector
Sceptra tulit, flavitque leves moderatius auras.
Ver anni menſura fuit. Pax aurea mundum
Dotalem tenuit, nondum ſua ſpicula Mavors,
Nec Pallas galeam, nec ſævos Mulciber ignes
Intulerant noſtris, crudelia numina, fatis.
Non clypeus, non enſis erat, nec vulnera quiſquam
Senſerat, aut mediis vitam prodegerat armis.
Non valvis munita Domus, non oppida vallis
254, Cincta, nec excubiæ inſomnes, nec ſubdolus hoſtis
Notus erat; ſed tuta quies poſſederat orbem.
Nomina morborum nondum vulgata, nec artis
Inventor medicæ lectas diſtinxerat herbas.
Nulla lues, nullo dives Libitina ſepulcro.
Nec Rhadamanthæam tunc Gnoſſius arbiter urnam
Excuſſit, trepidante foro : nec Parca reſecto
Stamine divulſos abruperat improba fuſos.
Omnia mortis erant curâque metuque ſoluta.
Ergo ſuis Princeps ſtygius mandata ſilendi *Lucifer ob-*
255. Certa dabat, ſuadetque moras: ac tempora *lato pomo*
prædæ *hominem*
Obſervare jubet. Primus, inquit, dulcia noſtris *ſeducendum*
Poma ferat manibus, cupido prius illa palato *ſuadet.*
Ingerat, admorſumque bibat per membra venenum.
Hoc belli ſignum dabimus. *Dolus* occupet omnem

Ante viam tentetque ſuas feliciter artes.
Veſtibulo nemoris patulis ſe frondibus arbos
Pomifero effundit fructú, faciliſque latenti
Vmbra favet: quidquid noſtro de corpore fœdum eſt,
Illa teget, fictæque dabit ſedem umbra quietis.
256 Huc Dole Sarcotheam duces, laudataque Nymphæ
Suadebis capienda, meum, poma aurea, donum.
Ille agilis mandata ſequi per amœna vireta
Ante volat dominum. Nudos ſibi finxerat artus,
Ductilibus velut è ceris; per membra, genaſque *Dolus Amoris ſpecie indutus.*
Innocuus, niveuſque. puer; nova purpura malas
Pinxerat, & miti diſtinxerat ora rubore,
Lacte ſuper. Crinem levibus projecerat auris,
Erranteſque humeris vibraverat impiger alas,
Quales geſtat olor lateri ſuſpenſa pharetra,
257 Dexteraque contractum docilis ſuſceperat arcum.
Diſſimilis Dolus ipſe ſui, nullique notandus
Ingreditur, vixque ipſe ſatis ſibi cognitus errat.
Candida ſimplicitas, & mens ignara malorum
Hac pingi formâ meruit, ſuſpecta videri
Tela, leveſque arcus poterant, quos dextra gerebat;
Sed quis ab imbelli formidet tela lacerto?
Sic medio incedit prato, ſic mollibus herbas
Sub plantis terit, & florum proculcat honorem
Languentem attactu pueri. ſenſiſſe putatur
258. Clades terra ſuas, ſcelus averſata futurum.
Nympharum medijs errabant agmina campis,
Sarcothea, & comites Divæ, facileſque trahebant
Palmitibus fructus, & prona ex arbore mala.
Adſtitit ante Dolus, blandique per ora sereni
Argumenta dedit. felix tunc omnibus augur
Viſus, & è patrio promittere gaudia cœlo.
Fortunatæ, inquit, terreſtria numina, Divæ, *Oratio Doli vetiti pomi eſum ſuadentis.*
Sarcothea ante alias. Nil te pulcherrima rerum,
Orbis majus habet. ſervit tibi ſubdita tellus,
259. Ac pontus cœlumque favet. Tibi flumina currunt,
Et piſcis quicunque natat. te tigris amare
Imperiumque tuum didicit, Leo ſceptra vereri.
Aſtra favent, pulchraſque faces tibi Luna miniſtrat,

Et Phaëthontæo Phœbus micat aureus axe.
En tellus fecunda tuis, modò frugibus omni
Luxuriat campo, ſoli tibi maximus orbis
Parturit, & lætis fert mala rubentia ramis.
Vix pretium ſatis ipſa tenes: rerumque tuarum,
Dives, eges; pauciſque levas faſtidia pomis.
260. Eſt in ſeceſſu nemoris gratiſſima malus,
Deliciæ ſuperum, viridi ſpectabilis umbrâ.
Illa Dijs guſtata placet, multumque futuri
Præſcia, venturas rerum docet abdita cauſas,
Hactenus ignorata tibi. cur munera cœli
Negligis hortorumque dapes? pars optima frugum
Deperit, & nullum de te meret arbor honorem.
Vtere conceſſis. Fructus malè; ſubijcit illa,
Suaſeris illicitos: obſtant mandata Tonantis,
Ille vetat, contraque necem intentavit acerbam:
261. Cuncta licent; hæc ſola nefas eſt carpere poma.
O nimis indignum, Dolus inquit, pone timorem:
Crudeles fingis ſuperos. non tanta nocendi
Sævities Divis, nec tanta inſania pœnæ eſt.
Eſt aliud, cur poma vetent, cur dura minentur
Ignaris, pavidamque agitent formidine mentem.
Te ſi pulchra juvat magnarum ſemina rerum
Principijs noviſſe ſuis, mentemque futuris
Pandere, & occultas naturæ diſcere leges,
Ac veri falſique notas; ſi pectora Divis
262. Æmula, ſecretis fatorum implere tuorum,
Et ſuperis lubet ire parem: ne differ amici
Conſilium, quæ terra dedit, ſtultè ipſa negabis
Poma tibi ſunt aſtra Deûm; tibi ſubditur orbis.
Naturam peccare facis, ſi dona recuſas.
Tu nimium ne crede Deo, diſcrimine magno
Sors agitur; ſolo poteris minor eſſe Tonante,
Cum divina novo ſacraveris ora ſapore.
Talia narrantem ſenſimque per avia flexum,
Sarcothea admirans ſequitur, propiorque volenti,
263. Huc modò cunctantes animos, modo dividit illuc;
Et magis atque magis victam ſubmittere mentem
Incipit, occurrens properantis ad oſtia lethi.
Iamque aderant propius miſeri fatalibus umbris Arboris

Arboris infauſtæ: pendent argentia ramis
Pondera malorum truncoque plicatilis anguis
Cernitur implexus pulchro variabilis auro,
Cærula colla gerens. Venienti hic obvia Nymphæ
Poma tulit; ſed enim ſtupuit perterrita virgo,
Heu morior ſimul exclamans, ſimul ora retorquens.
264. Non moriere, Draco reddit, blandumque renidens
Accipe divinum, repetit, poma aurea, donum.
Obtulit illa manus primùm; ſed dextra retractans
Sponte redit, natura, nefas horreſcere viſa,
Pondere tam gravium cœpit titubare malorum:
Quin etiam obnitens Arete, retrahenſque volentem,
Et Themis hinc, illinc Agape melioribus inſtant
Conſilijs facinuſque docent, pœnaſque ſequentes,
Nequicquam; ſurdæ nam fabula credita Nymphæ eſt,
Dum ſtulte Dianœa favens blanditur amanti.
265. Illa reluctantes (heu!) in contraria præbet
Fata manus, ſuadente Dolo, tantumque probante
Auſpicium, quod bruta loquens fera voce dediſſet.
Iamque oculis inhians pomi miratur honorem.
Lacte nitet, fulvoque micat ſpecioſius auro.
Spectatum placuit: quin & captavit odorem,
Gratus erat: creſcit guſtandi ſæva voluptas,
Et rapiunt captos tentata pericula ſenſus.
Infelix ſequitur. pandis ter poma labellis
Obijcit, & triſtes intentat credula morſus.
266. Ter remorata ſtetit. ſubeunt diſcrimina rurſum
Avertuntque animum. prohibet lex; imperat excors
Ambitio. rapit hinc Amor; & Timor inde reducit
Ancipiti curarum æſtu. Tandem excipit arcu
Tela Dolus, quæ lethæo ter fulmine merſa
Illecebris frangunt animos, mollique veneno
Conſilium evertunt, & vim rationis honeſtam.
Illa jacit, tacitumque latus ſubeuntia Nymphæ
Pectoris inſinuat gremio, verbiſque morantem
Increpat, & pronam magis urget voce ruinam.
267. Annuit ipſa Dolo, malumque (heu longa dolendi
Materies, & triſte nefas!) vetana momordit,
Tanti ignara mali. Mora nulla, ſolutus avernus

Dubitans in malo mox victas dat manus.

Expuit

Expuit infandas acies fractumque remugit
Divulſâ compage ſolum, Nabathæa receptum
Regna dedêre ſonũ, Phariòque in littore Nereus
Territus erubuit. ſimul aggemuêre dolentes
Heſperiæ valles, libyæque calentis arenæ
Exarsêre procul. Stupefacta Lycaonis urſa
Conſtitit, & pavido riguit glacialis in axe.

Orbis concuſſio, ac mutatio, in quem omne malum irrupit.

268. Omnis cardinibus ſubmotus inhorruit orbis.
Ipſe etiam refugo Sol expalleſcere curru
Viſus, & abſtractis cœlum turbare quadrigis.
Hinc iter aſſuetum flectens modò devius errat
Phœbus adhuc, propiorque ſolo, vel frigore lento,
Vel fervore nocet. Primis tunc aſtra tenebris
Amisêre diem, primis ferus ignibus æther
Exarſit, ruptoque polus deſævijt axe.
Tunc elementa datæ neglecto fœdere pacis,
Excuſsêre jugum, raptâque morantia ſede
269. Exercent rapidis bellum implacabile pugnis,
Tota anceps natura ſtetit. ruptone profundo
Mitteret ultores Superos; & cardine vulſo
Cœlorum, Chaos antiquum confunderet orbi?
An malè tentatum facinus ſubmergeret orco?
Sarcotheam tantus pavor, & confuſio rerum
Defixam oppreſſit terrore. hæſiſſe trementem
Autorem & proprium ſcelus expalleſcere viſum
Antitheum memorant, erat hæc audacia cœpti.
Nympham igitur ſtygiæ raptim petiêre phalanges,
270. Armatæque acies. Mors intractabile monſtrum:
Agmina Morborum circum deformia longo
Ordine, Curarumque examina mœſta propinquant.
Triſte malum Dolor hinc; Labor inſtat ſqualidus inde,
Intentantque minaſque, manuſque, omnemque ruinam.
Protinus accurrunt Divæ, comiteſque ſorores
Heu nimium lentas tendunt in prælia dextras.
Dux Arete juxtaque latus divina Pronæa
Ingreditur: ſtetit illa minax, haſtamque ferocem
Intentans ſemel, Antitheum felicibus auſis
271. Reppulit, & ſævos fecit trepidate Dracones,
Obnixumque iterum ferro victore cöegit
Retrò ferre pedem. ſequitur generoſa virago

Virtus ſeſe Lucifero oppoſuit eumque repreſſit.

Et jam jamque premit jugulum, multumque trementi
Vocibus inſultat. Tu nos damnate profundi
Incola, tartareis audes inceſſere monſtris?
Tu cœlo miſcere ſtygem, rerumque quietem
Prodere, præcipitemque orco deducere mundum?
Prô ſcelus. excluſum cœlis, hoſtemque Tonantis
Sedibus his inferre gradum! quod perfide donum
272. Speraſti? tibi quæ noſtrum dementia regnum
Perſuaſit? nunc cede agedum. maneſque vagantes
Stringe ſub imperium, diroque Acheronte coërce.
Audior? an juſtas nobis dabis improbe pœnas? *Pugna &*
Vix ea, cum capiti impendens librata bipennis *clades.*
Dat latè ſonitum, plagamque infligit acerbam
Per lævum deducta latus, cecidére relecta
Vipereæ portenta comæ, latèque cruentam
Sparſerunt ſaniem: tellus infecta veneno
Obſtupuit, ſterilique etiamnum pallet arena.
273. Scilicet elatum, multoque furore minantem
Sarcotheæ, ut ſtygijs raptam ſubmergeret undis
Quà via facta neci, victrix hæc ſola repreſſit.
Interea magis adverſæ victoria parti
Favit, ubi reliquus Nympharum exercitus ibat
Infelix hoſtem contra. Pars reſiſtit audax
Et conferre gradum, & ferro decernere prompta,
Inferior numero quamvis, ac viribus impar,
Funderet innocuum plagis labefacta cruorem,
Pars intenta fugæ. Themis armis nuda relictis, *Iuſtitia fu-*
274. Palmam victa dedit, ſpolijſque implevit a- *gata, eius*
vernum, *Oratio ac*
Exultantem animis, & pulchra tropæa gerentem. *querela*
Illa quidem fugiens ſparſis per terga capillis *mundum*
Ora rigat, lacrymis, & cœlum queſtibus implet: *deſerentis.*
Talia voce rogans. Magni Deus arbiter orbis,
Qui rerum momenta tenes, ſoluſque futuri
Præſcius, elapſique memor; quem terra potentem
Imperio, cœlique tremunt; quem dite ſuperbus
Horreſcit Phlegethon, pavidoque furore veretur.
En ſtyge crudeli premimur. Laxantur hiatus
275. Tartarei, diruſque ſolo dominatur avernus,
Et Manes violant ſuperos; diſcrimina rerum

Suſtulit

Suſtulit Antitheus, divûmque oppreſſit honorem.
Reſpice Sarcotheam. nimis, heu! decepta momordit
Infauſtas epulas, noſque omnes prodidit hoſti.
Quid querar? infidam Dominam veritaſque ſequentem
Illecebras? an tartareum toto orbe furorem?
Utraque res flenda eſt; caput eſt tamen illa malorum.
Tu vindex ſuccurre Deus, ſic fata reliquit
Diva ſolum, patrioque iterum ſucceſſit olympo.
276. Audiijt omnipotens & cœli clauſtra relaxans,
Terrarum ingreditur fines, per amœna vireta *Dei Paradiſum in-*
Incedens nemorum. Venientem territa ſenſit *gredientis*
Sarcothea, & ſtygiæ circum tremuêre cohortes. *conſpectum*
Illa prout, turpi fœdatum vulnere, corpus *homo fugit.*
Nuda tulit, ſcelerum maculis, proprioque pudore
Erubuit, ſilvâque latens ſe condit opacâ.
Plurima ficus erat: quarum quæ maxima, circum
Funditur, & latas foliorum proijcit umbras.
Hanc ſubijt, veſtemque ſuo textura rubori,
277. Arte laboratis cogit velamina ramis.
Sola aderat Dianœa comes, turbata capillos,
Et niveam ſpoliata togam, tùm vulnere multo
Saucia, cervicemque manuſque gravata catenis.
Extulit Altitonans vocem, quam cuncta verentur, *Vox Dei potent.*
Aſtra ſolumque pavent: quæ vitam ferre ſepultis
Et vivis auferre poteſt: cui maximus orbis
Sternitur, & poſitis ſubmittitur aura procellis.
Hac, ignoranti ſimilis, ſimiliſque roganti
Inclamat Nympham. pavidam timor anxius illi
278 Excuſſit mentem, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa pavor, jamque ipſa ſui, cœptique laboris
Immemor, abjecitque opus, abjecitque ſalutis
Perfugium, nudæque ſibi quærebat aſylum
Et feras culpæ latebras; nec ſupplice vultu
Nec precibus dignata Deum: ſed turpe querelis *Deſperantis*
Accumulat facinus (tanta eſt amentia ſontis) *ad Deum*
O nimium, exclamat, ſegnis, noſtroque benignus *fugientis o-*
Hoſtis in exitio, quid acerbâ veſcimur aurâ? *ratio.*
Si tua, Mors, captiva feror, cur carcere longo
79. Aſſervor? mea cauſa patet, ſine judice, ſontem
Tolle ream, mentemque ſuam, crimenque fatentem.

Si falx lenta tibi eſt, ſi tela imbellia torques;
Montibus hoc abſconde caput, telluſque fatiſcat
Præcipiti quâ parte ſolum truculenta ſubîſti,
Hac pateat mihi terra. Placet, placet omne perîclum;
Vt lateam ſola ora Dei, fugiamque Tonantem.
Inſtitit ille tamen pavidæ, & veſtigia preſſit,
Sarcotheam ingeminans. Veluti cum erroribus actam *Comparatio, Dei cum*
Paſtor ovem inſequitur, quam ſævo terruit audax *Paſtore ovē*
280. Ore Lupus, dum fortè gregem crudelis opimum *quærente.*
Invaſit raptor, timidumque per avia ſparſit.
Nympha, ubi deprenſam ſe ſe videt, abdita ſilvis
Conſtitit, atque imo ſuſpiria pectore duxit,
Ter conata loqui, ter hiantem lingua fefellit.
Heu! clamat, plures vix eluctata trementi
Ore ſonos, pudet, heu! lucis, pudet, inquit; opacâ
Nocte tegar, nulluſque dies mea vulnera norit.
Credulitas ſtultæ nocuit: deterrimus anguis
Cætera peccavit; dedit hic fatalia crudo
281. Poma ſapore mihi, dedit exploranda, morantem
Impulit, & multâ nolentem fraude coëgit.
Si nocui; magis ipſe nocens eſt criminis autor.
Dixerat. at contra celſo Deus ore tonabat. *Dei Hominem ac*
Infelix, quæ tanta animum vecordia traxit, *Serpentem*
Imperium ut noſtrum, Majeſtatemque verendam *increpantis,*
Negligeres audax? ut quid tam vilis haberi *& punien-*
Promerui? nunquid placidæ tibi ſubdita ſtravi *tis oratio.*
Regna voluptatis, lateque patentia tempe!
O vecors nimium! magnarum copia rerum
282. Obfuit, ac vafro ſuaſit parere Draconi.
Hic tecum pereat: pœnam meruiſtis uterque.
Tu ſerpens aſtute, inquit, ſublimia faſtu
Colla geris, pulchroque cutem depingeris auro.
Deteſtandus eris poſthac, hominumque, ferarumque,
Atque odium commune ſoli. cadet ardua cervix,
Et terris reptabis iners, ſinuoſaque lapſu
Membra trahes, teque ipſe ſequens, fugienſque, catenis
Implicitum volves per mille pericula corpus.
Te verò Antitheum vafro ſerpente latentem
283. Exſortem cœli, terræque in clauſtra reductum

Quis miſerum furor; aut tranſverſa ſuperbia raptat?
Improbe, tu noſtris ſperaſti illudere regnis?
Mox Dolus autorem repetet, jugulabere demens.
Enſe tuo perpeſſa malas eſt femina fraudes;
Femineum patiére jugum: pedibuſque ſubactam
Cervicem imbellis fracto miraberis aſtu.
Turpis eris, (preſſus tum colla tumentia) victor.
Vos reliquæ peſtes Erebi, Curæque, Dolorque,
Et Gemitus, Luctuſque graves habitabitis orbem,
284 Et Nympham & Nymphæ genus exercere parati;
Veſtro colla jugo ſubdet, vos pondere longo
Morborum, ac partu, ſenioque extrema dolentem,
Morti infelicem dabitis, putrique ſepulcro.
Ferte pedes agedum, virideſque relinquite campos:
Hoſpitium profugis aliud dabit arida tellus.
Vix tulerat mandata pater, ſimul agmine facto *Homo Paradiſo exturbatur.*
Sarcotheam abripiunt, nequicquam multa gementem
Atque obluctantem fruſtra. *Metanæa* ſecuta eſt.
(Hoc Dianœa ſibi nomen modo fecerat ipſa)
285. Afflictum pectus plangens immani ululatu.
Cetera pars comitum longo ſubit intervallo
Elpis ſparſa comas, *Piſtiſque Agapeque* ſorores
Flebilium, nimis heu! lacrymarum fonte madentes
Ante omnes Agape multo jam vulnere tarda
Incedit, dubitans iterumque iterumque reverti.
Inſequitur tamen, ac lento ſe ſtipite firmat.
Iamque propinquatum eſt portis, patuêre reductæ
Hortorum valvæ, quibus enſifer adſtitit Ales,
Laxataſque fores Nymphis poſt terga reduxit,
286. Æternis firmans ſolido ex adamante catenis.
Obriguêre omnes, & poſt ſua terga relictas
Delicias nemorum, lacrymis ac voce requirunt.
Quaque licet vultum immittunt, votiſque morantur,
Hærentes ſeptis donec ſuper armiger igne
Sæva minans, terret vibratis Elpida flammis.
Illa fugit, fugiunt comites deſerta petentes
Arva procul, miſeris horrentia vepribus arva.
Sic per Idumæos montes, valleſque jacentes
Emenſis cum ſole viam, triſtiſſima monſtri

287. Occurrit ſpecies: turpes obſederat artus
Deformis ſqualor; tantum modo pellis, & oſſa, *Famis imago turpis.*
Vix conjuncta ſatis, firmiſque hærentia vinclis.
Hirta capillitio, contraxerat arida frontem,
Nec vigor in vultu, nec digna coloribus ora.
Aſt exſucca genas, putreſque edentula malas;
Ventre carens, lumbis tantum ſubnixa recurvis,
Pendula coſtarum ſub fornice corda latebant.
Hanc dixére *Famem*. canibus ſuccincta protervis,
Vulturibuſque frequens ibat. præroſa revolvens
288. Oſſa manu. talis, fracta jam viribus inſtat
Sarcotheæ, mediaque viâ proſternit inermem. *Fame affligi.*
Tum fauces premit adſtringens, ſtomachumque furenti
Convulſit dextrâ, & tenues vaneſcit in auras.
Hinc defecta gravi vixdum ſerpebat arenâ
Torpeſcens virgo; multus de vulnere ſanguis
Fluxerat, & totos clades exhauſerat artus.
Auxilio tamen Elpis erat, miſeramque fovebat
Spe ſolâ. Præerat regioni maxima *Tellus* *Tellus eiuſque deſcriptio.*
Imperio latè gaudens, placidâque quiete,
289, Dives agri, diveſque animantum, dives & auri,
Argentique, ſuis quæ texit avara cavernis.
Hæc fortè hoſpitibus deducitur obvia curru
Suſpenſa in medio, gemino qui penſilis axe
Volvitur, & binas præ poſtque admiſerat urſas
Vectrices Divæ. Fuit illi corporis ingens
Inculti moles, & ventris jugera centum,
Dorſi immane jugum, lapidumque ſimillima vultu
Oſſa ſedent, molles firmantia corporis artus.
Hirtus erat vertex, cinctuque virentibus herbis,
290. Arboreiſque comis; at frons inarata ſeniles
Nondum paſſa notas rugarum erat invia ſulcis,
Calvities in fronte tamen decus abſtulit ori.
Pectore nuda tenus, gremium ſinuoſa repandum
Et muſco viridi, & captis impleverat undis.
Talis Diva fuit, ſpectato cognita vultu.
Sarcothea adverſam. mœſto ſic ore precatur. *Oratio Hominis opem in fame implorantis.*
Diva, cui rector Superûm frenare ſuperbum,
Terrarum dedit imperium, juſſitque tributum
Solvere quidquid habet, ſeu maximus æquore pontus,

291. Seu quæ plumigeris habitata volucribus aura eſt,
Exilio pulſæ patrijs avellimur oris
Ad terras Regina tuas, quas inclyta toto
Orbe regis miſereſce, rogo, miſereſce tuorum:
Stirps cognata ſumus, patribus gaudemus jiſdem,
Communes concede lares, te ſupplice fletu
Poſcimus, afflictam ſolatrix aſpice gentem:
Dira fames noſtros ſenſim depaſcitur artus,
Poſcimus hoſpitium ac tenuis ſolatia menſæ.
Audierat Tellus; ſed durum impervia pectus,
292. Vix reſponſa dabat, Tandem rude culmen agreſti
Ceſpite fultum adijt: tum quæ virgulta ferebant,
De rigidis tantum ſilveſtria mora rubetis
Pauca dedit: ſterilem fecit glans obvia cœnam,
Et tenues herbæ, preſſique coagula lactis.
His ſatiata fames epulis, hoc menſa paratu
Tota ſtetit: deerant lautis embammata ferclis,
Et pingues nemorum prædæ, mariumque rapinæ.
Nondum pontus erat, nondum penetrabilis aër
Auſibus humanis: nondum crinita ſecurim
293 Paſſa ſeges, cineremque foci: nec toſta rotatis
Ex verubus pendebat avis, patinaſque relicto
Mutabat nido: deceptus arundine nondum
Turdus erat, piſciſve hamum, caſſeſve momordit
Marſus aper. nondum variabant fercula menſas.
Has famis illecebras, & blandimenta palati
Ignorata diu, ſeri reperêre nepotes.
Hac igitur latuit virgo regione potentis
Telluris perpeſſa jugum, durumque rigorem,
294 Sedula deductrix operum, patienſque laborum.
Hæc primum intactos docuit proſcindere campos
Vomere, produxitque rudes ad aratra juvencos.
Colla jugo ſubdens, & ſulcis arva ſupinans.
Illa prior manibus duros ſuadere ligones,
Rutraque foſſori, raſtrumque ſatoribus auſa.
Quin & inexpertis ſementem credidit agris,
Et falcem in miſit ſegeti, Cereremque ſubactam
Calloſis manibus, calidâ fornace coëgit.
295. Sed tamen, exemplo Nymphæ contra aſtra rebellis,
Terra rebellabat duris armata vepretis.

Tenuis menſa apparatus.

Homo Labore ruſtico panem ſuũ meretur.

Ac

Ac tribulis horrens, ſolioque infecta tenaci. *Terra ſterilis.*
Sæpe ubi ſuccubuit raſtris, aut ceſſit aratro,
Credita ſuſcipiens fecundis ſemina glebis,
Spem facit agricolæ, cum primâ meſſis in herba eſt,
Sed fallit matura fidem, mentitaque veris
Germina ſubſtituit, vacuaſque refundit ariſtas.
Nititur hæc contra tamen, & ſudore profuſo
Mollit agros, fructumque ciet, durumque laborem
Venturis tantum ſolatur credula rebus.
296. Irriguis etiam labor eſt inducere pratis
Rurivagas pecudes virideſque armenta per herbas
Fuſa ſequi, ac tepido mulctralia lacte gravare,
Aut ſtreperis propter labentia flumina campis,
Hamatas avidis obtendere piſcibus eſcas.
Res anguſta domi, cuſtos virtutis egeſtas,
Sectarum pelles ovium pro veſte tegebant.
Lanaque purpureos nondum fucata colores
Hauſerat, aut molles tractârant vellera ſeres.
Libera curarum, nullique obnoxia prædæ
297. Vita, nec Invidiæ, nec Martis paſſa timorem,
Tunc communis erat. nondum perruperat aurum *Ætas prima ſine auro, lucro, ac bellis.*
Objectos terrarum obices, maneſque ſepultos
Liquerat, aut vitreos oculorum perculit orbes,
Senſibus inſinuans ſeſe mentemque penetrans:
Materies curarum ingens, graviumque ruina
Regnorum. Nondum lucrum, merceſque ſequendo,
Stulta peregrinas abies tentaverat undas;
Sed maris incomperta fides, & carbaſa ventis
Ignorata ſuis: nondum tumulatus in alto
298. Præbuit ignotam Palinurus piſcibus eſcam.
Silva domum, ceſpeſque rudi congeſtus acervo
Tecta quieturis dederant, ſomnoque favebant.
Oppida nulla viris, valliſque armata poteſtas
Aut foſſis incluſa ſalus: pax fortior omni
Arce fuit: munita quies firmaverat orbem:
Murus erat concors animus; ſed perfida ſenſim
Inflexit mundum rabies, ſceleriſque voluptas
Prima recrudeſcens vitiorum examina traxit.

LIBER

LIBER III.

Brevis Libri reſolutio.

Hiſtoria. Hoſtis humani generis Hominem perſequitur, atque per amorem proprium ad omnia ſcelera, ipſorumque etiam Dæmonum cultum ſeducit. Poſt Idololatriam verò, imprimis Superbia toti orbi dominatur.

Poëſis Antitheus inter orci Proceres totius mundi imperium ita partitur, ut ipſe ſibi ſub Iovis nomine cœlum, alteri ſub Plutònis tituloInferos, tertio ſub voce Neptuni, mare, alijs alia, cum ſummâ poteſtate attribuat, quo divinum ſibi honorem, obliterata unius Dei memoria vendicent. Quod conſilium per Philauti, ſive Amoris proprij, cum Sarcothea parente conjugium expedire ſtatuit. Hunc à Tiſiphone educatum, & Dijs infernalibus ad fraudem inſtructum, Sarcothea in ſuæ formæ, ſub aquis ſpectatæ, imagine, per Philautum animatâ, complectitur, atque ex illo variam ſobolem vitiorum concipit, ſeptem inprimis filias vario, deinde hominum generi connubio junctas Ex quibus Superbia Regibus in matrimonium data, in Oriente ſedem fixit, magnificumque extollere cum Palatio, vitreo fundamento innitente, regnum cœpit, unde toti humano generi imperaret. Quod imperium magno ſuo faſtu, cum pernicie multorum auſpicata; Iactantiæ, Contumaciæ, Hæreſis, atque in ipſos etiam ſuperos Rebellionis origo; non paucos peſſumdedit, in quibus Alexander M. Xerxes, Babyloniæque turris molitores Gigantes.

Ornamenta Deſcriptiones. 1. Deorum gentilium, eorumque regnorum, & ſacrificiorum. 2. Amoris proprij perſonæ, tum ſeipſum amantis hominis. 3. Malorum ex propio Amore provenientium. 4. Palatium exædificantium, ejuſque magnitudinis& excellentiæ. 5. Superbiæ & habitus illius, formæ, ac morum inſolentium. 6. Iactantis nobilitatem generis. 7. Iactatoris militis. 8. Contumacis Hæreſis. 9. Brevis fortunæ ſuperborum. Deinde oratio Luciferi impietatem ſuadentis Denique Comparationes 1. Scintillæ gliſcentis cum Amore 2. Bucephali & Pavonis cum arrogante.

Imitatio, Æterna Dei Sapientia videns hominem Dæmonum cultui miſerè ſubjectum, ſuiipſius in illo imaginem obſervans, amanſque cum illa per incarnationem copulatus egre-

giam

giam concepit Sobolem, atque in eis Philandriam & Tapin[...] ſin, ſive Amatricem hominum & Humilitatem. In quibus ha[...] præcipuè tanquam Amazon fortiſſima, elatum ſuperbiæ huma[...]næ Palatium ex humili caſa oppugnavit, dejecitque. Demiſ[...] ſpecie & humili cultu par & familiaris infimis, magnam poſt[...] hominum vim traxit, qui faſtum omnem, contumaciam, hære[...]ſimque facilè debellarunt.

Vel Religioſus homo, v.g. Ioſaphatus Indorum Rex, Anima[...] propriæ pulchritudine atque immortalitate captus, adverſu[...] propriam Carnem, tanquam hoſtem capitalem, & vitiorum omnium Matrem armetur, expugnetque Ratione Concupiſcentiam, Voluntate Appetitum, atque in honeſtam ſervitutem redigat. *Vel* ipſæ in aciem educantur Virtutes & vitia. Amor proprius cum Divino: Demiſſio cum Superbia decertent. *Aut* certè nobile illud connubium Sapientiæ divinæ & Laurentij Iuſtiniani, quod ipſi per viſum oblatum eſt, cum Vitiorum profligatione & exilio repræſentatur. *Aut* denique Luciferi per Amorem proprium, & Superbiam, quâ Deo ſe prætulit, elati inſania adumbretur. *Par* locus Nabuchodonoſori ſuæ Babylonis ædificijs & ceteris regni dotibus ſuperbè ſeſe efferenti, ac demum Amore bruto in brutum degeneranti futurus eſt. *Neque* Calvino Amore proprio & ſuperbia ad novæ Eccleſiæ fabricam, quæ operis boni nihil haberet, intento, his in exemplis locus opportunus deerit.

Anti-

ANtitheus primis dudum ſucceſſibus audax,
299 Exultanſque dolo: ſtatuit victricibus armis
Frangere Sarcotheam, reliquaſque evertere vires.
Primores igitur Noctis, Proceresque ſilentûm
Rurſus adeſſe jubet, verbiſque reſuſcitat iras.
Quæ mora? quæ tandem detorquet inertia mentes?
Cur minus inceptos tenuit victoria curſus?
Scilicet, ut certo moderamine pendeat orbis
Unius ex nutu, totuſque prematur Avernus,
En modò Cœlicolæ Mentes potiuntur honorem,
Quæque patent Auſtro rigidamque feruntur ad Arcton
300. Sidera, ſidereiſque regunt elementa ſub oris.
Prima Polos Aſtræa tenet vaſtaſque Polarchon
Cœlorum moles, dextrâ moderante volutat.
Iuncta Philæra, ſuo conſorte Philæthere regnum
Poſſidet Aerium, ventoſque Philaurus & æſtum
Temperat, aſt torvâ contorquet fronte Pnoëpus.
Pangea terrarum Domina eſt, mariumque Thalaſſus
Atque Halomeda ſoror. Flammarum ſorte Pyrarchus
Eminet ignipotens. Volucrum movet Ornea pennas
Squammigerumque gregem, conſtrictaque flumina ripis
01. Ichthyanaſſa regit. Princeps Philothera ferarũ
Eſtque Agelarchus agri. Frugum Pancarpus honorem
Plantarumque Phythæa tenet. Thanatæa ſepulcris
Præſidet: at contra medicis Panaceus in herbis
Arte valet morbos arcens. Horæa beatos
Conciliat thalamos, prolemque ſecunda Gameſis,
Muſarum Harmoſtes Princeps, Vatumque Panodus,
Et docilis Pſychæa animi; regit arma Machetes.
Mitior Irene pacis ſancita tuetur.
Virtutes moderari Areten, conſulta Pronæam,
2 Iuſtitiæ decreta Themin, præſcripta ciborum
Eucraſiam, Andriamque ferunt decernere robur.
Quid nobis reliquum eſt? Superis diviſa poteſtas,

Lucifer abrogato Dei unius & Cœleſtium Mentium rebus creatis à Deo propoſitarũ obſequio & honore, de cultu Dæmonum ſub certis Deorum nominibus in mundo introducendo cum ſuis deliberat.

Panto

Panto patro mandante, fuit. Nos ultima ſedes
Terrarum in gremio, tetrâ caligine ſepta,
Accipit extorres animas ac ſorte relictas.
Audendum eſt aliquid. Vetito prohibemur olympo;
Terra ferat: noſtris pars eſt hæc debita fatis.
En nunc tempus adeſt. Metanœæ prima tepentis
Cura jacet, lapſuſque dolor cum tempore friget.
303. Fraudibus apta novis Nympha eſt. Componite fraudes;
Hic labor eſt, & veſter honos. Sic regia veſtris
Sceptra feram manibus, dabitis ſic jura ſuperbis
Terrigenis, magnumque duces frenabitis orbem.
Suſcipiat me terra Jovem, qui torvus ab aſtris
Detonet, ac rutilas detorqueat æthere flammas
Orbis in exitium. Tumidas moderabitur undas
Neptunus, trifidum quatiens per cærula ſceptrum,
Regna ferox, claſſeſque regens, ac vela ſecundans,
Donec inexpleto mergantur naufraga ponto.
304. Viſcera terrarum Pluto, ſtygiaſque paludes
Regnabis, dominuſque nigro vulgaberis orco,
Arbiter umbrarum: tibi pulchrum ſerviat aurum
Argentique decus, vitiorum, ac Martis acerbi
Materies ingens. Vulcanum fumea Lemnos
Excipiat, flammaſque regat, vaſtoſque Cyclopas
Pacis ad excidium. Medicorum Numen Apollo
Herbarumque potens, ac doctæ gloria Cirrhæ
Impleat inſano ſapientum pectora faſtu.
Mercurius linguaſque regat, loculoſque ſaginet,
305. Germanumque Indis, Anglum confundat Iberis.
Mars pater armorum gentes evertat amicas,
Regnaque cum regnis collidat, & urbibus urbes.
Hoſtileſque acies evertat, cladibus orbem.
Vinum Bacchus amet, genialis conſitor uvæ,
Infandumque animis inſtillet turpis amorem
Luxuriæ præſes, rixiſque alimenta miniſtret.
Denique femineis ne deſint numina caſtris;
Sit Marti Bellona comes, Phœboque Minerva;
Juno Jovi, virides obeat Latonia ſilvas
306. Et latrocinijs faveat, furtoque colatur.
Lubrica ſubjectum frenet Cytheréia mundum
Illicitis paſſim miſcens incendia flammis.

Ignoret

Ignoret ſuperos, & culto Numen ab orco
Poſtulet infelix orbis. mercamur honorem
Supplicis, & noſtris fument altaria donis. *Victima*
Fronde coronatas Phœbo bos pronus ad aras, *Deorum.*
Neptunoque ferox taurus, Martique litetur.
Cerva tuis Diana focis, Cererique juvenca
Virgo cadat, Bacchoque caper, Venerique columba.
Veſta focos habeat, quæque immortalia flammis
Templa micent. Multas hominum cruor imbuat aras.
Crimine placentur Divi: Sacriſque petita
Nox faveat nigræque ſpecus; pietaſque vocetur,
Culta Venus. vitaſſe ſcelus, ſcelus eſſe putetur.
Applauſere Dij, cunctoſque ſuperba trahebat
Ambitio, ſcelerique datum cupiebat honorem.
Quiſquis abire prior, noxiſque laceſſere mundum
Poſtulat; at ſubitis Rex ſubdolus imperat armis.
Cautis, inquit, opus. præceps audacia vires
Multorum evertit. Virtutibus invia, ſæpe
Pervia fraude via eſt. Rebus ſat idonea noſtris
Sarcotheæ eſt proles. Concepit neſcia Virgo,
Cum decerpta meis manibus, nova ſemina pomi
Manderet infelix, propriâque reconderet alvo, *Philauti*
Dum pulcrum mater pareret fecunda *Philautum*. *ſive Amoris*
Hunc medijs fugiens poſt ſe relliquit in agris *proprij origo*
Mœſta parens, magnoque animum ſuperante ti- *& ingeni-*
more, *um.*
Ignotam effudit veſana puerpera prolem.
Tiſiphone ſobolem nutrix excepit alendam,
Uberaque exhibuit, crevit puer indole magnâ,
Ingenioque meas tenuit feliciter artes.
Morum adjunge decus: ſimulatum frontis honorem
Mens inſtructa dolis ornat, poteritque placere
Sarcotheæ, natura potens, & imago parentis
In genito, multos matri ſuadebit amores.
Ille igitur Nymphæ gremiumque animumque potitus
Criminibus pretium faciet: mox tramite recto
Virtutum abductam, vitiorum ad devia flectet.
Senſibus irrepet ſenſim perſuaſa voluptas,
Noxiaque ignaræ cœlorum oblivio menti,
Et detractus honor ſuperis augebit avernum.

Nos

Nos rerum dominos, terræque mariſque potentes
Terra colet, pronoque genu venerabitur orcum.
Sic ait; elatoque vocat clamore Philautum.
Adfuit, os homini ſimilis, vultumque parentis.
Sarcotheæ referens; ſed mens inſtructa nefandis
Fraudibus, Antitheum viſa eſt meruiſſe magiſtrum.
Huic tamen & ſtygij Proceres ſua munera donant
Certatim, ac meritis contendunt eſſe priores,
311. Jupiter elatos animos, nova robora Mavors,
Et Venus affudit Charites, mollique veneno
Illevit frontem Pitho facunda loquendi
Verba dedit. Neptunus aquas ſuffecit amanti,
Vulcanuſque faces, contraria tela nocendi
His inſtructus abit, mundoque potitur aperto.
Sarcothea armentum molli paſcebat in herba
Propter aquæ rivum, puro qui gurgite lymphas
Fuderat, & liquidâ ramos depinxerat undâ
Umbrarum facili ductu ſtetit obvia fonti
312. Virgo, novaſque freto miratur creſcere ſilvas.
Ipſa etiam propriæ ſpectans ab imagine formæ — *Seipſum*
Luditur, & niveum veneratur in ore decorem, — *mantis d*
Seque ſuumque probat vultum placuêre venuſtis — *ſcriptio.*
Picta labella roſis, malæ placuêre rubentes
Admixtæque rubore nives, & eburnea cervix
Membrorumque exceſſus honos. quid cætera narrem?
Tota placet, ſenſimque ſuo inflammatur amore
Ignorans animus. nutritque in flumine flammas.
O quoties vitreis ſua porrigit oſcula lymphis,
313. Et vacuis ſe paſcit aquis, præludia debens
Iſta Philaute tibi! quoties tulit obvia dextras
Et dedit amplexus, umbrâ fugiente, caducos!
Quid fugis, exclamat tandem, quid fallis amantem?
Junge tuos vultus, noſtriſque occurre lacertis:
Iunge animos, nec plura refert; mox umbra moveri
Incipit, affuſoque animatur imago Philauto,
Et ſubit amplexus, & baſia mille propinat.
Me petis? Ecce tuum dixit, vivamus amantes
Tuque, tuuſque ſimul fato moriamur eodem,
314. Una domus tumuluſque ferat, quocunque præibis
Ipſe ſequar. riſit Nymphæ: arriſitque Philautus.

Nymph

Nympha manum : dedit ipſe manum.tulit oſcula Nympha:
Ipſe tulit rurſum,ſimilemque ſimillima vultu,
Sarcothea accepit tecto thalamoque Philautum.
Tempus abit, ſed perſtat amor, cum tempore ſumens
Incrementum ingens: qualis dum forte cadentem *Comparat.*
Scintillam excipiens ſenſim trabs arida nutrit, *ſcintillam in-*
Fomite conſumenda ſuo ; ſe latius ignis *flammantis*
Exſerit, & lignis carpens alimenta propinquis *cum Amore*
315. Paſcitur exitio; tandemque effuſa per omnem *primo.*
Flamma domum victrix, totis incendia tectis
Miſcet, & ingentem diſplodit in aëra molem.
Quo ſe cunque domi ferret, quocunque per agros
Nympha, latus ſtipans geſtit comes ire Philautus.
Quod faceret, tractabat opus, ſeque omnibus aptans
Caſibus in Nymphæ totus componitur uſum,
Gaudia gaudenti ſocians, gemitumque gementi.
Conſilijs unus præerat, ſtudiumque regebat
Sarcotheæ. Tenues velabant corpora lanæ,
316. Vtque dedit natura, rudes; ſed ſpernere notas
Exuvias ovium, & naturæ quærere fucum,
Atque colorato lanas mutare veneno
Ignaram docuit, vitiumque ornare pudoris, *Ex Amore*
Ac veſtem,quæ pœna fuit, transferre decori. *proprio Lu-*
Ipſa etiam lectas quas vexit in horrea meſſes, *xus omnia-*
Annorum fœnus, notos tribuebat in uſus, *que in or-*
Delicias fugiens, pretioſaque pabula ventris. *bem vitia*
Sed didicit mutare famem, ſuadente Philauto, *prodiere.*
Atque epulis gaudere novis,libare placentas,
317. Et volucrum turdos, atque oſtrea quærere ponti,
Grataque ſpumantem fundentia pocula Bacchum.
Talibus intentam ſtudijs, curiſque vacantem
Sarcotheam, multâ faciebat prole parentem.
Prima fuit tumidis inflata *Superbia* venis:
Proxima *Avarities*, contracto pallida vultu:
Mox *Gula*,*Luxuries*,ac mollis Acedia cunas
Implet, & *Invidia* ſoror intractabilis *Ira*:
Infelix ſoboles, tantâque indigna parente.
Illa tamen fovet inſanam ſtultiſſima prolem
318. Blanditijs, mollique ſinu Matriſque placebat
Nomen & amplexus natarum ac baſia captat.

Haud

Haud ſecus informes amplectitur urſa catellos
Lambendo fingens; aut factæ neſcia fraudis,
Incubat excluſis alieno partubus ovo
Mater avis, curvoque rapaces ungue cuculos
Educat, ad propriam vecors nutricula mortem.
Perdidit hanc etiam blanda indulgentia matrem,
Inſanæ matrem ſobolis; crevêre maligno
Ingenio natæ, ſolitæ inſultare rebelles,
319. Imperiumque auſæ placidæ convellere matris,
Nec legum præſcripta ſequi, nec jura vereri
Aſſuetæ. cunctis eſt pro ratione voluntas.
Interea plenis decurrit paſſibus ætas
Iam matura viro; ſed quantum proficit annis,
Deficit ingenuo tantum quæcunque pudore.
Forma proterva tamen, Conſtans audacia frontis
Atque mares animi, multos traxêre procantum.
Pellicit illuſtres formoſa Superbia Reges.
Turpis Avarities ſenibus placet. Ira minaces
320. Traxit heros. Gula divitibus ſpecioſa videtur:

Varij variis addicti in orbe vitiis.

Invidiâque inopes certant: & Inertia mollis
Militibus grata eſt. Pellex ſimul omnibus una
Luxuries multis gaudet, nulloque marito.
Improba progenies nil non audere parata,
Contemptrix hominumque, Deûmque, atque omnis honeſti.
Illa ſibi Divos finxit, ſcelerique faventes
Cœlicolas. Primum damnoſa Superbia numen
Invexit, coluitque Iovem; Phlegetonta colentem
Traxit Avarities Plutum; ſed & impia Martem
321. Repperit Ira Deû, Gula Bacchum; teque Cupido
Luxuries, nullum colitur ſine Numine crimen:

Per Scelera, Dæmonum in orbem invectus cultus

Quin etiam nullum colitur ſine crimine Numen.
Plurima fulminei laudatur adultera Divi:
Huic impune fuit pluvio peccâſſe ſub auro,
Europamque humeris potuit ſufferre doloſis.
Nunc taurus, nunc cygnus erat; ſed ſemper amator,
Laudatus ſemper. Niſi Mars placuiſſet adulter,
Ipſa Venus ſterilis, nulluſque Cupido fuiſſet.
O ſuperûm nova propudia! O inſana vetuſtas!
322. Sarcothea indulgens, tantum, ſuaſore Philauto,
Natarum opprobrium patitur; cupidumque novorum

Impen-

Impendens animum, ſenſim majora probabat,
Præceps criminibus pandens iter. omnia latè *Eloquentiā*
Faſque nefaſque, probrumque probro miſcentur *ſuperant*
aperto. *flagitia.*
Non mihi centenæ fundant ſi carmina linguæ,
Neſtoraque eloquio vincam, doctique Maronis
Ore canam: Scelerum complectar nomina verſu,
Noxarumque luem. Superarunt crimina metrum,
Grandius eſt verbis aliquid quo terra laborat.
323. Sol ubi puniceos oriens ſub frena vigales *Sol oriens.*
Cogit, & obſcurum donat, poſt nubila, cœlum
Luce renaſcenti, nocturnaſque obruit umbras.
Hic ſibi delegit natarum prima Philauti
Ambitio ſedem: molique intenta ſuperbæ *Palatii Su-*
Ingentes operas fabricandæ collocat aulæ. *perbia in*
Pars calcem, pars ligna ferunt, lapideſque mini- *ventrix.*
ſtrant, *eius ſtru-*
Fundamenta locant alij, cœmentaque mixtim *ctura &*
Firmando inſpergnut operi, lateresque perenni *magnificen-*
Conciliant vinclo, lentoque bitumine ſtringunt. *tia.*
324. Pars etiam immanes inculta ex rupe columnas
Exſcindunt, aptantque locis, trabibuſque ferendis
Subſternunt, certant operæ, cœloque propinquam
Murorum educunt molem, dum nubila vincat
Et ſua cognatis faſtigia conferat aſtris,
Deſpicienſque ſolum, Pindumque hac turre minorem,
Lætatur ſub ſe poſitos decreſcere montes.
Quid memorem pretiumque rei, pretiumque laboris,
Admixtamque artem pretio? ſua mœnia jactet
Pervia jactatis Babylon celebrata quadrigis.
325. Pergama Trojani memorent Neptunia, Thebæ
Auritos lapides, celebreſque Amphonis arces.
Notaque Pyramidum faſtigia Memphis adoret.
Et Rhodium miremur opus, templumque Dianæ, *Orbis mira-*
Quod vix mille manus, vix ſecula bina dedêre *cula.*
Exſpectanti Epheſo. cedant miracula mundi,
Ac Romæ dominantis opes. Nil aula Neronis,
Nil magnum amphitheatra tenent. Sint mille columnæ
Scaure tibi, ſed laudis egent: illuſtrius unum eſt,
Quo ſuperat tumidos Regina *Superbia* Reges.

326. Veſtibulum Iſthmiaco geminas ex ære columnas
Bis denis effert cubitis, ſuſpenſa ſub arcu
Oſtia, marmoreo latè panduntur hiatu,
Aſperſoque nitent auro. Domus intima gemmis,
Et paſſim fulvo radiat variata metallo.
Atria beryllo fulgent: gravibuſque ſmaragdis
Iunctus onyx, adamaſque micat: deſpectus Achates
Proculcatur humo: pictiſque aſarota figuris,
Et vario illuſi fulgent emblemate muri. *Emblemata ſuperborum animalium.*
Criſtatæ volucres, & pictæ ſyrmata caudæ
327. Explicat elatus Pavo; collumque, jubaſque
Quaſſat equus, glomerante gradu, fulvique Leones
Immani poſcunt taurorum ingentia rictu
Corpora, deſignantque oculis. hærebat in ipſis
Marmoribus terror, magnæque elatio frontis.
Tanta domus longis quamvis pulcherrima muris
Emineat, ſurgens laquearibus aurea fulvis;
Paucis illa tamen pendet ſubnixa columnis.
Fundamenta vitrum eſt: pretioſa pericula tantum *Superborũ labor vanus*
Continet, ac facilem caſum ruitura minatur.
328. Auguſto media in ſolio Regina ſedebat.
Ardebant oculi: frons ceruſſata nitebat *Superbiæ imago.*
Alta ſupercilijs, ſimiliſque infeſta minanti,
Elatâ cervice tumet, vultuque ſevero
Deſpicit adſtantes populos, turgentia vaſto
Librans verba ſono & ventoſo gutture torquens.
Inſtabilis remanere loco, nunc ardua fulcit
Membra toro, tumidumque latus manus utraque ſtipat:
Nunc ſolio excelſo ſeſe demittit, & aulæ
Ingreditur ſpatia, ac celſo veſtigia greſſu
329. Ponderat, alternis ſuſpenſos greſſibus armos
Intorquens, vanoque agitans libramine corpus.
Qualis Theſſalicâ gradiens ſpectatur arenâ *Compar. Bucephali cum arrogante.*
Bucephalus, celſoſque oculos humeroſque ferebat,
Dum Macedûm latâ ferret cervice Tyrannum.
Talis erat. Cunctis ſeſe ſpectabilis offert,
Spectatrix ſimul ipſa ſui, limboſque fluentes
Obſervans circum. quam culto cyclas amictu
Pendeat, ac longo diverrat ſyrmate terram?
An nova deformes patiatur purpura rugas;
330. An niteat fulgore ſuo? ſic Pavo ſuperbus

Diſpicit immenſæ ſtellata volumina caudæ: *Compar.*
Plumarumque toros per apertum circinat orbem, *Pavonis cũ*
Et multum paſcens oculos, & conſcia formæ *arrogante.*
Colla levans, criſtâque tumens: blanditur eunti
Ipſe ſibi pulchroque gradum moderamine librat.
Non illi pedibus placuit toga ruſtica lanis,
Cannabeique ſinus, ſed ſerica palla ſupinam *Veſtis pre-*
Lambit humum, circum varijs illuſa figuris, *tioſa & va-*
Artifici quas docta manus diſcrimine fixit. *ria.*
331. Sidereis rutilum gemmis intermicat aurum.
Et labor, ac pretium certant. color omnis in una
Veſte nitet; pars fulva micat; pars æmula cœlo eſt;
Murice pars intincta rubet: pars læta vireſcit.
Proxima ſtultitiæ ſpecies erat. aureus altæ
Cervici infuſus torques, corallia collo:
Et niveas gemmis onerabat prodiga dextras;
Splendida vincla ferens. quin & Sandalia plexis
Exornata roſis, floreſque lutumque trahebant.
Cæſariem collo ſparſam ſtudioſa corollis, *Culta cæſa-*
332. Cincinniſque vibrat: tortæque volumina ſilvæ *ries & fa-*
Et capitis flaventis opes ſuſpendit in auro: *cies.*
Atque leves frontis maculas, delictaque formæ
Aſperſo emendat fuço, minioque colorem
Ætati ſimulans, vitro ſe judice fingit.
Tantæ molis opus Regina ſuperbia tractat.
Hinc vix nota ſibi, generiſque oblita prioris
Sarcotheam neſcit, neſcit primordia gentis
Terrigenum, vilique, pudet, ſe ſtirpe creatam.
Sed fingit titulos, atque inclyta nomina longis *Nobilitat*
333. Condita porticibus. Claræ incunabula gentis *generis ia-*
Semideis deducta viris, pulchræque curules, *cet.*
Purpuraque, & faſces, & priſcis edita ſedis
Nobilitas, multiſque retro ſubnixa triumphis
Atria laudantur. Placet ingens nominis umbra,
Et ceræ tantum, ac tenues ſub imagine fumi.
Nec minus exſpectat vanæ mendacia plebis,
Applauſuſque leves, circumfuſumque favorem, *Famã ina-*
Mancipium famæ, atque auræ popularis amatrix. *nẽ captare.*
Turba frequens circum famulantia colla ſuperbo
334. Subjicit imperio, Dominæque miniſtrat honorem.

Hos nebulis latè & denſà caligine ſeptos
Offuſcatque oculis, ac paſcit inanibus auris.
Hunc tumidum proavis, & priſcæ lucis amantem,
Patribus indignum ſcelerumque in nocte latentem
Obruit, & nullâ donat virtute ſepultum.
Alterius commendat opes, oriſque ſereni
Purpureos flores, quos improviſa ſenectus
Demetit, aut ſubito mors improba præputat auſu
Hunc licet ingenio cautum, ſpes ſæpe fefellit
335. Ambitioſa boni; eum docta ſuperbia traxit
Præcipitem, vanæ luſum tinnitibus auræ.
Scire quidem, ac ſciri, doctæque placere Minervæ,
Audirique ſophos (niſi quos demiſſio firmat)
His nocuit, magnæque fuit doctrina ruinæ.
O quot divitijs, vitijſque ad iniqua coacti
Fata ſuperborum, miſerandâ morte premuntur
Turgenti ſimiles bullæ, fumoque volanti!
Res rara eſt humilis dives: loculique animique,
Excreſcunt pariter rebus tumefacta ſecundis.
336. Vix fortuna ſuo, quamvis jucundà, ſereno
Fulget amica ſatis, nunquam virtutibus æquum
Indulget vultum, quibus elargitur honorem
His adimit faciles animos, flectique paratos
Obſequijs, faſtu abripiens per devia pronos.
Blanditias fortunæ omnes, tituloſque, decuſque
Inſidias, non dona, putes, favor ille furore
Claudetur: nomen faciet te grande ſuperbum.
Quin etiam inflari timidos verbiſque feroces
Invenias, nullis decorat quos gloria factis.
337. Sunt qui Troianos clypeos fortemque recenſent
Hectora, & Æaciden. norunt queis victor in armis
Dardanides, terraſque novas, Troiamque requirat.
Æmilios fortes Memorant, Decioſque cadentes,
Atque per Æmathios mavortia prælia campos,
Victriceſque acies, & tinctas ſanguine ripas
Enſe ſuo; palmiſque domos victricibus ornant.
Verbis bella crepant, bellatoreſque figurant;
Sed leporem pavidi circum præcordia geſtant,
Et tantum fuſo deſcribunt prælia Baccho.

Superbia varios habet aſſeclas. aliis corporis aliis animæ bona inquinat.

Divitiæ & honor ſuperbos faciunt.

Iactatores vani.

338. Quid

338. Quid miſeras dicam ſtrages rationis, & omnem
Ingenij labem, ac mentis diſcrimen honeſtæ
Quod parit ambitio? fas omne nefaſque probabit *Superbi*
Grande ſupercilium, & pleno mens turgida faſtu. *contumaces*
Non regitur, ſed ſola regit; durumque recuſat, *ſunt.*
Imponens alijs Regina Superbia, frenum.
Indocilis conſulta pati præfracta voluntas,
Obfirmata animi ratio, juſtique pudoris
Neſcia, difficilis perſtat, legiſque rigorem
Reſpuit; ipſa ſibi lex eſt, & regula morum.
339. *Hæreſis* exemplum eſt quam fœta Superbia triſti *Hæreſis ex*
Effudit partu, nutrixque infauſta Megæra *Superbia eſt*
Lactat & infando ſatiat pro lacte veneno. *eius imago,*
Centum colla gerit, centum gerit improba vultus, *& malitia.*
Diſſimiles ſemper vultus; ſed lumine caſſos.
Ora gerit totidem, bifido ſed lingua palato
Diverſa ora ſonat. parvos cervice dracones,
Implexoſque humeris, & lubrica colla vibrantes
Suſtinet, ac facibus dextras crudelibus armat,
Errorum Princeps, animiſque rebellibus ardens.
340. Impatiens tolerare jugum, ſanctoſque peroſa,
Et cœlum, & cœli Numen: nova ſacra Deoſque
Inſtituit, priſcaſque rapit temeraria leges.
Bella ſerit, rixaſque fovet gaudetque ruinis
Regnorum, expugnantque decus pietatis avitum. *Faſtus in-*
Tanta lues faſtus, tantorum eſt cauſa malorum. *obedientes*
Hoc ſuaſore puer duro mandata parentis *facit.*
Negligit ingenio. Domino parere miniſter
Dediſcit, vulgus Regi. Rex ipſe Tonanti,
Exoſum genus, & toto execrabile mundo.
341. Quos humilis tumiduſque fugit; non ille probandos
Diſſimiles; non hic ſimiles putat eſſe ferendos;
Quiſquis honoratos apices, & culmina rerum
Affectat, famæque cliens, & laudis adulter *Superbè*
Sinceræ, vetito ruit ad faſtigia calle *elati ſæpe*
Hic caſum ſublimis amat, latumque ruinæ *ruunt.*
Sternit iter, cupidoque dabit ludibria vulgo.
Excelſum vertigo rotat caput. Itur in altum,
Mox etiam in præceps. ludit fortuna ſuperbis.
Teſtis Alexander, cui magno & ſorte feroci

342. Ingens terra minor, cui flexit ſpicula Parthus,
Medus terga dedit, Perſis ſua tradidit arma
India ſuccubuit, porrexit Græcia Sceptrum,
Victoremque ſuum poterat fortuna vereri.
Sed ruit elatus, faſtuque oppreſſus inani
Magnus in exigua Pellæus clauditur urna.
Quantus erat Xerxes medium dum contrahit orbem
Vrbis in excidium, & Salaminia litora complet
Claſſibus, anguſtus nimium eſt trabibuſque ferendis
Deficit Oceanus. Sitienti flumina Marti
343. Decreſcunt, tantumque capit vix Græcia ferrum.
Ventis jura dedit, duroſque infamibus Euros
Increpuit flagris: captivaque flumina duxit
Diverſis abſtracta vijs, ſervire coëgit
(Quid ſperet Salamis?) ſævis elementa flagellis.
Thermopylæ tumidum doceant quæ fata ſuperbos
Exſpectent, quanto vaneſcat gloria fumo.
Vix ratis una fugæ ſupereſt, vix ulla ſalutis
Anchora. cui totum latuit ſub navibus æquor:
Barbaraque indecorem vix texit Perſia Regem,
344 Qui terram ſuper, immenſo par ibat Olympo.
Improba ſic duros tellus enixa Gigantes
Monſtra ſuperborum dedit, exemplumque repreſſæ
Ambitionis habet, cum gens inſana polorum
Regna quatit magnum contra jurata Tonantem
Illi inter ſeſe murorum ingentia jungunt
Pondera, Caucaſeos montes ac culmina olympi,
Denique & immanem ſociarunt Pelio oſſam.
Iapetus hinc Briareuſque illinc, Rhœcuſque, Typhœuſque
Incumbunt centumque vijs centumque lacertis;
345. Partitimque urgent operam, ac ſublimiùs inſtant,
Donec opus tollant immenſum, audacia factum
Iuvit, & excelſi tentarunt atria cœli.
Excordes animi! quiſquamne impunè Tonantem
Provocet, aut paribus tentet certamina nervis?
Riſerunt Superi facilique errore loquentes
Involvunt, cœptumque ingens vox diſſona ſolvit:
Et jacuit vacuo confuſa Superbia niſu.
Quam ſoleant excelſa premi, quamque ardua pronis

Gigantes ſive Babylonitæ ſuperbi adverſus ſuperos inſurgunt.

Caſibus

Caſibus urgentur, ſuperi documenta relinquunt,
346. Conſciaque aſtra tenent quondam calcata tumenti
Lucifero, & dives ſpolijs teſtatur avernus. *Luciferum*
Nil humiles metuunt, magna eſt demiſſio vallis: *Superbia*
Non penetrant hoſtes, nec machina bellica trãſit. *præcipita-*
Sed tutis circum defenſa paludibus arcet *vit.*
Hoſtiles cum fraude minas. Huc nulla Tonantis
Fulmina deſiliunt: hanc Phœbus mitius urit,
Lentius affligit Boreas. Majora petuntur
In caſum: celſas Mavors bellator in arces
Irruit, & vaſtis adhibetur machina muris.
Montibus incumbit fulmen, magnaſque procellæ
Concutiunt quercus, Libanique cacumina frangunt.
Elatis nimium noli confidere rebus.

LIBER IV.

Brevis Libri reſolutio.

HIſtoriæ. Avaritiæ. Gulæ & Voluptati Homo turpiter, poſt primi peccati lapſum, ſervit, ſibiipſimet gravis, etiam cum ſuis indulget affectibus.

Poëſis. Fingitur Avaritia degener Sarcotheæ proles, & admonitionis famæque contemptrix, ſordido humilique ingenio, obſcuro in antro effodiendo auro operam dare, quam infames pediſſequæ Fraus, Uſura & Rapina ſtipent. quarum habitus, ſtudia, moreſque deſcribuntur. Hæc Martis conſanguinea, & Autolyco Patre natâ, tecto vultu ac nomine in Potentium anlis potiſſimùm verſatur, omneſque, in pace ac militia, ſubditos exhaurit. Par Avaritiæ ſimulatio, quæ Paupertatis hoſtis, ſub honeſti ſpecie & titulo ſervire mavult, quàm egere; Curæ Timori, & Inquietudini, inter pericula & everſiones opum, ſemper obnoxia; nunquam explenda, quantumvis abundet. Sarcotheam matrem neceſſitate magis, quàm affectu ſibi conjunctâ habet. Hanc cum fruſtra reprehendiſſet Arete, ad Voluptatis amœna viridaria ſe tranſtulit, ut ingentem adoleſcentium huc affluentium turbam meliori conſilio ad virtutem reduceret. quos partim epulis & choreis, Gulam Luxuriamque ſequentes offendit, partim otio obſcœnorumque librorum intentos lectioni, diſertâ periculorum expoſitione, in ſuas partes ſen-

tentiamque adduxit; qui proinde deſertis Voluptatis caſtri Areten ſunt inſecuti.

Ornamenta. Deſcriptiones variæ. 1. Avaritiæ, Fraudis Uſuræ, Rapinæ, earumque habitus & morum. 2. Paupertati contemptæ. 3. Avarorum, eorum curas, pericula, inexplebilemque aviditatem exponendo. 4. Epularum, compotationis & ſaltationis. 5. Voluptatis, Gulæ, Luxuriæ, & quomodo per otium, ſocietatem pravam, obſcœnam lectionem, ſenſuſque proprios, hæc in animum irrepant ſenſim, famamque juxta & opes conſumant. Deinde Orationes 1. Avaritiæ Paupertatem contemnentis 2. Aretes Avaritiæ turpitudinem, & mala exponentis. 3. Ejuſdem Voluptatis pericula & malitiam fusè declarantis Denique Comparationes 1. Terræ neglectæ cum otioſo homine 2. Venatoris, Piſcatoris, & Venti cum Amore. 3 Lolij & fluminis exundantis cum voluptate primum naſcente.

Imitatio. Pro Epulonis aut prodigi deſcriptione ſerviet. ſi poſterior pars libri præponatur, quorum ille quidem ad antrum infelix æternæ miſeriæ; hic ad fraudes rapinamque poſt longum Voluptatis ſtudium, ad ſiliquas denique cum Porcis, ex ſumma rerum inopia redactus eſt. Pleraque hic voluptatis genera locum habent, locuſque imitationi obvius eſt. 2. Propius etiam imitabere, verum rudi incipientium more, ſi Avarum aliquem parentem, cum profuſo filio eadem in domo componas. 3 Salomonem, nimiâ Voluptatis licentiâ, tandem ad avaritiam, & gravia ſubditorum tributa exigenda converſum, facilè exprimes 4 Henricum octavum Voluptatis avaritiæque (conjunctis fere, ut & in Nerone) vitijs addictum, ac denique à Romana Orthodoxa religione abductum, paribus lineamentis adumbrabis 5. Remotior aliquantò, ſed elegantior imitatio futura eſſet, ſi ſanctum hominem lucro pietatis bonorumque operum meritis intentum, tum cœleſtium rerum ſtudio, ac voluptate delinitum, pari arte induxeris. qui obſcurum in Eremo antrum, honoris mundani contemptor, ſub vili ſpecie habituque ſectetur, Paupertatis, contra Avaritiam opeſque, ſit commendator. Lautas menſas, luxum luxuriamque aſpernetur. libros pios, pro impuris, religioſorum & angelorum ſocietatem, pro vanâ amplectatur. Neque hæc, tum hoc loco, tum alibi contrariorum ad contrariam ſententiam traductio tam eſt difficilis, ut prima ſe fronte offert: cum non raro una negatio appoſita ſufficiat, ut ſenſus transferatur.

Parte

PArte alia qua feſſa dies pallentibus umbris
Submittit rutilas, Phœbo inclinante, quadrigas,
Oceanoque immergit equos, ac Noctis in aula
Laxat anhelantes tepidis ſudoribus artus,
Antrum obſcurum, ingens, habitat Dea, lurida vultum,
Squalenteſque impexa comas, deformia turpi
Membra tegit cultu: Pallet miſerabile corpus
347. Exeſum curis mordacibus: aſpera rugis
Frons horret, ventremque fames, ſitis arida fauces
Obſidet, ac tetricas peragunt inſomnia noctes.
Nomen *Avaritia* eſt. ſoboles indigna parentis
Sarcotheæ, quæ ſuffoſſis immerſa cavernis
Abdita rimatur terræ, fodicatque trementem
Vnguibus, ac lemures inter talpaſque ſeneſcit,
Farciat ut loculos, vacuâque recondat in areâ,
Infelix, rutilas conflata in pondera glebas.
Nequicquam hanc genitrix, morum præcepta relinquens,
348. Increpuit cupidi ſectantem ſordida vulgi
Officia, ingeniumque tenax, dextramque rapacem.
Sæpe, ait, excelſo primos deducimus ortus,
Nata, polo: cur degeneres affigeris auro
Stulta animos? patrio ſenſus tollaris olympo,
Et tanti dignum generis molire laborem.
Sed tamen hanc monitus piget auſcultare parentis;
Sarcotheamque piget natæ, piget indolis illam
Infauſtæ, mediiſque obſcuram deſerit antris
Colluctantem umbris, ac durâ ſorte gementem.
349. Hanc volitant circum vigiles ardentibus alis
Curarum volucres, roſtriſque rapacibus inſtant,
Nec ſomnum indulgent, nec amicam nocte quietem.
Triſte ſatellitium ſtipant, diræque clientes;
Perfida Fraus, Vſura vorax, ſcelerumque Rapina
Contemptrix, Harpyiarum deterrima proles.
Os hominum ſublime gerunt, ſed pulcher in ore
Extinctus pudor obſcuro ſqualore notatur.
Vngue manus curvo fœdatæ, pectora turpi
Preſſa ſitu pendent, alvi eſt vaſtiſſima moles
350. Vix implenda ſatis. Tumulis gaudere putantur,
Et ſpectare ſuam, poſt ſtrata cadavera, prædam,
Inſomnes heredipitæ, milvique rapaces.

Avaritia cum annexis ſibi vitiis deſcripta.

Fraus oculata caput, triplicique abſcondita velo,
Vulpinam occultat, clauſo ſub pectore, pellem. *Fraus eiusque in cauſſis & mercimoniis uſus.*
Blanda quidem verbis, ſed quâ non promptior ulla
Inſidijs loculos, aurumque avertere furto,
Hæc omnem didicit vultum, ſimulataque mendax
Ora gerens, linguam fallacibus imbuit auſis.
Fabula pro veris narratur, juſque, Fideſque
351. Ejurata cadunt, auroque evertitur omnis
Simplicitas, violantque ſacrum perjuria Numen.
Fallere, cum lucro, cœpit eſſe artis haberi:
Et teſtis mutare fidem: venalia jura
Vendere cauſidicus, linguamque locare diſertam,
Aſſerere, ac pretio quæcunque negare paratus.
Judicis arbitrio juriſque examine quondam
Cauſarum pendebat onus, trutinæque ſequaces
Hærebant recti. Themidis nunc fulva tribunal.
352. Obtinet, & lites conſulta Pecunia finit.
Divitiæ vincunt, loculis comitantibus itur
Ad valuas tabulæ. Virtus hinc nuda faceſſat.
Si nihil attulerit, nec ſummus Apollo Maronem
Juverit, *oblatis* minor eſt ſapientia nummis.
Fraus quoque ponderibus detraxit pondus, & auro
Librarum tetigit momenta, ſequentia partem
Qua ſe cumque daret fœdi ſpes obvia lucri. *Simile ab acu magnete tacta.*
Qualis Hyperboreo tactus magnete ſequaces
Fert motus judex, quocunque vocaverit Arctos.
353. Fraus etiam docuit, falſis implere tabernas
Mercibus, & fictum naturæ inducere vultum.
Fonte meri ſatiare cados; hederâque coronam
Texere vendibili lymphæ. miſcentur amurcæ
Pingui oleo, ſpeque ipſâ auri, corrumpitur aurum:
Et perdunt proprias confuſa metalla figuras.
Fraude tegunt aconita ſcyphi, vinumque veneno
Proditur, & poſitâ celantur toxica menſâ.
Divitibus ſæpe hoc donum eſt, heredis avari.
Par Uſura Dolo eſt; tamen inſatiabilis ultra *Vſura auri inſatiabilis eſt.*
354 Ingluvies peccat, nulloque explebilis auro
Inter opes, mendicat inops, ſteriliſque metalli
Mancipium, cultrixque amens, mercede locandum
Exhibet argentum, numeriſque vaferrima nummos

Educit,

Educit, fulvoque legit de ſemine meſſem,
Quæſtibus invigilans, fenuſque ex fenore captans,
Nulla tamen ſaties: non ſi pluat aureus imbre
Jupiter, aut Hermus rutilis exundet arenis,
Ac locuples Pactolus aquis pretioſa relaxet
Flumina, & undanti perfundant guttura fluctu,
355. Ceſſet avara ſitis. minor hujus Lydia voto eſt,
Pauperiorque Tagus. Parcos culpaverit Indos,
Exiguumque Hermum, ac totum ſperabit Hydaſpem,
Tantalus in medijs nunquam ſatiabilis undis.
Eminet has inter comites violentior una:
Audendi celebris, multiſque infeſta Rapina. *Rapina, militibus, magnuque etiam Proceribus familiaris.*
Hæc conſanguineo gaudet Mavorte, fidelis
Prædarum exactrix. & curvis unguibus atrox,
Autolyci neptis; docilis vacuare penates
Agricolûm, pingueſque greges avertere campis,
356 Aut ſtabulis armenta ſuis. Hæc viſa repleri
Meſſibus & captam Cererem natalibus arvis
Abſtrahere: audaceſque manus inferre Deorum
Sedibus, ac ſacras templis avellere prædas.
Vivitur ex rapto Divâ ſuadente, viarum
Hæretur latebris, ſilvæque occulta tenentur,
Semitaque effuſis inopinâ fraude maniplis
Horret, & in loculos acerrima bella parantur.
Aut etiam obſcura ſub nocte faventibus umbris,
Suffoditur domus, & timido patet area furto:
357. Argentumque aurumque latens, & cara ſuppellex
Deluſis rapitur furtim cuſtodibus: arces
Deſerit arca ſuas, fallaxque pecunia migrat.
Ipſa ſuperborum mutato nomine Regum
Tecta Rapina ſubit, ſpecieque incedit honeſti
Mille ferens juris titulos, augenſque viritim
Penſa tributorum, miſeros eviſcerat artus
Privatorum hominum: capitique impendit avaro,
Quidquid ab imbellis detraxit corpore regni.
Adde quod illa truces Martis violare penates
358. Audeat, infeſtaſque etiam ſpoliare cohortes.
O quoties ablata ſibi ſtipendia miles
Indignans queritur! quoties vix mucida panis
Fruſtula fontano mollit perfuſa liquore,

Delicium famis afflictæ; dum lauta ſuperbit
Menſa ducis, loculique tument, ciſtæque rapinis!
Fertur Avarities has quondam affata miniſtras.
Eſte mihi faciles natæ, proniſque favete
Obſequijs, utcunque licet; miſerabile monſtrum
Pauperiem, noſtris procul hinc avertite tectis. *Paupertas*
359. *Haud facilè emergunt quorum virtutibus obſtat* *deſpecta &*
Res anguſta domi. Teneat probitatis amuſſim, *vilis*
Doctrinæque omnes apices, ſit Apolline major; *Iuven.*
Ni Plutus faveat deerit fortuna labori,
Vileſcent virtutis opes atque artis honores,
Inferior tacito cedet Facundia Pluto.
Paupertas infame malum eſt, proſcribitur aulis,
Magnorumque aditu Regum. Vix curia vultum
Agnoſcit miſeræ; Vecors Injuria valvas
Objicit, & tumidâ deſpectat fronte gementem.
360. Quin etiam proprijs inviſa clientibus hoſtis,
Intentat ſervile jugum, famuloſque rebelles
Paſſa gemit, gravis ipſa ſibi, gravis ipſa miniſtris.
Hæc ubi dicta dedit, ſqualentes fronte ſerenâ
Deterſit rugas, & pallida condidit ora
Formoſum mentita decus, coma mollior armis
Errabat medijs, habituque modeſta decoro
Et vultu, qualem virtus frugalis habebat, *Avaritia*
Pulchrior inceſſit: faciemque ac nomina turpis *ſub ſpecie*
Vertit avaritiæ, ſpeciemque obtendit honeſti. *honeſti ſæpe*
361. Sed vafram ridens Arete reſponſa parabat. *latet.*
Juſſa tacere quidem; tamen indignatio, major
Imperio, vocem expreſſit. Quid perfida vultum
Diſſimulas, fraudeſque tegis, quidque improba cœlo
Damnatas extollis opes, ac turpia laude
Contegis, objectoque nefas tutaris honeſto.
Quid ſpretum magis eſt? quid avaro divite ſervit *Avari tur-*
Fœdius? innumeris ambit ſors aurea vinclis *piter ſervi-*
Mancipiorum animos. Quicunque admiſerit aurum *unt.*
Libertate caret, laqueumque in pectora fulvum
362. Injicit, & tantum pretioſo adſtringitur hamo.
Plectendum ſcelus eſt, opibus quod avarus abundet:
Ipſe ſibi noxamque ſimul noxæque flagellum

Conſtruit, infelix, poſtquam damnata metallis
Colla jugo ſubdit, (decretum nempe ſceleſtis
Supplicium) & duris exercet membra fodinis.
Infami obſequio. latebris modò conditur aurum,
Ceu foſſis, hoſtem contra; modò luce ſepultum *Avarorũ*
Donatur, paſcitque oculos, obnoxia ſemper *cura, timor*
Corda laborantum torquens. labor ipſe laborem *& inquies.*
363. Parturit, & magno partum, majore tenetur
Argentum ſtudio. Subvertit cura ſoporem,
Ipſa licet ſtratis recubans, fulcitaque plumis
Molle caput; donec Mors atra papavera feſſis,
Temporibus ſpargens æternâ ſopiat umbrâ.
Cætera quid memorem? ſtant mille pericula circùm
Hoſtes mille premunt, latè patet area fraudum.
Litigio premeris? Iudex exſpectat avarus:
Nec partes ſine parte abeunt. Mavortia campis
364. Arma fremunt? timidæ ſunt hæc præludia prædæ,
Argentoque tuo palles magis. omnia miti
Pace ſilent: tamen ex animi pax exulat arce
Deturbata tui. quis enim, quâ Prædo feneſtra
Irrepat, quâ parte Dolus forſque atra minetur, *Opum peri-*
Sat videat, centumque vias præcludat eunti? *cula & e-*
Sint tibi centupliceſque feræ, ſintque oſtia cen- *verſio.*
tum,
Excubiæ totidem, vigileſque palatia circum
Obſiſtant fortunæ; aditum tamen improba ſternet,
Et dabit immanem, quâ ſe fert illa, ruinam.
365. Quantumcunque tibi ſurgat domus ampla ſuperbis
Culminibus, plenæque penus, arcæque fatiſcant
Ponderibus; multos poterit congeſta per annos
Obruere una dies, flammiſque voracibus hauſta
Condere parva cinis. ſcintilla requiritur una
Ut ruat everſis tua ſors, & gloria rebus.
Vidimus effuſam per rura virentia meſſem,
Spem magnam agricolæ, culmis fluitare ſuperbis,
Et tumidam multis vitem nutare racemis;
Iamque novos utres ac vaſa ingentia fructus
366. Exſpectare ſuos; falceſque ferire paratas;
Fenoraque agrorum venturâ ſorte putantem
Agricolam; loculos, plenumque expandere pectus.

Sed brevis hora tulit mox omnia, nube coactus
Imber, & offenſum, lapidoſâ grandine, cœlum
Ingentem latâ diviſit ſtrage ruinam.
Vidimus ambuſtis reduci cum navis ab Indis
Luderet in pelago. totâ quam ſorte gravatam
Ipſe ſuâ felix opibus mercator agebat,
Serica portantem gemmaſque, aurumque per undas;
367. Sed rapuit levis aura aurum: pontuſque ſolutus
Ventorum imperio gemmas confudit arenæ:
Spemque ſimul navemque evertit divitis omnem.
Sed deſint forti vires, ſupraque tumultum
Fortunæ incedas, opibus ſecurus avaris;
Nil noceat, quodcunque poteſt: jurata perennem *Opes, licet ſecuræ, nunquam tamen avaro, ſemper plurium avido, ſufficiunt.*
Addicat tibi flamma fidem: pacatior aura
Serviat, & faciles pontus ſubmittat habenas;
Velificet ſpes reſque tibi, votiſque regantur
Fata tuis: tamen haud unquam ſatis eſſe putabis
368. Quod ſatis eſt, creſcetque ſitis magis ipſa bibenti.
Qualis ubi inflatos hydrops inſederit artus,
Triſte malum, tumidamque ferox invaſerit alvum;
Serpit avaro lues, atque unda ſititur in undis,
Nec mare Tyrrhenum cupidos ſatiaverit hauſtus.
Plurima cum teneat, deſunt tamen omnia votis
Tantaleis, medioque Midas eſt pauper in auro.
Qui loculis fruitur, vacuis hic paſcitur umbris
Nummorum afflictus, foſſique cadavere Pluti,
Concolor argento, & ſimili tumulandus in urna.
369. Dandi cauſa deeſt, ſed cauſas mille petendi
Semper habet; quæſtuſque novi, fert quæſtus amorem.
Incumbenſque ſuo perit illætabilis auro,
Infelix opibus. Nulla eſt in rebus egeſtas
Major Avaritiâ: deſunt poſſeſſa tenenti,
Nec quod habetur habet; partis ſimul atque parandis
Abſtinet: incertis inhians, & certa relinquens.
Servitium vecors eſt nummis tradere mentem.
Semper eget quicunque cupit. vix ulla Charybdis
Vaſtior aggeſtiſque minus ſatiatur acervis.
370 Lubrica res aurum eſt: multos corrupit amantes. *Opes noxiæ.*
Metropolis fraudum eſt, vitiorum ſuada, ruina

Mentis,

Mentis, virtutum Scopulus, ſentina malorum,
Carnificina animi, curarum noxia mater,
Splendida pernicies, ac, nomine dives, egeſtas
Dixerat hæc Arete larvam que retexit inanem,
Virtutis fictæ ſpeciem, frugique colorem
Turpis Avaritiæ, mediaque in nocte reliquit
Palantem, & fulvæ cogentem pondera terræ.
Sarcotheæ (quamvis natæ cognoſceret ora)
371. Diſplicuit, retroque pedes animumque retorſit.
Sed tamen inviſum, Paupertas obvia monſtrum;
Et rarum metuens, pallenſque ætate Senectus
Impulerunt rurſus deſertum limen avaræ
Prolis adire, ſuâ miſerandam ſorte, parentem.
At digreſſa Arete læti viridaria Pœſti,
Florenteſque inviſit agros, ubi plurima vernis
In ſilvis ludebat avis, lapſuſque perenni
Errabant ſtreperis ſalientia flumina campis.
Texebant circùm virides umbracula Myrti,
372. Deliciæ magni nemoris, lateque vaganti
Ceſpite; jucundis captabant frondibus auram.
Has inter pueri faciles, lepidæque puellæ,
Plenior & vitæ ſpatijs diverterat ætas. *Epula &*
Omne genus juvenumque virûmque per avia fuſi *menſarum*
Certatim indulgent epulis, virideſque per herbas *apparatus.*
Inſtaurant menſas dapibus, pretioque laborant
Irritare gulam, & luxum ſectantur inertem.
Quidquid Pontus habet peregrinaque litora rarum
Suppeditant; quidquid ſilvarum conditur antris;
373. Aut fecunda parit tellus; aut educat aër:
Victima ventris erat; cuncta hunc elementa ſaginant
Innumeris ſpolijs. ſi quas Gangeticus aër
Nutrit aves, Aquiloque feras, Orienſque locuſtas,
Has ambit pretioſa fames: muloſque, lupoſque,
Et ſquillas tenues, Siculoque in gurgite nata
Oſtrea, murænaſque petunt, ſtant longa ferarum
Agmina; & in plena circum ſtatione locantur
Menſarum illecebræ: jungit ſe caprea, capis;
Ficedulæ cerucis: Lepori ſociata columba eſt,
74. Turdus apro: pinguique natant ſimul omnia jure.
Conveniunt Afræ volucres, & Phaſidis ales

Ac Getulus oryx, non ultima gloria menſæ.
His omnes certant epulis. hic ſemina carpit:
Paſcitur hic cerebro: linguas hic lautior ambit:
Nec niſi rara placent. magna eſt induſtria ventris,
Mille habet artifices, & nomina mille ciborum.
Dapſile vulgus ovat, multoque affuſa falerno
Cœna madet, poſito mutantur Cæcuba Chio. *Compotatio*
Nunc ſuccus placet ex uva deductus Ibera:
375 Nunc laudem Mareotis habet: nunc Leſbia vincunt
Pocula: Rhenani ſuperant modo dona Lyæi.
Auguſtas ſtatuunt pateras, Bacchoque viciſſim
Vina coronatis libant regalia menſis,
Atque hilares fundunt cyathos: dulcique lepore
Permiſcent calices. ſerpunt hederæque roſæque
Temporibus, mollique fluunt unguenta capillo.
Et duplici ſudore madent; quem mitis oliva;
Quemque racemiferis ſtillavit montibus uva.
Hos latices inter Thyaſi Citharæque procaci
376. Alternant ſtrepitu. plectro tentatur eburno *Saltatio.*
Docta chelys, querulumque ſtrepit ſub pectine filum,
Et mollis tenero laſcivit muſica cantu,
Sollicitatque pedes. Veſtigia pendula nutum
Carminis obſervant, fidibuſque inflexa canoris,
Conſona Threicijs agitant trieterica nervis.
Pars etiam molles inter colludit Amores
Sirenum propior ſcopulis, blandiſque Voluptæ
Illecebris, tectum libans ſub melle venenum.
Artifices fraudum, leviumque magiſter amorum
377. Naſo placet. multos artis trahit ille ſequaces,
Queîs Venus in muſis eſt Princeps. plurimus undis
Illicibus rapitur, qui Cypridis æquora tentat.
Rex omnes moderatur *Amor*, Regina *Voluptas* *Amoris &*
Præſidet, & plenis metatur caſtra manîplis. *voluptatis*
Ille habilem tractat pharetram, facileſque ſagittas *illecebra.*
Proijcit, & tacito præcordia ſauciat ictu
Ludentûm in pratis juvenum. fert obvia telis
Pectora Luxurians ætas: nec blanda timentur
Spicula; ſed multos jucunda pericula lactant,
378 Experijſſe juvat. Tormentum mite volupta eſt:
Blanda tyrannis amor, dulciſque cupido phreneſis.

Sed

Sed Regina ſuam facilis contemnere famam,
Atque oculos verſare leves, mellitaque ſuavi *Voluptatis*
Flectere verba ſono, & molles jactare lacertos, *imago mo-*
Ibat ovans, teneris calcans nova lilia plantis, *res & habi-*
Vernanteſque roſas: minio fucata genarum *tus.*
Purpura, mentitumque decus memorabile frontis.
Fraudibus apta nitet, nardo fluxêre capilli,
Tinctaque Achæmenium cervix ſpirabat odorem.
379. Serica diſtinctis auro variata figuris
Palla fluit; tenuique ſinus velamine condit,
Vixque oculos prohibet membris. Hanc parvula circum
Turba ruit, genijque leves, molleſque puelli,
Et flores laſciva jacit, violaſque, roſaſque,
Non caritura ſuis, veris nova germina, ſpinis.
Hanc *Gula*, *Luxurieſque* comes, venerantur herili *Gula ima-*
Obſequio Dominam. Buccas inflata tumentes *go & habi-*
Illa ſubit, multùm ſuſpirans pectore anhelo. *tus.*
Et ſtomachi pondus fulcit grave, peſque vacillans
380. Vaſtam alvi molem, ventriſque abdomen, & ingens
Vix defert ſumen: capum tenet altera pinguem,
Altera inundantem pateram manus: ora falerno
Arvinâque madent. dubium veſtigia corpus,
Ambiguumque caput tremulâ vertigine captum,
Nunc huc, nunc illuc rapiunt. vox ipſa ſtupeſcit,
Lingua fluit, viſuſque natat, vivoque tenetur
Infelix animus, ratioque oppreſſa ſepulcro.
Paupertas hæret tergo, miſeramque laceſſens,
Fraudibus emungit loculos, ac nomina famæ.
381 *Luxuries* juxta graditur comptiſſima frontem, *Luxuria ha-*
Blanda genas, laſciva oculos, criſpata capillos, *bitus & mo-*
Ora levis, verſanſque humeros, & pectora nudans *res.*
Illecebris; ſed fallaci tegit ulcera byſſo,
Putentemque animam redolenti mitigat herbâ.
Illa veneficijs aſſueta, potenſque nocendi,
Creditur humanos magico convertere vultus
Carmine, & indignis juvenes mutare figuris
Brutarum pecudum. Nuper cui nota tonanti
Forma ſtetit, vultuſque viri, nec ab æthere flexus;
382. Ora Suum mox prona gerit, Taurive ferocis,
Obſcœnive canis, duros effeminat artus,

Et

Et mentem ſtatione movet, frangitque rebellem
Carni animum, turpique jugo premit ardua magno
Pectora plena Deo, & virtutum emollit amorem.
Nulla manet ſpecies, & honeſtæ gratia formæ.
Sarcothea hanc inter primum ſuſcepta cohortem,
Læta voluptatis ſtudio petulantior ibat,
Molliaque obſcœnæ captabat gaudia vitæ
Delicias ſectata breves, inimicaque duræ
383. Otia virtuti, viſa eſt ambire ſequendo;
Hac tamen in præceps fœdæ mergenda paludi
(Luxuriæ lacus eſt, turpiſque cloaca voluptæ)
Ibat inobſervans, cœnoque infecta probroſo,
Damnabat miſeræ diſcrimina lubrica vitæ,
Auxilio inclamans Areten; quæ fortè recepta
Camporum in medio teneros mulcebat alumnos,
Subjiciens virtutem animis, & pectora dictis
Mollia pertentans. Vos ò generoſa ſupremæ
Progenies Aretes nuper: modò fœda Voluptæ
384. Mancipia, heu! fato quondam meliore creati.
Tollite Luxuriem tenero dum ſemine ſparſa
Creſcit; adulta necat. Scelerũ ſeges apta ſecuri eſt,
Dum primum cœpit levibus pubeſcere culmis.
Maturum obſiſtit crimen radicibus altis,
Convellique nequit vobis dum læta Juventus
Floret adhuc, teneri que dies, pulchræque capaces
Virtutis ſurgunt animi; mandate labori
Ætatis primæ ſpatium, turpique voluptæ
Otia ſubtrahite; ignavos amat illa clientes:
385. Solertes refugit, Corrumpit inertia mentem;
Et ſenſim ſterili vitiorum damnat arenæ.
Non ſecus ac pigro tellus neglecta colono
Nec verſata manu, nulliſque exercita raſtris
Torpet, & incultis ſterileſcit languida glebis,
Ac tribulis horret, ſilvamque minatur inanem.
Inſidioſa quies, rerumque inimica bonarum,
Et mentis rubigo probæ eſt. quicunque veterno
Carperis, obſcuram vives ſine nomine vitam;
Aut tibi pauperies victrix dominabitur. aurum
386. Non amat ignavos. Virtus atque otia raro
Conveniunt. duris gaudet victoria pugnis.

Hominis Voluptas brevis, & pœnitenda.

Voluptas primæ ætati diſſuadenda.

Otia mentem vitijs corrumpunt quod ſimili à terra oſtenditur.

Qui

Qui malè femineâ ſub cyclade mollis Achilles
Delituit clypeum ſumpſit generoſus & haſtam.
Armatus placuit, dignaque in laude refulſit.
Gloria faſtidit ſegnes. Labor improbus aſtris
Extulit Heroas; famæ menſura labori
Reſpondet: laudum depaſcit inertia fructus.
Caſtra voluptatis ſunt otia, regna malorum.
Sed neque deſidiam ſatis eſt fugiſſe: Labori
387. Non rarò inſidias poſuit nocitura Voluptas, *Libri obſcæni Poëtarũ caſtos perdunt.*
Muſarum vexilla ſequens; & Palladis arma,
Oraque, veſtitumque gerens, fucata Poëſis
Sæpe venenatas texit ſub floribus herbas.
Sæpe procax Cithara eſt, latuitque in carmine virus.
Virgineâ Pallas quondam ſub imagine culta
Floruit; infelix nunc deflorata Minerva eſt.
Leno Poëta modò eſt. Laurum Venus improba geſtat;
Atque hederam myrto junxit. Stat Apollinis arcu
Nunc mollis ſuccinctus Amor, neque ſpicula deſunt;
388. Noxia mellifluis intorquet verba figuris.
Qualis ad inſidias, ſilvam venator opacam;
Aut fluvios piſcator, obit: fallacibus ambo *Comparatio Amoris cũ venatore, piſcatore ac vento.*
Artibus incumbunt, vigilantque, ut perdere poſſint.
Talis amor; molles pendit, ceu retia, libros,
Illecebraſque locat, fallax latet eſca ſub hamo,
Ut capiare, capis: tecto retineberis unco
Si deceptrices admorderis ore ſagenas.
Quæ luſit placidis, pacata per æquora ventis,
Heu nimium confiſa ratis! Mox ſenſit iniquam
389. Ventorum rabiem, ſcylliſque voracibus hæſit,
Et deploratæ rapuit ſerò arma ſalutis.
Iſta Poëtarum ſunt ludicra: flecte carinam
E ſcopulis: non hi ſolùm finxêre charybdes,
Sed veras fecêre tibi: quod carmina fundunt
Tot ſcyllas pariunt, ſyrteſque ac ſaxa relinquunt.
Grande pudicitiæ decus eſt, omniſque venuſtas
Huic florum inferior cedit; ſed utriſque caducus
Vernat honos, fluxumque levis rapit aura decorem.
Vnus erat juvenes inter ſapientior omnes
390. Miſocreus, quem Muſa tamen deceperat illex,

Dum

Dum malè conſulto verſarat amore Camœnas.
Ite ait, impuri petulanti carmine libri, *Oratio*
Tartareos animate rogos, talemque favillam *venis im,*
Spargite, quæ diris innoxia ludat in umbris: *ros libro*
Nec ſuperos videat, nec honeſtos pectoris ignes *deteſtant.*
Obruat igne ſuo. Vos, vos decet alta tenebris
Nox immerſa ſuis, fœdæ, ſine lumine, chartæ.
Qui prior indignos in lucem protulit autor,
Dignus nocte fuit. meruit ſuccendere flammas,
391. Queis, bene promeritos, malè vos ſubtraxerat antè.
Cyprigenæ procul hinc partus laſciva puellæ
Lilia, quæ ſparſo tinxit cum lacte veneno:
Et roſa purpureo Veneris ſignata cruore.
Nulla pudicitiæ, niſi læſæ ſymbola fertis.
Dixit, & impuros manibus projecit amores,
Injectoſque rogo conſumpſit in ignibus ignes.
Applauſit juveni Diva, amplexuſque ſerena
Obtulit, & monitis animum complevit honeſtis.
Ne te crede, refert, varijs ſocijſve, lociſve.
392. Multa Voluptatem ſuadent. ſit rarus amicus; *Societas*
Hoſtis nemo tibi. paucis aſſueſce ſodalis *mala ad*
Quos probitas, & ſancta fides commendat habendos. *Voluptatem ſeducit.*
Et Venus, & Luxus multos habuêre magiſtros;
Diſcipulos ſemper dociles. natura juvabit
Si ſceleri faveant ſocij. citò nempe docemur
Quod cupimus, reliquique probant: & amamus amata.
Ducimur exemplis: Evâ peccante ſequutum
Vidimus Adamum, nocuit conſorte potiri.
Vix tutò tibi te credas; carniſque animæque *Propria ho-*
393. Conſuetudo nocet. quantum licet, abſtrahe mentem *minem car,*
Corporis illecebris: vix hoſpes ab hoſpite tanto *& ſenſus ad*
Sat ſecurus ages tacitè colludet iniquis, *voluptatem*
Accipietque tuos valvis bipatentibus hoſtes: *abducunt.*
Ni firmes ratione ſeras. Duo lumina frontis
Portarum vigiles, animi ſuper arce locati,
Sæpius excubijs abeunt, inimicaque circum
Incuſtoditum ſubrepit natio vallum.
Inde frequens ſubitò creſcit diſcordia motu:

Vrbſque

Vrbſque animi diviſa jacet: trahit inde Voluptas,
194. Abſtrahit inde pudor. Mors his admiſſa feneſtris,
Prima ſubit, pœnaſque rapit poſt terga ſequentes.
Sunt oculi tibi celſa Pharos, Cynoſuraque nautis *Oculis multi*
Prævia; ſed fatuis hæc ſæpe per avia flammis *periêre.*
Abducunt palantem animam, portumque relinquunt.
Sunt oculi ſcopuli, queîs mens alliſa frequenti
Naufragio, præcepſque ſalus impacta pependit.
Nonne verecundam qui conſpexêre Suſannam
Decrepiti, periêre oculis? Jeſſejus Heros
Viderat Uriadem, flammaque cupidinis arſit.
Dina peregrinas videt inconſulta puellas
195. Virgo abijt, redijtque parens: quod forma Judithæ
Aſſyrio placuit, fuit hoc cervice luendum.
Nulla tot implicuit diſtorta vorago carinas,
Aut texit tot ſcylla rates; quot lumine læſi
Intereunt. multis tantùm vidiſſe, perijſſe eſt.
Quid reliquos aditus memorem? ſunt mille viarum
Anfractus, quà neglectam ſubit hoſtis in arcem.
Et nocuit palpare manu; dulceſque ſitire *Vinum Ve-*
Illecebras Bacchi. liquor hic incendia paſcit: *neri guſta-*
Et flammis oleum eſt. quantum natura requirit *tum favet.*
196. Porge lubens, quæcunque addis, fomenta malorum
Eſſe puta; molli præbes alimenta furori.
Sæpe etiam vox blanda nocet ſubmiſſa per aures
Impuro quæ felle madet, dulcique veneno.
Aurea porta auris; ſed ſæpe patentior æquo eſt, *Auditus*
Ni ſtabili firmes animo, juſtoque timore *vagus Vo-*
Clauſeris illicitis: quid quid ſubmiſeris intrò, *luptatis ha-*
Hoc penetrat, cordiſque ſinus ſibi vendicat imos. *mus eſt*
Excluſum facilè eſt arceri mœnibus hoſtem,
Admiſſum vis rara movet. nec grandia ſolùm
197. Tela timenda putes, levium contemptor, & audax
Colluſor teneri dum nil minitabitur arcus.
Quamvis ipſe levis, nihil eſt leve, quidquid amore
Suadetur: ſenſim non intellecta voluptas
Naſcitur, evertitque animos. ne ſperne tenellas *Naſcens pri-*
Silveſcentis agri fibras; dum molle per arva *mum Vo-*
Luxuriat lolium diſcet parere ligoni: *luptas faci-*
Haud facilè enatum ſubiges, dum mitior unda eſt *lius oppri-*

Atque

Atque humili vehitur fluctu, prævertitur ingens
Æſtus, & elati perit indignatio ponti,
398. Obice vallorum objecto, cum Nerëus altis
Evaſit ripis, & jam victricibus undis
Subjectos populatur agros, vis nulla retardat.

mitur. Simile à lolio, & flumine.

Colluviem gravium fert illa procella malorum,
Quam vehit Eurus Amor; gravidá quam nube voluptas
Parturit, offuſâque parit caligine luxus.
Hæc partás profligat opes, pulcherrima famæ
Nomina, virtutiſque decus conſumit honeſtæ.
Porrigat obſequio faſces, & victus adoret,
Victorem mundus; ſubmittat ad oſcula vultus

Voluptas potentes infamat, divites exhaurit

399. Heſperus, Eouſque tuos: ſoluſque puteris
Eſſe potens: niſi victori dominabere victor
Ipſe tibi, corpuſque jugo ſubmiſeris audax,
Spretor deliciarum ingens; & Cypridis ignes,
Et madidum calcans luxum: damnabere cunctis,
Irritaque in tenues vaneſcet gloria fumos.
Perſia divitias coacervet, & India gemmas
Sola tibi, heredem Crœſus, Craſſuſque Nepotem
Te velit eſſe ſuum; ſi vivis Apitius, Irus
Abſolves vitam. Res eſt pretioſa Voluptas,
400. Magno alitur, magnis vendit ſua gaudia rebus.
Illa tamen quamvis membris perfuſa liqueſcat,
Et dulci nervos laxet prurigine; vires
Atterit, ac tremulos, examina lurida, morbos
Invehit, obſeſſumque animum languoribus urget.
Principio menti nebulas offundit inertes,
Et caligantem tenebris involvit, apertis
Fraudibus abſiſtens. ſenſim molitur ad arcem
Clandeſtina viam, cautâque enititur arte.

Voluptas ſenſim occupat.

Illecebris igitur levibus præludit, & omnem
401. Induitur vultum, ſuadens nihil eſſe timendum,
Prælia nulla geri. mox indignata furentes
Pectoribus concit motus atque ariete ſævo
Convellit muros animorum, dum ſuperet vi
Præſidium omne virûm, captamque everterit aulam
Mentis, & exuvijs virtutum nudet opimis.
Tum ſimul irrumpunt aditus, audacia greſſu
Præcipiti; vecors comes Ignorantia, turpi

Se paſcens nebulâ: juxta timor improbus hæret,
Captivamque animamque miſero terrore flagellat.
402. Hos inter durum imperium mens ſpreta capeſſit,
Nec paret magis ipſa ſibi. quocunque libido
Deducit, cœcuſque furor rapit, avia fertur. *Voluptatis mala.*
Sperne Voluptatem, tectum ſub melle venenum
Porrigit, oblatiſque tegit ſua vincula donis:
Dulce malum eſt, hilaris morbus, dementia ſuavis,
Et, qualem Sardoa ferunt, mala gramina, riſus.
Imperium vecors, carniſque doloſa tyrannis,
Morborum genitrix, fecundaque lerna dolorum,
Vernantiſque ætatis hiems, ſpoliumque decoris.
403. Ingentem his dictis juvenum Dea ſtravit acervum,
Submiſitque ſibi, deſertaque caſtra Voluptas
Luxit, & invictis Areten exhorruit armis.
Traxerat hanc Arete turmam; ſed fraude Cupido
Inſtitit à tergo, carpſitque extrema cohortis,
Inſidijs urgens, ac tecto Marte fatigans.
Irrita ſed vanis deprompſit tela pharetris;
Multa dolens, ſecumque agitans, quâ parte dolorem
Leniat, & tanti ludibria vindicet hoſtis.

LIBER V.

Brevis Libri reſolutio.

Hiſtoria. Invidia atque Irâ humanum genus ad æmulationem bellumque provocatum, mutuis ſeſe cladibus conficit, & alter alteri hoſtis eſt, poſtquam Deo rebellare cœpit.

Poëſis Arete, Sarcotheæ tutatrix, adverſus hoſtiles filiarum machinationes, Invidiam, triſti Noctis in antro habitantem, atque à Cupidine contra ſe incitatam aggreditur, illamque in aulis juxtà atque hominum vulgo graſſantem, ſolâ armorum oſtentatione, per contemptum magis, quàm vim profligat, ex ſublimi contra illam monte pugnans. quem cum ſibi inacceſſum cerneret. mœroris livoriſque plena, intumeſcenſque, rupta eſt. Quæ res Iram indignatione magnâ in Areten conceptâ, excivit, cum ferocium hominum exercitu paſſim totam Sarcotheæ poſſeſſionem invadentem. In privatas illa familias per Injuriam Violentiamque diſſenſionem induxit, in Reſpublicas bella

bella civilia, Regna inter ſe urbeſque commiſit, fœdis depopulationibus excidijſque vaſtandas. Ipſos in ſe invicem armatos homines magnis cædibus ſtragibuſque colliſit, Arete pro Sarcotheæ defenſione nequicquam obnitente. Quanquam hæc ipſa denique in Iram arma detorſerit, unde turpiter excœcata, furore tamen indomito etiamnum Sarcotheam perſequatur.

Ornamenta. Deſcriptiones 1. Antri obſcuri atque Invidiæ inhabitantis. 2. Vis Invidiæ tum in aulis, tum abjectis hominibus dominantis, & optima quæque carpentis deſcribitur. 3. Iræ & Iraſcentis. 4. crudelium & furentium. 5. Diſſidij ac belli civilis & pugnæ ruſticæ. 6. Excidij regnorum & oppugnationis Vrbium ac vaſtitatis illatæ. 7 Exercitus & pugnæ campeſtris deſcriptio, ſimul & equi ſuperbi, atque armati hominis 8. Cædis & feritatis humanæ, tum vaſtitatis agreſtis. 9. Duelli inter Areten & Iram. Deinde Orationes duæ Aretes. una, qua ſuos contra Invidiam; altera quâ adverſus Iram ſuperandam animat. Denique comparationes. 1. Invidiæ cum araneo & vulture. 2. Iræ cum leæna catulis orbata. 3. Militis urbem irruentis, cum leone Taurum proſternente. 4. Duo pugnantes cum Tauro & lupo comparantur.

Imitatio. Invidia extimulante primum Lutherus in Tetzelium ceteroſque Pontificios inſurgat. Denique nobilibus juxta ac vulgo eiſdem Invidiæ ſtimulis agitatis armatus, Iram rabiemque graviſſimam concipiat, quâ ad diſſidia excidiaque urbium ac regnorum latè per Europam graſſetur, Religione nequicquam ſeſe opponente. 2. Judæi potiſſimum Invidia concitante, atque Irâ denique inflammante efferati, Chriſtum Regem ſuum Cruci affixerunt. Vbi quid Invidia in Phariſæis, quid in aula Caiphæ & Pilati effecerit, quemadmodum Ira gentem illam occuparit, quomodo denique in autores verſum exitium, Solymis per Titum exciſis, licebit deſcribere. 3. Perſecutiones in Chriſtianos ſub Nerone, Decio, Diocletiano aliiſque Imperatoribus, tum etiam apud Indos & Iapones, ſacrificulorum ferè Invidiâ ac Tyrannorum Irâ concitatæ cum multorum excidio hic locum habent. 4. Bella civilia, ſeditiones, ac prælia, cum Invidia plerumque atque indignatione conjuncta, non minus ſerviunt. 5. Remotior aliquantò imitatio eſſet, ſi pro Invidia Gentilitas in obſcuro antro, pro Ira Dæmonum per orbem cultorum. veramque Religionem profligantium furor induceretur per Xaverium aliquem apud

Indo

Indos, aut per Paulum Petrumve, apud Romanos Græcoſve, ſubactus. Hæc exempla, tum hic, tum alibi non omnino rudi ſufficient; ut paria etiam ex ſacris profaniſque hiſtorijs meditari poſſit. Quod tamen ita faciet, ut ſibi alijſve, parum in hac palæſtra verſatis ea præſcribat, primùm quæ propriora imitationi fuerint, dum ſenſim exercitatior, ſine cortice etiam natare aliquando didicerit.

Atra Lycaonio domus eſt vicina Trioni,
404. Ignorata die, rutiloque impervia Phœbo,
Nox ubi furva ſuos, denſâ caligine, currus
Inſtruit, umbrarumque animas nigrantibus alis
Spargit in obſcurum, nebulis horrentibus, orbem,
Hic *a* Icelum Somno genitum, docilemque miniſtrum
Morphea, fallaces rerum ſimulare figuras
Artifici memorant calamo, fuſcoque colore,
Ac facili rerum formas inducere vultu.
Atria prima terunt pavidis inſomnia plantis,
Et timor exanguis cuſtos, & frigidus horror
405. Excubitor; tetris confunditur aula tenebris,
Invidiæ ſedes. medio Dea conſidet antro, *Invidia*
Turpe nimis monſtrum. duris frons aſpera rugis, *eiusque lo-*
Livida tota genas, oculoſque obliqua minaces. *cus, habitus,*
Oblongi dente, atq[illegible]a madentia tabo *ac mores.*
Vipereo, & diro prædarum tincta cruore.
Contrahitur macie, ac miſero conſumitur æſtu,
Vixque habet oſſa cutis, niſi quod perfuſa veneno
Pectoris, inflatâ deformis turgeat alvo.
Qualis in extrémo tumefactus araneus anno
Pampineas inter frondes, & muſtea Bacchi *Compara-*
Cornua, ſuſpenſus turget: circum omnia venter *tur tumens*
Occupat, & plenum diſtendunt toxica pectus. *araneo.*
Ipſa ſuos etiam vivens eviſcerat artus
Invidia, & tacitis arrodens pectora curis,
Ceu vultur, conſumit edax. Avis illa Promethei
Fingitur; at noſtri non fallit fabula monſtri.
Illa laceſſitus penetrans ad tecta Cupido,
Auxilium ſupplex miſeram rogat. Inclyta, dixit,
Diva meis adſis: odijſque hoſtilibus urge
Infeſtam nobis Areten; crudelia noſtris
Bella parat caſtris, victrixque triumphat in armis,
Undique Sarcotheam propugnans, undique cingens.
Spicula Livoris meruit, ſtimuloſque furentis
Invidiæ: ne cede minor; ſed ſtringe ferocem
Imperio, faſtuque gravi compeſce tumentem.

Sic

a Dictus ab εἴκελος ſimilis, aliàs Phobétor à φοβεῖν terre-re, quod is per phantaſmata & rerum ſimilitudines (quas cum Morpheo formare in ſomno fingitur, homines terreat.

Sic ait, ardentemque facem projecit; & igne
Exagitans rabidam Diris furialibus implet.
Ergo, ubi conceptis exarſerat improba flammis,
Fertur, ut inſano Mœnas ſtimulata Lyæo,
Per fora, perque agros. Quacunque per arva vagatur,
Areſcunt herbæ virides, & florida pratis
Germina palleſcunt; moritur roſa, lilia languent,
Invidia flagrans omnia corrumpit.
Totaque nobilitas florum violata recumbit.
Per medios graditur populos invecta, per urbes;
Et gladios inimica ſubit; nullique receſſus
Hanc arcent: non caſtra premunt, hoſteſque ruentem,
Non valles, non valla tenent. penetrabit in arces
Mille licet circum ſtent propugnacula, pugnent
Mille virûm contrà. Greſsûs ſublimibus infert
409. Sedibus, & rerum dominis verſatur in aulis.
Invidia in aulis potentum.
Infelix, ſequitur felices: indiga, dites:
Turpis, honoratos; aliorum infamis honore:
Divitijs pauper. cunctis inviſa ſodalis:
Ipſi ingrata ſibi. Nec rebus idonea magnis:
Non bellis, non pace potens; ſed ſemper inerti
Deſidiâ torpens, atroque inflata tumore
Ringitur imbellis. Titulos probitatis anhelat
Improba; ſub vitijs ambit virtutis honorem.
Lætatur, cum quiſque dolet: gaudentibus illis
410. Reſpondit lacrymans. Sola infortunia paſcunt
Felicem miſeris, miſeram felicibus umbram.
Illa igitur ſignis Areten infeſta petebat
Contra hominum fecem educens, vulguſque proboſum,
Cerdonumque gregem, ſcurriliaque agmina plebis.
Therſitæ circum ſtipant Momique ſequuntur,
Gerroneſque leves ac mendicabula famæ,
Abiectum vulgus maxime invidum, contra quod Arete ſuos animat
Euclio, opumque proci. ſed dux interrita riſit
Hoſtibus occurrens Arete. mox talia fatur.
Magnanimi juvenes, mavortia pectora, magnæ
411. Virtutis ſoboles; mea qui vexilla ſequuti
Hactenus indecores, neque præmia digna gerentes
Factorum, & laudis titulos, & lumina famæ

Ignoratis adhuc: pulchri modò campus honoris
Panditur Invidiam contra, vulguſque rebelle,
Et viles animas magnâ virtute minores.
Hic miles ſubſiſte, manet victoria ſtantes.
Invidiæ ne cede prior: minor illa recedet,
Succumbetque tibi; metuentes obruit audax:
Audaces metuit niſi tu deſpexeris hoſtem,

Invidia neglectu ſuperatur.

412. Deſpiciet, pedibuſque premet, quibus illa premenda eſt.
Neglexiſſe ſat eſt, ſine telo concidit omni.
Invidiam qui ferre poteſt, viciſſe putatur.
Invidiâ gaudere licet. virtutibus umbra
Hæc comes incedit magnis cervicibus unum
Incumbit Livoris onus, tranſitque minores
Imbelleſque animas, ac tantum culmina rerum
Quærit, honoratæ carpens Veſtigia famæ.
Interea ex imis adrepſit vallibus agmen
Invidiæ: contràque Arete ſpectabilis altis

Invidia carpit optima.

413. Rupibus, & celsâ ſpectatrix præſidet arce,
Ac ſecura ſui fumos irridet inanes
Hoſtis, & armatæ tantum convitia linguæ.
Intentat rabidos furioſa Calumnia morſus:
Frauſque ſuſurratrix inſtat, liberque cavillis
Momus, & invectis ſpargit mendacia plauſtris.
Nominis hic ſugillat opes, generiſque decorem
Vellicat, & contra titulis infamibus inſtat.
Hic genus, & formam carpit. Virtutibus alter
Imminet, & falſo vitiorum inſpergit aceto.

Invidiâ nihil intactũ boni manet

414. Opprobrijs certant. nulli poſſeſſio laudis
Illibata manet: dentes armantur in omnes,
Et fulmen verborum atrox, linguæque minaces;
Irrita tela tamen. Nec lumen nubila Phœbo
Eripiunt; nec virtuti convitia lucem.
Eſt aliquod laudis ſpatium, & faſtigium honoris
Excelſum ac ingens. Arete quò prævia tollit
Inſignes Heroum animas; impervia ſedes
Invidiæ, nubes inter cœlumque locata.
Huc ubi nequicquam enixa eſt molimine vano
415. Incumbens, & ſeque ſuoſque ſub ima revolvens
Ex alto Invidiæ Princeps; pertæſa laborum
Plenaque mœroris. nigro ſuffuſa veneno,

Invidia, ubi ſumma nequit attingere, ſeipſâ conſumit.

Intu-

Intumuit, torquenſque oculos, ac pectora livens,
Expuit indignantem animam, crepuitque dolendo.
Hac clade ingemuit vitiorum exercitus omnis,
Inprimis tamen *Ira* minax; armataque flammis *Iræ rabies cum Leæna orbata cõparatur.*
Vindicibus, furiaſque trahens in bella ſequaces,
Horrendùm infremuit: catulis ut fortè Leæna
Deſertis orbata furit. Getulaque frendens
416. Arva terit ſævùmque rugit; veſtigia circum
Venantum explorans, diro implacabilis æſtu.
Haud ſecus Ira fremit: pallenti excanduit ore,
Dentibus infrendens ſtridentibus: atra minaces
Spumarum evolvunt fluctus labra. flammea vultu *Iraſcentũ deſcriptio.*
Lumina contracto partem detorquet in omnem;
Cæca tamen præcepſque ruens, Lymphataque greſſus
Implicat, & trucibus nunc muta ſilentia verbis
Abrumpit, nunc voce ferox mordacia punctim
Verba iacit, rabidisque infeſtat vocibus æthram.
417. Silva capillorum ſetis atrocibus horret,
Inflatæque micant venæ, pavidoque tremore
Fluctuat, incertumque caput, concuſſaque membra.
Tempeſtas miſeranda animi præcordia circum
Æſtuat, & nigro perfundit viſcera felle,
Elato quaſſans undantia pectora motu.
Mens inter fluctus dubia eſt, ratioque laborat
Naufraga, conſiliumque jacet: violentia clavum
Sola tenet, remoſque excors inſania ducit.
Nauta animus, ratis eſt corpus, biliſque profundum,
418 Unda tumor, paſſis ruit indignatio velis:
Luctantemque animam rabies quatit. impetus urget
In Brevia & Syrtes: eſt una perire voluptas.
Si deſint hoſtes, in ſe convertere ferrum.
Dira agitat, vulnuſque placet quodcunque furenti:
Sola regit conſulta dolor, totuſque ſenatus
Sunt animi Furiæ, cauſæque amentia Judex.
Talis in arma ruens Areten truculenta petebat.
Cogitur armatorum ingens exercitus, omnes
Audaces animæ multoque tumore ſuperbæ:
419. Dura recuſantes dominorum ſceptra miniſtri.
Quique vel imperium detrectavère ſenatus
Civiles turmæ; vel duro inviſa parenti,

Atque novercales vultus exoſa juventus. *Ira maximè obnoxij*
Femineique greges, qui conjugis arma parantis
Ora execrantes fugiunt, thalamumque, domumque
Incendunt Furijs, & prælia ſola loquuntur.
Concurrunt Numidæ, Maurique, Scythæque feroces.
Sauromatæque; Getæque truces, rigidique Geloni.
Centauri, ac Siculi notâ feritate Tyranni.
420 Rupibus immanis Scyron, lectoque Procuſtes,
Curvatâque Scinis pinu, Læſtrygones antris,
Et tauro Phalaris, paſtuque infamis equorum
Rex Thracum, Scythicoſque fovens ex cæde leones.
Et Medea ferox. Circeque timenda venenis.
Signa volant, tigrideſque feræ, ſævique dracones *Furioſum agmen.*
Et plaudunt levibus vexilla tumentia ventis:
Signifer ipſe Furor. Patefactus Erinnyas orcus
Junxit, & horriſonis Alecto fulget in armis,
Tiſiphoneque facem quaſſat, ſævoſque Megæra
421. Intentans angues, terroribus omnia complent.
Inſidiæ circum, truculentaque mortis imago
Et peſtes variæ. Dux agmina prævolat Ira,
Sarcotheamque petens Aretenque & quidquid amicum eſt,
Imperium crudele gerit, temeraria belli
Conſilijs hominumque odijs: audere parata
Quodlibet, ac rapto quemvis inceſſere ferro,
Prima ſuos monuit linguis animoſa ciere *Ira diſcordia ac bellorum inflammatrix*
Prælia, bellantûmque animos incendere dictis,
Intentare minas, & martia ſpargere belli
422. Semina, fulmineo quocunque injuria curſu
Provolat, effunditque ferox Violentia bigas.
Et nocuiſſe juvat, ſeu cives flamma togatos
Sæva petat; ſive hæc medijs incendia caſtris
Excitet, & ſocias convertat in arma cohortes.
Ira maritales odijs accendere tædas *Inter conjuges & amicos ſpargit diſſidia.*
Mortales docuit, flammaſque furoris amantûm
Æſtibus affundens, ſuper obruit ignibus ignem.
Hinc rapitur concuſſa domus, jactatque flagrãtes
Ira faces, magniſque animos ardoribus implet.
423. Sæpe propinato gaudet vindicta veneno,
Quod dominis ſervi, privignis dira Noverca
Miſcet, & infamis componit amica marito.

Cypridis,

Cypridis, Ira, roſas ſpinis armavit, & hortos
Reddidit infeſtos Hymenæi. ſubruit omnem
Prava fidem. jus naturæ, cognataque rumpit
Federa amicitiæ; pugnat Cainus Abelo:
Cham patris opprobrium eſt; Chamo pater ipſe ruina.
Nec tam ſancta dedit pietas, aut vincula ſanguis,
Quæ nunquam violet furioſa libido nocendi.
424. Plurima cinxerunt juratos mœnia cives:
Quos cœlum commune, fides, conſultaque legum
Sacrarum junxeré animis; tamen Ira diremptus
Avulſit ſociale jugum: decretaque juris
Sub pedibus compreſſit ovans Violentia, recti

Civilia bella concitat, & turpes pugnas inter familiares.

Cuſtos fida parum: pacem civilibus armis
Excuſſit, priſciſque hoſtem confudit amicis.
Decolor erubuit toga noto ſanguine tincta,
Et duro mutata ſago eſt. tentoria, tectum;
Caſtra, lares multis. æſtas ac bruma feruatur;
425. Ut perdant alios Sed & impetus arma miniſtrat,
Ingentes pateras epulantûm, & pocula fuſo
Plena mero, ac rapti diffracta ſedilia ſcamni,
Rutraque, avulſaſque trabes, rigidaſque ſecures.

Pugna ruſtica & crudelis.

Vidimus hæc liquido multorum impacta: cerebro;
Aut medias auferre genas, denteſque revulſos.
Spargere, & abſciſſas deformi vulnere nares:
Aut ſaxo caput eliſum, multoque cruore
Cervicem madidam, & turpes ſqualere capillos.
Deſerit hic claudus pugnam, quam promptus adibat.
426. Hic cladem ingentem paſſus, ſua deſiit ipſe,
Amiſſis oculis, mala cernere, ſtipite frontem
Fixus, & amiſſum deflens, ſine lumine, lumen.
Vidimus adverſas civilia tela catervas
Stringere, cognataſque manus in prælia ferri
Camporum in medio. civem concurrere civi,
Proque ſuis tectis decernere judice ferro.
Vendere Libertatem armis, proprijſque ſecandam
Cervicem gladijs præbere, ac turpe ſepulcrum,
Infamemque necem vitæ præferre quietæ;
427. Cum furor, & vecors ferrum indignatio ſuadet.
Quid memorem regnorum obitus, miſeramque ruinam
Quam præceps ſæpe Ira tulit? Non talibus unquam

Fluctibus æquoreas Nereus laxavit habenas: *Regna urbes & arces bello procumbunt.*
Nec ſimilem Æolidum furioſa licentia ſtragem
Vlla dedit; qualem mundo intractabilis Ira.
Hæc maria, & ventos ſuperat nocitura, procellis
Integra regna premit, vulſumque ingentibus orbem
Cardinibus removet, ſolitaque à ſede repellit.
Imperij nuper decora, & ſurgentia cœlo
428. Mœnia, firmatæque arces, munimina regni,
Procumbunt æquata ſolo. Laudavimus urbes,
Oppidaque, affluxu rerum celeberrima quondam:
Nunc contempta jacent, ſpolium deforme furoris,
Ludibriumque hoſti. Furit ingenioſa malorum
Inventrix rabies. quæcunque induſtria ſtruxit;
Ira ruit. poſitis opponimus arcibus arces,
Murorum in excidium. vallis nova, valla premuntur.
Mœnia non tantum; ſed propugnacula campus
Excipit, & cinctos ſtant munimenta per agros,
429. Adverſumque urbes, urbs tollitur altera; donec *Vrbes tormentis quatere, ac vi invadere.*
Eruta ſubſidat quaſſatis altera vallis.
Murorum funeſta lues, baliſta, molares
Intorquet lapides; armataque cornua vibrat
Viminea ſub corte aries; catapulta ſagittas
Evomit, impulſiſque patent pomœria muris.
Sæpe tamen poſitis prenſant faſtigia ſcalis
Enixi gradibus, ſcutiſque objecta repellunt
Spicula, ſaxorumque ingentia pondera ſpernunt:
Aut etiam effoſſis ſubvertunt mœnia vallis,
430. Explorantve aditus occultos, viſcera ſubter
Terrarum illapſi. quà ſe via proxima pandit,
Hac iter eſt. paucos diſcrimina tarda morantur.
Vindictæ ſtudium, prædæque inſana libido
Gaudet in adverſis. norunt contemnere vitam
Vt vitam rapiant; & blanda pericula cenſent,
Dum metuant alij, ferrumque in viſcera condant.
Fit via vi, ſtrictoque aditus mucrone parantur.
Cæduntur cæduntque ſimul, confuſaque pugnant
Prælia, ſuccifas alij per mœnia dextras
431. Infundunt urbi, ſed toto corpore muris
Abſcedunt victi, & foſſis volvuntur apertis.
Evincunt murorum alij molimina, multo

Vulnere

Vulnere deformes: vires audacia præſtat,
Atque laceſſitâ mens fortior emicat irâ,
Qualis in arma Leo Libycis ſe fundit arenis
Immanem adverſus Taurum; cum frontis acutæ
Cuſpide perſtrictus, laceros perfunditur armos
Sanguine purpureo; rabies tunc effera creſcit,
Crudeleſque micant oculi, frendenſque rugitu.

Leſſ. magis furunt, ut leo cum tauro pugnans.

432. Fertur, & ingentes oris diducit hiatus.
Hinc ungues, cauda inde minax armantur, & ictum
Fatalem intentant: donec ſaltu emicat audax,
Et medium inflictis Tauro rapit unguibus armum.
Ille ruit, prædamque Leo ſortitur opimam.
Talis in obſtantes miles fremit horridus ore,
Ac ferro crudele micans, captivaque, rupto
Obice clauſtrorum, venientibus oppida complet
Agminibus: tota mucro graſſatur in urbe,
Et vaſtatrices miſcent incendia flammæ.
433 Diripiuntur opes, congeſtum tempore longo
Annorum, & vitæ fenus; pretiumque laboris
Sudatum quondam proavis, ſeroque nepoti
Tranſmiſſum, rapit una dies; ſpoliumque ſenectæ
Detrahit, & parto defraudat munere prolem.
Nubilis ereptum luxit quoque virgo pudorem
Conjugijque fidem conjunx. altaria ſacris
Nuda ſuis, divûmque thori, violata rapinis
Amiſere decus. ſpoliantur civibus urbes,
Vrbs domibus, domus ornatu: ſoluſque gubernat
434. Terror, & informi ſqualeſcunt omnia luctu.

Vrbes ſpoliantur, ſacra violantur &c.

Camporum in medio nonnunquam exercitus in-
gens
Arma fremit, rapit arma minax. Dux Ira gubernat.
Sarmaticis pars fertur equis, ſpumantia torquens
Ora manu, tumidoſque premens calcaribus armos
It ſonipes, preſſiſque ferox luctatur habenis,
Luxurians, quatienſque jubas cervice ſuperbâ.
Inſultanſque ſolo, ſinuoſa volumina crurum
Torquet, & ætherias hinnitibus incitat auras.
Pars pedes incedit, latoſque effuſa per agros.
435. Ordinibus certis graditur, vallataque turmis
Ipſa catervatim medio ruit agmine campi:

Exercitus campeſtris.

Equus ſuperbus.

Ala levis circum. ſtrictis haſtilibus horret
Area camporum, ſplendeſcit ahenea caſſis, *Armati.*
Sanguineæque tremunt plumarum in vertice criſtæ.
Et bellatorum clypei, fulvuſque coruſcis
Ignibus umbo micat: duro lorica metallo
Aſpera nexilibus defendit pectora ſquamis.
Hinc pendent arcus Scythici, Creſſæque pharetræ,
Quæque venenato minitantur ſpicula ferro.
436. Inde cruentatis ſpectantur Amazones haſtis,
Stridentemque manus torquet balearica fundam
Glande minax. Harpen Thraces, rotat Helvetus enſem
Abſtractum lateri. fulget ſeges ærea campis,
Atque repercuſſis radiorum argentea flammis
Arma micant, tremulamque implent ardoribus æthram.
Tortilis ærato lituus fremit ore ſonorum
Carmen, & armato plaudit tuba martia bello,
Tympanaque impulſas frangunt clangoribus auras.
Adſtrepit Eumenidum rabies, raucoque boatu,
437: Stridula, ſerpenteſque quatit flammaſque coruſcat.
Omnia terror habet: furor improbus omnia complet.
Sic Areten contra jaculis inſtructa, viriſque,
Ira ruit, multumque odijs ſuccendit acerbis
Indignantum animos, & ſpicula torquet in hoſtem.
Adverſæ gaudent acies, & martia ferro
Pectora, juratas in prælia jungere vires, *Pugna cam-*
Conſertaſque cruore manus, cœlumque tumultu *peſtris.*
Compleri, raptumque diem ſub nube latere
Pulvereâ, & medijs confuſos hoſtibus hoſtes.
438. Audax Marte virum vir preſſit, & enſibus enſes,
Pectora pectoribus, ſcutiſque hærentia ſcuta
Horrendùm ſtrepuêre. furor latè omnia traxit.
Rapta ſuo vexilla Duci, proſtrata virorum
Agmina, turbatæque acies, miſtæque phalanges
Confundunt: hoſtemque & amicum, & tela, necemque,
Atque orco manes jungunt, trepidaſque cohortes *Cædes va-*
Vmbrarum ſociant, ſtygioq; in carcere claudunt. *ria, &*
Non unum mortis genus eſt; hic ſpicula nervo *ſtrages ca-*
Evibrata gravi ſubter præcordia condit *dentium.*
439. Vitalem effundens animam, quà proxima lethi
Eſt via. ſuccumbunt alij cervice minores:

Aut trunci manibus; gladiorum meſſis acerba
Lancea multorum gaudet ſatiata cruore,
Purpureaſque rapit turmas; pars acta ſub haſtam
Venditur infelix morti: duramque tributum
Perſoluit vitæ. nulli ſua vulnera deſunt.
Victores victique cadunt: decernere ferro
Sic juvat. alternis quædam eſt perijſſe voluptas.
Illuſtres animæ juvenum ſolatia vixdum
440. Libatæ effundunt vitæ, ſenibuſque cruenta
Funera permiſcent. æquat mors Hectora lixis,
Therſitæ Paridem. confuſus equûmque virûmque
Eſt cruor, & tumulus cœlum commune ſepulcrum eſt;
Triſtiaque infauſtis ſparguntur pabula corvis.
O nimium demens rabies, & ſtulta nocendi
Ambitio! quantis involvis caſibus orbem
Exitium fatale furor! terra ipſa nefandùm *Hominum*
Horreſcit ſentitque malum, cum decolor undâ *in homines*
Sanguineâ tegitur; mutatis flumina lymphis *furor maior*
441. Accuſant facinus; nec habent elementa colorem. *quàm ferarum.*
Ipſaque peſtiferis ulciſcitur æthra venenis
Pectoris humani rabiem, viruſque cruentum:
Et quibus abſtinuit gladius victoribus, orco
Deſtinat, umbrarumque reos in carcere frenat.
Ingenium natura feris tolerantius æqui,
Et tribuit crudele minus, nil tigride ſævâ
Sævius, at generi parcit: furit urſa libyſtis
Sed conſangineas ſtrages martemque peroſa eſt:
Mutua pax ſociat quamvis genus acre luporum:
442. Soli homini lupus alter homo eſt, dulciſque libido
Eſt nocuiſſe pari Ferro ſubvertitur orbis,
Et totæ pereunt gentes. Victoria Laudis
Plus habet, exciſas quæ latè eſt fuſa per urbes.
Ipſe etiam ſpoliatur ager, damnataque tellus
Opprimitur, ponduſque ſubit commune malorum.
Quæ plaga fructiferis olim florebat ariſtis,
Et falcem quamvis avidam ſatiabat opimi *Agrorum*
Meſſoris, latè populos, & aratra recenſens: *vaſtitas.*
Nunc alit (agricolis viduata & meſſis egena)
443. Silveſtres ſterilis dumos; ſpinæque rubique

 Finibus

Finibus agrorum regnant, & lurida vaſtat
Arva fames. magnis palatia celſa ruinis,
Ruricolûmque domus, & verſæ ſedibus urbes
Excidio miſeranda jacent, dignumque ſepulcris
Nomen habent: tantum dominorum ingentia buſta,
Et confuſa cinis ſupereſt, inſana voluptas
Bellonæ, & ſtulti monumentum illuſtre furoris.
Non tamen hæc meta eſt, aut finis certa malorum;
Sed deſperatis Mars & Mors dura catenas *Deſperati*
444. Injicit, ac miſero cogit ſuccumbere fato. *bellum ade-*
Cui parcit funeſta fames, cognataque bello *unt.*
Dira lues; hunc ad Martem rapit improbus ardor
Speſque afflicta domi Mars cladibus auctior ipſis
Diteſcit, recipitque viros, quos perdidit olim.
Sic miſeris eſt vulnus idem medicinaque bellum,
Sic alit Ira faces: ſic Mars ex Marte fovetur.
Fortunæ nunquam deerunt, Iræque nocendi
Mille viæ: donec tumidos moderabitur audax
Regnorum proceres, & ſceptra potentia ſceptris *Ira & cupi-*
445. Opponet Vindicta ferox, regnumque cupitum, *ditate Re-*
Et furor offenſæ, mentemque, orbemque fatigant; *gum regna*
Momentoque levi rapiunt nutantia Regum *colliduntur.*
Pectora, quo ſuadet rabies, nulloque cupido
Limite regnandi deſcripta. ſit Africa regnum,
Europam jam Marte premet, cupietque triumphis
Annumerare ſuis. ſupplex Europa regatur.
Troianos furor iſte petet; quicunque meretur
Servitium titulus: nec cum famulabitur orbis;
Ira tumorque ruent. ſuperis audacia bellum
446 Inferet, invictiſque amens minitabitur aſtris.
His ruit Ira malis, terramque furoribus implet,
Aſſertrix ſcelerum, ſanctæque inimica quieti,
Impia ſacrilegis meditatur prælia dextris,
Sarcotheam, Divûmque audax contemnere leges.
Negligitur virtus, & fas, & jura premuntur.
Paulatim vitijs pectus firmatur, & orbis
Indulget Furijs, & iniquæ militat Iræ *Aretes,*
Indignantem igitur miſcentemque omnia circum *Iram repri-*
Infeſtis Arete ſignis petit. arma furenti *mentis ora-*
447. Opponens, prohibensque vias adverſa minanti *tio.*

Ergo

Ergone tu noſtris, inquit, temeraria regnis
Fatales inferre gradus, & fraudibus auſis
Infauſtaque manu ſævam intentare ruinam?
Crudelis, quò te tranſverſam inſania torquet?
Siſte pedem, ſatis ærumnarum, & cladium abunde eſt.
Sarcotheæ dudum inſultas, tuimuſque protervum
Imperiumque minaſque diu. compeſce furorem,
Et patiare æquas juſtæ rationis habenas.
Sarcotheæ ſua libertas, & gloria conſtet;
448. Excutiat ſecura jugum, nulloque teneri
Servitio, tantâ ſpectetur origine, ſanguis.
Hoc pietas, & jura volunt. cede improba matri,
Cede Deæ, Furiaſque ſuo Phlegethonte coërce.
Dixit, & armatas contra tulit inclyta turmas
Virtutum, dux ipſa præit, vexilla ſequuntur.
Non tulit Ira minas, ſed hianti ſpumea rictû
Os torquet, nigroque animum perfuſa veneno
Horrendùm fremit, abrumpitque minacia verba,
Telum inter voces librans. ſtridentia fractis
449. Spicula jactantur ventis, ac certa feruntur *Arma ipſi*
In latus obliquum, & confinia pectoris alti. *autori no-*
Excepit lorica ruens innoxia ferrum *xia & tela*
Et retro tulit obſiſtens adamantina. Telum *retorta.*
Frangitur, acceptumque refert pro vulnere vulnus.
Qualis in adverſam navis temeraria rupem
Fuſa ruit, perſtat ſaxum, ratis icta fatiſcit.
Illa tamen jaculis iterumque iterumque laceſſit,
Delaſſatque arcum, pharetramque exhaurit inanem
Nequicquam. Nihil hæc Divam terrere procella
450. Invictam potuit: ſtetit inconcuſſa Virago
Et clypeo fuſum jaculorum reppulit imbrem.
Provida namque Arete, rutilis firmaverat armis
Infractum pectus; capiti ſedet ærea caſſis
Et chalybe induratus apex. auroque trilicem
Induitur loricam humeris; parmæque decorum
Altera fulcit onus, tractat manus altera ferrum.
Talem Ira aggreditur. propiuſque accendere Martem
Auſa, premit juncto Divæ veſtigia greſſu, *Duellum*
Audacemque manum capulo admovet, & rapit *auſpicanti*
enſem *noxium.*

451. Ore ſuper frendens, dabis, en dabis, improba pœnam,
Clamat, & elatam librat furioſa machæram
Verticis in medium, atque audaci deſtinat ictu,
Et cerebrum, & vitam ruituræ evertere Nymphæ.
Dura machæra quidem, tamen intractabile ferrum
Durior obnixo retudit galea icta metallo,
Tinnitum reddens vacuum, chalybemque revellens
A capulo, retroque adigens ferientis in ora.
Perdidit afflictum miſerando vulnere lumen. *Ira propriȷs*
Inde ruit caſſis oculorum orbata feneſtris *armis excæ-*
452. Ira furens, triſtemque refert poſt prælia cladem. *cata.*
Haud aliter taurus medijs quem Sarmata paſtor
Eduxit campis, cum ſe lupus obvius atrâ, *Comparatio*
Effundit ſtimulante fame, ſitienſque cruoris *duellantiũ*
Involat; obſiſtit generoſus, & impiger hoſti *cum Tauro*
Qua ſe cunque ferat, caput objicit, ardua jactans *& Lupo.*
Cornua, luctantemque feram, ſpe ludit inani:
Illa ruit, cornuque oculos eliſa patentes,
Cæca ſtupet, lumenque ſuum, ſpoliumque requirit.
Aut etiam patulos diducens bellua rictus,
453. Armati capitis præacutam cuſpide frontem
Faucibus immergit medijs, prædæque tenetur
Præda ſuæ. ſic Ira ferox dum ringitur hoſtem
Infractum contra, ſubitâ ſe cuſpide ſenſit
Perſtringi, trepidoque hæſit percuſſa timore
Excipiens collo laqueum, vincliſque furentes
Stricta manus, Areten ſequitur captiva trahentem,
Sæpius illa tamen, quantumvis cœca, catenas
Rumpit, & effuſas odiorum laxat habenas, *Sarcotheam*
Sarcotheamque agitat, verſiſque incendia regnis *infelicem*
454. Excitat, & dubium quatit imo à cardine mun- *Matrẽ Ira*
dum. *exagitat.*
Vos Superi, quos juſtus amor, quos cura ſuorum
Occupat, afflictæ tandem miſereſcite Matris,
Ne, precor Antitheo tantas concedite vires
Autori ſcelerum; qui nunc ultricibus orbem
Devaſtat Furijs, & cœpta piacula noxis
Accumulat, ſuaſor tantorum ultorque malorum.
Parcite Sarcotheæ, meritis conſtringite vinclis
Vaſtatorem hominum, Furiæ claudantur averno;

Nec

Nec Matri noceat Vitiorum infauſta propago.
Sic Tibi, terrarum Domino, Regique polorum,
Sarcothea æternùm, dignis obnoxia votis,
Serviet, & tanti ſtatuet monumenta favoris.

PALÆSTRÆ ELOQUENTIÆ LIGATÆ LYRICA POESIS,

PRÆCEPTIONIBVS & Exemplis illuſtrata,

AVCTORE

R. P. JACOBO MASENIO è SOCIETATE JESU.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Typis & Sumptibus WILHELMI FRIESSEM ſub ſigno Archangeli Gabrielis in platea vulgo Tranckgaß. Anno 1655.

Ad Excell.^m & Ill.^m Dominum,

D. JOANNEM

Lib. Baronem à Reuſchenberg, Dominum in Setterig & Vienenburg S.C.M. Conſiliariū bellicum, & Generalem Copiarum Ducem, Sereniſſimi Principis Neoburg, Conſiliarium intimum & Locumtenentem &c.

P. C.

NOn poſſum te præterire, *Excellentiſſime Domine*, niſi neglectæ Urbanitatis officijque accuſari cupiam. Sive enim dignitatem tuam intuear, is es, qui pro Principe hanc Remp. administras, proximumque ab illo obſequiorum debitum exigis: ſive illam, quâ erga omnes, noſtræque inprimis Societatis viros, es, humanitatem contempler, planè ſcribentis ad te calamum pertrahis, ejuſque lucubrationem in manus ſinumque tuum invitas: ſive denique illam, quæ ex domiciliorum vicinia naſcitur conſuetudinem, mutuique amoris vinculum; vix ſanè licuit, te neglecto, ad alterius patrocinium, me meumque laborem transferre. Præ-

ſertim

ſertim, cum eximia in te Virtus quæ, belli paciſque ſtudijs eminuit, meis omnino carminibus, intacta non fuerit. quamvis heroicis dignam tubis, leviori ad lyram ſtrepitu extenuaverim potius, quàm ornaverim. Unius in Ducatu Brunſuicenſi Wolfenbutelij contra acerrimos hoſtes, pertinacemque obſidentium vim defenſio, quanta poëſios materies! ſi tamen fingendi aliquam libertatem illic reliqueris, ubi omnes optimi propugnatoris artes parteſque agendo explêſti. Quid ſi deinde commemorandæ eſſent, virtutes illæ tuæ, quibus per ſingulos militarium officiorum gradus ad ſupremum dignitatis ordinem enixus, Generale exercitus totius caput delectus es, quanta rurſum ſcribendi ſeges? Neque enim inani patrocinantium favore evectus, ſed probatis longo uſu militiæ artibus hanc fortunam occupâſti. Amârunt illas in te dotes Boici primum Principes, deinde & ipſe Ferdinandus Imperator amplexus eſt, fideliſque juxta ac fortis viri operam, ad honoratiſſimum militiæ apicem elevavit. Sed quod humaniorum quoque diſciplinarum non imperitus arbiter, tum religioſorum ac literatorum virorum cultor æſtimatorque, Palladi multum tribuas,

non

non armatæ tantum, verùm & oleis coronatæ: hoc me potiſſimùm ad tuæ Excell.æ tutelam vertit, ut communis patriæ defenſorem fortiſſimum, humaniſſimum quoque manſuetiorum artium Patronum fore exiſtimarem. Accipe igitur in tuam cuſtodiam hoc tantillum Muſarum opuſculum, qui hactenus urbes provinciaſq; integras propugnare didiciſti, & qui bellicoſum tubæ ſtrepitum amâſti, ſuaviorem tibiæ lyræque concentum noli averſari, Duſſeldorpij Anno Chriſti 1654. 8. Junij.

Excellentiſſimæ. T. D.

Servus

I. M. S. I.

CAPUT

CAPUT I.

De natura Lyricæ Poëſios, ejuſque apud Veteres uſu, & etymologia.

INter præcipuas Eloquentiæ ligatæ ſpecies, rēliqua eſt poëſis Lyrica, quæ ad Elegiacam ſuavitatem, majeſtatem quandam adjungit Heroicam, ut iccirco poſt utrumque carminis genus, ſuo quodam jure, pertractetur. præſertim cum ad ſcribendum plus difficultatis adferat, non tam concipiendi, quàm ſtyli ad hanc dignitatem efformandi rationibus: adeoque robuſtiorem, magiſque exercitatam manum poſtulet. Quæ cauſa ad pulcherrimum hoc literarum decus, poſt unum apud Latinos Horatium, perquam raros admiſit; dum cultiſſimà hac ætate illuſtres duo, hujus Eloquentiæ aſſertores, Matthias Caſimirus Sarbievius & Iacobus Balde, Societatis Ieſu Religioſi, in lucem ſeſe extulerunt, ſuis etiam ſcribendi virtutibus Horatio componendi.

Lyrica poëſis ſic dicta eſt, quod hæc olim harmonica fuerit, & ad Lyram ſolita concini. Triplicia verò potiſſimum inſtrumenta erant, ad quæ meliorum carminum verſus adhibiti comperiuntur. alia nervis ad tactum conſonantibus intenſa ἔντατα, dicta ſunt; ut Lyra & cithara: alia, pulſu ad muſicam harmoniam agitata κρουστὰ appellabantur; ut ſunt tympana, ſiſtra, ac cymbala, ſed minori in uſu: alia denique, flatu oris animata, ut tibiæ tubæque, ἐμπνευστὰ nuncupata. Porrò, cum Lyra & tibia præcipuo in uſu eſſent, Poëtæ melici alij λυρῳδοὶ, alij αὐλῳδοὶ appellati ſunt. Utriuſque verò inſtrumenti in Anacreontæa, Pindaricaque, apud Græcos; in Horatiana, apud Latinos, poëſi uſus fuit. Tibiam in Elegiaca etiam poëſi adhibuerunt, unde & Baptiſta Pius & Tarq. Gallutius Lyricis Elegiam adſcribendam putârunt, ut nimirum, quidquid melicum eſſet, huc convocarent. Sed hoc pacto etiam Bucolicis ad tibiam, ſi Maroni credimus, decantari ſolitis, inter Lyrica locus erit deſignandus. Nos igitur, formæ potiſſimum ſtylique diverſitate nixi, cœpto inveteratoque, multorum opinione, diſcrimini inhærebimus; præſertim, cum inſtrumentali harmoniâ abrogatâ, ille tantum metri verſuumque concentus in oratione ſteterit, ex quo natura diſtinctioque hujus poëſios jure optimo deſumitur.

Adjunctus huic olim poëſi ſaltus circa Deorum aras triplici fuit diſcrimine. Primò, à dextra in ſiniſtram partem, converſione factâ. Vnde ſtrophe, ſeu verſio, prima pars Odæ (id eſt cantus) dici videtur. Deinde viâ oppoſitâ à ſiniſtra ad dextram reverſio facta eſt: hinc dicta Antiſtrophe. Denique ante aram ſubſiſtere ſoliti per Epodon cantum abſolvebant. Vnde libro Horatij ultimo, quòd concludat abſolvatque cantum (etiamſi quædam ex his poëmata tempore antea condita fuerint (ut Torrentius obſervat) nomen hoc tributum eſſe, haud immeritò Scaliger judicat. Cum hoc carminum genus ex natura ſua hunc titulum præ reliquis non poſtulet.

CAPUT II.

De materia Lyrici carminis & conceptuum varietate.

PRimò hæc tantùm poëſis res geſtas laudeſque Deorum complexa eſt, ſed deinde latiſſimè extenſa, ut Horatius indicat,

Muſa dedit fidibus Divos, pueroſque Deorum
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et juvenum curas, & libera vina referre.

Paucis abſolvere potuiſſet. nil non Lyræ conceſſum eſſe, quod honeſtâ cum voluptate, brevi ſcribendi argumento, cantuque exponi, proponique queat. Vt proinde omnem Elegiæ materiam concipiendique rationem facilè admittat, in quibus ab Epopœia magis deflectit. Gaudet tamen etiam rebus grandioribus, ſed minus prolixè exornandis: quòd cantus produci non ſoleat, Quocirca illi 1. Hymni de Deo, ejuſque attributis, & admirandis operibus, ut creatione, redemptione &c. conveniunt. quo & Cœlites, eorumque impenſa nobis ſpectant beneficia. 2. Heroicarum virtutum, ſcientiarumque laudes, Vitiorum inſectationes, dehortationeſque, vota, conſilia, apprecationes; narrationes rerum gravium adhiberi poſſunt. 3. Sympoſiacis honeſtè tractatis locorum, victoriarum, triumphorum &c deſcriptiones licebit adijcere. Verùm, ut in rebus gravioribus non ſubitò abrumpenda oratio eſt; ita cavendum, ne ad vaſtas rerum geſtarum hiſtorias, bellorumque deſcriptiones Lyram admoveas nimia contentione frãgendam. Hoc Epicis officium relinquendum, atque iſtâ mediocritate incedendum erit, quæ ferè media ſit inter Horatij, abruptam quandoque brevitatem,

& nimiùm

& nimiùm ſubinde productam Pindari odarum longitudinem: ne aut ſpiritum dicentis oratio exhauriat, aut etiamnum pluribus inhiantem deſtituat.

Ad conceptum hujus carminis brevis alicujus rei propoſitio, expoſitio, aut deſcriptio, ratio item una rei faciendæ, aut omittendæ ſufficit. Ita Hor. lib. 1. Od. 1. aliud nihil agit, quàm quod Mœcenati dicat: alios alijs rebus (idque per enumerationem aliquot partium) ſe carminibus ſcribẽdis delectari. Od. XI. monet Leuconoën, ne de futuris ſolicita ſit. Od. X Mercurij facta deſcribit. Od. 9. duramque hiemem foco & mero leniendam, ſine cura futurorum. Plura exempla paſſim obvia, quæ ſine ullo concipiendi artificio in hac poëſi elaborata ſunt. Sed cum hæc inſtructione non egeant, ad alia poëtarum magis propria, quæ fictionem aliquam includunt, vertimur.

Fictionum in hac poëſi & libertas magna, & gratia. Quocirca illa recolenda erunt harum rerum curioſo, quæ part. 1. lib. 1. c. 27. 28. 29. & 30. copiosè tradidimus, diverſa in diverſis fingendi concipiendique genera, quæ pleraque huic carminum ingenio aptari poterunt. Hæc tamen nonnullis, huic imprimis poëſi idoneis, fingendi exemplis illuſtrabimus, ipſos breviter conceptuum fontes deſignando. Vniverſim illud *Obſervandum*, quod cum Poëta à fingendo nomen ducat, quamdam velut Dei perſonam induat, rebuſque omnibus, cum ſummâ poteſtate quodammodo præſideat, nondum facta condat, jam facta deſtruat, aut permutet, ficto quodam imperio, atque indultâ orationis libertate. pictori hac in re ſimilis, cujus in poteſtate imago eſt, quam conficit, hoc enim, quod ille coloribus, hic pigmentis quibuſdam orationis agit, ut earum, quas deſcribit rerum, novam aliquam & rarò aut nunquam conſpectam imaginem animis objiciat, quà & cum voluptate percipiantur, & altiſſimè inſideant. *Obſervandum* deinde Poëtæ erit, quàm rem deſcribendam ſuſceperit, aliter enim de rebus animatis, quàm inanimis fingendum, alio etiam plerumque conceptu Deum, quàm hominem laudaturus eſt; gratulabitur, quàm reprehendet; docebit, quàm ſolabitur. Vide ea de re loca cit. & inprimis cap. 20. quæ ſuo etiam quiſque ingenio, niſi hebes prorſus fuerit, aſſequetur. ſufficiet itaque me concipiendi fontes non omnino rudibus indicaſſe.

1. Igitur Poëta circa ſe, ſuamque perſonam fingendo mutandoque verſari poterit. Quo ſæpe conceptu rarioribus fictionibus

præ lu-

præluditur, ut ſi cum Dædalo alas, cum Mercurio talaria induat, vel Pegaſum ſibi delatum fingat, aut Iovis raptum Aquila, aut Eliæ vectum curru, ad miranda quædam, aut cœli, aut orbis alterius ſpectacula. Deinde ſi metamorphoſi aliqua verſum ſe, aliumve cum Proteo in hanc illamve hominis formam, in Cygnum avem, in Elephantem, Equum, Canem, Agnum aut Leonem, ſive veneficio, ſive etiam cœleſti Virtute comminiſcatur, donec herbæ, aut aræ alicujus attactu reſtitutus ſit, poſtquam illa, quæ vel in mari, vel in aulis Regum, vel inter Paſtores & Ruſticos clam acta præſens didiciſſet, omnemque fortunam inſtar Aſini Apulei expertus eſſet; aut etiam, pro cupiditate, in hoſtes ſub Leonis pelle deſævijſſet. Veruntamen hæc ſtrictim in hac poeſi pertractanda erunt. Vide Hor. lib. 2. Od. 19.

2. Alias extra ſe creaturas, velut novas, in cœlo terrave, ac remotis inſulis, licebit conſtituere. quales in fabulis Serenis, Centauri, Satyrique, Argi, Monopodes, Monophthalmi, Briarei. Iani, Geryones, ad Voluptatis, Pugnacitatis, Levitatis, Vigilantiæ, Tarditatis &c. imagines exprimendas. quibus deinde facta etiam naturis convenientia aptantur. Ita Prudentiæ ſimulacro à tergo ac fronte rectè oculos dederis, Superbiam inflato ventre atque aêre paſtam conſtitues Loquacitati plura ora, manumque unam tribues. Mors quoque & Vita, Virtutes ac Vitia ſuis perſonis animantur, Dei Providentia, Fortitudo, Iuſtitia, certo habitu cultuque poetico velut pro theatro, induitur.

3. Artefacta varia in honorem, aut contumeliam excitantur; ut trophæa victori, arcus triumphanti, Mauſolæa morienti Templa aræque ſacrificanti, infames furcæ & cataſtæ damnato &c. Ita eadem quoque ad honoris reſtitutionem, aut deſtructionem licebit demoliri. Quod etiam in alijs honoris inſignibus, ut paludamentis, armis, coronis, aureis monilibus, anulis, atque id genus ceteris, vel conficiendis offerendiſque, vel deſtruendis auferendiſque locum reperiet.

4. Imaginarias Reſpublicas, familias, exercitus, armorum officinas, venalium rerum tabernas, venationes, aurigationes, concertationes aut ſerias, aut ludicras, hominum beſtiarumque, loca aut horrida, aut amœna, in terra, mari, aere cœlove excitat. v. g. Fortunæ atque inconſtantiæ aulicæ, militaris, mercatoriæ, lubricæ juventutis &c. domicilium, rotas, ſorteſque

que in cœlo Lunæ collocat. Armamentarium inſtructiſſimum, omniſque artis bellicæ machinas in hanc illamve gentem adhibendas, aut jam uſurpatas in cœlo Martis, ſic in cœlo Mercurij ſecreta Regum Principumque conſilia, arteſque per tributa variè regnorum opes congerendi: in cœlo Veneris omnia Voluptatum inſtrumenta, & lenocinia, quibus per luxum ornatur nutriturque corpus ac forma excolitur: in cœlo Jovis ambitionis ac ſuperbiæ aula extollatur. In cœlo tamen Solis, non tantum honoris,ſed & bonarum artium virtutiſque collocari regnum,uti in cœlo Saturni, aut ſenilis avaritiæ, aut pacis aureæ ſedes figi poterit. Mars etiam, tam virorum fortium, quàm turbulentorum campum pandere videtur. Hinc etiam inſtrumenta,aut arma,Poëtæ licebit deſumere,ut à Marte contra hoſtes clypeum Perſei, aut Achillis haſtam, aut Æneæ loricam,aut ſcutum Jovis, aut Palladium vel ancile Romanorum, aut nova etiam arte fabricatum quippiam. Sic ex Solis ac Phœbi aula Artiumque domicilio citharam Apollinis, aut Amphionis teſtudinem Orpheive lyram, Muſarum pennas, famæ alas, aut ejuſcemodi rem aliquam novo licet fictam ingenio traducetur. Ex equis etiam Phœbi poſtulatus ad celerrimum iter conficiendum faciet. Aquila aut Delphi ſubvectum humeris per liquidos cœlos ad fulmineam Jovis aulam, vel patriæ exoptatæ portum transferet. In cœlo etiam venationes cœleſtium inſtitui ferarum poterunt, eædem inter ſe, ut cum Leone Taurus, committi certamine. par de aucupio ac piſcatione ratio, de aurigatione, curſuque in ſtadio aut hippodromo, Diana, Pallade, Hercule alijſve moderatoribus. Latiſſimus hic ad omnem poëſin campus eſt.

5. Poëta ad perſonas alias narrandi, laudandi, reprehendendi, gratulandi &c officia transfert: ut ipſe velut ſpectator auditorve interſit. ita v. g intereſt Tragicæ hiſtoriæ, quam in Theatro repræſentatam fingit, ſpectat ſerta, coronas, donariaque alia quæ Charites cuipiam honorando concinnarunt. audit Martem aut Apollinem, aut Muſam aliquam encomiaſticam alicuius orationem recitantem. In Furiarum abreptus antra, de pœnis alterius ſceleribus intentatis cognoſcit. In ſecretum Proneæ admiſſus concilium, agenda negligendave, aut futura etiam cognita memorat.

6. Mandat, dirigitque, aut orat & impetrat; ut hæc illave ad laudem, inſtructionem, correctionem &c. ſcitè fiant, ut v. g.

hanc pictor formet imaginem triumphantis, aut etiam acu pingat Virgo, Sculptor, aut fuſor ex lapide aut ære fingat. Ut familia adſit, & lautam pro hoſpite menſam inſtruat, ex venatione piſcatuque rara quæque colligat. Ut famuli equum præſtantiſſimum abituro præparent hoſpiti, aut navem expeditam abituro, vel revehendo, amico præſtent. Citharædo, ut hanc illamve melodiam amico moduletur, Furijs, ut ſceleratis has aliaſve diras execrationeſve intentent. Medeæ aut Circe, ut graviſſima in perniciem toxica conquirant &c.

7. Somnia, raptus, enthuſiaſmos in ſe alijſve comminiſcitur, ac per hæc varias rerum abditarum, locoque aut tempore remotarum ſibi objectas ſpecies imagineſque fingit, exponitque, Morpheo, aut Virtute aliqua ſuperiore, eaſdem adumbrante atque explicante, pro ingenio naturaque rei deſcribendæ.

8. Animatis ipſe rebus (quod in hac poeſi frequens) ſenſum tribuit. Hæc igitur, vel alloquitur, ut Horat. lib. 1. od. 3. Navim. od. 14. Rempubl. od. 35. Citharam. lib. 2. od. 13. Arborem. lib. 3. od. 11. Teſtudinem. od. 13. fontem & 21. Amphoram: Vel etiam loquentes inducit, ut nos Solem lib. 1. od 11.

9. Gratum etiam eſt in aliquibus ſimilibus aut factorum exemplis tanquam imaginibus, aut allegoria quapiam rem oculis ſubijci, ut factum comperies ab Hor. lib. 2. od. 5.

Porrò ut hanc concipiendi ſcribendique varietatem oculis propius in exemplis aliquot ſubijceremus, toto libro primo in eadem penè materia magna concipiendi exponendique diverſitate verſati ſumus: altero verò libro diverſarum rerum deſcriptioni in Horatiano carmine ad has graphicè depingendas idoneo prolixioribus odis indulſimus, ſimul affectuum vim & orationis hujus pondus dignitatemque utcunque complexi. Tertius Epodon varietatem quandam carminum ſimul & ſcriptionis exhibebit.

CAPUT III.

Quæ ſint Lyrici carminis aut Odæ partes?

1. IN brevi hoc poematum genere plerumque Exordium à re ipſa, ſine ulla præoccupatione, ſumitur. Quamquam ad Muſas, aut Numinis etiam Divique alicujus invocationem oratio verti poſſit. Vide Horat. lib. 1. od. 12. & 21. &c.

2. Narratio plerumque, ut in Elegijs aſſolet, brevis inſtituitur,

tur, ſic Druſi victoriam contra Rhætos expoſiturus Horatius lib. 4 od 4 non ſigna acieſque explicat, pugnam depingit; ſed (quod hæc à quovis colligi poſſint) breviter tangit Druſi verò indoli non omnibus perſpectæ, victoriæ tantæ momentum explicatius tribuit. Si tamen res hiſtorica ſit, à communi hominum conſuetudine, aut cognitione remota, ea cum ſuis adjunctis erit deſcribenda. Ita Horat. lib. 3. od. 5. ubi Reguli memoria occurrit, inſolens ejus factum graphicè depingit.

3. Epiſodia hæc Poeſis eâ lege amplectitur, ut unum alterumve tantum admittatur idque ex re nata deſumptum. Sic Horatius lib. 1. od. 3. Dum Virgilio naviganti bene precatur ejuſque ſaluti metuit, aptè digreditur ad deteſtandos navium inventores, unde illa manarunt ſalutis diſcrimina. Et Plancum lib. od. 7 ad genium curandum invitaturus, rectè per Epiſodia, & à Tiburis amœni loci deſcriptione orditur, & Teucri genialiter viventis exemplo concludit. Remotior aliquantò à re digreſſio eſt, quam inſtituit lib. 2, od. 13. poſtquam deteſtatus eſſet arborem, quâ cadente propemodum oppreſſus erat, mox enim ad inferni deſcriptionem progreſſus in ea concludit Sic lib. 3. od. 3. à laude Viri juſti & conſtantis, qualis & Romulus, ad Junonis orationem de excisa Troia, & Roma ab ejus poſteritate auſpicanda divertit. Quæ Epiſodia, ſua autoritate Horatius magis, ac Pindari imitatione, quàm virtute orationis rectè ordinatæ tuetur. Quare ut hæc reprehendere nolo, ita nec ſuadere. Prioribus exemplis cum laude imitator inſiſtes. Vide apud nos lib. 1. od. 9. ubi ad deſcriptionem loci, & lib. 2. od. 1. ubi ad egregia perſonæ facta inſerenda obiter digredimur.

4. Ornamenta Lyricorum verſuum ſunt floridæ rerum occurrentium *deſcriptiones*, quæ præſertim in Sapphico carmine locum gratiamque obtinent. Deinde, & *orationes* quandoque, ſed breviter, infertæ. Sic Horatius orationem tribuit Iunoni lib. 3. od. 3. Regulo od. 5. Hypermneſtræ od. 11. Maximè verò *comparationes* cum ab exemplis aliorum, tum inprimis à ſimili ductæ, his enim ad amœnam ſuavitatem huic poeſi propriam egregiè diſponitur, ut paſſim reperies. Vide tamen Horat. ode 9. & 10. lib. 2.

CAPUT IV.

De forma elocutionis, & cultu Poëſis Lyricæ.

DOtes ligatæ eloquentiæ in hac inprimis poeſi eminere neceſſe eſt, ſingulari quodam verborum ac ſententiarum lumine Etenim ut omne propemodum ſcriptionis argumentum, ita quemvis etiam verborum apparatum, ab alia poeſi ſecluſum, patitur, grato quodam vocum, atque in his ſyllabarum, temperamento; ut quæ breves alternatim productæque, ſuavi moderatione, eſſe poſſint, quam alia carminum genera quantitatem non admittunt. Vnde ab *inſolenti temperatam* lætitia ſervare mentem, Et *Periculoſa* plenum opus aleæ tractare &c. phraſes ſunt ab Heroicis etiam verſibus proſcribendæ. illic enim v. g. *formidandus*, grandi quodam ſono, inaudiri, hic contra præter hanc vocem mitiori inflexione *formidoloſus* quoque admitti poterit. Quæ cauſa cur hoc carmen non tantum majeſtate plenam, verùm etiam ſuavitate majori temperatam elocutionem poſſidere queat. Accedit alterum hujus ſuavitatis, & inflexæ aliquantulum majeſtatis ornamentum, numerorum per infracta, aut variata etiam carminum metra alternatio moderatioque. Vnde Heroicos quoque numeros non faſtidit, ſed tamen, vel altero infringit metro breviato, vel jambicis admiſtis leniter ſuſpendit. quæ gravitatem ac vim dictionis, non ingratâ varietate, condiunt. Ceterum hæc poëſis in pleriſque carminum generibus, ijs præſertim quæ Horatiana dicimus (quod Horatio propria magis ac familiaria ſint) majeſtatem Heroicæ poëſios aſſequitur proximè, & ſi phraſis ſola ſpectatur quandoque etiam ſuperat, cum grandium verborum ſententiarũque, præ illa capax ſit. Sapphici tamen hendecaſyllabi, permixtique nonnunquam cum Glyconicis Aſclepiadei, remiſsâ gravitate. Elegiæ jucundæ, ſcribendi ratione, propius accedunt; ut proinde illa quæ de utraque poeſi, quantùm ad ſtylum, monuimus, hic repetere ſupervacaneum exiſtimem. Nam & perſpicuitatem hæc ſibi non minus, quàm ceteræ poeſes vendicant. Deinde & illum decorem poſtulat, qui tam in apta membrorum inter ſe junctura, quàm appoſita phraſium cum rebus ipſis congruentia reperitur. Ante omnia tamen ad geminas aſpirat dotes, quibus reliqua poematum genera contendit ſuperare. Videlicet, ut illuſtris ſimul ac ſuavis eſſe poſſit.

Quo-

Quocirca videndum nobis erit, quâ potiſſimum arte ad hanc dignitatem ſimul humanitatemque excoli debeat.

Primò epithetorum delectum requirit, & amœnam quandam copiam, luminibus ſæpe metaphorarum illuſtrem, & grata rerum ſimilitudine ſenſibus illabentem. Sic Horatius, aptâ ab animatis ad inanima tranſlatione *Vigiles* dicit lucernas, *importunam* pauperiem, litus *avarum* & *iniquum*. Præterea illa amat, quæ perſynecdochen à nominibus locorum proprijs ducuntur, ut Od. 9. lib. 2. mare *Caſpium*, *Armenijs* in oris, Querceta *Gargani* &c. per ſynechoden plerumque adhibitis. Secundò Periphraſes etiam epithetorum loco opportunè inſerendæ, ſic fortunam deſcribit Hor. lib. 1. od. 34.

O diva gratum quæ regis Antium,
Præſens vel imo tollere de gradu
    Mortale corpus, vel ſuperbos
        Vertere funeribus triumphos.

Potuiſſet uno ephitheto inconſtantem, aut dubiam, vel ancipitem dicere, ſed illuſtrius loqui maluit. Egregius harum periphraſium artifex Sarbievius, ſic lib. 3. od. 15. Apes circumſcribit.

Cives Hymetti, gratus Atticæ lepos,
    Virgineæ volucres Flavæque veris filiæ,
Gratum fluentis turba prædatrix thymi,
    Nectaris artifices, Bonæque ruris hoſpitæ

Quæ periphraſes ſuis etiam, ut apparet, ornantur epithetis, ſed in Horatio proprijs, in Sarbievio tranſlatis, idque ferè ab illuſtriori re animatâ, ut eſſe civem Virginem, filiam, prædatricem, artificem, hoſpitam, Eſt enim totus hic Poëta in ſimilium adjunctorum conſectatione. Balde lib. 2. ſil. od. 6. eaſdem Apes arguta & brevi periphraſi complectitur. *fecunda gens & innuba.*

Tertiò feliciter innovatis Horatius dignitatem gratiamque elocutionis nonnunquam auxit. Vnde *bimaris* Corinthi. *tauriformis*, *impermiſſum* gaudium *inaudax*, *illacrymabilis* Pluto, *immiſerabilis* juventus, *ſurpuit*, *puertia*, *mollibo poſtgeniti quem-tucunque* &c. Sed hæc parcè ab alijs, vixque extra compoſitionem, aut diſſolutionem uſitatarum vocum imitanda, ne hæc licentia in barbariem vergat. ijſdem verò uti nihil vetabit.

Quartò cum hæc poeſis in mediocri plerumque ſcribendi charactere verſetur, adeoque florentiſſima, ac maximè eſſe culta

culta debeat, tropis ac præſertim tranſlationibus, tam in verbis, quàm nominibus delectatur. Cavendum tamen ne perpetuus ferè metaphorarum uſus, proprietatem ſermonis, venuſtatem pueiliam quæ ex grata varietate oritur, ſubvertat. quam rem ſi magis obſervaſſet Sarbievius, Horatium ornatu dicendi vincere potterat. neque enim minor eſt Virtus opportunè propria, quàm tranſlata ſectari.

Quintò Græciſmis nõnnumquam ad raritatem cõciliandam inſerti delectat. Hinc illa Horatij grata. *Perfidum ridens Venus.* & *Deſine mollium querelarum.* & *abſtinere irarum.* & *Luna frugum propera.* & *Amara curarum.* & *Acuta belli.* & *ſolutus operum.* & *Lubricus adſpici.* & *dulcè ridentem* &c. de De quibus etiam p. 1. l. 2. à nobis actum eſt Verùm in his majori etiam moderatione opus, ne frequentatione raritas intercidat, & Græci magis, quàm Romani videamur. Exemplo nos iterum ſuo Horatius optimè ducturus eſt.

Sextò præclara gnomicarum ſententiarum lumina hec dicendi genus magnopere exornant, quo in genere eximius planè Horatius, qui ut in alio nonnunquam ornatu hujus ævi doctiſſimis Poetis concedat, in hoc tamen penè unicus triumphat. Vna tibi Horatij ode 16. lib. 3. non pauca ſuggeret, de aurea Iovis pluvia. De quibus etiam part. 1. lib. 2. ſeorſim à nobis actum, ubi inveniendi quoque rationem tradidimus. Talis eſt *Horatij lib. 1.*

Durum, ſed levius fit patientia
Quidquid corrigere eſt nefas.
Et lib. 3. Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus invidi.
Et lib. 4. Miſce ſtultitiam conſilijs brevem,
Dulce eſt, deſipere in loco.

Septimò argutè nervoſéque dictis eadem poeſis gaudet, digna tamen gravitatis attemperatione à vulgaribus jocis remota, Ita graviter ſimul & argutè ab Horatio dictum lib. 1. od. 3.

Nil mortalibus arduum eſt.
Cœlum ipſum petimus ſtultitia, neque
Per noſtrum patimur ſcelus,
Iracunda Iovem ponere fulmina. (nas
Et Od. 4. ib. Pallida Mors æquo pulſat pede pauperum taber-
Regumque turres. O beate Sexti,
Vitæ ſumma brevis, ſpem nos vetat inchoare longam.

Et lib. 2.

Et lib. 2. Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus? patriæ quis exul
Se quoque fugit.

Et lib. 3. Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Hac dote excellit Iacobus Balde exquiſitæ urbanitatis, lepidúſque (ut in humiliori inprimis convenit materia) amœnæ dictionis artifex. Conſule certamen Pygmæi & Gigantis ſilvar. lib. 6. quanquam & paſſim obvio lepore fluat.

Hæc præcipuè ſunt quibus illuſtris juxta ac ſuavis hæc oratio reddi poterit: Nunc pauca, quæ ad decorum compoſitionis, numerumque ſpectant, ſubijcienda ſunt.

In compoſitione verborum ſententiarumque videndum 1. ut cum rebus conſentiat oratio, quæ in hac poeſi omnis conditionis atque ordinis ſunt, ut *humiles*, quæ exponunt docentve atque in rebus ad mores, hiſtoriaſque ſpectantibus verſantur, *mediocres* item quæ in deſcriptionibus rerum cultioribus, in laude aut reprehenſione occupantur, denique & ſublimes, quæ ad affectiones animorum impellendos valent. Quocirca lex illa eruditæ ſcriptionis, quæ alibi, hic non minori obligatione vatem ad hoc decorum adſtringit ne aſinum phaleris, equum clitellis induat. Nos Odarum librum primum in humili præcipuè morum inſtructione continuimus, mediocri hinc inde ad rerum deſcriptiones admiſſo. Alterum tum ad floridas rerum enarrationes, tum ad vim affectionum concitandam ſubliniori ac circumducto magis ſcribendi genere convertimus, Quod cum ab Horatio parcius ſit in deſcriptionibus præſtitum, inſiſtere illi magis argumento placuit, ut iccircò productiori etiam Odæ ſeſe impetu extulerint. Tertius liber Epodon ut in omnem ſeſe obiter materiem, ſic in quævis carminum genera effundit, atque in Anacreonticis etiam molleſcit, in Scazonticis effertur atrocius, ut cujuſque carminis genium etiam ab Horatio præteritum, leviter adumbret, exemplis magis, quàm præceptionibus hauriendum. Videndum 2. Vt membra orationis apto naturalique inter ſe ordine hæreant, quod fit, cum tam in ſententiæ quàm periodi compoſitione, ab imperfectioribus, ad perfectiora, tranſitur; ut vis earum ſenſim augeatur, reſque ſuis ordine partibus inſpecta clarius eluceſcat. quæ cauſa cur epitheta, niſi rem augeant, ſuis ſubſtantivis, hæc verbis ferè præpo-

præponantur, Particula *que* nonnunquam ſuo loco ab Horatio remota legitur. Ut *Pacis erat mediusque belli*. Et *ore pedes tetigitque crura*.

Repetitio vim hujus orationis magnopere acuit. Sic *que*, ſive *&*, aliæque particulæ ſæpius repetitæ, ad multitudinem, aut etiam celeritatem & vehementiam exprimendam, valent. Sic Hor lib. 3. Od. 4.

> Qui terram inertem, qui mare temperat,
> Ventoſum & urbes, regnaque triſtia,
> Divoſque mortaleſque turbas
> Imperio regit unus æquo.

Pari arte vim orationis extollit per repetitionem cum interrogatione ibidem juncta.

> Sed quid Typhœus, & validus Mimas,
> Aut quid minaci Prophyrion ſtatu,
> Quid Rhœcus, evulſiſque truncis
> Enceladus jaculator audax,
> Contra ſonantem Palladis ægida.
> Poſſent ruentes?

His alijſve repetitionibus Sarbievius mirificè vim dicendi paſſim exacuit, ut iccirco ad concitandos animos plus virium, quàm Horatius, ad docendum inſtructior, attulerit.

Videndum 3. Ut hæc poëſis Horatiana præſertim, periodis circumductis, ac majeſtate plenis incedat, niſi fortè levior lætiorve materia ſuccinctum magis habitum poſtulet. Hujus rei exempla paſſim Horatius libro præſertim 3. & 4. ſuggerit, ut huc ſelecta transferre nullum ſit operæ pretium, tam verò hac in re gravi circumſpectoque inceſſit paſſu, ut imitabiles perpaucis greſſus fixerit.

Videndum 4. ne quid in numeris aſpero detortoque hiatu offendat, niſi fortè majeſtatis, aut exprimendæ in rebus aſperitatis, major ratio, quàm ſpectatæ ſuavitatis habenda videatur. Aſperitas verò aut ex neglectu cæſuræ, aut ex colliſione eliſioneque literarum oritur. Qua in re non uſque adeo decori omnis obſervator Horatius fuiſſe videtur, ut benigno interpreti nullam facti excuſationem reliquerit. Illo difficultatem fortè exprimere conatus eſt. *lib. 1. Od. 3.*

> Perrupit Acheronta Herculeus labor.

Illud *lib 2. Od. 15.* Nec *fortuitum* ponere ceſpitem excuſant, quod penultimam in *fortuito* veteres produxerint. Sed illud

neſcio

neſcio quam excuſationem mereatur *lib. 1. Od. 17.* Nec martiales hædilia lupos.

Iſtud meritò laudaveris quod lib. 3. Od. 1. habet, neglecta caſura.

Regum timendorum in proprios greges

Nolim dici. Regem timendorum grege proprio.

Rectè enim eliditur. quæ cauſa cur & quandoque unius exceſſum ſyllabæ in tertio admittat verſu,(quod etiam in Sapphicis toleratur) ut lib 2.Od 3. longitudinem æternitatis aptæ per licentiam repræſentat.

Sors exitura eſt, & nos in æternum
Exilium impoſitura cymbæ

In Sapphicis utitur lib. 1. Od. 2. Labitur ripâ, Jove non probante
Vxorius amnis.

Et l. 2, Od. 15. Mugiunt vaccæ tibi tollit hinnitum
Apta quadrigis equa &c.

Durum ibid illud Groſpe non gemmis, neque puupurâ venale, nec auro

Talem ſectionem non averſarer. Geoſpe, non gemmis, neque ſorte circumſeptus avitâ.

In eliſionibus etiam non ſatis ubique virtus Horatij eminet, Laudo illas ad gravitatem viri exprimendas non ineptas lib. 3. Od. 3.

Iuſtum & tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolidâ, neque Auſter
Dux inquieti turbidus Adriæ.

Sed lib. 1. Od. 3. Harum virtutem non reperio.

Quâ pinus ingens albaque populus
Vmbram hoſpitalem conſociare amant.

Quocirca & doctiſſimos hujus ævi Poetas cautius hic greſſum figere animadverto, neque illic ubi majeſtas non exigit, ſuavitatem prodigere. Optarem tamen nonnullos dum illuſtria & grandia ſectantur, primam & neceſſariam poëſios dotem, perſpicuitatem minus confundere; ne quandoque ſibi ſolis canere viderentur. Quod ſtudioſum hujus artis moneo, ut in hanc, nunquam deferendam, exemplo Horatij, defixum perpetuò obtutum habeat.

CAPUT V.

Ratio imitandi per viam reſolutionis exponitur.

RElîquum eſt, ut quam alibi per viam reſolutionis compoſitionisque imitandi rationem inſtitui, hac etiam in parte non negligam. Accipiamus ex Horatio, quem ſolum atque unicum ex Veteribus Romanis ducem & Græci Pindari imitatorem præcipuum habemus, illa quæ hac in poeſi laudem merentur. Laudat Scaliger ab egregiâ ſuavitate illam oden, quæ in lib. 4. eſt 3. & Melpomenen affatur, dicitque, præ nectare & ambroſia ſe hac obtectari, & talem maluiſſe compònere, quàm totius eſſe Tarraconenſis regem lib. 6. Poeſ. c. 7. p. 811. audiamus.

Quem tu Melpomene ſemel
 Naſcentem placido lumine videris,
Illum non labor Iſthmius
 Clarabit pugilem; non equus impiger
Curru ducet Achaico
 Victorem, neque res bellica Delijs
Ornatum folijs ducem
 Quod regum tumidas contuderit minas,
Oſtendet Capitolio. &c. O teſtudinis aureæ
 Dulcem quæ ſtrepitum, Pieri, temperas!
O mutis quoque piſcibus
 Donatura Cygni, ſi libeat, ſonum
Totum muneris hoc tui eſt,
 Quod monſtrer digito prætereuntium,
Romanæ fidicen Lyræ,
 Quod ſpiro & placeo, ſi placeo, tuum eſt.

Reſolutione vix opus, ut planior ſit oratio, ita tota perſpicua eſt. *Quem tu naſcentem Melpomene ſemel placido lumine videris, non illum labor* (in certamine) *Iſthmius pugilem clarabit, non curru Achaico victorem equus impiger ducet, neque res bellica Capitolio* (triumphantem) *Delijs folijs* (lauro) *ornatum oſtendet &c.*

Ita extra carmen loquereris. *Qui ſemel Muſis animum addixeris, non ad Iſthmii certaminis honorem pugil, nec ad bellicas Laureas triumphoſque miles facilè adſpirabit.* Ceterum in verſibus Horatij primum diſtichum magnoperè nihil habet à ſoluta oratione alienum,

alienum, præter fictionem. alterum raritatem quandam in verbo *clarabit* pro illuſtrabit, tum metaphoram, quâ *labori* hæc illuſtratio tribuitur, gratam continet, tertium 4. & 5. diſtichum, idem ornamentum (*ut, res bellica oſtendet*) complectitur, tum ſynecdochen in epithetis *Achaico & Deliis*, cum hæc pro quovis curru & lauru ſumantur. Sic deinde ſuavi epitheto, tribuendo *aurea dulcis* ſtrepitus, & molli verbo, *Pieris temperare* dicitur, Sextum grata auxeſi extollitur, concluſio denique argutâ brevitate oblectat. Grandiori majeſtate inſurgit in eodem etiam carminis genere alibi lib 3. Od. 23. in Avaros.

Intactis opulentior
  Theſauris Arabum, & divitis Indiæ,
Cæmentis licet occupes
  Tyrrhenum omne tuis, & mare Apulicum,
Si figit adamantinos
  Summis verticibus dira neceſſitas
Clavos, non animum metu
  Non mortis laqueis expedies caput. &c.
Quid triſtes querimoniæ
  Si non ſupplicio culpa reciditur?
Quid leges ſine moribus
  Vanæ proficiunt, ſi neque fervidis
Pars incluſa calloribus
  Mundi, nec Boreæ finitimum latus,
Duratæque ſolo nives
  Mercatorem abigunt. Horrida callidi
Vincunt æquora navitæ.
  Magnum pauperies opprobrium, jubet
Quidvis & facere, & pati,
  Virtutiſque viam deſerit arduæ.

Reſoluta omnia poeſin ſpirant. *Licet Arabum & divitis Indiæ theſauris opulentior, Tyrrhenum omne & Apulicum mare cæmentis* (ædificiorum) *occupes; animum metu, ac mortis laqueis caput non expedies, ſi dira neceſſitas* (fati) *clavos adamantinos ſummis figit verticibus* (eos opprimens) &c.

Extra metrum ſic poteris ſcribere. *Licet Arabum Indorumque diverſis opibus, Tyrrhenum Apulumque mare tuis occupares ædificiis, mortis tamen neceſſitati, ſummis etiam Principibus metuendæ, cedendum eſſet.*

Unde verò grandior illa oratoris dignitas? Nempe 1. à vo-

cibus grandioribus, ut *opulentior, adamantinos, querimonia &c.* rarioribus item, ut præter illa, cæmentis, navitæ &c. 2. translatis, ut *culpa reciditur, nives mercatorem abigunt* & *pauperies iubet.* 3. periphraſi & frequentibus epithetis ut *magnum pauperies opprobrium* & *intactis* theſauris & *horrida callidi* vincunt æquora navitæ. &c. 4. plenæ ſententiæ juvant ac circumductæ periodi. nam quatuor prima diſticha unam tantum periodum, ut quatuor ſequentia alteram implent. 5. locutiones ex allegoria ac ſimilitudine incluſa rariores. Vt *neceſſitas* (mortis) *adamantinos figit clavos*, qui ſcilicet revelli nequeant. Et *mortis laqueis expedies caput.* Qua arte non rarò dictionem Horatius illuſtrat. *Vt lib. 2. certam omnium, ſed incerti temporis mortem ſic depingit.*

Omnes eodem cogimur, omnium
Verſatur urna. Serius ocyus
Sors exitura, & nos in æternum
Exilium impoſitura cymbæ.

Sic ibid. adverſitates perpetuas non eſſe in ſimili adumbrat.

Non ſemper imbres nubibus hiſpidos
Manant in agros, aut mare Caſpium
Vexant inæquales procellæ.

Eod. libro potentes gravioribus eſſe obnoxias caſibus quàm vulgus oſtendit.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus, & celſæ graviore caſu
Decidunt turres, feriuntque ſummos
Fulmina montes.

Ibid. docet in rebus adverſis nos fortes, in ſecundis non debere elatos eſſe.

Rebus anguſtis animoſus, atque
Fortis appare. Sapienter idem
Contrahes vento nimium ſecundo
Turgida vela.

Suave illud ſimul ac magnificum eſt, quando ad maiorem claritatem propria cum figuratis miſcentur, ut & in citatis, & opportunæ ſatis Horatius præſtitit lib. 2. ut principiò vitia radicitus evellenda traderet.

Eradenda Cupidinis
Pravi ſunt elementa, & teneræ nimis
Mentes aſperioribus
Formandæ ſtudijs

Et lib. 4.

Et lib. 4. ut doceret à generoſis parentibus filios plerumque naſci ſimiles.

Fortes creantur fortibus, & bonis
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Singularem huic carmini cum maieſtate gratiam conciliat, quando rebus inanimatis perſonæ atque actiones hominum tribuuntur. Sic Poëta, ut oſtenderet omnes mortales variis curis obrui, ita loquitur lib. 2.

Scandit æratas vitioſa naves
Cura: nec turmas equitum relinquit
Ocyor cervis, & agente nimbos
Ocyor Euro.

Et lib. 3. ad virtutis conſtantiam deſcribendam inquit.

Virtus, repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Item Virtus recludens immeritis mori
Cœlum, negatâ tentat iter viâ.

Auri verò omnia corrumpentis vim deſcripturus ibidem ait.

Aurum per medios ire ſatellites
Et perrumpere amat ſaxa, potentius
Ictu fulmineo

His ſingulis reſolvendis, atque ad ſolutæ orationis principia reducendis non immoror, cum hoc cuivis ſenſum intelligenti obvium ſit. Vt ſi de hoc ultimo dicam *Aurum per medios Principum ſatellites, ipſaque munitionum ſaxa, in arces irrumpit*: nam & hac loquendi figura orationi extollendæ ſerviet. Vnde etiam ſi res & tempus dederit, alibi oſtendam, nihil perinde ad elevandæ orationis dignitatem, quàm poëſios ſpectare peritiam. Quanquam nunc hanc viam reſolutionis potiſſimum urgeam, ut ad communem ſolutæ orationis phraſim, quam quiſque ſuo ingenio arteque aſſecutus eſt, hanc poeticæ elocutionis, ex optimis autoribus ſententiam reducat, ac quid ſibi uſitatæque phraſi ad hunc ornatum deſit, facilius aſſequatur. ita enim retrogrado ad eandem elegantiam dignitatemque ordine, ex humiliori oratione, eniti docebitur. Nam & hoc pacto in eloquentia, unius corruptio eſt generatio alterius.

Scaligerum in hypercritico ſuo lib. 6.c.7 poſt med, non diffiteor quædam obſervaſſe in Horatio emendationis capacia; ſed leviuſcula pleraque. Ita Od. 10. pro *decora more palæſtra*, ponit, *lege palæſtræ*. Vndecimam velut indoctam aſpernatur. In 13. pro *roſea* cervice, mavult *niveam*. In 15. *Sublimi fugies mollis anhelitu* ſubſtituit, *Palpitanti fugies preſſus*, In 16. *tremendo Iuppiter ipſe ruens tumultu*, malit, *Iuppiter horriſonus. &c.* Sed & interrupta, aut producta in ſequentes verſus membra, cum numerorum vitio in 28. (quo & alibi Horatius peccavit) reprehendit. Plura illic reperies, quæ prætereo: quanquam in multis non aſſentiar. ut exemp. gr. in 7. libr. 2. *Cum fracta virtus, & minaces turpe ſolum tetigere mento.* ut languidius diſplicet. Sed mox alia frigidiora ſubſtituit, ut *Cum fracta virtus inſolenti cedere non verita eſt furori.* vel. *Oblita virtus cum vetuſtum Perdere non timuit pudorem* Plus enim nervorum & gratiæ Horatianum obtinet. Verbo dicam, Scaligerum in criſi ſua aliorum criſin non devitaſſe.

Caput VI.

Ratio imitandi per viam compoſitionis.

IN via compoſitionis ab ijs principijs orationis ſolutæ à nobis ordiendũ eſt, ad quæ ultimo in via reſolutionis progredimur. Imò verò, uti nos in quavis dictione ſoluta, quæ in diverſis ferè diverſa, ſed in eâ, quam quiſque ſuo denique ingenio format ſubſiſtendum, ita ſuâ quiſque artis præſcriptione ab eo, quem ſibi format primum ſtylo, neceſſariò ad ſublimiora progreditur. Ponamus hanc Theſin Lyrico carmine exponendam eſſe, *Reges minus quietè ſomnum capiunt, quam Agreſtes, tenui re, quæ ad neceſſitatem ſufficiat, contenti.* Sic orator diſſerere poterit.

Reges (Damocli ſimiles, quorum cervicibus ſtrictus enſis imminet, nullum ex Siculæ etiam Aulæ dapibus ſaporem haurient, neque ex avium fidiumque concentu, ſomni quietem conciliabunt. Agreſtium contra virorum ſomnus, aut in humili domo, aut umbroſa in ripa amœnóve florum horto lenis atque imperturbatus fluit. Nam illos, qui hoc ſolum, quod cuique ſatis eſt, deſiderant, res nulla magnopere angit; non pericula maris, non procellæ ingentes, & percuſſæ grandine vineæ, non fallax anni meſſis, arborumque fructus, quos nunc aquæ, nunc æſtus immodicus evertit.

Hæc

Hæc Heroicus poëta, à Claudiani ingenio non alienus, ſic vertet.

Heu miſeros, quorum ſtrictus cervicibus enſis
Impendet! non his Siculis convivia menſis
Arte laboratum poterunt offerre ſaporem,
Non avium citharæque melos phantaſmata noctis
Solvere, pacatumque oculis affundere ſomnum.
Alta quies humileſque domos umbroſaque tempe
Incolit, & mandras rarò faſtidit agreſtes.
Cui ſatis eſt quodcunque ſatis, non æquoris æſtus,
Arcturóque cadente nives, Hædóve procellas
Exoriente timet, Non mendax frugibus annus
Fortunâ nutante, rapit, non grandine quaſſa
Vinea, degeneri non arbor inutilis umbrâ,
Quæ modo culpet aquas, & mox torrentia campos
Sidera. Curarum frangit conſtantia fluctus.

Horatius eadem hæc lib. 3. Od. 1. hac phraſi & numero vertit.

Diſtrictus enſis cui ſemper impia
Cervice pendet, non Siculæ dapes
Dulcem elaborabunt ſaporem,
Non avium citharæque cantus
Somnum reducent. Somnus agreſtium
Lenis virorum non humiles domos
Faſtidit, umbroſamque ripam,
Non Zephyris agitata tempe.
Deſiderantem quod ſatis eſt, neque
Tumultuoſum ſollicitat mare,
Nec ſævus Arcturi cadentis
Impetus, aut orientis Hœdi:
Non verberatæ grandine vineæ,
Funduſque mendax, arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas.

Quæ ſi cum heroicis illis compoſueris, ſtyli gravitate vix comperies inferiora. Quin voces illæ *elaborabunt*, *agreſtium*, *deſiderantem*, *tumultuoſum*, *verberatæ*, dignitate plenæ ſimul ac ſuaves, heroicis verſibus proſcribendæ, hic etiam magnificè triumphant. quibus illud carmen tantum reponit *convivia*, *phantaſmata*, *confundere*, & id genus verba, Horatianis verſibus, niſi elidantur, minus idonea. Quæ imprimis de verbis obſervatio.

& cui

& cui quæque loco maximè opportuna ſint, omnibus, ad certum ſeſe carminis genus applicantibus, perquam, ad expeditam ſcriptionem, eſt neceſſaria.

Cavendum tamen, ne dum orationis majeſtatem in Lyricis ſectaris, affectatione grandiorum verborum aut etiam translationum ad tumorem deflectas, & inutili verborum pompâ, etiam ubi res minus graves ſunt, efferaris. quæ pucrilis quædam ingenij imbecillitas eſt, frigidè elata pro gravibus conſectantis. neque verò, ut alibi tradidi, ſola vocum prolixitate troporumque uſu grandeſcit dictio, ſed ijs etiam ſyllabis, quæ ponderoſas involvunt literas, ut a, & o, ſunt, tum plures literæ præſertim vocales in unam coactæ ſyllabam. Quid enim illo gravius lib. 3. od. 1.

Odi profanum vulgus, & arceo.
Favete linguis, carmina non prius
Audita Muſarum Sacerdos
Virginibus puerisque *canto*
Regum timendùm in proprios greges
Reges in ipſos imperium eſt Jovis
Clari Giganteo triumpho
Cuncta ſupercilio moventis.

Cur non potius viris tam grandia canuntur!

In his phraſis ubique obvia, niſi quod aliqua periphraſi, *Vates* & *Iupiter* deſcribantur, loco epitheti uſurpata: grandia tamen pleraque, & primum quidem carmen verbis, non longis & ſine tranſlatione, magnum eſt. licet in certis plura ad majeſtatem concurrant, ut in tertio & ultimo verſu tranſlatio, in quinto & ſexto vox cum gravitate longior. Stropha autem ſecunda hac meritò ratione extollitur, ut Jovis aliquam majeſtatem repræſentet. Loco igitur ac tempore paria conſectaberis, memor in humilioribus demiſſiori etiam gradu incedendum eſſe, cujus mox exemplum præceptionis ab Horatio accipies.

Alia quæ de imitandi ratione huc ſpectant, ex dictis doctiſque alibi, huic etiam poëſi facilè applicabis. Porrò Horatium, niſi quibuſdam obſcœnis expurgatum, tibi non ſuaſero: nam de illo jure etiam dixero, quod Muretus in Iuvenilibus de Catullo,

Rarò moribus exprimit Catonem
Quiſquis verſibus exprimit Catullum.

Caſtigatiores, imò & eruditè pios, huic addere licebit, ſupra à me laudatos, Sarbievium & Balde, quorum ille dicendi flore,

hic

hic eleganti argutâque urbanitate eminet; ille circumſcriptè gravis, hic adſtrictè nervoſus eſt. Imitationem verò nunc rerum, ſeu conceptuum, nunc ſtyli; nunc etiam ornamentorum utriuſque eſſe, alibi tradidi, quanquam & ſimul omnia imitari liceat. Sed cavendum, ne plagij accuſeris, & velut ad deprehenſum furtum erubeſcas. Vnde infirmiori ex alijs alia, more apis varios flores delibantis, eligenda erunt. Cum autem turpe ſit alieno in ornatu Corniculam ſuperbire; tamen eſt, cum mutuatus velut in theatro habitus, nos lepidè ſimul ac venuſtè exornet: ſi videlicet in re prorſus diſparata, inflexa modicè pervulgata alterius oratio locum reperiat. Ita Balde ingenioſâ traductione Odam Horatij 20. lib. 3. quam ad Amphoram vinariam inſtituit, ſenſu prorſus in oppoſitum ad Cerevisiariam flexo, imitatus eſt, quam proinde hic alteri collatam exhibere placuit.

Ode XX. Lib. III. Horat.

Ad Amphoram

Vt in Corvini gratiam vetus depromat vinum.

O Nata mecum Conſule Manlio,
Seu tu querelas, ſive geras jocos,
Seu rixam, & inſanos amores,
Seu facilem, pia teſta, ſomnum,
Quocunque lectum nomine Maſſicum
Servas, moveri digna bono die;
Deſcende, Corvino jubente,
Promere languidiora vina,
Non ille, quanquam Socraticis madet
Sermonibus, te negliget horridus.
Narratur & priſci Catonis
Sæpe mero caluiſſe virtus.
Tu lene tormentum ingenio admoves
Plerumque duro, tu Sapientium
Curas, & arcanum jocoſo
Conſilium retegis Lyæo.
Tu ſpem reducis mentibus anxijs,
Vireſque, & addis cornua pauperi,
Poſt te, neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma,

Te

Te Liber, & ſi læta aderit Venus,
Segneſque nodum ſolvere Gratiæ,
Vivæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

Ode XII. Lib. I. Baldæa

Ad Amphoram Cereviſiariam Parodia & Palinodia.

O Nata Capri ſidere frigido,
Seu tu querelam ſive geris minas,
Seu ventris inſanum tumultum, &
Difficilem, mala teſta, ſomnum.
Quocunque ſervas nomine toxicum,
Nunquam moveri digna bono die;
Averte nolenti Poëtæ
Promere languidius venenum.
Non ille, quanquam Gorgoneis madet
Aſſuetus undis, te bibet horridus.
Narratur & Bojus Menalcas
Sæpe tuo doluiſſe aceto.
Tu triſte tormentum ingenio admoves
Plerumque leni, tu Sapientium
Et pectus oblimas & ora,
Ne retegant animum fidelem.
Te peſtilentem negligit anxius
Dives, ſed addis cornua pauperi;
Poſt te, neque æratos trementi
Regum apices, neque militum arma.
Te meſſor, & ſi læta aderit Ceres,
Segneſque nodum ſolvere ruſtici,
Vnctæque producent lucernæ,
Dum rediens fugat aſtra Phœbus.

Lepida argutaque hic præcipuè eſt primæ ultimæque ſtrophæ traductio, Eſtque hoc exemplum ex Horatio ſtyli humilioris, unde & verba grandia rariores metaphoræ, circumſcriptæque periodi hinc abſunt, contra adhibetur nervoſus & argutus quidam dictionis lepos per metaphoras à rebus humilioribus inexſpectatè ductas comparatus, ut eſt *lene tormentum ingenio admove*

moves, & addis cornua pauperi. Eliſionem, quam ſtropha 5. in fine; adhibet *neque militum arma*, declinârem, ut quæ metrum illud cum ſolutæ orationis numero, citra neceſſitatem vimque etiam majorem ſignificandi confundit, malim itaque *neque Martiū arma*, quanquam hominum moroſorum judicio hoc meum judicium probandum non exiſtimem.

Concludam ubi illius te rurſum decori commonefecero, quod in rebus humilioribus à quibuſdam, ubique in hoc carmine tumidè incedentibus, malè negligitur, verba rebus, non res verbis aptandæ ſunt, non eadem veſtium forma menſuraque omnium corporibus adhibenda eſt. Vir alio, quàm puer, & Rex quàm agricola habitu excolitur. Faciamus ita vatem quempiam Horatij imitatione (quam materiæ vocamus) loqui in re præſenti.

O nata mecum Cæſare Carolo
Bene ominati temporis Amphora,
Seu tu querelarum tumultus,
Seu tragicas furioſa rixas
Includis alvo, ſeu lepidos paris
Iocoſa riſus, ſive Cupidinum
Inſanientum mater auges
Cypridos immoderata flammam,
Seu blandum inerti Morphea provocas
Amica ſomno: deſine ſegnium
Tandem morarum, nec falerno
Vina cado immoritura condas. &c.

Quis talem ſupra majeſtatem Horatij hoc inſurgere loco negaverit; utpote & verbis grandiorem, & frequentiorem epithetis, & metaphoris rariorem & circumſcriptiorem ſententijs? Nihilominus infra Horatium illo orationis decoro eſt, quod ex rei cujuſque dignitate ac merito dictionem moderatur.

Qua in re neque illud tibi negligendum eſt, ut priuſquam ad ſcribendum animum manumque applices, antè carminis tibi genus, illi quam ſcribis materiæ idoneum ex Lyricis deligas, molliores enim doloris amoriſque affectus, ſi Horatianis ſtrophis gravique numero circumduxeris, contraque ſi res magnificas ſapphicis metris infregeris, utrobique, invitâ Minervâ, profundes gratiam. Hæc paucis monuiſſe ſuffecerit: quæ ſuo quiſque ingenio judicioque nixus, propiùs uſu, atque ipsâ experientiâ magiſtrâ aſſequetur.

PALÆSTRÆ ELOQUENTIÆ Ligatæ

LYRICA POEMATA

Veterum ac novorum generum

AUTORE JACOBO MASENIO è SOCIETATE JESU.

Ad Benevolum Lectorem

TRia mihi potiſſimum in hoc opuſculo propoſita fuêre. Varietas conceptuum, ſtyli atque affectuũ quædam diverſitas, denique carminũ per genera partim antiqua, partim nova atq; à nobis reperta permutandi ratio. Quare ut primò Varietatem concipiendi exemplo ingererem; eandem ferè materiam (quantum ad faſtidium vitandum fieri licuit) per magis uſitata conceptuum in hac poëſi genera libro priori ſum proſecutus. quanquam non pauca brevitatis ſtudio prætericrim, quæ ex præceptis ſupra traditis, harum conceptionum gnarus, facilè aſſequetur. Altero deinde libro, partim Horatiani carminis dignitatem, affectuumque in eo dominantium vim, in tragico juxta lætoque ſcribendi genere, complexus ſum, eo etiam ex capite quandoque in producendis odis effuſior, quòd vehementior impetus habenas non ferat: partim in nova Lyricorum carminum genera poëticum transfudi calorem; ut quod in parte 1. l. 2. ſub finem ſtrictim tradideram, hic quibuſdam fuſius exemplis declararem: Videlicet, non omnem ab antiquis ſcriptoribus hac in elocutionis ſpecie, odarum varietatem exhauſtam eſſe Tertiò denique libro Epodon canere ex veterum uſu, ita libuit; ut neque illorum me legibus omnino adſtringi paſſus ſim, ſed luſus quoſdam anagrammaticos, molliores que Anacreontæos, ac Scazonticos graviores admiſerim; cum his genio quodam poëſios ſingulari, adeoque non prætereundo inſiſtendum ſit, quæ exemplis citius quam præceptionibus hauries.

LIBER

LIBER I. LYRICORUM,

ODE I.

Cupiditatum excellentia hominem ſuperbum deſpicabilem reddere.

MOllis vellera ſerici,
Et pictam Phrygio ſtamine cycladem,
Et Sparſum ſemoralibus
Argentum remove: nec muliebriter
Comptum ſurrige verticem. *Superbus.*
Elatoque forum Schemate Iulium
Perſonatus obambula,
Contemptim reliquos ſpernere contumax,
Torvà nube ſupercilî,
Et ſperni reliquis intolerabilis.
Res eſt cœca Superbia
Quamvis Argi oculos, Lyncis acumina,
Serpentiſque Epidaurij
Certet perſpicuo vincere lumine.
Quamvis ambitioſior
Spectari populo prætereuntium,
Signarique levi manu.
Quamvis Aſſyrijs grandior atrijs,
Et vulgo famulantium,
Et rerum Dominis præſideat viris:
Res abjecta Superbia eſt.
Quamvis Sidonijs picta coloribus, *Ornatus*
Longo ſyrmate veſtium, *veſtibus.*
Pavonis ſuperet gemmea fimbrias;
Res eſt fœda ſuperbia.
Quamvis ingenij dotibus, abdita
Pervadat ſapientiæ,&
Multarum titulis polleat artium;
Res eſt ſtulta Superbia.
Quamvis Sithonias fronte ſuper nives *Ornatus*
Ceruſſatâ renideat, *vultu &*
Cincinnoſque vibrans verticis aureos, *comis.*
Crines vincat Adonidis:

Sic

Sic ornata caret fronte Superbia.
Quamvis turgida ſenſibus,
Fumoſas proavûm jactet imagines
Factorumque recens decus,
Et grandis titulorum aura reconditum
Inflet pectoris ambitum:
Sic elata caret mente Superbia.
Faſtum ſubmove inutilem.
Vt multis placeas, ne placeas tibi.

ODE II.

Ad Laurentium Mœvium

Docet Cupiditatem, & quodvis ſcelus in ipſo ortu opprimendum eſſe.

NI virtutibus invides
Incrementa tuis, & gravibus doles
Obſtructum vitijs iter:
Naſcentis, moneo, prima Cupidinis
Incunabula ſubrue.
Eheu! decipimur, proveniunt mala
Parvo maxima ſemine.
Quid grano minus eſt? parva dabunt tibi
Magnam grana ſiliginem.
Quæ calcante humilis nunc pede ſpernitur,
Quercum glans feret arduam,
Excelſumque caput nubibus inſeret,
Magno robore pertinax.
Vis neglecta nocet. parva licet, time
Flammæ ſemina mortuæ
Quæ preſſis poterant unguibus opprimi
Scintillæ, dominantibus
Mox flammis ſuperant flumina, & impares
Vires viribus obruunt.
Magnis ſæpe minor gutta triremibus
Præceps exitium attulit.
Quæ fluctus maris evicerat innocens
Tempeſtatibus obvia:
Cete grandia quæ ſpreverat, & petras,

Ex parvis malis naſcuntur grandia.

Aut

Aut hæſit remoræ ratis,
   Aut portu propior naufraga, patrijs
Hauſta eſt denique fluctibus.
   Senſim deficimus: deciduas priùs
Ætas arboribus comas,
   Poſt ipſas etiam demetit arbores.
Parvis grandia cernimus
   Tandem principijs creſcere. vix probus
Quiſquam, vix ſubitò improbus.
   Nec Phœbe pariet menſtrua Socratem,
Nec lux una Neronibus
   Formandis ſatis eſt: nec Siculis ſuum
Imponit Dionyſium.
   Quem furtum laqueo nobile deſtinat,
Rari nominis Harpalum;
   Hunc primum teneris noveris unguibus
Sublegiſſe crepundia.
   Pulvillos acubus fortè ſororios
Nudavit piceâ manu,
   Poſt furtim loculos repſit ad abditos,
Exilemque pecuniam
   Invaſit patrio ex ære teruncios,
Aſſeſque addidit aſſibus.
   Audendi melior denique, conditos
Nummos cum loculis tulit.
   Herodes docilis ſorte puertiæ,
Blandis puſio moribus,
   Laudari meruit; ſed juvenem ſuis
Seſe laudibus abſtulit,
   Maturus vitijs inſenuit novis,
Et furcam meritum caput,
   Poſt canos tumulo condidit, impio
Notus crimine poſteris
   Sic demum laqueis, aut acheronticâ
Hæret nocte lavernio.
   Qui parvis facilem obſequi
Ætatis teneræ negligit indolem,
   Hic cunabula debuit
Infelix feretro jungere, debuit
   Primas Perſephonæ comas.

Nemo ſubitò peſſimus, aut optimus.

Principiis advigilandum.

Virtutum

Virtutum gravior nulla fuit lues,
  Quam quæ lenta medullitus
Imis inſinuat viſceribus malum.
  Neglectum citò toxicum
Venarum latebras occupat, & ſinus
  Cordis non medicabili
Perſtringit vitio. Fruſtra Epidaurico
  Contra gramine nitimur
Cum neglecta lues, firmior otio,
  Arcem pectoris inſidet.
Mavi, ſi ſapias, ne levium levis
  Contemptor ſcelerum audias.
Deſpectis animos criminibus facis,
  Spretum proficiet nefas.
Nullum vile malum eſt, quod citò ſpernitur.

ODE III. Ad Europæos.

Cupiditatem bellorum eſſe matrem.

CVnctis helleboro eſt opus
  Vndis dividui quotquot Atlanticis
Damnamur Borealibus
  Infelix ſoboles Iapeti, parum
Contenti mediocribus.
  Votorum tenuis meta refigitur.
Et quos ardua limites
  Objectis poſuit patria montibus,
Hos audacia tranſilit.
  Anguſtis nimium Gallia terminis
Rheni collibus incubat:
  Et ſe nubiferis ingerit Alpibus
Imponitque jugis jugum.
  Auri fluminibus dives Iberia
Magnis ambitioſior
  Terrarum ſpatijs, Diſſolüit ſuis
Pyrenæa repagulis;
  Sed quam prima viam fecit, ab hoſtibus
Alterno teritur pede.
  Qui nullis potuit limitibus ſatis
Stringi fortior Italus,

Pauci ſuis vivunt contenti.

Bellis rurſum opprimuntur, qui alios premunt.

Nullis

Nullis obicibus claudier, hac viâ,
Hoſtes quâ petijt, perit.
Martis progenies Teuto, minacium
Armorum ſtrepitu ferox,
Quod nuper Geticis impoſuit jugum,
Suſpirans modo ſuſtinet.
Incumbit miſeris ſæva jubentia
Noxas aut facere, aut pati.
Heu nos ludibrium naſcimur Africæ,
Ridenduſque Aſiæ jocus.
Quâ cervice tulit, nunc juga reppulit
Manceps utraque ratio.
Europam Domino ſub pede deprimit,
O inſana neceſſitas!
Quo natale decus, nobilitas patrum,
Bellatrixque potentia
Et virtus animorum impigra diffluit?
Quid natas bene prælijs
Auro polluitis degeneri manus,
Regnandique libidine
Partam prodigitis gloriam, & (heu nefas)
Calcatam obteritis fidem?
O tantum opprobrijs ſplendida nomina
Nos tradenda nepotibus!
O mundi ſenium turpe! quid ultimis
Hæc ætatibus addimus?
Quo nos invidiæ mixta licentia
Sceptrorumque rapacitas
Inſano ſtudio dimovet? Ad Getas
Hæc vecordia demigret,
Antiquis redeant aurea ſeculis,
Pacis tempora candidæ.
Europæ ſuperûm digna favoribus
Chriſti delicium, ac amor
Terrarumque decus: quæ thalamos trium
Fers conſanguineos Ducum,
Et miſces ſobolem, collige pectora
Quæ junctis habitant thoris.
Bellorum Furias Græcia ſentiat,
Et trans Acroceraunia,

Bellum meritò ab Europa ad Turcas transferendum eſſet.

Trans & Taygeti, trans juga Caucaſi
Montes denique Caſpios
Affines redeat. Marſpiter ad Scythas.
Huc ò martia pectora,
Huc transferte manus, & calidos adhuc
Enſes ſanguine proprio,
Fumanteſque globos, æraque turpibus
Tot conflata periculis.
Hebrus purpureo flumine patrias
Martis diluat hoſtias.
Europæa ſuis fulmina montibus
Mugituſque frementium
Bellorum pavidâ ſede Byſantium
Incuſſo obſtupeant metu.
Æmus miſſilibus ſerviat Italis,
Germaniſque bipennibus,
Submiſſoque etiam vertice Thracius
Ad nos Boſphorus emigret,
Romaniſque ferat ligna ſecuribus,
Dignus faſcibus Imperî.
Cur ſic conficimur vulnere mutuo,
Alternâque cupidine?
Si quæ damna juvent, barbaries ferat.

ODE IV.

Cupiditas Europæorum, Lucri causâ, patria excedentium.

QUà vertigine ducimur,
Quotquot ſub gelido ſidere naſcimur
Ventorum ſoboles levis?
Omnes Heſperium nunc ſitiunt Tagum
Lymphâ divite nobilem.
Omnes Eridani (queîs Phaethon rotas
Lavit) fluctibus hauriunt,
Aut Rheni Laticem vitiferum ambiunt. *Peregrinationibus plerique gaudent.*
Gaudet nemo domeſticis,
Quamvis proveniant dulciter, amnibus.
Furtivæ ſapiunt aquæ.
Et quæ lympha fluit fonte remotior,

Hæc auget pretium vadis.
Quid? quod barbaricis litoribus ratis
Noſtræ figitur anchora?
Nos Indum bibimus, nos Hypanim ultimam,
Pellei Juvenis viam,
Audaci nimium remige ſcindimus.
Extremi terimus maris
Omnem veliferis navibus orbitam.
Nos audacia provehit
Euphraten ſuper, & rapidum Tigrim
Et litus Malabaricum.
Quin cœptis miſeri abſiſtimus? heù ſolum
Cœci vertimus exules.
Decretas ſceleri, non ſine vindice
Pœnas Numine, ſolvimus,
Ejecti patriâ. Quot mare ſorbuit,
Dum terris inhiant novis?
Cuî vilis patria eſt, ſit ſine patriâ.

ODE V.

Omnes eâdem aurì honoriſque cupiditate malè teneri.

NOs concordia diſtrahit,
Illimique frui non ſinit otio.
Nulli pauperies placet.
Hanc in Gangaridum litore diſſitam,
Noſtris finibus exulem, *Pauperta-*
Quivis eſſe cupit. Divitijs ratem *tem omnes*
Totam, velaque pandimus. *averſantur*
Pandoræ facimus. Diva Pecunia
Aras poſſidet omnium.
Clauſas ante fores ſtat Codrus, obvium
Crœſo panditur oſtium.
Auri ſacra fames faucibus omnium
Hæſit. Pauper & Euclio
Quamvis diſſideant, conveniunt tamen
Auri quiſque cupidine.
Quid vanæ memorem nomina gloriæ,
Fumoſamque ſuperbiam,
Et laudum titulos? Nullus inertiæ

Tam devotus agit cliens
Quem non pulchra juvet gloria, qui ſuis
Non palpetur honoribus.
In caulis medijs ambitio ſedet.
Eſt hæc nota Olitoribus.
Spretum Carnificem non tolerantius
Indignatio concitat,
Quam ſi præteritum fortè Triumvirum
Dictes faſcibus imparem.
His deſiderijs, quælibet æſtuat,
Et laudum ſtimulis furit.
Diſcordes ſtudijs unanimes facit.
Vani nominis ambitus.
Quantumcunque levis mancipium ſpei,
Deſperare licentiam,
Libertique nequit præmia: ſpes alit
Votis hunc melioribus,
Et ſeſe Dominum fingit, & imperat
Torvâ fronte minoribus,
Vno Nobilitas diſſidet à grege,
Grandis grandia poſtulat.
Sertis ſubijcias tempora regijs,
Et ſceptris oneres manus:
Nondum fixa tuæ meta cupidini eſt.
Romanis aquilis minor,
Infauſta premeris ſolicitudine, &
Pacis diſijcis otia.
Imples ſedifragis cuncta tumultibus,
Gentes gentibus obruis,
Mactatoſque tuæ ſtultitiæ immolas,
Indigniſque coloribus
Fœdas innocuo ſanguine purpuram.
O inſana licentia!
Quivis imperium præripit alteri,
Rectè nemo ſibi imperat.
Omnes (quis neget) haud poſſumus omnia,
Omnes poſcimus omnia.
Vertamus miſeræ vela cupidinis,
Nos concordia diſſipat.
Diſſentire ſuo pulchrius in loco eſt,

Honorem omnes ambiunt.

Nemo tam honoratus & dives, quin illuſtriora appetat.

Voces

Voces diſſociabili
  Tollamus ſtudio. Muſica diſplicet,
Quam diſcordia non regit:
  Nunc contorta ſono, nunc ſpatioſior
Odis libera diſſilit,
  Nunc ſublimis abit, nunc humiles fides
Infringit mediocribus.
  Et Dij diſparibus conveniunt modis,
(Si quam priſca merent fidem)
  Vocalis tenui pangit arundine
Pan ruralia paſcuis.
  Thebæâ citharâ mollius adſtrepit
Magni carminis arbiter.
  Atlantiſque nepos leniter increpat
Feſtivam digitis lyram.
  Diviſis ſtudijs tympana Mars quatit,
Baccho tibia convenit.
  Vndoſumque decent cornua Nereum,
Et clamoſa celeuſmata.
  Quod ſi quiſque DEÛM tympana verberet,
Pugnis exitialibus;
  Turbatæ nimium gràtia Muſicæ
Lamentabilis occidet.
  Vocum diſparitas hic placet, & ſua
Rerum diſparitas placet.
  Ventos arbitrio diſtinet Æolus
Tempeſtatibus imperans;
  Neptunus tumido præſidet æquori;
Norunt aſtra Dieſpitrem;
  Vulcanum trepidis flamma timet focis;
Plutus colligit aureis
  Quidquid plena capit ciſta laboribus:
Quod ſi fulmina quilibet
  Divûm nubifero præripiat Jovi,
Quivis Oceanum arbiter,
  Et frenare Notos Æolides velit,
Reginamque Pecuniam
  Omnes Cœlituum ducere geſtiant;
Demiraberis omnia
  Mox fervere novis ſeditionibus:

Diverſitas ſtudiorum magis alit Remp. quã conſenſus: ut Muſicam diſcors ornat concordia.

Vetores rebus diverſis Deos præfecerunt diverſos.

Flammas excutiet polus,
  Nec tellus liquidum perferet æthera,
Atrox Nerëus omnia
  Devaſtata ſuis fluctibus obruet.
Fixis hæc ſtationibus
  Se quævis cohibent, & ſtudio impari
Diſcordes animant fides.
  Nos viles animæ per vetitam ſimul
Fœde enitimur orbitam,
  Et quam quiſque premit, proſequimur viam,
Errandique libidine
  In præceps rapimur, proque opibus pij
Nullos non colimus Deos.
  Pluto thura damus, thura Cupidini.
Nos concordia diſtrahit.
  Nos iſthæc pietas, heu! facit impios.

ODE VI. *Cupiditas ſub neceſſitatis ſpecie multa perſuadet mala Chriſtianis.*

QVo nos ſæva Neceſſitas
  Invitos retrahis? Define dulcia
Perſuadere pericula
  Matèr ſollicitæ ſtulta pecuniæ,
Curarumque puerpera.
  Neglectæ melior copia copiæ
Tempeſtivius affluit,
  I quò ſuppliciter barbara te vocat
Expers natio Cœlitum
  Si gentem ſceleri quæris idoneam
Flagrantemque cupidine
  Cæcos viſe Getas, invenies tuo
Qui te Numine ponderent,
  Magnorumque colant te prece Numinum. *Gentiles & Barbari Cupiditatibus obnoxij.*
Dijs prælata minoribus
  Aras de Pario marmore debitæ
Cernes ſurgere gloriæ.
  Fumabunt calidis thura ſub ignibus,
Meſſes hic Arabum leges,
  Mavors dona dabit, cum phaleris equos

Iunget,

Iunget, cum clypeis viros.
    Hos ditare potes. Quin ſimul auream
Huc Mercator imaginem
    Deſignabit ovans, cum ratis Indico
Merces æquore vexerit.
    Rugoſis etiam de vetulæ cadent
Libi fragmina dexteris,
    Annoſumque feret fortè teruncium
Huc edentulus Euclio.
    Quin & carminibus fors celebrabere,
Otî cum patientior
    Curarum vacuis auribus, ad ſacram
Auſcultâris arundinem,
    Quam miſſis Corydon perflet ovilibus.
Tu cantaberis omnibus
    Magnis nota viris magna Neceſſitas,
Nec non parva minoribus.
    Fallorne? an vacuis de laribus modò
Ad confinia Thraciæ
    Maturare fugam Chriſtiadæ novis
Te clamoribus incitant?
    Obliquo toties, quid, rogo, lumine,
Quid cervice volubili
    Retrorſum adſpicis? I, quo lubet, ocyus,
Iam donata licentia eſt.
    Sanctarum melior nos ſitiens opum
Haud ſpernenda Neceſſitas,
    Et felix Superûm gloria provocat
Immortalis adoreæ
    Et nunquam ſterilis copia. Quid vetat?
Quin exurgimus, & luto
    Demerſum miſerè ſurrigimus caput,
Quò nos copia gloriæ
    Conjurata comes, quò vocat aurea
Rerum luxuries? opes
    Et mundi pretium, & pondus inutile
Auri, ſplendida nomina,
    Atque umbras ſcelerum, velaque noxijs
Prætexenda laboribus,
    Calcemus generoſo pede. nec levi

Cæleſtium rerum Cupiditas ſuadetur.

Demeritemur imagine,
Quam tantum vitreo mundus in æquore
Fictis luſibus exhibet.
Heu! quid Stentoreâ voce, quid urgeo?
Iam fucata Neceſſitas
Quæ centum titulis frontem habet, & genas
Centum picta coloribus
In ſcenam reſilit; nos faciles ſequi
Aures ac animos damus,
Nos plauſum facimus, nos hilares joci,
Nos hæc ludicra diſtinent,
Et rerum pretio tangimur, ac nitor.
Auri lumina corripit.
Accedunt tacitis regna favoribus,
Accedunt humiles caſæ.
Nulli non colitur Diva Neceſſitas:
Nutrix cæca rapacium,
Velans oppoſito crimina pallio.

Plerique neceſſitatis titulo opes immodicè cupiunt.

ODE VII.

Auri cupiditate omnia facimus.

QUò me, quò Lyra contumax
Vrges obſtreperis te fidibus ſequi?
Non jam dulcia mollior
Aſſueto reperis carmina pectine;
Seu cum fila licentius
Diſſolvi patior; ſeu rigido micet
Nervus ſtamine durior.
Non adducta places, libera non places,
Cantandum eſt aliquid tamen,
Quamvis diſpliceant carmina Gratijs.
Vrget ſedula veritas,
Vrgent depoſitis ſecula moribus,
Vrget degener indoles
Europæ. Hæc Proavûm neſcia, perditis
Iam divulſa Nepotibus
Heu quantum veteri ceſſit origini!
Vix veſtigia permanent
Virtutum, ac fidei. Solá repullulant

Iactæ ſemina noxiæ.
In præceps ſtolido volvimur impetu
Aurigante cupidine.
Ex bellis ſerimus bella; ſed aurea:
Plutum fecimus arbitrum.
Hic Martis Phaleras oblinit aureus,
Thoracaſque; ſed aureus
Hic jungit capulos enſibus aureos,
Hic ductus Chlamydum aureos,
Et criſtis galeas ſublevat aureas,
Hic burſam aggravat aureas.
Quis nunc bella neget, ſi ſapit, aurea?
Auro bella redemimus,
Auro nunc alimus. Pax licet aurea:
Auro vendita Pax fuit;
Auro rurſus opus, vendibilis manet
Pax, quæ vendita præmio eſt.
Auro, quod ſtupeas, auri emitur lucrum, &
Turpi fenore venditur.
Auro, quis pudor eſt? corpora tradimus,
Auro vendimus indolem
Virtutem pretio fingimus, aut ſcelus.
Formant munera Proteos.
O Auri ſtudijs ferrea ſecula!

ODE VIII. Ad Bartholum.

Cupiditatem ſubita atque infelix ſæpe mors abrumpit.

RVpes perpetuæ, Barthole non ſumus:
Rupes invidiam temporis ac iners
Evincunt ſenium: nos mora deterit,
Incerti mora temporis.
Nec nos marmoreos finxeris; haud ſumus.
Vt rivus tacito provehimur vado;
Quem quo terra parit, mox ſepelit ſolo,
Mater perbrevis alvei.
Ne nos imparium robora quercuum
Exceſſiſſe putes: ceu roſa mollibus
Enutrita Notis, delicium breve,
Natali morimur die.

Nobis prima levem quæ dedit, abſcidit
Velox hora diem. Nos miſerabiles,
Cùm jecit varias callida teſſeras,
Sors tranſmittit ad Æacum.
Quid magnas ſpatio ſpes nimiùm brevi
Arctamus, miſeræ ludibrium necis?
Libertas premitur mentis ab improba
Delaſſata Cupidine.
Mortem mors animi ſæpe præoccupat.
Nec ſolo morimur corpore, nec ſemel.
Æternâ brevis hæc morte licentia
Caſtigata rependitur.
Qui latas Tyrio murice fimbrias,
Menſas Aſſyriâ pandere copiâ
Audax, nunc Epulo cogitur arctius
Spreto accumbere Lazaro.
Non Regum thalamis, non Mareoticis
Vecors liminibus Mors revocat pedem.
Non rerum pretio mollior, aureo
Mors corrumpitur ambitu.
Magnatum cineres juxta & agreſtium
Confundit tumulis. pinguior, an macer
Hic rebus fueris nil juvat, optimus
Qui virtute præeminet.

ODE IX.

Illuſa Cupiditas in Dionyſii Tyranni exemplo oſtenditur.

QVantum ſceptra ligonibus
Quantum Regna caſæ, purpura pallio
Diſtet Socratico, tibi
Regnator Siculo teſtis ab æquore eſt,
Fortunæ pila ludicræ.
Non hunc purpureis dives honoribus, *Nec Reges ſua ſorte contenti vivunt.*
Non ſuffulta curulibus,
Et plauſus medios inter obambulans,
Et blandas populi preces,
Sors explebat ovans. Meta cupidinis
Fruſtra ſcribitur invidæ
Dum conjuncta ſuæ nixa potentiæ eſt.

Mutavit

Mutavit clypeum brevi
   Fortunæ volucris miles, & arduis
Dejectus ſtationibus
   Immixtus populo conſtitit, ac dato
Collum ſuppoſuit jugo.
   O quantum tumidi pectoris abſtulit
Decollata potentia,
   Quantùm pauperie ditior, & ſibi
Demptis rebus opimior,
   Laudari meruit! mox ſapientia,
Paupertatis idonea
   Proles, ingenuo hunc ſuſtulit impetu,
Et diſſuaſit inutiles
   Rerum quiſquilias, atque inopes opes;
Tentatæque tyrannidis
   Infauſtas docuit noſſe cataſtrophas.
Ergo Socraticæ minor
   Seſe parietibus Gymnadis abdidit,
Arctæ mancipium ſcholæ
   Hic qui nobilibus jura Quiritibus
Nuper dixerat arbiter;
   Balbutit tenero cum grege tetricas
Blando murmure Syllabas.
   Nec præfert ferulis ſceptra minacibus,
Avulſoſque ſecuribus
   Faſces ſuppoſito tergore deterit,
Doctæ Palladis armiger.
   Non hic ſanguineum ſtringit acinacem
Telorumque volantium
   Irata exonerat ſpicula dexterâ,
Sed tractat pharetras leves,
   Et ſe Palladiâ jactat arundine.
Fortunamque refigere
   Audax, tranſadigit vulnere non levi;
Hocſe carmine vindicans.
   Magnæ blanditijs ſortis, & improbis
Ne confide favoribus:
   Quantùm celſa nocet, tantùm humilis juvat,
Iraſcendo minùs ferit,
   Palpando nocuit. credite poſteri.

Fortuna Regis verſa

Inſtructio puerorum.

Felix cum perij, fui.
  Quâ quis ſit melior, ſors mala non fuit.

ODE X.

Gratulatur ſibi Poëta, quod ſe à mundi Cupiditatibus ad religioſam quietem tranſtulerit.

QVò me Sancta licentia.
  Mundi depoſitâ ſolicitudine
Inter nubila tranſvehis?
  Iam nunc Menapijs, jam procul Ubijs
Motus finibus auferor.
  Iam Rheni vitreus deſeritur latex,
Et ſeptemplice montium
  Diſcedo profugus vertice, jam ſacra
Proſpecto Trevirûm juga.
  Hinc ſe præcipiti culmine ſurrigit,
Muſarum Domino ſacer,
  Quondam laurigeri collis Apollinis.
Hic veſtigia Daphnidis
  Doctorumque manent fontium origines.
Illinc Martia Bacchicis
  Se cognata jugis culmina porrigunt
Haſtis pampineis ferax
  Paſſim armatur ager: territa, quas ſuo
Phaſis robore militum
  Mallet fertilibus creſcere dentibus.
O jucunda ſedilia!
  Figamus tacitos carmine nunc pedes
Iſtic, Melpomene, precor.
  Iam montis minor eſt cura biverticis
Seu Nyſæ domitas apex
  Promittat tigrides; ſeu juga laureis
Cirrhæ Daphnida crinibus.
  Concedat bijugis Phocis Apollini,
Et Baccho ſacra collibus:
  Vicerunt Treviri. ſqualet in hoſpitis
Iam nunc Attica montibus:
  Nos doctis repetit Caſtalis amnibus,

Mons Trevericus Apollini olim ſacer Parnaſſo comparatus.

Nos

Nos Libethrides abluunt,
Et Pimplæ vitreis Naiades alveis.
Siccis Græcia rivulis
Moſellæ latices Caſtalidum intulit.
Non poſthac Aganippidos
Deſument liquidis nomina fontibus
Muſæ, Moſelides erunt.
Hic vos Phœbigeni verticis hoſpitas
Infuſus viridi toro,
Et vinctas hederæ ſubijciens comas,
Sacro proximus alveo,
Dicam Menapio carmine Nobiles:
Et plantabo virentibus
Circum laurigeris culmina frondibus.
Hic oracula Cynthij
Vatum de numero ſi numerus ſumus,
Tacto pectine conſulam.
Dicam ſepoſitis quanta negotijs,
Spreto quanta Cupidini,
Neglectiſque opibus quanta ſubeſt quies!
Non ſuſpenſa minacibus
Ventis noſtra fides nutat in æquore,
Et ſpes Indica mercium.
Quid ventis levius? debilius rate?
Piratiſque frequentius?
Non bellis rapimur dira frementibus,
Nec nos fulgor acinacum,
Non terret chalybum grando, nec abdito
Aurum defodimus ſpecu.
Quid flammis rapidi Martis atrocius?
Quid partas violentius
Res & ſpes ſubito proterit impetu?
Felix quem levis alea
Submiſſo poſitum detinuit loco,
Vel quem libera ſervitus
Iura:â retinet pauperie, nihil
Formidantem opulentiæ.
Laudo mentis opes ſedifragis parum
Confiſas Aquilonibus.
Virtutum cupidus munera colligam;

Carmina ſcribere.

Quies magna religioſa vita.

 Lucran-

Lucrandique cupidine,
Longè ſepoſitis ſidera montibus,
Tranſcendam volucri prece:
Et votis pretium nil metuentibus
Multo fenore congeram,
Æterni pretium fenoris. ò nimis
O jucunda negotia!
O virtutis opes! cætera vanitas.

ODE XI.

Sol mundi Cupiditatem averſatur.

DVm, Caput pulcro radiatus oſtro,
Candidam toto ſuper orbe frontem
Explico Phœbus, roſeiſque figo
Baſia labris.
Dulcè ridentes mihi terra vultus
Pandit, apricos redimita colles
Frondium ſertis, juga laureatis
Vincta capillis.
Quaque vernantes rutilâ per herbas
Deferor plantâ, comitata molles
Aura per campos agitat jocoſo
Murmure currus,
Virgines Lymphæ ſimul oſculandis
Irruunt pratis, vitreoſque Cirrha
Parturit fontes, ſimul æſtuoſis
Præbibit agris.
Sive pubentis virides Hymetti
Orbitas viſam, Zephyritis uno
Calle decurrit, violaſque vernis
Dividit agris,
Sive Parnaſſi juga delicato
Rore perfundam, Dryades madentem
Ambiunt currum, liquidoque paſcunt
Nectare ſilvas.
Seu per Hyblæos rutilante colles
Eſſedo porter: lepido ſalutor
Alitum plauſu, ſtrepit & pudicæ
Dædala ceræ.

Verni temporis deſcriptio.

Rura

Sol terra marisque opes educat.

Rura quæ tango, cerealis unda
Fluctuat circum, nec inebriatus
Sat ſibi conſtat, dubijs recurrens
Culmus ariſtis.

Bacchus accinctis caput in corymbis
Ventilat lætus, tigrideſque colle
Solvit aprico, tener erubeſcit
Pampinus uvis.

Sic Erythræo mea flamma ponto
Educat gemmas, fovet & maritis
Divites conchis, radiantis aſtri
Dona, lapillos.

Invias terræ latebras metalli
Arbiter luſtro, rigidaſque venas
Æris, & coctum bene temperatis
Ignibus aurum.

Cuncta Phœbeis recreantur aſtris.
Debet his tellus, minor unda debet.
Debet humanum genus. at bonorum, heu!
Negligit uſum.

Quid jubar terris, niveique proſunt
Temporis ſoles? quid amœna pleno
Fauſtitas cornu, nitidique vena
Fertilis auri?

Nulla lux mundo nitet auſpicata,
Tempus everſis niveum quadrigis
Turpiter ſqualet, ſcelus omne fulvum
Polluit aurum.

Bona à Deo conceſſa per Cupiditatem abutimur.

Luxus in pratis viget, & pudicos
Inquinat flores, Venerique blandæ
Adſtrepunt Lymphæ, favet explicatis
Aura ſuſurris.

Nata per crimen Semeléia proles
Mollium turpis pater eſt amorum,
Litium fautor, tepidoque miſcet
Vina cruori.

Quid juvant gemmæ, Tyrioque lotæ
Purpuræ fuco, niſi faſtuoſum
Quod tegunt corpus, tumidiſque pectus
Auſibus implent?

Nullus

Nullus antiqui manet uſus ævi,
Aureos auro perijſſe mores
Conſtat oppreſſum regit una mundum
Cœca Cupido.
Obfui terris, quid inauſpicatas
Luceo flammas? mea dona fœdo
Crimini proſunt, vitijsque bigas
Duco faventes.
Ite nunc feſſis roſeos caballis
Virgines horæ religate crines.
Heſperi nunquam rediturus Æthon
Fonte lavetur.
Heu pudet mundum, pudet intueri
Sontium vultus. Tegat umbra turpes
Criminum noxas, ſcelerique flammam
Luceat Orcus.

ODE XII.

Cupiditatum laqueis totus orbis oppletus eſt.

PErbrevi magnum, velut in tabella,
Diceris quondam ſpeculatus orbem
Fortis Antoni, ſtygiaſque circum
Mille catenas.
Aſtra diſtrictis metuenda vinclis,
Caſſibus tellus minor explicatis,
Fraudibus pontus, trepidiſque ſilva
Inhorruit umbris.
Quis dolos ponit, pediciſque greſſus
Stringit ignaros, niſi pertinacis
Artifex noxæ ſcelerumque nutrix
Blanda Cupido?
Sunt quibus pulchrum dominatur aurum.
Ipſa formoſos laqueos metalla
Obtegunt, ex his faber ipſe Dæmon
Vincula cudit.
Et ſuâ præſens pharetrâ Cupido, *Libidine*
Oblinit fuco medicante tela, *prava plu-*
Ac laceſſitis animum ſagittis *res ſeducti.*
Frangit inermem.

Donec accenſis furat in medullis,
Aut amor fulvi vitioſus æris,
Aut profanatis Cytherea tædis
Urat amantem.

Sic Philiſtæos generoſus ungues
Improbi Sampſon ſubit impeditus
Caſſibus ſcorti, nimis inſolenti
Saucius arcu.

Sic Deæ magnus Sophiæ magiſter
Arbiterque ævi, Solymis ſtupendus,
In Dionæo nova præda ſaltu
Neſcius hæſit.

Jeſſides magno Goliæ triumpho,
Hoſtium & raptis celeber galeris,
Captus à parvo Veneris miniſtro,
Vulnera planxit.

Lothus incenſas, ſine clade, flammas
Præterit, fœdos ſubiturus hamos,
Cum novâ Bacchi, Veneriſque flammâ
Turpius arſit.

O quot heroas mala cauſa notam
Fabulam, mundo ſcelus exprobranti
Fecit, & captam per amica traxit
Devia mentem.

Compedes cœci patiuntur auri *Avaritia capti.*
Achab, & turpi veniente lucro
Proditor Iudas: premit iſte ſervum, &
Ille magiſtrum.

Multa furtivo latebroſa calle
Lina tenduntur; ſua vincla captus
Neſcit, atque ipſas amat in ſagenas
Ire, perire.

Non Arachnæis ita falſa textis
Muſca deceptas replicavit alas,
Cùm, velut tumbæ reſupina, vivam
Migrat in alvum.

Emicat cœca vigilè caverna
Artifex texti, ſimul atque filum
Admonet motum, ſolitæque captat
Præmia curæ.

Quiſquis

Quiſquis es, ſtrictos patiêre caſſes
Aucupis mundi; niſi te doloſæ
Subtrahas naſſæ, fugiaſque ſtructas
Fraudibus eſcas.

ODE XIII.

Exemplo Loiolæ ſpreta mundi Cupiditas proponitur.

EUge per cultas ſtudioſa telas
Muſa decurrat, Phrygijſque dextræ
Artibus ſudent. Aliena doctas
Tempora lauros;
Hæc acum poſcunt, fluat Hippocrene *Acupingere.*
Fonte mutato, Tyrioque mixtum
Aureum fuco bibat, & ſerenum
Lana colorem.
Euge Lojolam labor eruditis
Imprimat telis, operoſa fortem
Dextra ſecernat populo ſtrategum, &
Inſerat auro.
Martiam vultu radiante frontem,
Martium pectus generoſus heros *Divus militiæ Princeps.*
Induat textis, celebrique ſpiret
Indole lana.
Surgat hinc celſis domus alta ſaxis,
Arcium robur, populique prono
Accidant vultu, famuliſque circùm
Affluat umbris.
Porrigat faſces, levioris auræ
Turba captatrix, niteat propinquâ
Aulicum pompâ decus, & ſuperbo
Fulgeat oſtro.
Indico menſæ cumulentur auro,
Hermus affusâ famuletur undâ,
Luce gemmarum faveat remoto
Litore Ganges.
Mollis extento minitetur arcu
Puſio, ſævas animoſus idem
Ventilet flammas, tacitiſque fibras
Ignibus urat.

Hæc

Mundo, eiusque cupiditatibus, ſpreto, religionem amplecti.

Hæc ſuper celsâ gradiatur Heros
Fronte, neglectos eat inter arcus
Rideat muros domuumque Chijs
Tecta columnis.

Rideat faſces ſtrepitumque circùm
Mobilis vulgi, leviumque turpe
Spernat aularum decus, & faventes
Leniter auras.

Dives ex ſpreto reputetur auro.
Fama contempto fluat ex honore.
Omnis ornatu meliore Virtus
Cingat euntem.

Frater occurrat, revocetque blandâ
Voce Germanum, genus & paternum
Nomen augeri roget, ac avita in
Sede Nepotes;

Attamen fruſtra, ſine fratre, frater
Patrios ſpretus repetat penates.
Pergat ad ſacros animoſus Heros
Viſere colles.

Hic ubi pulcram veneranda ſedem
Obtinet Virgo. rutiloque condens
Brachio natum, roſeis propinat
Baſia labris.

Addat ornatum, novus iſte miles.
Noricus fulvo radiatus auro
De tholo mucro rutilet, Syroque
Balteus oſtro.

Penſilis ſacram veneretur aram:
Et Navarreæ monumenta gentis,
Poſterûm ſerò memorentur ævo,
Ore Nepotum.

Ipſe calcatum ſapiente faſtum
Conterat plantâ, latus & revinctus
Pulcrior ſacco. Tibi virgo longis
Militet annis.

ODE

ODE XIV. Euchariſticon.

Inſcriptum D. Paulo gentium Doctori; quod primus gent[...] à mundi cupiditate ad Chriſtum traduxerit.

EVge formoſæ Charitum coronæ
Virginis ternæ, triplici capillum
Floridæ ſerto, triplicique vinctæ
Fœdere dextræs,
Ite, divino date ſerta Paulo,
Textili crines redimite fronde.
Ac Hymettei nova dona prati,
Spargite flores.
Ite per lætos animoſa ſaltus
Turba, feſtivos iterate plauſus,
Et fides inter ſtrepat, & faventi
Tibia cantu.
Concinat magnum chorus ore Paulum
Gentium lumen, decus & coronam
Plebis electæ, columenque ſacri
Grande Senatus.
Carpat æternas Charitum corollas
Floribus textas. ſacra gratiarum
Dona poſt longos venientis ævi
Cenſeat annos.
Hunc leves Parthi, facilique tollant
Theſſali plauſu, memorentque Divûm.
Et Corinthæo celebretur ære
Numine plenus.
Ite Dictæas Charites per oras
Gaudeant Cretes veniente Paulo,
Et Iovis cunæ, Corybantiumque
Murmura cedant.
Quiſquis agnatum bibit ore Bœtim
Auſonum quiſquis Tiberi lavatur,
Audiant Paulum, meritiſque nectant
Serta capillis.
Ille proſcriptis docuit vetuſtis
Numinum monſtris, ſuperûm patente
Atrio Divûm, remeare terris
Iuſque fidemque.

Criminum fœdas tulit orbe noctes,
Et luem belli, redeunte pulcra
Luce virtutum, redeunte claro
Sidere pacis.

Quidquid inſano vitiavit auro,
Levit & fuco veterator orbis;
Ille purgavit, meliorque fraudem
Fraude fefellit.

Euge formoſæ Charitum coronæ,
Ite, divinos redimite crines:
Lilijs mixtum decus, & roſarum
Fulgeat oſtro.

ODE XV.

Aſpirat pia anima, ex mundi cupiditatibus ac vinculis ad cœleſtem patriam.

ITe laxatis mea vela cymbis,
Ite, quâ curſus patet, en ſolutis
Carbaſis vitæ melioris oram
Pandit Olympus.

Et ſuas cœlum patitur triremes,
Scanditur velis, liquidùmque ductis
Sciditur remis. micat Argonavis
Teſtis ab Aſtris.

Illa, dum Ponto rapitur furenti,
Hæſit incerto tremefacta vento,
Hæſit ad fluctus: modò ſtat quieto
Lucida portu.

Quis parem vitæ mihi donet uſum? *Vita noſtra incertis caſibus iactatur.*
Sive cum molli vehitur faventis
Sortis afflatu, placidiſque cymba
Navigat auris:

Sive turbatis rapiatur undis,
Quà leves venti, dubijque caſus
Impetu vergunt, fragiliſque pellunt
Vela carinæ.

Omnis ex omni mea vita caſu
Impulit navim: modò turbulentos

Vecta per fluctus: modò per quietas
Lenior undas.
Nulla res conſtat. neque ſors ſerena
Nubis eſt expers: habet hoc timendum
Blanda ſors, paucos ſinit eſſe fortes,
Perdit amicos.
Alba me nunquam tulit inter ulnas
Sors diu fidas: pede nutat uno.
Illa, quæ primâ facilis renidet
Fronte, cavenda eſt.
Vah genus vitæ! quod acerba tantùm
Fata commendant, quod amica falſo
Sors linit fuco, tacitoque circùm
Implicat aſtu.
Pace gaudemus; ſed iniqua pax eſt:
Mille noxarum ſcelerumque ſyrtes
Obijcit claſſi placidum per æquor
Molliter actæ.
Quid juvant gemmæ, Rhodijque venæ
Fertiles campi? perit inter auri
Vota poſſeſſor, vitijſque turpes
Laxat habenas.
Clara dum puris favet aura ventis,
Et comas denſo rubet igne Phœbus,
Imminet grando. Simul ac honorum
Faverit aura,
Et latus fulvo variamur auro,
Servit & prono vaga turba plauſu,
Proximi ſyrtes ferimur; ſerenum
Nube premetur.

ODE XVI.

*Cœleſtis Paradiſi contemplatione vates delectatur, à mun
cupiditate averſus.*

QVo feror plauſis relevatus alis?
Surgit ex armis volucrique plantâ
Silva plumarum, rutilumque prenſo
Civis olympum.
Fabulas vincam, veteriſque cygni

Fata Ledæi, Ganymedis ales
Fulminis quamvis iter expeditus
Tendere, cedet.

Nil retardatis per anhela pennis
Aſtra ſuſtollor: Paradiſus agros
Pandit apricos, reſeratque portas
Ære rigentes.

Quanta lux Phœbo meliore fulget!
Quam voluptatis micat affluentis
Gaudijs vulgus, placidoque vernant
Cuncta ſereno!

Pace non torpet piger otioſâ
Mundus, aut ſævis agitata bellis
Regna quaſſantur, nec avarus heres
Divitis auri eſt.

Æterna in cœlis vita deſcriptio.

Candidi cives, niveique mores
Seculum condunt. ſine fraude vultus
Comis, & nullo variata fuco
Verba, fideſque.

Summus hic juncto ſociatur imo,
Vna ſors æquat, nec amicus hoſti
Diſtat, æternis veneranda conſtant
Fœdera Vinclis.

Præmijs certant, & amore vinci
Quiſque formidat, patet explicatum
Gaudijs pectus, nec amœna deſunt
Serta capillis.

Fuſus in pratis, vacat innocenti
Otio mundus, placidoſque laxat
Gutturis nervos, liquidoque fundit
Carmina plauſu.

Aut leves dextrâ rapit erudita
Barbiti nervos, Citharâque dulces
Increpat ventos, animata ſervit
Auribus aura.

Aut caput propter ſalientis undæ
Graminum molli recubans lacerto,
Inter & vitæ ſocios peractæ
Fata retractat.

Quod tulit durum meminiſſe dulce eſt.

Lacrymis gaudet, numerat dolores.
Tela commendat, graviuſque magno
Vulnus honori eſt.
Euge felices mihi ſolve pennas
Muſa, jam metam teneo expetitam.
O quies dulcis, merear vocari
Civis Olympi.

ODE XVII.

Mundi opibus ac cupiditatibus Poëta ſolitudinem ac paupertatem præfert.

SAcramenta dedi. ſtabo perennibus
Detrectator opum legibus, & ſacræ
Paupertatis amans; ſtridear invidi
Adverſum rabido dente minaciter
Mundi ſpretus amor. ſint alijs opes;
Nobis pauperies integra fulgeat.
Ioanum trepidus ſcandat Iber mare, *Paupertas*
Quem, Cauri dubiâ circumagant fide *ſecura mul-*
Suſpenſum tumidi fluctibus æquoris; *tis caret*
Qui ſcyllæ metuens, quique vagantibus *periculis.*
Occurrat timidè per freta ratibus.
Tanti non emimus tanta pericula.
Siccis naufragium litoribus deeſt,
Ne læſus peream, diſpereant opes.
Mercator Tyrio circumeat foro,
Et pictam redimat munere purpuram.
Quæ nobis patrio vellere texitur
Sat laudata toga eſt, ſi Borealibus
Ventorum furijs obijciat moras,
Et brumas ſuperet. quæ tegit, hæc ſatis
Veſtis laudis habet, quælibet integrè
Commendata ſuis res placet uſibus.
Facundis rabidè litibus intonet
Pro roſtris Cicero, fulmineâ cadant
Hoſtiles acies voce, Philippicas
Strages hinc videas, hinc Catilinicas.
Res vox eſt fragilis: ſola pecunia
Vertit longa brevi, muta ſonantibus.

Qui ſic verba locat, nil retinet ſuum
Cui tuto liceat credere. Veritas
Impolluta diu vix Rabulis fuit.
Iactantem Scythicis ſigna Draconibus
Qui *Martem* ſequitur, litera vertitur
(Aut dicam propiùs lancea vertitur)
Iam *Mortem* ſequitur, non galeæ caput
Devotum ſtygijs fontibus eximent,
Quamvis Mygdonio ventilet alite
Criſtatos apices conus, & audiat
Plaudentes Zephyros. Non Siculus Chalybs
Fatis expediet pectus aheneum:
Norunt fata viam. non volucres equi,
Quantumvis agiles præveniant notos,
Hinnituque fremant læta, vel impigre
Divexent phaleras morſibus æreas,
Armati fugient ſpicula Tartari.
Non his empta placent conditionibus
Auri fulvus honos, aut leve nominis
Pondus. Pauperies omnibus unica
Nobis ſufficiet grandior uſibus.

Mars & Mors vicina ſunt re & nomine.

ODE XVIII.

Diogenes mundi, Cupiditatumque ejus contemptum omnibus ſuadet.

QUo cœci ferimur? fervidus intonat
Orator medio Rex cynicus foro,
Errantûmque ruinæ
Accensâ face præſtruit.
Quo cœci ferimur? nubila diſcute
Ad Veri radios, quiſquis amoribus
Caligantibus orbis,
Argentique cupidine
Obſtrictus poſitis inſidijs pedes
Captivaſque manus inſinuas miſer.
Non hic ſtringeris artus,
Mentem atrocius implicas.
Maturis animum caſibus eripe,

Et deflecte nefas. Præferimus facem
Huc veſtigia verte,
Et deſueſce cupidini.
Nil deſiderijs aucta pecunia
Vitæ nil oneri detrahit; additur
Nummis ſolicitudo
Cuſtos velleris aurei,
Et pugnans tacitis cura ſoporibus
Infelixque metus. Nunc Geticis furor
Formidandus in armis
Flammarumque minacium
Tempeſtas pavidos exanimat viros,
Et pacis violat divitis otia.
Nunc furtiva doloſis
Irrepens latebris manus
Inſomnes tenebras, & trepidas facit.
Ne mollis requies, ne tibi vilior
Libertatis iniquis
Sit poſſeſſio prædijs.
Sub parvis opibus magna latet quies.
Quanto plus capies, hoc cupies magis.
Solus dives, avarus
Inter divitias, eget.
Sub ſpretis opibus repperies opes.
Qui ſtringit nimiæ vela cupidinis,
Sævum cautius æquor
Tiphys remige tranſilit.
Si quantum ſatis eſt te tua provehit,
Et tutis equitat cymba Favonijs.
Cur laſſare ſaburrâ
Navim quæris inutili?

Cura cum pecunijs augentur.

In paupertate tuta quies.

ODE XIX. Ad Teleſbium.

Cupiditatem opum abijciendam eſſe, eò quòd cælo nati ſumus.

CUr ſic Teleſbi? naſcimur inclytum
Genus Deorum, & ſcribimur aurei
Cives Olympi: cur ſupinis
Terram animis, humileſque fulvi

Indignum eſt cælo

Sord

Sordes metalli lambimus improbi?
Cur deſtinatus non pereuntium
Heres bonorum, ſiderato
Pectore, præteritura captat?
Umbriſque mentem paſcit inanibus
Et ſpem fatigat? Deſine turpium,
Inſane, curarum, & jacentem
Tolle ſolo, patrijſque ſenſum
Appone terris. Non ſatiâbere
Vtcunque plenis copia cornibus
Aurumque & argentum propinet,
Et liquidis pluat æthra gemmis.
Agnata cœlo nobilioribus
Paſcenda mens eſt. Te ſuper inclytas
Sors larga regnorum coronas
Et Syrias locupletet aulas;
Fruſtra; nam adultis invenies opes
Votis minores, nulla ſpei tuæ
Res par habetur, ſceptra dextræ
Et capiti diadema jungas:
Addis doloſæ certa Cupidini
Fomenta. Regum conſule pectora.
O monſtra votorum! o probroſam
Ingluviem haud ſatiantis auri!
Nil temperatâ ſpe cupiunt, nihil
Pace capeſſunt. non regionibus
Incluſa, regnorumque metis
Turpis avarities tenetur.
Obſepta centum mœnibus oppida,
Provinciarum vix numerent opes,
Regni medullam eviſceratis
Agricolis, pavidoque vulgo,
Ærariorum defodiant ſpecu;
Fruſtra; vagantis flamma cupidinis
Auroque cenſuque educata
Inter opes alimenta captat,
Dum regna flagrant integra, dum furor
Incendiorum corripit, (O furor
Legumque virtutumque clades!)
Immeritos populorum acervos.

natos terræ adhæreſcere.

Deſiderium habendi cum opibus creſcit.

Tu Cyre teſtis, cui Babyloniæ
Gazæ minores, & diademata
Anguſta Perſarum, dum avaram
Turpe ſitim ſcythico ſub utre
Expleret hauſtus. Te memori quoque,
Pellæe, ſignat charta Cupidine,
Poſt vaſta terrarum ſubacta,
Sandapilæ brevia occupantem.
Nec Eucliones eximo. ſordidis
Quandoque in antris non ſatiabiles
Moneta curas abdit. Auro
Caula favet, famulatur aula.
Abominandæ nempe Cupidini
Servile vulgus militat, impigrum
Sudare, ſeu Phœbus calentes,
Seu gelidas agat urſa bigas.
Venalis auri proficit improbo
Labore votum. frigida vix manus
Venale cœlum prenſat. Omnis
Obſtupet hic generoſus ardor
Emancipati pectoris. Excute
Turpes catenas, nec vitijs fave,
Quæ ſuaſit inconſultus error,
In jugulum malè ſtringis enſem:
Mox hoc petendus, ſanguine cùm ferox
Paſci cupido cœpit, in omnium
Sortemque vitamque execrandos
Exacuit furioſa dentes.
Quam fers bipennem, ſpicula quæ jacis,
Infige noxis; vincla cupidini
Impone, libertate virtus
Gaudeat, innocuoque cœlo.
Erramus omni degeneres viâ
Mortale vulgus. Non Dominantium
Nec Aſſeclarum terra curas
Appoſito ſatiabit auro.
Cœlo petendum, quod tibi ſit ſatis;
Cœlo impetrabis. vertite, vertite,
Menteſque, mortaleſque curas,
Aſtra patent opulentiora.

ODE XX.

Cupiditati nulla melodia gratior, quam tinnitus argenti.

O Muſa docti carminis artifex
Diſſolve chordas. Mollius increpant,
Quæ mitis inteſtina buxo
Tendit ovis, reſonante nervo.
Major luporum abdomine conditur
Vis iliorum. collige viſcera,
Siccoque perdurata ſole
Fac Latios animare cantus.
Fortè Euclioni barbita fortius
Nervis Luporum tenſa rapacibus
Aures revellant. Euge chordas
Muſa novas nova plectra tangant.
O pulcher aurifulgor, & inclytis
Dignus coronis! Regum apices tibi
Curvantur, imi genûa vulgi;
Et mediæ procerum Catervæ.
Per te affluentis cornua copiæ
Effundit in nos plena Beatitas;
Quam dulce tinnit clangor æris!
Quantus honor pretiumque gazæ!
Placemus. Io. Muſa repercute
Potentis odæ barbita, Subſilit
Hinc umbra Craſſi, hinc Euclionis
Poſteritas modulante buxo.
Quidnam hoc? ovillis diſſilijt chelys
Manſueta nervis, impatiens lupi
Odore vicini. Euge Verba
Cede choro malè diſſonante:
Quemcunque avari fœdus odor lucri
Infecit, abſit. Non ſociabilem
Moneta cum Virtute chordam,
Ære licet radiante, tangit.

Auro omnes capiuntur.

ODE XXI.

Poëta deſperans ſe frugalitatem perſuadere poſſe, Lyram amovet.

HEus Lyde caſsâ tolle chelyn fide.
Faſtidioſo carmina ſeculo
Molimur inviſi. obſtinato
Perſtat Avaritiès furore.
Damnanda cum ſit; turpè potentium,
Vulgique contra murmura perſtrepunt,
Iurata non flecti. Nec Orpheus
Threicijs modulatus ornis,
Cum querna duxit robora ſupplicis
Ad plectra ſilvæ; nec lapidum potens
Thebanus Amphion, ſequaces
Contraheret Lyra tacta rupes,
Molli reluctantûm imperio parem
Vim ferre viſus. Digna oculis erant
Oſtenta, Threſſas inde chordas
Iſmarium intrepuiſſe vatem;
Hinc pertinaces cedere fraxinos,
Craſſaſque quercus, ac graciles cedros
Ad plectra ſubſultare mota,
Odryſioſque animare ſaltus.
Pudor! moveri cum ſpecubus feras,
Avara nullis pectora machinis
Divelli ab auro Phœbe molles
Frange ſonos, citharæque nervos,
Et martiáles appropera tubas,
Deprælialitum vocibus intona.
Hinc raptor incumbens, & inde
Flamma vorax populetur agros,
Suaſura quâvis arte potentius
Vim temperatam. Quodque oleis nequit
Revincta Pallas, hoc ſeveram
Obtineat galeata frontem.

Ab Opum ſtudio homines avelli non poſſunt, niſi vi belli.

ODE

ODE XXII.

Monſtrum nullum in orbe humana Cupiditate magis deteſtandum

Informe monſtrum, triſte, & execrabile
Rapacitatis deſpue.
Nil ſimile peperit Lerna, portenti licet
Septemplicis puerpera:
Nil ex Draconis conſitum molaribus
Par tale Colchorum ſolum
Frons torva, quali taurus ignivomus micans
Infecit haſtam Iaſonis.
Rubente dirum lumine implevit cavas
Frontis lacunas horridæ.
Oculata tergus, & futurorum anxia,
De ſtirpe Iani poſthuma.
Oblonga, guttur aridum, quale improbo
Philoxenus voto ambijt.
Immane ventris dolium, quali tumet
Pinguis racemorum ſator.
Siticuloſus corpus inflatum obſidet
Stagnantibus vadis hydrops.
Sed fœda macies ſqualidos humeros vorat,
Exſucca livent brachia.
Vix ulla mortis larva mundo præbuit
Deformius ſpectaculum.
Vtramque adunci muniunt digiti manum
Non impares Gryphum unguibus.
Lupina fauces ſtringit inhiantes fames
Sitiſque pluſquam Tantali,
Cleopatra quamvis uniones eliquet,
Pleno hauriendos poculo,
Graveſque luxus Perſicus menſas premat,
Eriſichthonis vincet gulam.
Talem apage peſtem ſedibus procul tuis,
Nocentiorem toxico.
Præſentiori nulla dementaverit
Te vafra Circe pharmaco.
Sin hoſpitali limine hoc monſtrum accipis
Erinnyas tecum foves,
Et Sanguisugas paſcis haud explebiles,
Dextrâque mulces aſpides.

Cupiditatis & Avaritia allegorica deſcriptio.

ODE XXIII.

Ad Tiberium Roſium gulæ cupiditatibus nimium indulgentem.

QVouſque lautè nutries aſinum, Roſi,
Tibi denegato pabulo?
Quid ponderoſis ſubijcis ſaccis caput,
Aſinumque donas pileo?
Hic feriales ducit in pratis dies,
Dum tu molendino vacas.
Incedit ille cute ſaginatâ probè
Tu pallidâ ſquales fame.
Indigna res eſt, crede, quod, Roſi, tuo
Habeare vilior aſino.
Hæc ipſe (quamvis calculo prudentium
Prudens notari pervelis.)
Hæc ipſe præſtas, ſtulte, dum corpus foves,
Animamque vitijs opprimis
Dum otioſo paſcis in luxu gulam,
Mentemque inediâ conficis.
Aut igitur Aſinum ſupprime, aut Domino facis
Hunc eſſe meliorem ſuo.

Anima nobis vilior corpore eſt.

ODE XXIV.

Conſcientia cupiditate entium malè laceratur.

DEclive quo nos ſeculum demum avios
Virtutis uſu ſubmovet?
Eccleſiarum Principes quondam dedit,
Probata *conſcientia.*
Tunc infulato cana Pietas vertice
Epiſcopi mitras tulit.
Detraxit ætas rebus, & curam Pedi
Clara meruit *Scientia.*
Hinc ſparſa crevit illa doctrinæ ſeges
Latè per arva Eccleſiæ.
Stemus nec ultra ferre delirum retrò
Lubeat in exitium pedem.
Audimur? an nunc ratio legeſque obticent.
Totumque poſſunt *entia*?

Sic

Sic eſt. recurrit aureis ductum notis,
Argenteiſque ſeculum,
Contraque Conſcientiæ ſuffragia,
Scientiæque calculos,
Votum omne tinnientium entium valet.
Moneta mitras dividit.
Virtute quamvis fulſeris dives tuâ,
Et mille gemmis artium,
Si priſca avorum cera deſtituit genus,
Ignobile, auroque vacuum:
Fruſtra infulatos quæris inter ordines,
Tuum elocare verticem.
Rationis entia licet haud parum queant,
Plus obtinent *Realia*.

Pecuniâ nunc obtinentur dignitates.

LIBER II. LYRICORUM.

ODE I.

Ad Carolum Magnum ut afflictæ Europæ auxilio veniat.

O Imperantûm gloria Cæſarum
Aſſerte Divis, Carole maxime!
O ſidus Europæ! O corona
Imperij, fideique lumen!
Fas ſit reductum te mihi ſiſtere
Terræ laboranti. Et ſuperos reor
Mortalium tangi dolore
Atque aliquo pietatis æſtu
Flagrare contra nequitiæ impetum,
Vaſtantis impunè omnia. Diſcute
O diſcute inſanos tumultus,
Fulmineis metuendus armis,
Et qualis olim tutor Iberiæ
Ac Barbarorum terror, in impios
Fuſus Saracenorum acervos
Ibnalachum, dubiumque vinci
Tandem Agolandum Marte potentior
Victore ſternis. cum tremuit tuo
Succuſſa Pambelona ferro,
Et trepidis famulata muris,
Carthago juſto ſuccubuit jugo.

Audiſne? an alter Mercurius lyram
Nondum impulit ſolers potenti
Carmine ſolicitare manes
Vitamque functis reddere? Quin faves
Submiſſiori, non tamen improbæ
Buxo, fatigatumque longis
Imperium miſeraris armis,
Præſente victor Numine? Submove
Tumultuantûm fulmina militum:
Sævæque bellorum procellæ
Pacificâ recreentur aurâ.
En federatis ſigna cohortibus *Bellum omnia vaſtant*
Et hac & illac fervere Martio
Terrore, Finnorumque turmas
Et Furias borealis oræ,
Auſtro favente O dedecus! aureæ
Serena pacis ſidera turbido
Mavortis inceſtare fumo,
Et placidum violare cœlum:
Araſque Divûm non moderabili
Vaſtare ferro. Nil potuit fides
Inermis, obluctata centum
Flagitijs, ſcelerumque monſtris,
Ius faſque ruptis ſtrata repagulis
Dudum in triumphum ſuſtulit hæreſis
Portenta diſiectis Averni
Aggeribus dominantur orbi.
Æquuſne cœlis iſta ferentibus
Cæſar tueris? non lacerum decus
Hoc Imperi, quondam timendûm *Fides veteris Eccleſiæ labefactata.*
Non dubijs fluitare ventis
Eccleſiarum carbaſa ſub tuis
Expanſa ſignis? cerne Batavicas
Errare nutantem per undas
Naufragio propiore navim.
Nec Môſa tuto, nec VVahalis vado
Nec Rhenus undis ſat patientibus
Petri biremem portat, Albis
Degener, Amiſiæque fontes
Remum impotenti ſuccutiunt freto

Viſurgi

Viſurgis olim ter domitat tibi
Subjecit invitus procellas
Ter domitis modò, rurſus, undis
Increvit audax: Oceanus retro
Submiſit æquor: cæruleo tumens
Garumna per campos fluento
Teutonicum ſepelivit orbem
Fluctu ſub uno. Quæ ratis hanc ferat
Impune turbam? corrige fluctuum
Cæſar rebellantum furorem, &
Impoſitis gemat unda vinclis.
Notum expaveſcent imperium, ac manum
Armis potentem. Tu VVahalim potes
Frenare, te formidat Albis,
Danubius tua ſenſit arma.
Submittit audax Oceanus tibi
Septem triones. Te famulantibus
Iſterque Codanique tractus
Ac Tanais veneratur undis.
Te Rhenus audit. Te Rhodanus celer
Ararque lentus. Te Tagus aureis
Lymphis adorat, ſupplicesque
Eridanus tibi fundit herbas
Audimur? ingens lene micantibus
Spes fulſit aſtris? En rutilus polum
Inſcendit auriga, & jugales
Non ſolito redimivit auro.
Multiplicato ſidere Cynthius
Hinc inde luxit, jam triplices agit
In axe currus, jam propinquos
Iungit equos, rutilaque ſolus
Fertur quadrigâ. quid tenui procul
Lunata nubes Iride, dulcium
Vmbrata pigmentis colorum
Et croceis variata limbis?
Favete Divi, Pacis hic eſt color.
Sol ille triplex, qui meritis regit
Europam habenis fœderatas
Aſſociet ſine nube flammas.
Et pulchra pacis Zona revinciat

Carolus Mag. multarum gentium domitor.

Pacis futura omina

Fœdis ſolutum ſeditionibus
Orbem, procelliſque expiata
Luce novâ reparentur aſtra

ODE II.

Deteſtatio crudelitatis in cæde innocentium puerorum commiſſa.

CRudele ferrum, & triſtè micantium
Quid fervor armorum, ac ſonitus equûm, *Tumultus belli.*
Iræque bellantûm frementes,
Bethlemicas pepulère valles?
Tumultuoſo jam fremitu juga
Latè obſtrepeſcunt. Iam tremulo pavens
Echo ingemiſcit ter ſuſurro
Ter trepido canis eiulatu
Malè ominatis vocibus horruit
Fatale bellum! quis ſubitò involat
Paciſque, Fortunæque regna,
Et Scythico violat tumultu?
Fallorne? an iræ non vacuo replent
Terrore montes? Dira minantium
Iam cerno mucronum tenellis
Fulmina promicuiſſe cunis:
Sanguis minorum poſcitur. en truces
Librantur ictus & ſyrio cadunt
Sub enſe cervices reciſæ,
Heu teneri nova meſſis ævi! *Crudeles parricidæ.*
Quis vos Procruſtes, quiſque aluit Scinis?
Quæ vos Cyclopum progenies tulit,
Læſtrionumque quis nefando
Pavit atrox Polyphemus antro,
Fœdo cruentos ſanguine? quos neque
Lamenta matrum, Lacteaque ubera
Sparſique per collum capilli,
Non manibus genibuſque fixa,
Submiſſa flectant oſcula ſupplicum
Non ora lactentum, & teneræ manus
Pectuſque manſuetum, innocenſque

Ingenium

Ingenium, & ſine fraude [illegible].
Apella vecors! Nulla tibi parens;
Aut trux Libyſſæ poſthuma tigridis
Pardive crudelis marita, aut
Caucaſeis lupa fœta ſilvis
Funeſta lactans ubera præbuit.
Te prima nutrix Tiſiphonæ tulit,
Lactique confundit Megæra
Toxica, Cerbereumque virus.
Immane atroxque ac efferum, & horridis
Pectus reciſum cautibus! ah malè
Te luna cunarum reclinem
In teneris agitavit annis.
Si qua obſtetricum te manus extulit,
Fregiſſe guttur debuit, & torum
Vertiſſe natalem ſepulcro, *Omnis pœna dignus.*
Aut laqueo caput illigatum
Mandaſſe furcæ. Te lacerum Iſthmio
Raptaſſe quercus robore pertinax,
Atque ære clauſum tauriformi
Trinacrius cinerare tortor.
Lectum recepto debuit hoſpiti
Tibi Procruſtes ſternere, debuit
Aptare Buſiris ſecurim
Threicijs metuendus aris.
At ſiſte cervix nil meret innocens.
Hoſtis macharam ſentiat improbus
Contemptor Herodes Tonantis,
Et merito juguletur enſe
Devota averno victima. Perfidum
Vulgus poparum, & dira minantium
Patrona noxarum Tiara,
Sanguineo cadat iſta ferro.
Pudor, dolorque! ut cæca ferocia
Stultuſque volvit præcipites furor!
Per colla plorantûm, per ora
Barbarici rapiuntur enſes. *Omne genus crudelitatis in cæde infan-*
Eſt quem jacentem faſcia brachijs
Vtriſque vinctum ſtringit, at impio
Mucrone vinclorum redemptus

 Con-

Compede, corporeoque ſepto
Solutus aſtris exit, & Hoſtium
Furore gaudet. ſunt quibus uberum
Materna guſtantur fluenta,
Lacteolæque bibuntur undæ, *tium committitur.*
Injurioſo ſanguine barbarus
Quas tingit enſis; Dum tenerum ſinu
Pondus reclinatum paterno
Purpuream trahat ore mortem.
Biennis ætas vix puerilium
Crepundiorum, vix & idonea
Nucum putandarum, cruenti
Luſus erat ſpoliumque ferri.
Mutata lymphis ſtagna rigentibus
Tantum erubeſcunt crimen, & alveo *Cæſorum*
Iordanis infauſtos colores *multitudo.*
Obſtupuit pigriuſque lentos
Provexit amnes, pondere funerum
Luctuque tardos, terruit Aſcalum
Spectaculum horrens hæc Aſotum,
Hæc trepidam rapuêre Ioppen
Exempla cladis: qualia non Patrum
Ætas priorum vidit, & ultima
Viſura non eſt, dum caducus
Funereo ruat orbis igne.
O innocentûm non humiles neces,
Non negligendæ cœlitibus! furor
Herodianæ vindicandus
Sævitiæ! gladijs peribit
Quos ipſe ſtrinxit, ſanguine proprio *Pœna ſce-*
Haſtæ madebunt: progeniem opprimet, *leſtos digna*
Preſſuſve natorum ſepulcro, *manet.*
Inferias prior ibit umbra.
Ruina magnorum eſt ſcelerum gravis.
Impunè vecors nemo patrat nefas.
Quocunque divertat ſceleſtus,
Pœna gradu premet inſequenti,
Dilata nonnunquam hæſit, iners ſequi,
Sublata nunquam. tarda pedem licet
Trahat ſequacem, claudicanti

Aſſequitur tamen iſta paſſu.
Dum lenta torvis nube tonitrua
Coguntur aſtris, ſævius irruunt
Subſtrata mundi. Tarda Divûm
Ira furit graviore pœnâ.

ODE III.

Deteſtanda Iudæorum improbitas Chriſtum occidentium.

TErræ revulſum pondus, & æquorum
Campis natantum, & ſidera cœlico
Dimota convexo, ac refracto
Cardine diſſocietur orbis.
Eliminatis verſa repagulis
Natura retro eſt. nil pudor, aut fides,
Legumque, virtutumque fata
Imperio valuêre ſacro:
Abrupit omnem juſtitiam nefas.
Cœlo execrandas intulimus manus.
Fatalis obſtrictum Tonantem
Arbor habet, rigidique clavi.
Quid Cœus audax, quid Briareïa *Facinus crudeliſſimum.*
Æqualè gens unquam, aut validus Mimas
Auſus, reluctantem dum Olympum
Suppoſitæ accumularet oſſæ?
Nil fabularum audacia, criminis
Par finxit unquam. vicimus orbitas
Fictique factique heu nepotum
Dedecus, opprobriumq; Patrum!
Hæc fixa clavis dextra trabalibus? *Chriſti Crucifixi deſcriptio.*
Hæc, quæ polorum dextera cardines
Suffixit, aſtrorumque molem
Ponderibus ſtabilivit æquis?
Hæc certa ſcripſit tempora ſiderum
Curſumque, metamque; hæc Phaëthontias
Flectit quadrigas, hanc Eous,
Hanc pavidus reveretur Æthon.
Hic pes nefandâ quem ligat arbore

Crudele ferri robur, hic aurea
Cœli pavimenta, & reclusos
Cœlituum peragravit orbes.
Hæc ora turpi squalida vulnerum
Tabo ſeretiis æmula ſolibus
Fulsêre quondam, hinc mutuatum
Omne ſuum jubar haurit aſtrum.
Quod nunc cruento profluvio caput
Horreſcit; & quem cinxit atrocium
Mucrone, Spinarum Gelona
Barbaries, Scythicumque pectus,
Eſt ille vertex, ſidera cui ſuas
Debent coronas; cui radiantium
Phœbea flammarum quadriga
Sternit equos rutiloſque currus,
Hic ille fatorum arbiter, hic tuæ
Momenta vitæ ponderat ac necis;
Hunc aſtra Divorumque turmæ,
Hunc trepidant Acherontis umbræ.
Ergone lentis æthra tonitruis,
Nec fulminantes torva quatit faces,
Nec tela nimborum triſulca
Sulphureo jaculatur arcu?
Involve Olympo Cimmerium chaos.
Cœlumque, ſolemque in barathrum rape,
Digniſque Cocyti expianda
Crimina defodiantur umbris.
Laxata tellus ſolve repagula,
Oſſamque Athonque atque Acroceraunia
In hæc & illa funde monſtra
Tænario cineranda buſto.
Non ſurda flectam Numina, Num vides?
Iam Sol reclines præcipitat rotas,
Iam noctis, umbrarumque larvæ
Ætheriam rapuêre lucem
Pallente Chriſto, Sol minor occidit
Cum Sole magno. Luminis aurei
Flet mater, aſtrorumque fulvas
Tota gemens rapit æthra flammas.
Caliginoſum poſſidet aëra
Horrorque terrorque, & ſcelerum nova

Pœna graviſſima digni.

Prodigia in Christi morte facta.

Sub mole diſcedens laborat
Terra, nigros paritura manes.
Irrumpit orbem trux Acheronticis
Vulgus cavernis, & morientium
Spectâcla, pallenteſque formæ
Ante hominum rapiuntur ora:
Mors una mundi eſt totius. En juga
Nutant caduco vertice montium,
Saxiſque divulſis fatiſcunt
Templa gravem minitata lapſum.
Manſuetiorum marmora rupium
Ceſsêre; tantùm pectore aheneo
Hebræus obluctatur error,
Et Solymæ recutita plebes.
Nec efferatos ad ſcelera impetus
Irata tellus, nec Polus opprimat,
Furente nequicquam procellâ
Fulmineos minitatus ignes.
Supra timorem prævaluit nefas,
Supra pudorem dedecus. O probrum!
Humanitatis ſaxa ſenſus
Tangit; homo riget ære fibras.

ODE IV. Soteria ſive Epinicion

Quo Christo reſurgenti applauditur.

IO triumphum plaudite, plaudite
Victorioſo Chriſtiadûm Duci,
Per caſtra, proſtratumque Averni
Præſidium tulit arma victor.
Mors inſolentem palluit impetum;
Clavoſq;, truncumque, & flagra ſanguine
Fœdùm cruentata expaveſcens,
Retrò pedes animoſque vertit.
Vis fracta Chriſto ceſſit, & improbas
Ad vincta dextras cogitur, arduum
Pondus catenarum obſtinato
Indocilis tolerare collo.
Iam ſepta muro frendet aheneo,
Obnixa nequicquam, jam adamantinis

Lucta-

Luctatur ohfirmata clauſtris,
Iam manicæ pedicæque ſtringunt.
Io triumphum plaudite, concidit
Vis tota Averni, Cerberus ejulat,
Iraſque, ſpumanteſque rictus,
Toxica, tartareoſque dentes
Amiſit audax. Vix tenues adhuc
Spirat furores; vix etiam Charon
Naulum meretur otioſis
Stagnat aquis Acherontis æquor
Et ſponte manes de media ſtyge
Vitam reſorbent. Iam nihil Atropos,
Clothoque filorum reſervat.
Nec rigidam Phlegethontis urnam
Umbræ morantur. qua licet obviam
Vitam ſalutant, quà licet invios
Monteſque, Cocytique valles
Auſpicio meliore tranant.
Vexilla præfert Chriſtus, & arduas
Cautes reclinat. Fabula nunc fidem
Invenit, Alcideque major
Tenarias penetravit umbras.
Nunc vincla Theſeus Pirithoo abſtulit.
Natura victa eſt, fracta neceſſitas
Mortiſque decretum perenne,
Statq; foro Rhadamanthus æquo,
Mortiſque vitæque arbitrium pari
Sub lance penſat. Iam numero polus
Accreſcit; abductaſque furvo
Dives agit Phlegethonte prædas.
Io! triumphum plaudite, ter ſolum
Exultet io! ter juga montium
Valleſque ſubſultent jacentes,
Terque ſuas agitata frondes
Læto recurrat tripudio Cedrus,
Et mixta Lauris palma virentibus
Ornique Quercique ac Cupreſſi
Circùmagiles moderentur umbras.
Applaudat, io ter, reſonantium
Vocalis echo murmure rupium,

Infernus Chriſto ſubiectus.

Reſurgunt mortui Chriſto duce.

Fonteſque, Lympharumque Divæ
Ter liquido reſonent in antro
Io triumphum! ter lepidas agant
Per prata lymphas, ter pede vitreo
Per arva ſubſultante pictis
Chloridis exſpatientur hortis.
Ter aura blandis ludat Eteſijs.
Ter prata rorem, terque animas trahant
Favoniorum: frondibuſque
Luxurient redimita Tempe.
Vidiſtis? en ſe bruma fugacibus
Accinxit alis. En borealium
Quadriga ventorum ſolutis
Fertur equis, gelidumque frigus
Tepore laxat. Ver roſeos agit
Campis jugales, verſicoloribus
Hoc aura pennis. Hoc Napææ
Rorifluis comitantur agris.
Iam molle cryſtallum, & vitreos rotant
Per arva currus Näjades. ſubit
Poſt terga Pæſtani voluptas
Vna ſoli, Zephyritis auro.
Revincta crines, purpureo ſinum
Velata nimbo quà graditur roſæ
Dulceſque Narciſci ſerenâ
Fronte nitent, violæque dulcem
Spargunt odorem, & Calthula luteis
Ardet Capillis. flavet ager croco,
Et lilietorum pudico
Gaudet humus ſatiata lacte
Vernante ſilvæ culmine frondium
Iactant corymbos, ſtantque virentibus
Montes coronati capillis,
Et viridis tegit arva nubes.
Iam nunc choreis, & facili micat
Per rura ſaltu cervus, & hinnulis
Orcheſtra camporum reſultat,
Ac levibus favet umbra capris.
Cantantque ſaltantque arboreis leves
Mimæ theatris, Cecropis alites:

Verni temporis deſcriptio.

Omnia creata Chriſto reſurgenti applaudunt.

Acan-

Acanthideſque galbulique,
Mille modis, totidemque linguis.
Io! triumphum! Daulias intonat.
Io triumphum! dulce volucrium!
Reſponſat odæum minorum,
Et faciles animantur auræ.
Io! triumphum bucula ſaltitat.
Io! triumphum lætus equus fremit:
Criſtaſque cervicemque jactat,
Plangit humum, ſinuatque crura.
Senſiſtis, Io! gaudia. Plaudite
Mortale vulgus Lætitiâ affluunt
Floreſque, fonteſque, aliteſque,
Verque redit redeunte Chriſto.

ODE V. Propempticon.

Quo D. Virginem aſſumptam ad cœlos Poëta proſequitur.

Hic huc morantem Pegaſon ocyus,
Huc frena bullaſque, huc & ephippia
Calcariumque ſtapedumque
Approperes celer æra Clio
Et tolle vatem. Iam præit ô nimis *Evectus in cœlum.*
Camœna ſegnis! Iam tumuli ſuper
Molem, Palæſtinoſque colles
Et Libani Sinaique Cedros
Inter ſerenæ nubila gloriæ
Virgo levatur: iam tenues ſecat
Auraſque nimborumque tractus,
Et facili ſubit aſtra curſu
Eteſiarum circumeuntium
Elata pennis quin rapimur citi
Poſt terga, veloceſquo cœlo
Pegaſus admoderatur alas?
Ut hinnit audax aliger! ut vibrat
Aureſque greſſumque! en mediò feror
Suſpenſus orbe. Iam volantem
Præter abit levis aura vatem

Aureſ-

Aureſque ſtricto murmure verberat,
Favete venti, non ſolitis feror
Poëta pennis, jam tonantem
Ingredior novus hoſpes aulam.
Jo! quadrigæ Parthenicæ igneos
Procul jugales ſpecto, micantium
Specto capillorum ſerenam
Lenè polo fluitare nubem.
En pronus æther funditur obviam,
Et flexa lætis ſidera curribus
Solvuntur adverſum. en ſupinas
Luna rotas famulumque cornu
Subſternit aureô Virginis eſſedo,
Lambitque plantas. nuda Venus ſuas
Huic ponit ignes, atque acuta
Spicula, fulmineaſque bigas
Mars auſpicato lumine mitigat.
Mitiſque flectit Sol pater ætheris,
Quem vulgus aſtrorum ſupino
Poplite, ſidereoque vultu
Supplex adorat, prodigus aurei
Fulgoris, omnem ſubdidit impiger
Lucem, coruſcanteſque lati
Ætheriâ religare Zonâ
Conatus ignes, tempora Virginis
Comamque pectuſque, ac rutilos ſinus
Vinxit, coronatamque Nympham
Aſtra ſuper radioſque Phœbes,
Phœbique flammas extulit. O decus!
O Stella Solis ſplendidior rotis!
O pulchra cœlorum venuſtas,
Deliciumque ſtupentis orbis!
En hanc minorum fulgida ſiderum
Circum ſteterunt agmina, lucidus
Depexa crines. O coronæ
Turba novæ, rutilæque cives!
Jo triumphum! dicite. Virgini
Jo triumphum! Da reſidem diu
Aſtriſque devotam ſerenis
Phœbe lyram moderantis Orphei,

D. Virgini aſſumptæ cæli & ſideraſeſe ſubmittunt

Cœleſte tantùm barbiton inſonet;
Minore buxo terra rudis fremit,
Nerviſque mortales caducis
Indociles agitamus auras.
Carmen perenni pectine digere
Cedroque mandandum, aut adamantinis
Cœli columnis. Audione?
Omnis jo, ter jo, triumphum,
Canorus æther, nunc fide cœlicâ,
Nunc voce blandâ concinit. O nimis,
O delicata temperatis
Muſica non imitanda plectris!
Uterque plaudit Virgineo polus
Favens triumpho, quiſque Erymanthiâ
Friget ſub urſa; quique puras
Sole bibit propiore flammas.
Eous orbis plauſit, & aureum
Cœli pavimentum obtulit, ac roſas
Roremque per convexa ſparſum,
Parthenio peragranda greſſu.
Nec ſegnis, jo, reddidit, Heſperus
Iuxtaque noctis rupta ſilentia
Umbras coronavêre luce,
Et quater exiliêre ſtellæ.
Cygnus relictam jam Nemeſin fugit,
Ambitque Nympham, fingere blandior
Cum voce vultum, gutturiſque
Carmina deproperare nervis.
Aſſueta mœſtis nubila lacrymis,
Tandem ſerenùm ridet Atlantias,
Tauroque ſubnixæ ſorores
Nubiferam poſuêre frontem, &
Finxêre blandis ora leporibus.
Iucunda magnæ Caſſiopëia
Oblita forma, luteaſque
Pulchra comas, roſeumque vultum
Subjecit ultro, Nereidum licet
Ceſſura nulli. Iam ſibi Virginem
Aſtrea cognatam precatur
Memnonios fugitura currus.

Cælites Deipara aſſumpta plaudunt.

Stellæ & ſigna cœleſtia Deiparam honorant, eique ſerviunt.

Magnæque

Magnæque Matris ſplendida nomina.
Iam ſeculorum præteritum decus
Auro laboratum, ſereno
Illa jubet remeare cœlo.
Hac ſe minorem virgine quælibet
Aſtræa confert Virgo; nec impigre
Se prona Reginæ ſupinis
Faſcibus, imperioque ſternit,
Atque oſculandis ſub pedibus lubens
Aurata ponit ſceptra, potentium
Et jura cœlorum. O amatæ
Nomina non peritura Divæ?
Sub te reflexis Heſperidum Draco
Spiriſque caudiſque indomitâ minor
Cervice torpet, ac remiſſo
Mitior obſequitur veneno.
Sub te jacentes Heniochus rotas
Angueſque ſtravit. Te ſtupet Hercules
Clavâ timendus, Perſeuſque
Fulmineo metuendus enſe.
Victoriarum grandior omnium
Tropæa portas Virgo. Quid aureæ
Stupetis è cœlo catervæ,
Sidereâ radiante fronte?
Rurſus tributum laudis amabili
Sonate plauſu. Iam ſubit atria
Virago, fulgenteſque latè
Ætherias ſine nube portas.
Ardet pyropis aula, micantium
Et luce ſtellarum; hinc laquearia,
Poſteſque murique, hic amœnis
Picta nitent aſarota formis.
O ſiderum lux! O rutilantium
Iucunda cœlorum atria! quis tuum
Illuc Poëtam ponè Virgo
Siſtat equo meliore raptum?
O quæ tubarum dulcè ſonantium
Affuſa captas muſica ſuſtinet
Aures, voluptatiſque plenum
Blanda melos, liquidumque nectar

Cæleſtis patria gaudia

Fides

Fides propinat? tangite, tangite,
Tibicines cœli & Cithariſtriæ
Muſæ Tonantis, molle plectrum
Tangite, mellifluoſque nervos,
Blandumque vocis conſonet Organum,
Io canorum guttur, & aurea
Io triumphe! fila ſaltent,
Eja triumphe, triumphe Virgo.
Inebriamur, jam liquidæ fluunt
Moles aquarum. lenè ſtrepentium
Eteſiarum jam ſuſurri
Artifici modulantur aurâ!
Iam temperatis æthra tonitruis.
Grandem ſuavi verbere muſicam
Concinnat, atque fulminantes
Ad numerum jubet ire flammas,
Innoxijſque intermicat ignibus.
Io triumphum fulmina concrepant!
Orbeſque cœleſtes & undæ
Et ſuperûm accinuêre turmæ,
O pulchra Divûm carmina! prô quibus
Abundat Æther delicijs! quibus
Intus fluentis gaudiorum
Corda natant liquidìque ſenſus!
Spes feſſa quonam me malè deijcis
Luctantem in altum? Iam retrò Pegaſus
Defert fatigatum Poëtam
Præcipiti per inane lapſu,
Nec plauſa cervix, nec lepidum juvat
Poppyſma, freni nec patitur moras.
Iam ſtrata terrarum propinquis
Luſtro oculis, humileſque valles
Hoſpes reviſo. O pondus inutile,
Mundique fœdum dedecus! O nihil
Aurique gemmarumque ſplendor,
Fluxa brevis ſimulacra vitæ!

ODE

ODE VI. Ad DD. Proteſtantes, ut expendant; an ubique ſuæ proteſtationi locus futurus ſit?

Extremi judicij adumbratio.

ABſiſte ſacris liminibus procul
Quiſquis cataſtâ dignus, & improbo
Miſceris orbi, nil profano
Ore loquar, nihil uſitatâ
Cantabo buxo. Iam tripodas mihi
Indulget ultro Numen & entheo
Cortina ſecreto remugit,
Iamque Dei graviumque plenus
Oraculorum, fulmina non ſatis
Audita narro; fulmina, quæ manu
Torquebit indignante Iudex,
Cum mediâ pharetratus æthrâ,
Inter minantûm cornua nubium,
Accinctus arcum ſtabit, & impiger
Bellator adverſus phalangas
Sternet humi, rutilâque noxas
Flamma expiabit. Credite, vatibus
Non fabuloſis inſerar, auribus
Nil fingo, mendacique nondum
Charta mihi maculata fuco eſt.
Tragœdiarum, eheu! miſerabilis
Scriptor, trementem vix calamum traho.
Iam terror, atroceſque flammæ
Hinc oculos animumque ſævo
Horrore ſtringunt. Hinc videor truces
Errare manes inter, & ultimum
Spectare conflictum æſtuantis,
Ac miſerum trepidantis orbis.
En ut remotis è ſtationibus
Se mortalis tandem acies movet,
En ut ſepulcrorum relicta
Caſtra vacant, Solymæque valles

Implentur umbris : ſignaque convolant
Quò vox tubarum , quò lituûm vocat
Fatalis echo : quò feroci
Tympana concrepuêre bombo.
Ut fulminatrix ſulphuream evomit
Latè æthra nubem : ut ſidera mugiunt
Tonitruum immani boatu, ac
Miſſilibus jaculorum acutis !
Laxata moles flammivomi ætheris
Ad ima raptis volvitur ignibus,
Fœdique terrarum ruinâ
Cuncta ruit, miſeroque buſto
Involvit orbem. ſtat ſuper ardua
Iudex reclinis nubila flammeum,
Diſtrictus enſem, atque æſtuantes
Ore vomit minitante rivos,
Ardentque flammis lumina, quas minas
Atroce formâ, quàm lacrymabiles
Cladeſque, planctuſque efferatis
Dêxtra dabit metuenda telis !
Contra paventem ſtat Deus hic reum
Teſtiſque vindexque, inque latentium
Secreta noxarum, abditumque
Cordis adit penetrale Iudex,
Æquoque librat pondere ſenſuum
Momenta. juſtam nil trutinam fugit,
Nil perſpicacem fallit Argum,
Nil oculi vigilantis ignes:
Lyncea vincit lumina, per ſpecus
Per vela centum, perque reconditos
Cœlique terrarumque tractus,
Perque ſinus animique nubes,
Immittit intrò ſidereum jubar;
Dum tecta fraudum, dum ſcelerum agmina,
Obliviosâ nocte pulsâ,
In media erubuêre luce.
Quis vultus, eheu ! quæ trepidantium
Mens eſt virorum ! Quàm furor improbi
Langueſcit infirmus Tyranni ?
Quàm facili moritur calore

Horribilis cœli facies.

Iudex terribilis.

Omniſcientia Chriſti.

Sceleratorũ in iudicio trepidatio.

Extincta

Extincta Cypris! quanta ſuperbiæ
Sceptriſque clades! quantus Apicius
Luxuque Luculluſque fundo!
Quantus opum ruit apparatu
Crœſus Midaſque! O nomina non parum
Timenda! magnæ parva potentiæ
Vis eſt, nec argenti metallis,
Aut loculis redimère fulvis.
Fruſtra Lyceo, fruſtra academicæ
Fidas Palæſtræ. nil ſapientiæ
Tutò imputabis, vatibuſque.
Nulla poteſt, animoſa quamvis,
Vitare fulmen laurus. inutilis
Poëta canto, carmine nec moras
Suadebo, molliboque fata:
Has etiam manet acris ipſas
Cenſura Muſas. Tullius eloqui
Oblitus inter nunc trepidus reos,
Heu! ceſpitantem horrore linguam
Obriguit, metuenſque cauſæ
Explorat omne & præſidium, & fugam,
Hic & ſuperborum alta Ducum pavent
Sceptra, & timendorum tyrannis
Hic patitur metuenda Regum.
Quocumq; vertas ſpes, animum, ac preces;
Quocumque fruſtra es. ni ſteteris tuâ
Virtute, declineſque juſtas
Sub clypeo probitatis iras,
Fruſtra eſt Propinquorum, auxilia aſpicis?
Fruſtra es: Nepotum gratia viluit
Hoc ad tribunal, nil amicis
Nil proavis, patribuſque fidas.
Se quiſque tutus ſtabit, & innocens
Orbis ruinam perferet. O ſcelus
Tantum expavendum! ponè ſtipat
Pœna ſuas comitata noxas.
His ſulphuratos Trux Acheron vomit
Toto ore fluctus; his piceum inferi
Struxêre buſtum, incendijſque
Tota furunt Phlegethontis antra.

Præſidium nullum niſi à virtute propriâ.

 Has

Has terra pandis ſorbet hiatibus,
Caliginoſâ has obruet in ſpecu,
Aeternitas. O vox tremenda,
Sanguineoque riganda luctu !

ODE VII.

Ad Eminentiſſimum Principem Fabium Chiſium S. R. E. Cardinalem.

D. D. Petrus & Paulus Romam ad Fidem Chriſtianam ab infidelitate traduxerunt.

DIvi minorum cedite gentium,
Tu cede Petro, Romule: Tu Reme,
Concede Paulo, conditæque
Iura ferat tituloſque Romæ
Et ille, & iſte. Hos fama potentior
Virtuſque cœlis extulit. hos ſuis
Aſtræa cunis educatos
Purpureæ decora alta Romæ
Præfecit urbi, ac ſuſtulit aureis
Honor quadrigis. Mœnia nunc age,
Tollamus, O Clio, Latino
Digna polo, Dominâque gente.
Et fas & æquum, & pulchra fides ſuis
Exciſa nuper rupibus, aggere
Valliſque propugnaculiſque
Cingat opus, veniente ſaxo
Ad temperatam carminibus lyram.
Iam plectra tango Theſſalicæ Chelys,
Vatiſque Thebani æmulator
Saxa traho, docileſque rupes.
Vt grande ſiſtrum perſtrepit! ut tremunt
Chordæque buxuſque! ut properantium
Se cautium moles propinquis
Admovet, ingrediturque ſaxis!
Senſêre carmen. priſtina jam ruunt
Antiquitatis rudera, & impia
Delubra Divûm, jam caducis
Numinibus ſimulacra nutant.

Migrate

Migrate tandem ſaxea Numina,
Migrate Româ. Nec Capitolium
Iovemque Iunonemque jungat
Armigeris aquilæ ſub alis.
Iam Vaticanis incola montibus
Apollo cedat, marmora tranſmigrent
Lyræque nervis obſecuta,
Petre tibi meliore templa
Sub mole tollant. Proijce nunc DEUM
Seu quadrifrontem, ſive biverticem
Columna tollis; magna Paulum
Saxa colant, memorentque Divum
Iano priorem. Nunc Cybeleïa
Mater Deorum turribus inclyta
Cedat, Palatinoſque colles
Soſpitibus veneranda Iuno, &
Victoriarum Numina deſerant.
Maria Divis ſit prior omnibus;
Hæc Soſpitatrix, hæc Tonantis
Magna Parens, columenque belli.
Quænam illa moles, quæ laquearibus
Digreſſa latè, fornice pervio
Relucet, argentoque cincta
Ære nitet pretioſiore.
An te videmus nobile Pantheon?
Stent ſaxa muris nil metuentibus,
Sed vana Divorum refuſo
Inde migrent ſimulacra vultu,
Virgo obtinebit. Nulla Bonæ Deæ
Nunc ara fumet; nam melior feret
Ieſſæa Aventinis honorem
Collibus, obſequiumque Diva,
Hæc quæ quadratâ fronte ſuperbiens
Septemque Zonis cincta, per ardua
Educit aſtrorum columnas
Fabrica, diſſiliente muro
Gregorianis ſerviat ædibus:
Mutetque Zonas. inſideat novis
Fornix columnis, Cœlitumque
Oſſa domus, cinereſque condat.

Templa veterum Deorum Romæ vel deſtructa, vel vero Deo Cœlitibusque conſecrata ſunt.

 Germana

Germana Phœbi quæ docili manum
Armaris actu, Cœliolo abſtine.
Senique Pathmæo ſacratum
Cede jugum, juvenique magno
Quem prima tinxit purpura Martyrum.
Hinc immodeſti Capripedum chori
Procul faceſſant, inclytuſque
Myſta pijs famuletur aris.
Abſcede, circo dirute maximo,
Seſſorianis digne novalibus:
Aut latteranos viſe muros
Emeritis obeliſce ſaxis.
Sacræ obſequentem te volumus Cruci.
Audimur? an nos Marforius levi
Perſtringit obliquus cachinno,
Et rabido petit ore Momus?
Nil hunc moramur concute barbiton
Bis terque Clio, concute fortius.
Et hinc triumphantûm columnæ,
Amphitheatra ſequantur inde
Laurentianam viſere Porticum;
Sive Andreanis apta palatijs,
Pulchriſque Martinæ Tropæis,
Sive tuis Hadriane tectis.
Huc ite, Saxis ſtate perennibus,
Non invidorum livida temporum
Signet rubigo, non honorem
Ara ſuum, pretiumque mutet.
Io, peractum eſt. jam ſatis eſt, Lyra.
Inter. quietem- pone laboribus,
Nam cuncta mutatis locare
Ordinibus, gravioris oti eſt.
Plus Roma Petro debuit, & ſuo
Converſa Paulo. Nos tenues modò
Metamur umbras, Magne, præſens
Iſta, *Chiſi*, propiora tanges.

ODE

ODE VIII. Ad Sereniſſimum Philippum Wilhelmum Com, Pal. Rheni Bav. Jul. Cliv, Mont.ducem, cum An.1654.aucupio ſeſe oblectaret.

Pugna inter Falcones & Ardeam deſcriptio.

QVò concitato tolleris impetu
Inter ſacratos alitibus polos
Sublimium horror Ardearum,
Atque pedes metuende curvos,
Armate Falco ? Fallor ? an illicem
Prædam obſtinato proſequeris rapax
Per nubium campos volatu,
Aëreæ novus hoſpes aulæ ?
Abſcedit omnis Plumigerûm cohors
Regique cedit grex trepidantium
Latè volucrum, ſemitaſque
Æthereas, liquidamque purgat
Falconis arcem. Iam timidam ſubit
Columba cortem. Iam Meleagrides,
Sturnique, Turturumque turmæ
Vmbriferis reteguntur antris.
Haud fallor. En nunc promicat eminus
Par Ardearum, diſſimulantibus
Obliquus alis ponè Falco
Remigat, & ſpolium retorto
Vultu notatum deſtinat unguibus.
Res eſt theatro digna. Colonia
Intende vultum, quà propinquo
Brula jacet nemoroſa luco,
Nidiſque pulliſque Alituum frequens,
Iucunda bellat prælia, Principum
Spectâcla magnorum ? & virentis
Ludicra commemoranda ſcenæ.
Hinc Falco pugnax : hinc ruit Ardea.
Bellum cietur, non ſine ſanguine:
Arteſque virtuteſque pugnæ
Ancipiti variantur aſtu.

Aves aliæ accipitrem fugiunt.

Hæc omne credit præſidium fugæ;
Ille inſequenti nil pede ſegnius
Inſtat fugaci, præpetiſque
Remigium moderatur alæ,
Doctus ſagittas vincere Parthicas
Quas nervus acer torſit, & impiger
Arcus Scytharum, doctus æthræ
Fulmineas ſuperare flammas;
Hæc alta ſcandit nubila concito
Subvecta niſu, nec minor hic ſubit,
Tortâque remigator alâ,
Mille fluit refluitque gyris,
Lenique ſenſim circuitu arduam
Emenſus æthram fortior ultimâ
Virtute ſubnixus trementem
Surgit avem ſuper, & faventem
Explorat auram; dum ſpatijs minor
Sub ſe relictis remigat Ardea,
Clangenſque nequicquam, pavenſque
Sanguinem fugit ales hoſtem;
Nunc ſe ſupinans per medium aëra
Obtendit adverſum arma pedum, & caput,
Roſtrumque, cuſpidemque longam
Strenua deproperante fato,
Et morte fortis. nunc timidè in globum
Contracta toto corpore colligit
Caput ſub alis, atque acutum
(Remigio ſuper explicato,
Abſc ondit oris ſpiculum, & arduo
Roſtr o minaces excipit impetus,
M ucrone ſub plumis reducto
Pectus in oppoſitum ruentis.
Hoſtis p er altas aëris orbitas,
Quin & remoto corporis obice
Decli nat obluctantis ictum,
Per que vagas nova bella ſpirans
uras. Sed tamen haud procul
Aufertur a um; prælia cernimus,
Exorta rurſalco projectus ſolutis,
Iam Fer abit per inane vinclis
Alt

Celer aviũ volatus.

Quomodo Ardea ſe tueatur contra Falconem.

Comes

Comes ſodali junctus, & arbiter
Cœpti duelli, diſparibus vijs
Per ſiderum ambages movetur.
En medios ruit inter hoſtes
Fatale certans Ardea prælium,
Jamque imminentem ſuſtinet impetum
Falconis. hic qualis triſulco
Igne minax ruit æthra telo,
Talis citato proruit impiger
Ad ima lapſu, remigio in ſinum
Contractus alarum, & cadenti
Perſimilis, truculentus ora
Vmbone pectus præditus oſſeo,
Armatis uncis unguibus. En ruit
Imbellior tanto ſub hoſte
Ardea, vi, numeroque, preſſa.
Victorioſis tota volucribus
Applaude Phocis. Tangite barbita,
Vicêre Falcones, Philippi
Ter merito reſonate plectro.
Benè auſpicato nomine *Principis*
Solutus ales, jam ſpolium pede
Sortitus incurvo: jubentis
Obſequio Domini relaxat.

Quomodo Falco Ardeam invadat.

ODE IX. Poëta ad ſeipſum

Taciturnitas Laudabilis.

QVò lingua pergis? multa vetant loqui,
Qui multa norunt. lex ſapientium eſt,
Audire multa, pauca fari:
Frena vagæ poſuiſſe linguæ.
Pulſum loquaci murmure dolium
Inane tinnit, non vacuum tacet.
Quæ rara, nato vere, cantat
Cecropios Philomela verſus;
Eſt grata ſemper: pica loquacior
Faſtidioſis obſtrepit auribus.
Abſiſte verborum, atque ſeptis
Clauſa tuis, cohibe loquelas.

ODE X. Ad R. D. JOANNEM NYSSENUM Parochum Vennerandienſem.

Iulia Patria ſua quondam florentis, nunc abjectam faciem Poeta ſibi, illique proponit.

SIc nunc recurris, Julia, pallidum
Dejecta vultum? quò cava lumina
Cadaveroſâ fronte ſidunt?
Quò refugis labra fluxa malis
Ceſsêrè retrò, non ſine dentium
Deformi hiatu? Priſtinus hic decor,
Silvæ capillorum nitentes,
Et roſei ſine nube vultus
Quò deciderunt? Te memini puer
Formoſa poſtquam me genitrix tuis
Vlnis reclinatum ferebas,
Et tenero ſatiata lacte
Labra oſculandis comprimeres labris,
Dareſque bullas. te memini, inclytâ
Formæque virtutiſque luce
Invidiæ ſuperaſſe nubes.
Tu ſola turmas Teutoſicambricas
Viciſſe ſolers, Hippolytas ſuper
Zonaſque peltaſque eminebas,
Menap[illegible] veneranda campis.
Te Belga comis, teque Batavici
Pincerna Zythi, & Saxonidæ proci,
Ac Liliatorum remotæ
Eximiam coluére turbæ,
Poſtquam relictis Sicanijs vago
Duxiſſe curru Triptolemum Ceres
Ennæa narratur per agros,
Et rutilis ſaturaſſe ſpicis.
Hic ille Princeps clavæ Acheloium
Solviſſe cornu fertur, & omnium
Vndaſſe per vireta frugum
Copia, deliciæque rerum.

Squalens forma.

Frugifera tellus quæ cererem, vinum & arborum fructus profert.

Hic

Hic & Lyæus pampineo comas
Vinctus corymbo, tigrides ebrio
Laxaſſe curru fertileſque
Dicitur expoſuiſſe thyrſos.
Pomona flores Heſperidum ſacris
Huc traxit hortis. O nova tempora,
Moreſque ſeclorum caduci,
Vanaque prætereuntis ævi
Res ſpeſque noſtri! Gratia labili
Ætate fluxit. nil ſibi Julia
Par ſervat illius, quod olim
Indole, quod clypeata magnum
Virtute pectus, quodque potentiâ
Audere viſa eſt. Iam ſpoliantium
Eſt præda turmarum, & recurvis
Vnguibus interitura, pendet.
Et vulſa malas, & laceris genas
Diſſecta plagis; nec ſine turpium
Atro cicatricum cruore
Squalida, funereoque cultu.
Nec Cattus audax, neve rapacibus
Vncis Leones, aut Aquilæ truces
Suetique prædarum Geloni
Immeritam lacerare matrem
Deeſſe viſi. Pluribus unica
Obſtricta bellis in ſpolium patet,
Solique quondam nupta Sponſo,
Nunc varijs agitata mœchis
Invita peccat, ſæva minantium
Coacta ferro. Ludibrio eſt fides,
Pudorque decretæque leges.
O Superi prohibete noxas!
Nyſſene dures. Te melioribus
Fortuna rebus ſervet, & hæreſis
Proſtrata victorem ſtupeſcat,
Nec patriæ violentur aræ.

ODE XI. Potentibus hujus mundi Proceribus.

Humanæ poſt fata reliquiæ proponuntur.

IAm nunc theatrum molior, & gravi
Dignum cothurno prodigium. O palam
Adſtate curarum ſoluti,
Seu Tyrio recubatis oſtro
Cræſi nepotes; ſtramine ſeu latus
Fulcitis Iri poſteritas. Sua
Hic cuique proſtat ſors, & urna,
Et veniens fugienſque vita.
Iam dimovetur ſcena, ſuo fugit
Cortina ductu. *Mors* ſubit hiſtrio,
Tumbæque, larvatique vultus,
Et piceæ ſine luce formæ.
Larvæ recedunt. O lacrymabile
Præſenſque fatum! fœda cataſtrophe
Tumentis orbis? vah ruina,
Dedecus, opprobriumque vitæ!
Hoc in theatro clauditur actio
Ducumque Regumque. Ergo potentium
Huc jura regnorum, & ſuperbum
Fluxit ebur genialis aulæ?
Adeſte Reges, nobilium cinis,
Atque oſſa Craſſi pauperioribus
Cernantur umbris. Quæ verendis
Præfuit imperioſa ſceptris,
Et quæ ſupinis dextra ligonibus?
Quod purpuratâ, quod latus improbè
Conſarcinatâ veſte tectum?
Quis rutilo variatus oſtro,
Indiſve gemmis; quis, Libyco caput
Aſperſus æſtu, ac pulvere ſordidus?
Quis aſſeclarum plebe cinctus,
Quæ domino famulata cervix?
Quid hæſitamus? Quæ modò pinguibus
Stipata circum vermibus innatat
Lautoſque convivas ſaginat
Umbra, ſuis epulata quondam

Mors omnes homines æquales facit.

Stupenda rerum in morte converſio.

Abdomen

Abdomen eſcis pavit, & intulit
Prædam ſepulcro. Quam modò lividæ
Cingunt lacertarum coronæ,
Quæque avidis redimitur hydris.
Hæc torque collum vinxerat aureo,
Mollique renes vellere cinxerat.
Hæc fulſit incruſtata fucis,
Quæ tenebris modò forma livet,
Dirâque frontis terret imagine.
O quale ſpectaclûm! illa Cupidinis
Formoſa ſedes, Angeronæ
Deliciæ, geminumque ſidus,
Bufonis antrum eſt. Cæſaries levi
Projecta quondam ludibrium Noto,
Ferroque criſpata impudenti;
Nunc levibus radiata torquet
Circos colubris. O miſerum decus
Mortalis ævi! quàm facilis tibi
Incumbit è cœlo procella,
Et fragilem tumidâ phaſelum
Submergis undâ! Fracta ſuperbiæ
Vis inter æſtus, & ſcopulos necis
Alliſa ſubſidit, nigræque
Sulphureas ſtygis haurit undas.
Quæ nata Ponto eſt, hoc Cypris æquore
Portuque ſolvit carbaſa, mollium
Non vecta cygnorum carina;
Sed tetricis agitata corvis.
Formidoloſis quiſquis honoribus
Provectus aurâ luſit amabili,
Nutante ventorum favore
Hâc perijt miſer in charybdi.
Impunè tranſit nemo, pericula
Vulgavit orbis. quilibet ut ſuum
Noſcendo mundi ſcandit æquor,
Ambiguos necis inter æſtus
Vitæque ſemper fluctuat, & rati
Tandem fatiſcit. ſerius, ocyus
Incurrit in Scyllam, & ſolutis
Puppis hiat miſeranda coſtis,

Forma in morte horrendâ deformitate ſubvertitur.

Omnibus moriendum.

Vileſque ponto relliquiæ natant
Fœtens cadaver, putida vermium
Fodina, ſerpentumque regnum,
Ludibriumque fugacis ævi.

ODE XII.

VVolffgangum Brennum diſſolutum Iuvenem æternitatis memoria à ſcelere deterret.

ERgone flammis noxa perennibus
Arſura in orco eſt? Ergo relinquimur
Æternitati? *Brenne*, deſunt
Verba mihi, calamuſque nutat,
Cùm te ruentem per vetitum nefas
Huc cerno plenis paſſibus ô gradum
Hic fige, noxarumque pectus
Solve reum, lacrymiſque flammas
Extingue fuſis. Ibimus, ibimus,
Nos quando Minos cunque vocaverit.
Æternitas exſpectat omnes,
Læta bonos, inamœna pravos
Reſolve nervos Muſa, vacet chelys,
Stridente tantùm pectine barbitos,
Fractoque verſu, lugubrique
Vocis hiet tragicæ ejulatu,
Et mille ſeclis ſecula congerat,
Et mille rurſum myriades, maris
Guttis adæquet; parte nullâ
Perpetuos numerabit annos.
O mira vox, vox impenetrabilis
Æternitatis! quis capiet ſatis
Æternitatem interminatam?
Lingua iterum citharæq; torpent.

ODE XIII.

Ad Paulum rurſum in extremo adhuc ſenio ſtultè opibus inhiantem.

QVis credat? ſtygio proximus oſtio
Et dextro feretrum jam ſubiens Pede

Par-

Partum defodit aurum
Antro *Ruſſus* inutili?
Quò præmittis opum fulva cadavera
Mox ibis ſocius. deſine manibus
His præludere curis,
Nec vivo loculum inſtrue.
Sic eſt, jam dubijs ora coloribus
Livent cæruleâ mortis imagine,
Iam contractior atram,
Sulcat ruga cuticulam.
Iam torpent hebetum ſpicula dentium
Genvinique fluunt. Dic, age, quis tua,
Quis jam commolet, amplis
Quæ congeſſeris horreis?
De naſo tepidis ſtiria guttulis
Irrorat gremium perpetuis tua
Albet barba pruinis,
Fulget nulla ſerenitas.
Subſidit patulis palpebra vallibus,
Infauſtoque rubent lumina ſanguine.
Urget denique tardas
Aures plumbea ſurditas.
Procurrit medio frons tibi vertice,
Totum vix ſatis eſt debile Syncîput.
Quantùm frons tibi creſcit,
Tantùm de cerebro perit.
Nutat planta ſuis ebria greſſibus,
Et vultus, dubijs omnia nutibus
In contraria torquens,
Lævo denegat omine.
Vix tandem ſolidi pars ſupereſt viri.
Quod vitæ reliquum eſt, hoc, malè prodigit.
Hoc vel poſſidet olla,
Vel concluditur horreis.
Ruſſus nempe diu vivere deſijt,
Decepitque necem. funeris ultimi
Pellem præter & oſſa
Nullæ reliquiæ manent.

Senis decrepiti imago.

ODE

ODE XIV.

Ad Ioannem Bentolum, non bonæ vitæ aſtrologum.

QVis te Bentole ſiderum
    Legit ridiculum Iupiter arbitrum,
Aſtrorumque potentiam
    Anguſtis cerebri finibus intulit?
Nimirum tibi Diphthera
    Cœleſtis reſerat fata parentium,
Natorumque propagines
    Quàm lætè veniant, quo pereant modo?
Quæ devota patibulis;
    Aut quæ ſceptrigeris digna ſecuribus?
Quo mors fulmine terreat?
    Quo pax imperium temperet otio?
Quot Bojaria cædibus
    Gallorum trepidas condat acinaces?
Quot Germania Manibus
    Devotas ſtygijs immolet Hoſtias?
Quantùm Boëmia Lapponum
    Exundet tepidis merſa cruoribus?
Quantùm Gallia Belgicis
    Foſſarum tumulis defodiat virûm?
Hæc cùm plurima noveris;
    Dic, oro, propriam Bentole originem.
Dic, quis te manet exitus?
    Aſtrorum dominam conſule Cynthiam,
Et natalitias faces.
    Ferrum, an flamma tuo debita funeri eſt?
In ſicco cadis, an mari?
    Si converſa tuo lumina pectori
Inſcrutabilis admoves,
    Fundo cuncta carent, Oceanum inſpicis.
Vix ullum ſcelerum eſt vadum.
    Plenis interea Maſſica poculis,
Et mulſum pateris trahis,
    Hircum Cyprigenæ turpis oles Heræ,
Et luxu malè diffluis.
    Divinare tuæ ſidus originis

Vana ex aſtris prædictio.

Sceleratus homo malè ferè perit.

Si fas:te genuit caper.
Divinate tuum, ſi licet exitum;
Sicco litore naufragum
Te plenâ Bromius condet in Amphorâ.

ODE XV.

Ægidio Mavio fidem promiſſam fallenti.

SVbſidat radijs flamma cadentibus,
Tellus aſtra levis petat,
Nereus nubiferis innatet Alpibus,
Tiphys naviget aëra.
Hæc ſunt facta Mari, ſi tibi credimus,
Iurato ter & ampliùs.
Sanctam nempe fidem ſi malè falleres,
Si conſtantia deforet,
Ignes antè graves, antè Solum leve
Et Pontum ſuper æthera
Iactandum volucri flumine dixeras.
En nunc falſa tibi eſt fides;
Ignis ſurgit adhuc, terra gravis jacet,
Nereus vallibus incubat,
Et Pontus ſolito remige ſcinditur.
Solus tu tibi diffides.
O fluxæ nimiùm lubrica pars humi!
O flammâ levior levi!
O vento ſimilis, mollior æthere!
Inconſtantior æquore!

Facilè iurantibus rarò credendum.

ODE XVI.

Ad Cornelium Varrum, ut in rebus adverſis patientiâ ſe muniat.

VArre, quid torvo modò fata vultu,
Nunc ſubis læto? varietur omnis
Exitus ſortis; tamen una frontis
Gratia conſtet.
Si placet Divis, tibi diſplicere
Nil poteſt rectè; meliùs ferendo
Dura ſanabis; medicina ſæpe
Gaudet amaris

Hor-

Horrido belli premeris tumultu?
Sic Deus juſſit: patiare bellum.
Pace gaudebis melior, ſequeſtro
Martis olympô.
Aureo pacis frueris favore?
Sic Deus juſſit; patiare pacem.
Fortè poſt clauſam tibi Ianus arcem,
Oſtia pandet.
Sanus es membris? cave mens ſit ægra.
Æger es membris? tibi ſana mens ſit.
Sic Deus juſſit: ſine labe caſum
Vince ferendo.
Es potens terris? ſimul aſtra cures.
Exulas terris? tamen aſtra reſtant.
Sic Deus juſſit: tibi ſpes iniqui
Leniet uſum.
Tolleris fama? cave falſa narret.
Læderis famá? cave vera dictet.
Sic Deus juſſit: Themis una famæ
Sufficit omni.
Ruſticè vivis? ſatis eſſe credas
Quod famem placat tibi, veſtit artus.
Aulicè vivis? cave luxus intret
Pectoris aulam.
Sors opes donat? moderare ſortem
Parcus utendo, meliorque rebus.
Sors opes aufert? Deus iſta juſſit:
Sperne fugacem
Complaces mundo? fuge blandientem:
Scorpius molli perimit veneno.
Diſplices orbi? pedibus viciſſim
Subijce ſpretum.
Te decus prenſat? cave ſis ſuperbus.
Te fugit rurſum? cave ſis ſupinus.
Sors levat? mentem preme calcat? illam
Altius effer.
Semper adverſos minitare vultus.
Cumque flet; ride. favet; ingemiſce.
Mœſta ridebit modò, læta flebit.
Vertitur ordo

Dei voluntate in omni fortuna acquieſcendum eſſe.

Qualibet ſors æquo animo ſuſtinenda eſt.

Sic DEUS juſſit. quid iniqua noſtris
Sors luit verbis? DEUS unus omni
Sufficit cauſſæ. facinus luenda,
Varre, feramus.

ODE XVII.

Reverendo D. IOANNI PLIESTERO Parocho Richradienſi.

Pueri IESV, eiuſque SS. Matris MARIÆ dialogiſmus.

Amor Chriſti & Deiparæ reciprocus.

VT cervus Scythicâ fixus arundine
Exhaurire ſuo fonte Boryſtenem
Ardet, fixus amore,
Sic te Virgo parens amo.

VIRGO Quantùm Sarmaticis caprea rupibus
Gaudet præcipitum culmine montium,
Prato ſolis aprico;
Tantùm blande puer places.

IESVS. Vt Pandioniæ pullus hirundinis,
Dum plumas teneris induit artubus,
Matrem blandiùs ambit;
Sic te virgo parens ſequor.

VIRGO Qualis populeâ fronde ſuper gemens,
Cor tactum liquidis Turtur amoribus
Blando compare gaudet,
Sic te dulcis, amo puer.

IESVS Vt ſudata polis lacryma roſcidis
Pæſtanaſque roſas, & violaria
Suavi perpluit imbre;
Sic Matris gremio influo.

VIRGO Vt panduntur agro lilia Hymettio,
Et ridente labris ſole patentibus
Captant gaudia, noſtro
Sic acceptus amor ſinu es.

IESVS Prato gaudet apis, rore cicadula,
Cervi fonte bibunt: Tu mihi floribus,
Tu lac ſuavius undis,
Et roris lacrymâ exhibes.

Virgo

VIRGO Vmbram quærit avis, calthaq; Cynthium,
Et perdix ſobolem: Tu ſoboles mihi
Exoptatior umbrâ,
Ac Phœbo rutilantior.

AMANTES. His *Pliestere* duûm pectus amoribus
Iungamus medium. Dulce periculum eſt,
Hoc certamen adire,
Quod ſic fervet Amantium.

ODE XVIII.

Clariſſimo D. IACOBO COPPERTIO, Iuris Licent. in feſto Patroni oblatus

Hymnus ad D. Iacobum Hiſpaniæ Apoſtolum; in quo ipſius adverſus hoſtes ſubſidium poſcitur.

DIve, qui claris rigidas Iberis
Crederis Ductor moderare turmas,
Cui triumphorum monumenta campo
Stella reſervat.
Sive nunc oras Calaguritanas
Candidâ viſis juvenis quadrigâ,
Et Crucis præfers roſeæ nivali in
Stamine ſignum:
Qualis in turpes generoſus olim
Viſus, es miles properare Mauros,
Cum Saracenos petit explicato
Marte Ramirus.
Sive de cœlo faciles Sereno
Porrigis claves, reſerare promptas
Hoſtium valvas, & ahena clauſæ
Limina portæ:
Qualis occurrit tibi Ferdinande,
Vna te poſtquam malè præliantem,
Meſſibus ſeptem totidemque brumis,
Caſtra tenebant.
Huc ades ſacris animoſe ſignis,
Bella ductrici moderere dextrâ,
Æmuli frangas aciem metalli, &
Arma retunde.

Sic tibi noſtris monumentaterris,
Aureo ſurgent memoranda cultu;
Ara fumabit,cadet auſpicato
Victima dono.

Arbiter belli,mediuſque pacis
Stabis aſſertor,potiorque Iano
Quæ gravis pandis,pius obſerabis
Limina Martis.

Te colet Rhenus, Rhodanuſque Divum,
Et Tago junctus Tiberis faventes
Porriget lymphas,humilique ſupplex
Serviet arâ.

Dulce Iacobi tibi carmen oda
Concinent.quamvis macilentus alter
Horreat cantu;tamen hoc rependet
Pinguior alter.

Novit hic juris,quid amica Pallas,
Quid Themis poſcat;gravis æquitatis
Cenſor,ac ſolers geniale metrum
Stringere nervis.

ODE XIX.

Gratulatur Auctor

Sodalibus unâ ſecum Religionis portum , novenario Angelici ordinis numero,ſubeuntibus,

CEſſant procellæ.Mollior æquora
Eteſiarum gratia temperat,
Proniſque ſuccollatur auris
Vecta ratis,ſubitura portus

Dudum petitos.Plaude celeuſmata
Inſons meorum turba ſodalium,
Iam blanda Sirenum expediti
Vicimus,& ſcopulorum acuta.

Euge otioſis lintea collige
Demenda ventis.Suave rudentibus
Tonſiſque feriandum & hauſtris,
Et tumidi maris inquilinis;

Evicta ſors eſt.Ite pericula

De.

Depræliantûm per vada fluctuum,
Fluxoque ventorum favore
Mixta ferox gravis ira ponti.
Dilecte BOVSCHI, dimidium mei,
Quem junxit ætas prima, nec ultima
Divellet inviſum ſenecta
Dum nivei ſine fraude mores,
Experſque fuci candor in Æaci
Claudentur urna. Brachia nunc ſubi
Amoris adſtringenda viſco,
Gordiacoque plicanda nodo.
BEBBERE (ſic te pectoris innocens
Inflammet ardor) me ſocium trahes
Ignatiano ſauciatum
Igne fibras animæque ſenſus.
RINDORFFE ſalve, diceris à petrâ * * Petrus,
Bene ominato nomine. Stabimus
Immota ſeu rupes Maleæ,
Eiffliaciſque petroſus agris
Olympus alter. Mens ferientium
Conſtans malorum fulmina perpeti
Impunè deſpectabit æſtum,
Et fremitum inſidiantis orbis
Vos ubiorum nobilis, ô, trias
Ritè auſpicatam litore patrio
Formate virtutum palæſtram,
Ingenuo probitatis uſu.
Facetiarum non malus arbiter
Morumque pictor, fertilis ingenI
Salve GAMANTI, urbanitatis
Molle decus, lepidoſque ſoccos
Succumque vitæ non inamabilis
Amplector in te. Tu facilis comes,
HOLTERE, moroſum peroſe
Fronte gelu, tetricaſque rugas,
Noveſianis erute mœnibus,
Accede in ulnas. Quis procul inclyta
Renidet exporrectus ora
Eloquii faber affluentis?
COPERE, dulcis Suada puertia,

Te ſpecto lætus. Vive, precor, diu:
KNAVSTIque quondam Lintzianis
Quem tenerum generoſa nutrix
Lactaſſe cunis fertur, & indolem
Duraſſe aheni pectoris, ô tua
Cohorte dignus? irretortâ
Fronte petas metuendus hoſtem.
Amice BECKI, Iuliadum decus,
Incumbe noto vincte MASENIO,
Agnata quem gentis propago, &
Rura vago ſociavit amne,
Incumbe collo: quam tibi lactea
Cum fonte mens eſt! ingenium doli
Vafrum execraris, fallere idem
Neſcius, indocilisque falli.
Novena caſtis digna Sororibus
Cohors novenis (tollite fabulas)
Turmis novenis Angelorum
Dignior, æthereiſque faſtis
Inferre nomen. collige teſſeris
Suffragiorum quemlibet ordinem.
Ducamus hic, atque ille ſortes
Urna dabit quatienda ſedem.
Peracta res eſt. *Ima* mihi patet;
ARCHANGELORVM Bouſchius ordinem:
Bebberus intrat PRINCIPATVS.
Non humili redimendus oſtro.
Divum POTESTAS digna Gamantio eſt:
Holterus infert ſe DOMINANTIBVS:
Knauſtique VIRTVTES triumphant:
Beckius inſinuandus aſtris
THRONI occupavit munia. Sic CHERVB
Lucens Coperus; ſicque SERAPHICA
Rindorffus inflammatus æthra;
Sorte datas adiêre Sedes.
Euge, euge, feſtum vocibus inſonet
Celeuſma rurſum. Vicimus, & retrò
Syrteſque latranteſque Scyllas,
Inſtabilis fera monſtra ponti,
Et blandiores æquoris hoſpitas,

Sire-

Sirenas, inſons turba reliquimus:
    Tutoque complexu benignas
    Relligio fovet inter ulnas.

Ad Generoſum & Illuſtrem D. WERNERUM liberum Baronem ab Harff, &c. cœlibem.

Libertas viro digna eſt, à femina jugo exemptum vivere

ODE XX.

OPtima libertas preſsâ cervice jugalis.
    Alterna ſpondæ non tuliſſe vincula.
Femina quantumvis aurato ducta metallo,
    Primis parentum comparanda ſeculis,
In thalamum veniat; libertas aurea præſtat.
    Æquare pretium nulla par vxor poteſt.
Hæc licet Hyblæos ſuperet dulcedine ſuccos,
    Scit mella tectis oblinire toxicis.
Vincat apes, vigili ſolers intendere curæ;
    Et acuta diſcet evibrare ſpicula.
Ipſa ſuum ditet fecundâ prole maritum;
    Et mille curas pariet hæc puerpera.
Sit comes, & duris præſtet ſolatia rebus;
    Futura meſſis litium eſt fecundior.
Si tumet illuſtris proavorum ſanguine, paucis
    Ferenda multer ſarcina incumbit viris.
Si minor abjectâ deflectit ſtirpe, probroſum
    Plerumque magni ſanguinis conſortium eſt.
Si ſterilis fuerit, tantum eſt peritura voluptas,
    Fatum execrandæ merita ficus aridæ.
Formoſam ducas Helenam; Paris hæret adulter:
    Centoculus illam vix ſat Argus ſepſeris.
Si tibi Canidia eſt turpis, glaciatus amoris
    Torpeſcit ignis, frigidumque gaudium.
Hoc tandem ſapere eſt, nullis obnoxia ferre,
    Atque elocare ſenſa feminis virum.
Iſaciden pietas ad ſidera ſuſtulit; una
    Hunc Bethſabea penè demerſit ſtygi.

Femina onus virorum.

Multi per feminas feducti à probitate.

Illa

Illa Palæſtinis Sapientûm gloria terris,
  Ad feminarum probra ſubmiſit caput,
Vincere Samſonem, ſed nec vincire virum quis,
  Quem vincere, ac vincire potuit femina.
Quem ſemel irretita capit plaga mollis amoris,
  Adamante colla fortius nexum attinet.
Certius obſiſtet, qui nullo ſaucius arcu
  Inflicta planxit vulnera, occumbens minor
Laus iſthæc, *VVernere*, tua eſt, quem cœlibis ardor
  Deduxit ævi ad cana vitæ tempora.
Non te nobilium proavorum ſtemmata, lautis
  Cupide procantem ſubmovent ſponſalibus,
Non te deſtituunt facilem exorantia Nympham
  Metalla, Danaës nata turrim pandere.
Non etiam humanæ prudens ſuadela loquelæ,
  Quæ pertinacem frangat arte Palladem.
Obſtitit (ut paucis dicam) generoſa voluntas,
  Quæ grandiorem feminis virum facit.

Clariſſimo ac Conſultiſſimo

D. JACOBO TERCOPPIO.

Dulcius eſſe, Muſarum & Librorum quàm feminarum & Liberorum conſortium.

ODE XXI.

QVamuis nulla tibi lactet nutricula prolem
  Nulliſque cunæ perſtrepant vagitibus
Carminibus fecunda tamen cunabula laudas.
  Scribis Genethliaca alijs, nemo Tibi.
Non miror. plus ingenij iucunda voluptas
  Famæque, gloriæque honeſtæ poſſidet.
Pallada conjugijs averſam novimus. haſtam — *Venus ſtudijs aduerſatur*
  Rigidamque galeam mollis haud patitur Venus.
Femina Apollineis nunquam ſpectatur in ulnis,
  Potiore Phœbus citharæ ineſcatur ſono:
Caſta fluit circum Muſarum turba, ſuisque
  Attemperatum fidibus exornat melos.
Hæc tibi præ querulis conſortia dulcia rixis

Obmurmurantis per culinam feminæ.
Seu liquidâ Bacchus madidum de vite racemum
Per entheata ſpargat udo tempora.
Seu potius ſiccum ſpirent præcordia Phœbum,
Quam molliori delibutum Maſſico,
Seu teneant docti decumana volumina Baldi,
Et priſca reſeres Vlpiani ſcrinia:
Omnia Lynceo rimaris acumine, & omnem
Iuris ſimul & injuriæ articulum tenes.
Bartolus & Naſo de Te certare videntur,
Cui debearis laureato vertice.
Femina jam quævis deſperat: quando librorum,
Non liberorum ſuſcipere curam videt.

Ad Generoſum & Illuſtrem
D. JOANNEM FRIDERICUM
Liberum Baronem à Schaffsberg &c.

Nobilitatem bonis literis maximè ornari.

ODE XXII:

QVis mundi illuſtres oculos, duo lumina, cœco
Subducta voveat, æthere
Quis damnet paphijs argentea lilia campis,
Roſeamque veris purpuram?
Et quis Erythræis quod ſplendeat unio conchis,
Rore educatus Memnonis?
Ille, laborato gemmas quiſpernet in auro
Exſibilandus Momus eſt.
Ridiculus tamen ille magis, quicunque putarit
Scire indecorum Nobili.
Nobilitas cœlum eſt, ſed clara ſcientia lumen;
Hac abſque ſtirps ingloria.
Nobilitas hortus; ſed pulchra ſcientia flos eſt
Hac abſque ſqualens jugerum.
Nobilitas concha eſt; ſed par eſt unio Muſis:
Hunc tolle, concham ſpernimus
Nobilitas aurum eſt, ut gemma, ſcientia fulget:
Quid abſque gemma eſt annulus?

Hæc Friderice tenes;illuſtria nomina ſtirpis
  Iunctis honoras artibus.
Plus decoris Tibi Muſa dedit, quàm clara propago
  Scientiarum nobili.
Ipſa licet Phocis Phœbum aſpernetur, & orbe
  Proſcriptus Auſonum exulet.
Tu dabis hoſpitium Muſis & Apolline dignum
  Supraque Cyrrhæ verticem.
Vidi ego, quæ ſacro luſiſti percitus æſtu,
  Scribenda Cedro carmina.
Quo Te Pegaſeo non ſuſtulit ungula curſu
  Divina penetrantem atria?
Cetera non memoro, quot cœlum lumina pandit,
  Tot, Argus aperis Artium.

Nobili & Ampliſſimo Domino,

D. JOANNI GOSVVINO NICKEL, Præfecto & Majori Aquenſi, D. in Limiers &c.

Gratulatoria ODE XXIII.

Ob Patruum Adm. R. P. Goſvvinum Nickel in Societ. Ieſu Generalem delectum.

Gratuler, an doleam, Patruo cedente, Nepotem,
  Carere & ornari ſuo?
Gratulor ornari, doleoque carere. remiſto
  Sors mella felle perlinit.
Si qua Tuis præſens dederit ſolatia rebus,
  Virtute ſiquid profuit;
Siquid in ambiguis prudens ſapientia cauſis
  Pietaſque ponderis habuit;
Ne precor invideas multis: non debuit uni
  Hæc pretia rerum ſanguini.
Plus aliquid, quod tota bonum reſpublica poſcit.
  Sit natus unus pluribus.
Certius ex alto patrias tutabitur oras,
  Specula receptus Auſonum.
Quæ Procul errantes Pharos eſt moderata triremes *Qui præ-*
  Vicina ſecuit nubila *ſunt, plus*

Dum ſita Pollucem tenuit cum fratre carina,
Minore fulta præſide eſt;
Aſt ſimul aſtrorum transſcriptus in ordine fulget,
Lux hæc procellas ſubmovet.
Aurea diffuſum Phœbus partitur in orbem,
Sublimis ipſe, lumina.
Deſine fortunæ tantùm accuſare favorem,
Hæc extulit, cùm ſuſtulit.
Invitûm rapuit, duroque adſtrinxit Honori
Metuendam Atlanti ſarcinam.
Jam, Granæa, tuas Rector moderatus habenas,
Ad ſtagna thermarum fuit.
Paruit illius populoſa Colonia nutu,
Subjecit undas Duſſela.
Tota Patris commiſſa fuit Provincia curis,
Saturque honorum ſubſtitit.
Denique Lojolæ propius veſtigia juſſus
Premere imperando, reſtitit.
Sed tamen obnixis, Patrum ſententia, votis
Ad ſceptra nolentem impulit.
Hei mihi, ſic inquit, quis par majoribus ibit,
Hac ſede dignis Patribus?
Novimus hâc primùm *Loiolam* ſancta regentem,
Dantemque jura poſteris:
Lainij hanc felix ornat Sapientia, celſa
Hanc *Borgiæ* demiſſio:
Mercuriane tibi fecit prudentia nomen,
Et forma morum *Claudio*:
Finxerat humanâ *Mutium* ratione benignum,
Vereque Patrem Patribus.
Vidimus ardenti zelo incaluiſſe *Caraffam*,
Fortemque *Picolomineum*.
Hæc ſimul ingeminat Patruus, ſimul arduum Honoris
Onus imperatum ſuſcipit.
Temperat imperium obſequio gratiſſimus: uni
Servimus, ille plurimis.
Dignus honore fuit, qui ſic fruiturus, honores
Inter labores dividit.
Dent vires Superi, patriaque in ſede Nepotem
Felicitatis æmulum.

ceteris Reip. prodeſſe poſſunt.

Societatis IESV Generales.

San-

Sanguine participas GOSVVINE,& nomine, juxta
  Virtute felix adſpici.
Cetera vaneſcunt. quid enim ſectamur amantes,
  Si terra noſtrum pondus eſt?

Quæ ſequuntur, amice Lector, hæc carminum genera, novâ arte, & diversâ, ab antiquis, Stropharum compoſitione à me concinnata, adijcere volui; ut ejus doctrinæ, quam part. 1. l. 2. in fine tradidi, aliquod ſpecimen relinquerem.

Ad Sereniſſimam & Potentiſſimam D. CHRISTINAM, inclytam Sueciæ Reginam, eo tempore, quo Anno 1654. regiâ ſeſe dignitate ultrò ſpoliabat.

Quam rem adeo novam novo carmine Scriptor proſequitur.

ODE XXIV.

STupente mundo, Sueciâ refragante,
Honore reclamante, Sorte ringente
Se poſſe ſperni, purpurâ erubeſcente
Seſe eſſe ſpretam, ſceptra ponis oblata
  Regina verè nobilis.
Plaudente cœlo, comprobante Virtute,
Favente Famâ, Gloriâque gaudente,
Majore laude, gloriaque ſe ſperni,
Et poſt coronas, dignius coronari
  Non ambientem verticem,
Regina regna negligis, tui regnum
Sortita melius, quo modeſta Virtutum
Turma imperaret, criminumque ſerviret
Superbus ordo, quoque honoris & mundi
  Exſibilares ludicra.
Virile factum feminæ, ſupra Heroâs, *Feminæ omnes imperij avida.*
Priſcæque gentis Romulos & audaces
Amazonum phalangas, ac coronatas
Aſſyria in aula Ninidas, Latinique
  Notas proci Memphitidas
Probroſus illis ambitus levis famam

Virtutis omnem rapuit,& ſui regnum
Ademit in regno. Camilla Volſcorum
Virago fortis digniore Regina
Seſe triumphatam adſpicit.
Pulcheria quanta, ſive dote regnandi
Oriente toto, ſive dote virtutum
Cognata cœlo! poſuit hæc reſumenda
Imperia rurſus, adminiſtra Rectoris:
Hoc orbis obſtupuit tamen.
Res ipſa ſacris paginis inaudita,
Potuiſſe feminam & abnuiſſe regnare.
Eſther nec ipſa, quamlibet Deo plena,
Thronoque Debora judicante ſublimis.
Horruit Honoris oſcula.
Vir unus olim ſeculique contemptor
Spretorque regni Carolus, meâ dignus
Splendere chartâ, lumen Auſtriæ gentis
Columen Iberæ, Sceptra primus obtrivit.
Virago nunc viri æmula eſt,
Non ego ſtupenda tango dona Muſarum,
Fontes Latinos, Atticamque Suadelam.
Hac Hippocrene colliqueſcit in lingua,
Sophiæque ſcita, juriumque decreta
Hoc mentis abdita Scrinio.
Eudocia junxit artibus Sophiſtarum
Regni coronam, Rhetorumque ſuggeſtus,
Zenobia Princeps docta Palmiræorum,
Iuxtaque forti militaris in campo
Armata Pallas audijt,
Solerſque linguas ſub tributa conſtrictæ
Callere gentis, & æquitatis edicta,
Legumque monita: dotibus minor tantis
Titulique, Regina, Tibi mille conceſſit,
Cum regna nulli ceſſerit.
Hac feminarum ſola laude *Chriſtina*
Tranſcendis omnes, grandiorque regnantûm
Ingenia vincis, & arrogantiam ſexus
Imbellioris, imperante ſub fronte
Tumida arrigentis cornua.
Nunc te virorum qui cubilibus ſpretam

Artium ac ſcientiarum multarum femina.

Odiſſe norit fortius voluptatem,
Quàm Gorgonas Pallas, Ithacuſque Sirenas,
Qui literarum melle tantum ineſcari:
Quo collocabit in throno!
Regina; talis ſemper in tui regno es.
Chriſtina, dulce nomen & Deo natum!
Modò pulchra tantum vita nomen exæquet,
Sophos ſophorum Principumq; Regina eſt
Chriſtina Chriſto dignior

Ad inclytum Archiſtrategum.

JOANNEM JULIUM, à monte Gigantum, craſſis accenſendum.

Craſſi aperti plerumque pectoris, mites, ac humani ſunt, ideoque alijs facilè regendis idonei.

ODE XXV.

MEns Craſſis Gothica candidior nive eſt,
Sparſiſque lacte lilijs.
Raris ſimplicitas obtegitur togis,
Aut palliatur nubibus:
Obſcuros aperit pectoris angulos,
Atque Labyrinthos fraudium.
Cor pandit, tereti fronte rotundius,
Latiquo fundum pectoris.
Non obſtat laterum denſior ambitus,
Thoraxque ſeſquipede eminens.
Sub craſſis animus parietibus micat,
Vt ſtella cœlis abdita.
Criſtalli vitreâ qualis imagine
Defoſſa gemma fulgurat.
Aut qualem placidis aurea fontibus,
Se forma pingit Cynthij;
Sic ductum radijs pectus amabilis
Candoris, illuſtre eminet.
Quis dignos Latij faſcibus imperI
De gente Craſſorum neget?
Pinguedo liquido nectare dulcior,
Et melle ſtillat gratiæ.

Candidum, & à fraudibus alienum eſſe.

Mites ferè craſſi habentur.

Nec torvâ minimos nube ſupercili,
Deſpicere gaudet arrogans.
Sed mores placidis eliquat in favis,
Humanitate ductiles.
Cum plorant miſeri, mollior Attica
Cerâ obſequendo flectitur:
Impreſſaſque tenet cladis imagines,
Non indolens doloribus.
Heraclea ſuo nil Dionyſio
Aſpexit olim pinguius:
Heraclea ſuo nil Dionyſio
Aſpexit olim humanius.
Vel teſtis pater eſt, hoc truculentior,
Quanto Clearchus macrior.
Ne dic craſſitiem pondus inutile,
Quæ pondus aliorum elevat.
Ne dic futilium pabula vermium,
Quâ plebs egena paſcitur.
Ne ſpernas hominem, qui reliquis quoq;
Humanitate eſt pinguior.
Si rurſum veteres ſecula Gordios *
Noſtris reponant ſeculis,
Craſſi ſceptra ferant, regia pinguium
Corona verticem ambiat.

** Qui populi ſoliti pinguiſſimum inter ſuos Regem deligere, tanquam maximè ſpectabilem.*

Ad Generoſum
D. BERTRAMUM NUMOLOTUM,
Macilentis annumerandum.

Macilenti ingenio, & rebus agendis prompti, ideoque Legationibus apti habentur.

ODE XXVI.

MAcros ingenium nobilius rudi
Mortalium vulgo eximit.
Quo craſſum nebulis aëra diſſipant
Fœtentis ignorantiæ.
Vt cum pulchricomus Lucifer, aureo
Invectus auroræ eſſedo,
Purgat noctivagis æthera nubibus,
Pulchro comarum ſidere.

Macilenti ferè perſpicacis ingenij habentur.

Va-

Vaneſcunt tenebræ, rurſum oculi micant
  Latè evibrato lumine.
Pellucens macies, denſaque carnium
  Soluta nubes pectore.
Cœlo perſpicuæ mentis acumina
  Immittit, aſtra ſupervolat.
Nec ſecreta minus ſub penetralia
  Fallacis intrat ſeculi.
Vt celſis Aquilæ lumina rupibus
  Et hac & illac efferunt;
Scrutantur rutilas ſideris orbitas,
  Abſtruſa mundi pervident.
Quod natura Macris ſubtrahit invida
  De carne, transfundit animo.
Quis non ingenij dotibus inclytum
  (Latiæ Suadam Curiæ)
Miratur gracilem corpore Tullium,
  Totumque prorſus oſſeum?
Hic omnes Charites, corpore transfugas,
  Mentis cubili clauſerat.
Et cultum nitidæ pellis ad Eloqui
  Formam nitentis tranſtulit.
Hinc cunctos decorum conſpicuos gradus
  Vix æmulandus attigit.
O felix macies, quæ tenui obtegis
  Sub nube perſpicaciam,
Nec cordis vegetos ſubruis impetus
  Stupente carnis ſarcinâ!
Legatos facili tramite devehis,
  Ceu Perſeos talaribus,
Et quâ Bellerephon ire doces viâ,
  Dum pondus omne ſubtrahis.
Ad quodvis celeres ferre negotium
  Tu gnara dextras erudis.
Quiſquis magna petis, deſidis otij
  Vitaſque pulvinaria,
Contemptam facie ne macilentiam
  Exſtimare, ſpretor æſtimes.
Quæ [illegible] eſt, hæc [illegible] ſuam
  [illegible]

Celeres & expediti macilenti ſunt.

* *Hi populi macilentos Reges deligebant, ut ma[illegible]*

Ad Generoſum
D. HENRICUM ANGULODOMUM,
In craſſitie mediocrem.

Mediocritas rerum laudatiſſima, oſtenditur certamine inter Craſſum Macilentum & Mediocrem inſtituta.

ODE XXVII.

Craſſus NOn laudo graciles pelle Philippides *
Coſtarum rigidis cratibus abditam;
Vix oſſeo ſatis ſepulchro
Animam potentes claudere.
Macil. Nec Belgis celebres laudo Vitellios †
Gaudentes teretem ponere ſarcinam
Prægnantis abſtinendo ventris,
Potumque aceto frangere.
Med. Craſſos Romulidum non ego, nec Macros
Laudabo proavos; nam mediocribus
Plus Iulius Cæſar lacertis,
Tenuique omaſo profuit.
Craſ. Quem velox Boreæ ſuſtulit impetus,
Firmandum ſoleis ſub pede plumbeis,
Theatra riſerunt Philetam †
Ventorum inane ludicrum.
Mac. Heraclea tuum quis Dionyſium,*
Diſpunctum teneris ſumen aculeis,
Non ſplene laxatus ſoluto,
Licet agelaſtus, riſerit?
Med. Dux magnus celebris Borgia Gandiæ
Nec craſſus voluit, nec macilentior
Intrare ſuggeſtum; ſed æquo
Attemperatus corpore.
Craſ. Quis campos ſterili laudet arundine
Vrticiſque ſatos? Iulia pinguior
Excellit agreſtes myricas,
Macraſque arenas Montium.
Mac. Quæ fecunda ſuas parturit arbores
Sat felix macies Moribus obfuit

** Philippidis macilentia proverbio locum fecit.*

† De Vitellio Tribuno militia Strada dec. 1. l. 8. An. 1576. ait, quod ad ventrem extenuandum acetum biberit.

† Nemo satis extenuatiſſimus, à ventis propelleretur, plumbeis pedes ſoleis gravabat.

** Mediti ad extrahendam pinguedi-*

Quan-

Quandoque tellus pinguis ora
Pinguis Minervæ dat homines.

Med. Non pingues nimium, nec ſteriles agros,
Donem laude mea: fertilis obtinet
Vim temperatam gleba; ſtagnat
Paluſtris; hæret arida.

Craſ. Denſarum petimus robora quercuum,
Exſuccas tenui corticis arbores
Securis averſatur. inde
Stant Principum palatia.

Mac. Quot rurſum graciles cædimus abîetes!
Majoris pretij eſt apta triremibus
Ægea malus, quàm Bohemis
Exciſa trabs de ſaltibus.

Med. Quis Cedros nemorum vincere Principes
Ignoret? medio robore verticem
Ad aſtra protrudunt; nec æquo eſt
Res arctior, vel amplior.

Craſ. Quos fructus Abies, quos generat Cedrus
Plantarum ſterilis? glandiferis vides
Noſtros propagatis in uſus
Optata naſci germina.

Mac. Si glandes placeant, veſcere glandibus;
Me vitis gracili corpore fertilis
De rore paſcat, quem Calenis
Coacta prælis evomit.

Med. Nec ſolis Bromij fontibus expleas
Latrantem ſtomachum; ſed neque glandibus
Sitim fugabis. Poma gratis
Utrumque præſtant fructibus,

Craſ. Pinguem de Friſico malo ſolo bovem,
Qui torvum tumidis cum Palearibus
Vultum minetur; quàm Syrorum
Qui paſçuis exaruit.

Mac. Vidi conſpicuos à macie boves
Duris ſuppoſitum ferre laboribus
Collum; ſed abjecto ſupinos
Per arva, vaſtos corpore.

Med. Pingues ad ſtomachum deſtino; ſed macros
Poſcam quadrupedes reddere paſcuis.

nem, acubus cutem carneſque laxabant.

Quos apta moles carnis ornat,
Hi ſerviunt laboribus.

Craſ. Latos cornipedum vult Alemannia
In campis Humeros; hîc macilentia
Contempta res eſt, ſeu gradivus,
Seu poſcat obſequium Ceres.

Mac. Malim me ſonipes Corſicus incitum
Per turmas rapiat fortiter hoſtium,
Quàm lentum obeſo tardet armo
Recalcitrator Teutonum.

Med. Nobis Hungarico climate ſerviat
Enutritus equus, qui mediocrium
Sectator, immanique dorſo,
Arctoque pectore careat.

Craſ. Me pingues volucrum, ſeu Meleagrides,
Seu Capi, poſito ſigmate, nutriant;
Tu tolle gallinam recenti
Ex nido adhuc puerperam.

Mac. Porcorum faveam ſumina, rancidum
Dem lardi veteris ſegmen; ad arida
Recentis oſſa vertat Agni,
Teneraſque lambam coſtulas.

Med. Nec me VVeſtphalicæ tergoribus ſuis
Terrebis cupidum; nec voveam nimis
Arentibus caſtis bidentem,
Mediocria utrimque appetam.

Craſ. Te paſcat tenuis perca famelicum,
Et paſſer calidis ſolibus aridus,
Melutra, barbatique mulli,
Conchæque pinguis oſtrea.

Mac. Anguillaſne taces, & graciles lupos,
Ac centum reliquos? Si tibi pinguia
Debentur uni, macra nobis:
Tu cetum habe, nos cetera.

Med. Balænas epulis ſubmoveam meis,
Et ſicco nimium cortice paſſeres;
Me ſalmo, rhombi, lucijque,
Mediæque molis mulli, &c.

Craſ. T[illegible] pinguior.
[illegible]

Faſtidioſè ſubmovebis
Non delibuta ſumine,
Mac. Annoſo nimium quod natat unguine,
Tu pingui cupidus gutture ſorbeas;
Vino natantem malo cruſtam
Quam rancidâ pinguedine
Med. Ardentem nimium non aveo focum,
(Res diſcrimen habet) nec nimie cibum
Lardo ſaginatum, nec carentem
Liquore; medium deligam.
Craſ. Pauci quos Cinerum lux macilentior
Oblectet; cupidus Bacchica quilibet
Obeſa prenſat. tarda ſerpit
Cuique quadrageſima.
Mac. Somnus, ſegnities, torpor iners, ſtupor
Cingunt ingluviem: non ego lautia
His præmijs optem; modeſto
Sit frons ſerena prandio.
Med. Nec jejuna dies, quâ ſtomachus fremat;
Nec fartis nimium lauta cupedijs
Placebit æquum vult tributum
Venter, & inanis murmurat.
Craſ. Malo plena meis auribus inſonet,
Seu clangenda tubis muſica, ſeu tono
Gravis ſonoro, quâm coactis
Producta acutè ſibilis.
Mac. Te corvus crocitans, graculus aut loquax
Delectet modulis; Luſcinias amo
Vix oſſa tectas carne: nolo
Tam pingue vocum pabulum.
Med. Vocum temperies optima plurium,
Et ſumma & medijs infima miſceas;
Diſcordiâ concordiâque
Aptè cohæret Muſica.
Craſ. Craſſos militiæ fulmina novimus,
Conſtant mole ſuâ, credere neſcios
Mors ſola percellit: fugaces
Macros Gradivus territat.
Mac. [illegible] pondere militem.
[illegible]

 Vix

Vix poſſe ſectari aut retorta
Cedendo fallere ſpicula!

Med Opportuna fugæ tempora qui poteſt,
Et pugnæ calidis ſtringere greſſibus;
Nunc ire contra, nunc redire;
Virtute molis eminet.

Craſ. Europam pedibus ſuppoſuit ſuis
Magnus mole ſuâ & nomine Carolus;
Hunc Teuto, Gallus, Longobardus
Heroa victorem horruit.

Mac. Mirum! cur igitur gloria martia
Thebarum Epaminondas voluit ſuis
Abeſſe de caſtris obeſos?
Pauci Gigantes Caroli.

Med. Nervos armigerûm & pectora diligo
Pellæi juvenis, brachia quæ gravi
Librabat ictu Caſtriotus,
Habili timendus corpore.

Dux Epiri, aliàs Scanderbegus, fortiſſimus, unoque ictu militem diſſecans. Terror Turcarum.

Craſ Craſſorum facilem vidimus indolem:
Norunt dura pati. nec miſereſcere
Tardi, benignitate malunt
Peccare, quam inclementiâ.

Mac. Indulgent fateor, cum propriæ tamen
Curam pellis habent: Sunt ſibi proximi;
Sed cura Macrorum profuſa
Res antè fulcit publicas.

Med. Exſuccos homines non amo; pabuli
Abſumunt nimium: mole ſua graves
Iuxta recuſo, nil laborant;
Medium beati poſſident.

Craſ. Plures imperijs cenſeo nobiles
Craſſorum titulo. Sanctius Hiſpalim,
Craſſuſque Moſam Ludovicus
Fulgente vexit purpura.

Mac. Siquæ rara ſuis moribus eminent,
Augentur titulis nemo vocat Macros,
Quos eſſe conſtat: monſtra tantum
Hac æſtimantur gratiâ,

Med. Illuſtres habitu corporis, & graves
Perſonâ Dominos fert mediocritas;

Vix

Vix pinguioris hæc omaſi,
Honorque pellis marcidæ eſt.

Ad Generoſum & Prænobilem

D. PILGRAMUM à GRUITHAUSEN Ser.mi Principis Neob. apud Batavos Legatum &c.

Eximij cujusque Legati dotes.

ODE XXVIII.

ET noſtris aderis dignus, *Pilgrame*, Camœnis,
Cui ſæpe doctis Duſſela verſibus,
Calliope modulante, plaudit.
Ludat olorinis Elegis *Coppentius*: addat
Condita lautis fercla leporibus,
Et lepidis juvet ire ſoccis,
Anſer ego graviora ſtrepam, tardaſque revincto
Plantas Cothurno grandior induam,
Dum Cyneas * memorabo priſcos.
Magnus honor Legatorum, quos inclyta virtus,
Et cognitarum nobilis artium
Ardor humo venerante tollit.
Cauta præit reliquas rerum prudentia dotes;
Hanc eloquentis dos ſubit ingeni, &
Suada ſuis pretioſa verbis.
Integritate manus præſtet, mens candida technas
Fallaciarum neſciat. Et ſuo
Qui capiunt, capiuntur aſtu.
Nec ſecreta tamen, nudo velamine, proſtet,
Mens tota cuivis. diſſimulatio
Laudis erit, tacuiſſe prodeſt.
Sæpe Leoninæ pellem Vulpecula jungit,
Et veritatem juſta neceſſitas
Obtegit, & fugit eſſe mendax.
Abſit Religio quenquam neglecta refellat,
Aut falſitatis duplicis arguat,
Ingenuoque timere nudum.
Cui Superum neglecta fides eſt, ille fidelem

* *Legatus Pyrrhi Epirotarum Regis doctiſſimus & Sapientiſſimus, quo ſe plus, quàm armis potuiſſe, iactabat.*

Deſpe-

Deſperet orbem. fallere cœlites
Qui capiet, ſolet ipſe falli.
Quin etiam Cyrrhæ malit decerpere lauros
Conſorte Phœbo; pampineum jugis
Quàm Bromium coluiſſe Niſſæ.
Sobria nobilitàs morum laudata niteſcit,
Sibique præſens pectus. in arduis
Eſſe ſuum generoſa laus eſt.
Noverit oppoſito quantùm æquum diſtet iniquo.
Iuſtinianus quid vetet, aut probet,
Quid Salicis Pharamundus actis;
Quid leges patriæ, quas conſuetudine fixas
Durum eſt revelli; juraque gentium
Quid ſolidâ pietate firment.
Neſcius hiſtoriæ ne ſit; præſentia priſcis
Conferre ſolers tempora ſeculis.
Conſilijs dat utrumque robur.
Linguarum decus exornet: neque gloria fandi
Diſerta Suadam deſerat Auſonum,
Imperij decus obtinentem.
Si Latiæ deſint, frigent ſine laude, Camœnæ,
Supraque vulgus vix rude prominet
Nobilitas, metuente Famâ
Ignaros deferre retrò per ſecla Nepotum.
Scientiarum ſcrinia quos latent
Auſonijs opulenta faſtis.
Quem mihi ſcribendum ſumpſi *Pilgrame?* videris
Imago tanti proxima Tu viri,
Iudicio ſapiente Lectus.
Qui Te Legatum volvere; aut fallere debent,
Aut eſſe dotes eximias, ſui
Arbitrio docuêre voti.

Nobili

Nobili Clariſ.mo & Expert.mo D. Doctori MARTINO WAIBEL Ser.mi Princip. Neob. Archiatro.

Pietas in Medicis cum doctrina conjuncta, rarum ornamentum eſt.

ODE XXIX.

LAus hæc Medentûm magna, cum fides pulchro eſt
Virtutis illigata nexu,
Scientiæque vinculis,
Et vigilante manu.
Non otioſis illa credimus Verpis,
Vetuſta quos Anus Scytharum,
Iuxta calentem deſides
Viſa docere focum.
Prognoſticorum turba, ſiderum demens
Arcana ſcrutari, aut regenti
Fato imputare quidlibet,
Hac procul arce ſedet.
Empiricorum ſolus uſus hic languet,
Nil eruditorum palæſtræ
Philoxenique Gymnades
Cum vacat ars ſtudijs.
Confuſa methodus, dogmatumve conſtricta
Seu Tralliani, ſeu Galeni
Virtute nuda, vix ſatis
Vtile præſidium eſt.
Avicenna vivas Principemque Doctorum,
Quacunque Muſarum ex arena,
Victor reportes lauream
Quid juvat abſque Deo?
Laurentianos nolo ab arte deliros:
Fernelios, Veſalioſque
Malo, & Aragoſios,
Quotque piè ſapiunt.
Martine dignus Archiater in paucis,
Inane momentum ſciendi

Inter Medicos neque Aſtrologi neque Empirici ſola nixi experientia, neque methodici confuſam rationem ſectantes (qualis Trallianus) probantur

Nec dogmatici, ut Galenus & Avicenna (docti cetera) ſine

Pie-

Pietate junctâ ponderas,
Relligionis amans.
Hoc Damianus, lumen illud ægrorum,
Solatiumque dulce Coſmas,
Uſu medendi nobiles,
Ingenioque docent.
Illa Iuvenalem gloria extulit, Rochum
Hæc una victurum perenni
Æternitatis in ſinu
Collocat emeritum.
Quid tota prodeſt perſpicace natura
Nudata ſecreto; tuarum
Si talpa rerum vixeris?
Γνῶθι σεαυτόν, ames;
Et temetipſum, Medice, præ tuis, cures.
Hoc eſt agendum. Prima mentis
Nos cura tangat: omnia,
Hac pereunte, cadunt.
Quid erogata ſanitatis in totum
Sint dona mundum, ſi ſalutis
Te negligentem propriæ
Iudicis urna trahat?
Martinus exemplo docebit illuſtri,
Quid conſcientiæ Medentûm
Virtute nixæ, quid manus,
Arte regente, queant.

virtute æſtimandi.

Medici docti & probi

Medici ſancti.

Ad Generoſum & Illuſtrem

D. JOANNEM BERTRAMUM Lib. Baronem à Scheid condictum Weſpennig &c. quondam ab hæreſi ad orthodoxam fidem converſum.

Manifeſtum erroris argumentum eſt, quod Acatholici in fundamentalibus à ſe invicem ſcripturis exponendis diſſideant.

ODE XXX.

GAudemus procul à cœptâ Te ſtare ruinâ
Everſæ fidei, nec ſcopulis ratim

Ever-

Evertiſſe Alemannicis.
Euge, fides, *Bertrame*, tibi ſanctiſſima Patrum
Nectet laurigeras verticibus comas,
Applaudetque celeuſmate,
Cum tua naufragijs ſubducta carina, ſalutis
In portum propius carbaſa dirigat,
Non obſtantibus Africis.
Iam flexis retrorſum oculis diſcrimina mille,
Errorum ſocios abripientium, in
Syrtes & brevia adſpicis
Ad quodvis divina nefas oracula torquent,
Quæ pleno reſonans bucca crepat tono,
Factorum ſcelus obterit.
Nec tantum hæreticus ſecum pugnantia dictat;
Aut quæ lingua probat, dextera ſubruit
Scripturæ nebulis latens;
Sed modò laudatum, rarâ vertigine, ſenſum
Inconſtans variat mille coloribus,
Fluxo ut marmore Polypus.
Non tot multa vijs abijt Samſonica vulpes,
Caudis ire ſimul juſſa tenacibus,
Dum cervicibus avia eſt;
Quot rapit in varios diſcors ſententia motus,
Quas caudis retinet, frontibus objicit
Scriptæ dedita literæ.
Denique colliſos lacerare furoribus armos,
Poſt diſcerpta ſuis Biblia ſenſibus,
Demiraberis invicem.
Scilicet armigerûm, Cadmeo nata Dracone,
Surgens dentigeris turma novalibus
In ſemitias irruit.
Nec ſacra miſcentur, templove tenentur eodem;
Unius capitis non capiunt decus,
Quamvis Biblia concrepent.
Promptius Anglorum vulpi ſociare moloſſos,
Buboni volucres, & lepores cani eſt;
Hos quam jungere ſegreges.
Europæ opprobrium! quænam dementia ſeram
Ætatem proavûm ſubmovet orbitâ,
Tritâ degenerem via?

Inconſtantia Hæreticorum in S. literis exponendis.

Contra ſeipſos ex ſolis S. literis diverſæ ſectæ pugnant

An

An ſoli ſapimus? delirat tota vetuſtas?
Nec verum patrijs hauſit Apoſtolis,
Scripturæ patrimonium?
Num quoque divinis pugnat ſacrà pagina verbis,
Tot colliſa fovens ſeditionibus
Seſe judice, pectora?
Dent Superi meliora! palam diſcordia proſtat;
Fons ſolus ſcelerum eſt, cedere nemini
Conjurata ſuperbia.
O felix, *Bertrame*, tuæ demiſſio mentis!
Incorrupta fides nil niveo arrogans
Claudit pectoris ambitu.
Hac iter ad cœlum eſt. obſtant anguſta viarum
Cervici tumidæ. Sit licet arduum,
Demiſſus ſubit incola.

Hæc diverſa ab Horatio verſuum compoſitione, novis ſtrophis ludere placuit, Nunc unam alteramve odam adijciam, in qua etiam ipſa metrorum ratio (præterquam in primo hexametro) diverſa futura eſt, ut pateat, non exhauſtum omnino hunc etiam inventionis fontem à priſcis noviſque ſcriptoribus fuiſſe. Et certè ſiquis Poëtarum numerum in alio verſuum ſtropharumque ordine idoneum ligatæ orationi repererit. cui deinde conſtanter inſiſtat, is ſe eorum qui olim ſcripſerunt legibus, hoc in genere ſcribendi, minimè obnoxium declarabit.

Ad Excellentiſs.m & Illuſtriſs.m Dominum, D. JOANNEM Lib. Baronem à Reuſchenberg. S.C.M. General..Copiarum Ducem & Wolfenbutelium fortiſſimè defendentem.

Fortem Ducis animum, præ mœnibus obſeſſos tueri.

ODE XXXI.

ITe vias Alemanna cohors, retroque probroſum
Ferte pedem, veſtras mœnia ſarcinas
Obſeſſa non ferunt, vos occupatâ
Excludit novus hoſpes urbe.
Fortior hoſpitium modò *Reuſchenbergius* heros
Obtinet; haud cedet: nec popularium
Horrore ſubmovendus, nec furorem
Hoſtilis metuens catervæ.

Dic

Dic, age, quid potuit ſævas arcere phalangas,
Quaſque ruens Haſſus, Vimarienſium,
Et Luneburgorum ſtipatus armis,
Iuratas ſuperare, ducunt?
Circum caſtra jacent, & ſpes ingentibus implent
Auſibus; hauritur terra cuniculis,
Sævaſque tormentorum flamma ſpargit.
Per muros domuum procellas.
Hinc quoque valla ruunt; hinc propugnacula vaſtis
Pervia pilorum impulſibus occidunt;
Vaſtique murorum patent hiatus:
Nil clausâ metuente turbâ.
Horrendum quæcunque vomunt elementa furorem;
Ignis tecta rapit, ſubruit incolas,
Plumboque ferroque indignata tellus,
Fatalem minitatur horam.
Denique collectis undarum molibus, urbi
Imminet elatis O Kera viribus,
Vallorum habenis conſtrictus; ſed omnes
Conſumpſit ſine clade fluctus.
Hæc parit æternas. Tibi *Reuſſenberge*, coronas
Promeritæ laudis, quæ patientia
Duravit invictum pectus; fidemque
Præ vita dedit eſſe, Virtus.
Talis Sparta ſtetit murorum turribus orba,
Magnanimo tantum præſidio virûm
Munita, quantum firmæ vix Athenæ,
Et portis animoſa Roma.
Omnia vallorum ſuperat munimina Virtus
Et clypeorum umbras mens, animoſior
Patere, ſpernit: infractumque tela
Pectus nil nocitura perfert.
Dux unus pro mille viris, pro mœnibus unus
Sufficiet denis, ſi ſteterit ſua
Virtute ſecurus, temnetque fluxos
Fortunæ minitantis æſtus.
Hoſtibus admirandus eras, fortiſſime Victor,
Dum furijs fracti Martis atrocibus
Inane ſtrident murmur, ſeque victos
Vix credunt potuiſſe vinci.

Vrbis obſidio, oppugnatio, & defenſio.

Ad

Ad Generoſum & Illuſtrem

D. JOANNEM HENRICUM Lib. Baronem à Winckelhauſen Ser.mi Princ. Neob. Cancellarium &c.

Prudentiâ & Æquitate res magnas optimè adminiſtrari.

ODE XXXII.

HErculeas tibi magnus Honos, *Henrice*, columnas
Eriget, æternæ ſymbola gloriæ,
Prudentiæque dignâ & *Æquitas*
Inſcribet monumenta fama.
Tu modò perpetui conſtes in limite recti,
Iuſtitiæ nunquam devius orbitâ,
Spretorque corruptelarum ſeverus,
Et vultu miſerante plebem.
Sic reor ipſe voves; cultas Prudentia dotes
Conſtituit celſo pectoris in throno,
Arcemque mentis conſilI capacem,
Maturus vigor occupavit.
Uteris ingenio, virtutibus uteris idem:
Præſidium unius pars erit altera,
Negotiorum binæ ſunt columnæ,
Virtus, cònſiliumque prudens.
Hæc ubi diſiunges Subitò collapſa ruet res;
Deſtituent cuncti, deſtitues tuos.
Virtute fundatur quævis poteſtas,
Impactis quatienda noxis.
Stet procul inſidiis audax injuria plantis,
Nec ſubeat valvas lena domeſticas,
Proclivis acceptare, ferre tarda,
Incurvis ſat adunca dextris.
Quod deceat, præſtet, non exorabilis auro;
Nec Dominorum flectenda favoribus,
Nec pauperum ſqualore tædioſa,
Conſtanti Themis æqua vultu.
Principibus ſervire viris, laus magna, Tonanti
Prima Deo, Major cum Dominus jubet,

Cedunt

Cedunt minores; conſcientiæque
Præ cunctis ſolet eſſe regnum.
Hoc decus Anglorum nos Cancellarius, æquo
Tramite virtutum abſiſtere neſcius,
Thomas docebit: quamvis juſſa duri
Vrgerent violenta Regis.
Hinc præceps fortuna ſui, præcepſque ſuorum,
Exilij clades, pernicies opum,
Et damna lapſæ ſtabant dignitatis,
Libertaſque inhibenda vinclis.
Vxoris lacrymæ, natæ lamenta dolentis,
Sanguine junctorum cum gemitu preces;
Crudelitatis ſcena, unci, cataſtæ,
Et ſtricti Libitina ferri.
Hinc promiſſus honos, & magni gratia Regis,
Et pateræ quantùm muneris aureæ,
Ciſtæque ferrent, criminum patronæ,
Et ſuaves ſcelerum catenæ.
Vox hæc una, *Probo*, poterat ſedare procellam,
Et gravium fulmen vertere nubium,
Pœnaſque ſævi devitare fati,
Et donis ſatiare dextras.
At ſtetit immoto recti ſententia Thomæ;
Nec pretio quovis flagitio favet;
Vitam immolare certus æquitati,
Exemplum melioris ævi.

Thomæ Mori in Virtute conſtantia.

LIBER

LIBER III. Epodon.

Luſi nonnunquam anagrammatiſmis aliquot in honorem Calicis Euchariſtici, in hæc verba ex S. Literis deprompta, quæ ad hunc librum Epodon conferre placuit, exemplo haud difficulter imitando. Illud tamen rarum eſt, quod anagramma plerumque ſenſum programmatis metaphoricum, tanquam propria ejus expoſitio, declaret ſimulque verſum, pedum numero, nonnunquam conficiat.

PROGRAMMA.

Ego ſum vitis vera, & vos palmites.

ANAGRAMMA ET CARMEN I.

Ego variè ſalutis potus, me ſumite.

AGe Medicorum quiſquis horres pharmaca,
Vnguenta, paſtillos, trochos,
Et quidquid officina dat Galenica,
Hippocratiſque Gymnades,
Olentiumque Colchico de gramine
Fugis Scyphorum nauſeam;
Hac oro, ſubter vite tantiſper cape,
Blandum quietis otium:
Hæc una Chios, hæc Palæſtinos ſuis
Vincit racemos pampinis.
En ut ſuavi rore dimanans latex,
Hebraico exundat botro.
Tyriam colore pupuram vincens latex,
Dulci ſapore Cœcubum.
De Vite noſtra fuſus hic manat liquor
Præſens malorum pharmacum.
Nil nauſeandum profluit. dulci hac Amor
Metempſychoſi conditur.
Quas vitis umbras explicat, Amoris puta,
Hæc ille tendit brachia.
Hic iſte purpuratus uvarum cruor,
Venis Amoris liquitur.
Animata vitis ſpirat, & ſuavis ſonum
Diſtillat inſtar nectaris,
Variè ſalutis potus ego, me ſumite;
Vnus medebor omnibus.

Calix Euchariſticus omni præſtantior potu.

ANA-

ANAGRAMMA II.

Sum ſuavis, ite, guſtate mel ore pio

AGe mellis ales inter Hybleas opes,
Hymettioſque ceſpites
Inter Hyacinthi brachia reclinis caput,
Interque Narciſſi comas,
Decerpe ſparſam mitis æthræ lacrymam,
Animamque florum melleam,
Quos delicato lenis afflat halitu
Eteſiarum gratia,
Et Lympha mollis fertili rigat vado,
Tepiduſque nimborum latex.
Flos ille vitis noſter, atque ex Virgine
Ros eliquatus palmite,
Cecropia vincit mella, vincit Atticas
Stillantis auræ lacrymas.
Quin ore guſtas, ore purgato tamen
Fonte Metanœæ nobili
Mel ite, guſtate, ore ſum ſuavis pio,
Medulla puri nectaris.

Calix Euch. omni potu ſuavior.

ANAGRAMMA III.

Ego via, veritas, &, ſi potes, mulſum.

QViſquis Viator anxiæ teris vitæ
Malè implicatas ſemitas,
Sive labyrinthum deviæ juventutis
Ariadna nulla dirigat;
Sive inter aulæ vortices, honorum auceps,
Scyllaſque amorum fluctues,
Neque es viarum certus, ac ratim tuto
Subducere nequis portui.
Ego via, ſequere, prævius malo ducam
Errore perplexos gradus.
Quæ tranſeuntem videris, levi ponè
Me tranſili veſtigio.
Vbi non gravatus ſtetero, tu gradum firma,
Non amoveri pertinax.
Cynoſura nulla certius meo exemplo,
Nec ullus Hermes duxerit.

Chriſtus dux vitæ noſtræ certus, & ipſum ſimul viaticum eſt.

Neu te doloſo credulum adde ductori,
  Dux ſæpè ſeductor fuit.
Ego via, Veritas: mihi crèdulus falſam
  Nemo imputaverit fidem
Quod ſi viarum feſſa ceſpitent crura,
  Aut vinciat languor pedes;
Hâc, quam racemis molliter vagis ſparſit
  Vitis, ſub umbra conſide.
Siccisque denegare ne velis labris
  Succo madentem pampinum:
Quid adhuc moraris anxius? malis poſſum
  Sufficere ſolus omnibus
Ego via, veritas, &, ſi potes, mulſum,
  Nec inhoſpitalis indigo

ANAGRAMMA IV

Iuſto ſaporem tu ſitim Ieſu eleva,

I Nunc bibendi turba mollis artifex,
  Grex madide Pergræcantium,
Qui delicato guttur irroras mero,
  Et flore Liberi abluis,
I quidquid amplis Vitium Pater amphoris
  de Leſbiâ propagine,
Aut de racemis lene ſtillat Maſſicis,
  Campana propter iugera;
Guſta: Falernis elice ſaporem ſcyphis
  Sitimque dulciter eleva;
Ego ſuaviori vite decerpam botros,
  Meroque detergam ſitim.
Compone Chias Leſbiaſque amyſtides,
  Adde Mareotidem Tago,
Et fabuloſa iunge Ganymedis manu
  Nectar propinatum Dijs,
Vincemus, unâ dum ſalutaris mihi
  De vite promanet liquor.
An labra dulci tingimus Promulſide?
  O blande vitium latex
Guſto. Saporem, tu ſitim Ieſu eleva
  Abeſte mortales ſcyphi.
Faſtidioſo nauſeamus gutture
  Pingues Iäcchi pampinos

Potatore[s] vini ama[n]tes

Calix Ch[...] ſti pra cu[...] ctis dulc[...] & ſalut[...]

Me[...]

Mors eſt in olla ſæpe quam Bacchus replet,
  Hâc *Vite Vita* profluit.

ANAGRAMMA V.

Imperat Ieſus, Leo auguſtus, o time:

O Blanda, mollicella, delicatula,
  Ovicula paſtoris boni!
Quo divagaris caulibus procul tuis
  Inter ferarum devia?
O peſtis ovium, prædo ſilvarum lupe,
  Nero, ac Neronis aſſecla
Impaſta quo te rapit, & immanis gula
  Ad improbam tyrannidem?
O vafra vulpes, fraudis indigne artifex
  Cerinthe centumque æmuli!
Et quiſquis olim, quiſquis etiamnum ſacræ
  Litis medullam deſtruis
Fruſtra cavernis abditum celas caput
  Clades herilis vineæ,
Iam te ferarum terror auguſtus Leo,
  Magnuſque ſilvarum arbiter,
Adeſſe iuſſit. ſceleris hic vindex tui
  Iudex tribunal obtinet.
Iam ponderatur cauſa, iam circum tremunt
  Feræ minorum gentium.
Imperat Ieſus (o Leo auguſtus!) time
  Quisquis timenda perpetras.

Chriſtus oppreſſores Eccleſiæ opprimet.

ANAGRAMMA VI.

Ego è vite ſalutari ſum meis potus.

QUicunque gravium peſtilente noxarum
  Inebriati toxico
Veſtræ ſalutis patrimonium, ac vitæ
  Male perdidiſtis prodigi.
Lenocinantis hoſpites voluptatis,
  Bacchique molles aſſeclæ.
Adeſte, vos pincerna melior invitat
  Non negligendo cymbio.
E Vite potus ſum meis ſalutari
  Hâc, inquit, orbi præbibo.

Calix Chriſti vitiorum potens antidotum.

Si lenta Acediæ podagra pedes ſtringat,
Ac molle tardet otium,
Aut intumeſcat turgidis hydrops venis,
Siticuloſæ gloriæ,
Si calida Cypridis febris æſtuet membris,
Cupidinumque incendia.
Aut pingue nimium turgeat gulæ abdomen,
Graviſque ventris ſarcina,
Debere nolis Æſculapio Gallum,
Agnumve mactes Cynthio,
Nec officinas te mentium incertâ
Spe ſanitatis atteras.
Quidquid Machaonum arte, quidquid herbarum
Virtute poſſunt pharmaca,
Hâc vite melius poſſides. jacent herbæ,
Cedunt medentûm pocula.
Iſtis ruinam corporis levem fulcis,
Hâc anima vitam protrahit.

ANAGRAMMA VII.

Opus Ieſu ſalve, morte vitam tegis.

MIrentur altas ſiderum multi orbitas,
Potente curvatas manu:
Alij obſtupeſcant pondus immenſum ſoli
Virtute libratum ſua:
Boreæ latentes alius inquirat ſpecus,
Zephyrique natales domos;
Alter elementorum icta quondam federa,
Et Solis ac Lunæ vices,
Reciprocaſque ſtupeat Oceani vias,
Monſtriſque celebratum mare.
Majora ſcilicet æthra diductis ſolo,
Portenta valvis intulit;
Dum mixtus homines inter erraret Deus,
Noſtræ ſalutis anxius,
Vitæque metuens ceſſit alienæ ſuam,
Et morte noſtra functus eſt.
O monſtra rerum! verba nunc deſunt mihi
Mundi tacent miracula,

Alia præter Chriſti vitam ac mortem ſcrutari, vanum eſt.

Salv.

Salve opus Ieſu; morte, quo *Vitam tegis,*
Vitâque mortem ſubruis.

ANAGRAMMA VIII.

Ego ſum et veritas; oſtium pulſate.

DIducto cave limine
Hoſpes ſuſcipias quemlibet hoſpitem,
Cuivis non bene fiditur,
Nec ſemper poſito cum ſale mappula
Tutò ſternitur advenæ.
Heſterni vacuus relliquias bovis
Ventris defodiet ſpecu,
Et cum ſuminibus pinguior oblitum
Os deterſit, inutiles
Tantum muneribus ſubſtituens dolos,
Fucis oblinet os tibi.
Nil eſt, crede, magis fraudibus obvium.
Dum ſpumant tibi maſſica,
Dum fervet ſapidis olla caloribus,
Non linguæ paraſiticæ
Non deêrit placitis hoſpes odoribus.
Sunt quos alba velut roſa,
Commendat niveæ frontis amœnitas;
Sunt qui blandiloquentiâ
Mel condunt avidis molliter auribus;
At ſub pectore callido
Spinarum latet, ac fellis aculeus:
Paucos candida Veritas
Nec fucata ſuis verba coloribus,
Infido grege dimovent.
Hi paſſim ſubeunt hoſpitium, unica
Hæret ſimplicitas foris.
Et fruſtra tremulum concitat oſtium,
Quod fraudum excubiæ obſident.
Pulſate obſtreperæ limina januæ,
Spreto ſidere Veritas,
Tandem fuſa ſolo, certior emicat.
Vulpinæ cutis hoſpita,
Poſticum relegat vafricies iter:

Fallaces multi hoſpites & amici tantum ollares.

Agni

Agni candida vellere,
  Recludet melior limina Veritas.

ANAGRAMMA IX.

Emis Ieſu ſalutem auguſto pretio.

CHriſte, qui noſtram proprij cruento
Sanguinis lytro redimis ſalutem,
Quique dum victus cadis, ultus ipſo es
  Vulnere mortem.
Qualis invicto Machabæus auſu
Per ſicum ſtricto ferit enſe brutum,
Ipſe lapſurus nece, quâ peremptum
  Contudit hoſtem.
Quis tuæ dignus monumenta famæ
Explicet verbis? quis amoris ignes
Pectore accenſos agitantis æſtus
  Dulcis Ieſu?
Vidimus vulſos rigidis capillos
Sentibus ſtringi, niveumque ſparſo
Sanginis rivo perijſſe pulchræ
  Frontis honorem.
Vidimus duris lacerata flagris
Terga, nativam poſuiſſe formam,
Et fatigatas rubuiſſe ſacro
  Flumine virgas.
Vidimus fixos manibus trabales
Improbè clavos, humeros cadentem
Ferre cervicem, latebriſque fœdam Hi-
  are cavernam
Quid queror? noſtris acuiſſe ferrum
Dicimur noxis: nihil innocentis
Lanceæ mucro, nihil implicatæ
  Sente coronæ,
Nil flagellorum, rigidique poſſent
Mallei impulſus, niſi ſævientem
Crimen infelix animaret ictum, &
  Adderet auſus.
Hoc tamen forti generoſus heros
Pectore excepit, proprijque largus

Christus patiens.

Crimine noſtro Christus plexus eſt.

Sanguinis

Sanguinis rivis, latus immerenti
Vulnere pandit,
Prodigus vitæ, cupiduſque lethi.
Nempe ſic mortis redimens tributum,
Emit augusto pretio ſalutem
Dulcis IESUS.

ANAGRAMMA X.

Io geſtias, te puerum ſaluto IESUM.

IO *te Ieſum puerum ſaluto*
Geſtias, jo tibi blanda frons eſt,
Blandus eſt vultus, fluit ore blandis
Suada loquelis.
Pulchrior gemmis & utriſque fulges
Gratior ſtellis, Helice minores
Subijcit flammas, Cynoſura victo
Lumine cedit.
Purpuram natis imitata ſuccis
Labra floreſcunt, roſeæque vernis
Vincit in pratis decus omne Floræ
Gratia vultus.
Lacte molleſcunt, niveiſque rident
Lilijs malæ, minor eſt liguſtri
Candor, & fulget minus explicatis
Caltha capillis.
Tu venuſtatem modò fabuloſam,
Cypridis fucos, & Amoris æquas
Floridi vultus, Charitumque blandæ
Sidera formæ.
Mars ubi ſævit metuendus haſtâ,
Et ſoror torvo furioſa vultu
Spectat infantem, rutiloque blandam
Lumine frontem,
Gaudet, & torvas recreata malas,
Mollior duras abicit ſagittas,
Arma deponit, rigidique frangit
Secula ferri.
Ruſticum mucro redit in ligonem,
Quæque crudeli maduit cruore

Pulchra Chriſti forma.

Pacis autor Chriſtus.

Haſta, nunc vomis, meliore ſcindit
Vulnere terram.
Te fames ſiccis inamœna malis,
Livido peſtis comitata vultu,
Dum videt pulchro roſeam colore
Pingere formam,
Squalidam læto tegit ore nubem,
Lenè ridentes oculos ſerenans.
Mox hydrops ſicco ſtetit amne, febris
Igne ſoluta eſt.
Icterus flavo perijt veneno,
Colica immites poſuit tumores,
Omnis averſo fugit ore retro,
Lurida tabes.
Io te IESUM puerum ſaluto
Geſtias, io, moderator orbis,
Sanguinis noſtri decus, & jacentis
Gloria mundi.
Candidam per te renovata pacem
Poſſidet tellus, & amœna lætam
Explicat frontem, rutiloque condit
Secla metallo.
Languidi per te recreantur artus,
Pellis infeſtos medicina morbos
Quoque fers pacem, ſimul & ſalutem
Sidere luces.

Christus morborum curator.

ANAGRAMMA XI.

Ave, ego ſum veritas & ſitim pulſo.

QVisquis Falerna credis in amphora
Latere verum, pectoris & nives
Largoque candorem ſepultum
Eruis, inſidioſe, vino,
Et nunc virenti ceſpite molliter
Latus reclinas, ac madido lavas
Guttur Caleno, dum jocoſo
Præterabit ſalientis undæ
Rivus ſuſurro, dum patulâ favet
Comâ hoſpitalis populus, & vagas

Potui addictus.

Addenſat

Addenſat umbras, floridiſque
Aura meat genialis hortis.
Nunc inter aulæ mancipia abditus,
Liquore pingues Aſſyrio mades
Tinctus capillos, & roſarum
Delicias, laticemque puri
Hauris Lyæi: quid veteri nova
Quantumque Chijs Rhetica diſcrepent
Intelliges; at veritatis
Ingenium, dupliciſque fraudis
Quid ſenſa diſtent, nulla ſatis tibi
Lagena dicet, ſit licet inclyto
Sudata Chio, maſſicive
Rore fluat ſatiata præli.
Deceptus ille eſt, qui prior in mero
Verum ſepultum credidit. Heu! Venus, *Vinum Veneris alimentum.*
Centumque fraudes, & doloſis
Nata ſcyphis latuêre furta.
Staret Noëmus non violabili
Pudore tectus, nec reverentia
Chamo excidiſſet, ni Lyæo,
Impavidum quatiente thyrſum,
Nutaſſet ictus. Quid magis obfuit
Lotho innocenti, quam calidis merum
Hauſiſſe venis, & probroſis
Luxuriam exacuiſſe flammis?
Aut abſtinendum eſt; aut modicè labro
Exoſculandus thyrſiger ultimo:
Innexus amplexu, doloſâ
Sternit humi metuendus haſtâ.
Non fraudulentâ quiſquis amyſtide
Lactaris, adſis: namque *ego Veritas*
Sitimque pulſo, largus hauſtu
Ambroſiæ pretioſioris.
Non fallo, quamvis largiter hauſeris.
Nec lex pudoris, nec ratio ſuâ
Divulſa nutant ſede. plenas
Hic licet evacuare conchas.

ANAGRAMMA XII.

Talis ore pio ſuavem guſtet IESUM.

DElicias quiſquis vitæ ſectatur, & odit
Orbis amaritiem
Ore pio talis ſuavem ter guſtet IESUM,
Ter redeunte ſiti.
Non hic Theſſalicis miſcet convivia ſuccis,
Aut aconita ſcyphis:
Nec malè potandum Circæa infundit amorem
Arte cupidineum.
Nauſeat omnis amans, hæc quiſquis pocula guſtat,
Cypridis illecebras.
Et ſpretor decorum, faſtidit inanè ſonantes
Nobilium phaleras.
Sed neque divitiæ, neque partæ nomina famæ
Exſaturare queant.
Quantumcunque fluat largo nova copia cornu,
Lætaque ſors faveat,
Reſpuet; & ſolum qoſtquam guſtavit IESUM
Cetera deſipient.
Ille propinatis, fecundâ vite, lagenis,
Oblinit ora favis.
Non implet, Cleopatra, tuis carcheſia gemmis,
Sint pretioſa licet.
Tu regnorum opibus certabas; ille polorum
Præmia miſcet amans.
Credite plus uno latet in cratere repoſtum,
Quam polus ipſe capit.

Calix Chriſti vitiorum remedium.

ANAGRAMMA XIII.

Os velim guſtet, JESUS *amore pavit.*

PAſcuntur virides armenta ſalubriter herbas,
Pratorumque vagantur amœnis.
Squamiger exoritur fœtis exercitus undis,
Hæ vitamque eſcamque miniſtrant.
Accenſo Salamandra rogo lætatur, eodem
Eſuriem poſitura ſub igne.

Bruta paſcuntur diverſis elementis, homo etiam Deo.

Et

Et ſublimis Apus vitali paſcitur aurâ,
Rorifluis ſatianda pruinis.
Omnia concedunt brutis elementa cibandis,
Impoſitum latura tributum.
Vincit homo. Deus hunc aluit deſertor olympi,
Humanæ ſub imagine formæ
Nos herbis, nos pavit aquis, nos æthere & igne
Divino nos *pavit amore.*
Mortales procul eſte cibi: cibus omnibus unus
Sufficit immortalis amoris.

ANAGRAMMA XIV.

Pia ago. Sum ut mitis, & ſeverus Leo

NE malè formides præconia concita Famæ,
De me *Severo* interpretis malignæ.
Non equidem exciſum de cautibus induiſſe pectus,
Non educatus dicar à Leæna,
Sum petra, ſed poſſum molleſcere; *Sum Leo Severus,*
Sed natus irâ lenè temperari.
Ad mores hominum fingor, modò cenſor oris aſper.
Modò & remiſſi pectoris ſequeſter.
Improbitas tacitis incendia ſuſcitat favillis,
Severitatis lege digna ſtringi.
Sed pietas rurſum manſuetior excutit furorem,
Et frigidâ ignes frangit æſtuantes.
Quem me cunque voles, *mitem* tibi, ſeu magis *Severum*
Ad indolem totus tuam refingar.
Vt Leo; ſum ſævum peccantibus incitatus æſtum,
Sed pœnitentûm rore mitigandum.

Manſuetudinem cum ſeveritate temperare.

ANAGRAMMA XV.

Ego ſum mitis Apis tua, & verus Leo.

NE fugias ſiquando ferar genus eſſe Leonum;
Aut inſequaris pertinax
Nomina mitis Apis.
Parcere ſubjectis novit dux ille ferarum.
Hæc beſtiarum poſthuma
Figere præcipites.

Sum Leo, dum validæ poſcunt ad prælia vires,
Et obſtinatus hoſtium
Dum quatit arma furor.
Sum quoque *mitis Apis*, quæ ſpicula condere norit,
Et delicati nectaris
Aſſociare favos.
Sed mitis quandoque Leo eſt, Apis horrida ſævit.
Blandum me amici ſentient.
Hoſtibus hoſtis ero.
Non me ſilvarum Nemeæ ſuperaverit horror.
Nemo lacertos Hercules,
Fortior objiciet.
Sed nihil Androdi, * dum manſuetudine certent,
Cedam leoni, barbaro
Durior ingenio.
Nec quæcunque vagi fixêre Cupidinis ora,
Aculeatæ copiæ,
Cuſpide me ſuperent.
Nec quæ ſuavi loqui ſtipaverat ora Platonis,
Jucunda nectaris artifex,
Vicerit ambroſiâ.
Nimirum Leo dulcis Apem, contraque Leonem
Ferox Apis me finxero
Indoli arte meæ.

** Huic Leo in arena pepercit, cui olim læſo ſpinam evulſerat, unde libertati donatus eſt.*

ANAGRAMMA ET CARMEN XVI.

Ego ſum ei Paſtor, & ſuavis uti mel.

PRocul hinc luporum cedat infeſtum genus
Silveſtribus natum aviæ,
Saltibus Hercyniæ.
Balantium fruſtra obſides caulas gregum,
Mapalijſque Eccleſiæ
Inſtruis inſidias.
Sum Paſtor & defenſor ovium pervigil.
Mercede nullâ ductilis,
Solus amore trahor.
Non fallet auceps turba ſeducentium,
Non paſcuorum devia, aut
Fiſtula dulce canens.

Paſtor bonus.

Impaſta

Impaſta rabies non retardabit lupi,
Rictus cruentos obvio
Lumine deſpiciam.
Et belluarum triſte fiam pabulum
Laniatus, ut tutum meâ
Morte gregem tueor.
Moritura quamvis membra ſuccumbam ſolo,
Vigili excubabo ſpiritu,
Tutor ovile ſequar.
Sampſonicus qualis leo, ſtratus jacet,
Exercitu armatus ſuo
Pervigilantûm Apium.
Et ipſe paſcam vivus, à letho, cibus,
Meoque condam pabula
Delicioſa gregi.

Obſerva mi Lector, hæc carminum genera ab Horatio in libro Epodon Ode x. & xi. uſurpata, nonnihil à me inflexa eſſe, cum tertium ipſius verſum ſecundo loco collocaverim, iccirco quod mollius hoc pacto ſtrophas ſuis numeris finiri exiſtimem.

Concludo hanc materiam, nequid eidem rei tam diu immorando nauſeæ creem. ceterum indagantibus plura ſeſe anagrammata ejus ſententiæ offerent. Vt.

XVII. Tuus ego ſum IESU, eripe tot à malis.
XVIII. Tu ò IESU ſelige puros, tu ama mites.
XIX. O tu optime IESU, ſalus mea, regis.
XX. Ut tutus agam IESU, eripies me ſolo.
XXI. O IESU verè tu ſpes, mitiga tu malos.
XXII. A te ſalvi ſumus, rege tuos miti ope.
XXIII. Ite opes, tu IESU, tu ſumma gloria es.
XXIV. Egemus, ò IESU, ſalutis emptor, vitâ.
XXV. Moveare tutus mœſti plagis IESU.
XXVI O ſpes ſalutis, vi gemo, tuere vitam.
XXVII. Tu Ieſu ſolatium, & Virgo ſpes mea!
XXVIII. Ego jure ſum vita, ſpes & ſolatium.
XXIX. Ego ſalus veſtrûm, & pios emi vitâ.
XXX. Ego ſum ſuavis pater, & mitis levo.
XXXI. I tutus, à lupis mirè tego oves meas.
XXXII. Levato miſeros, ſpem tui tuis auge.
XXVIII Tuos verè augemus milites, at pios.
XXXIV. Muſa vale, tu, o Ieſu mitis, proteges.

Vnum hoc loco Phaleucium inſerere carmen placuit, numeroſuave, neque ad lyram ineptum, quamvis Horatius ſuis non inſeruerit iiſdem quibus Sapphica legibus regitur, neque verò metri ratione ab his magnopere deflectit. Quia tamen ejus exempla, in Epigrammatis dedi (quibus idoneum eſt) in fine partis I. hic plura non libuit adjcere. Luſi deinde, & graviori Dithyrambo, & mollioribus quibuſdam Anacreonticis Horatio etiam intactis, ſed nec ab lyra, fracto mollique numero, abhorrentibus. Scazontica quæ præterea dedi veniam cum Jambis Horatianis, Epodon libro inſertis, quamvis lyræ minus opportuna, ferent. Diſquiſitione anxiâ hic mihi hærendum non cenſui. Varietas nimia verſuum ad hanc poeſin idoneorum prudentem lectorem offendere n... poterit. Magnæ Dei parenti, unum alterumve poſt Chriſtum carmen, ceu honoris obſervantiæque tributum aliquod dependere volui. Hanc enim præ Lesbijs Cynthijſque libuit compellare.

CARMEN XVII.

PHALEUCIUM PARTHENICUM

In ſalutationem Angelicam:

Ave gratia plena &c.

O Noſtri Cynoſura Virgo, mundi
Florentis Neonympha, Nazarethi
Hebrææ ſoboles decuſque gentis
O florum Roſa, ſiderumque ſidus.
Hoc quidquid Venus orta gratiarum,
Ac Eos rutilo decora vultu,
Quidquid lactea forma liliorum,
Quidquid purpureæ comæ roſarum
Blandum, nobile, ſuave, delicatum
Aſpirant, melius, MARIA ſpiras.
Quot ſudi facies amœna cœli
Stellis pingitur, & coruſcat aſtris,
Quot Phœbus radijs, comiſque Phœbe
Aurato micat incitata curru,
Dum ſcandit rutili theatra mundi,
Tot dotes capis una gratiarum.

Gratiarum dotes in una Deipara innumera.

Quot

Quot pennis volucrum ſecatur aura,
Quot pinnis Sicula innatatur unda,
Quot mons Veſuvius evomit favillas,
Quot celſum lepores Æthon pererrant,
Quot paſcuntur Apes jugis Hymetti,
Tot dotes capis una gratiarum.
Quot campi Libycis fluunt ariſtis,
Quot fundit Trebias oliva baccas,
Quot Methymna parit fidelis uvas,
Quot prunis Syriæ viret Damaſcus,
Et quot ficubus Indiana frondet,
Tot dotes capis una gratiarum.
Quot Suſæ dabit aura Liliorum,
Quot Pæſtanus ager feret roſarum,
Et quot floribus excoletur Enna,
Et quot frondibus obtegetur Ida,
Tot dotes capis una gratiarum.
Quot tellus numerat Ciliſſa rores,
Quot vaſtum mare cenſet orbe guttas,
Et quot littore confluunt arenæ,
Et quot graminibus comantur arva,
Tot dotes capis una gratiarum.
Cedunt omnia, vinceriſque nullo.
Cœli ſidera, ſiderumque reges
Pulchrum nubibus obteguntur ignem;
Nunc, fuſcum malè palliata vultum,
Phœbe conditur obviante terra;
Nunc fratris radios doloſa condit,
Et totum rapit invidenda Phœbum.
Æternâ nitet una virgo luce,
Auræ nubibus, & fretum procellis,
Et fluxo fugitivus ignis æſtu
Incertum volitant: nihil perenne eſt.
Et nutans pavidos anhela motus
Tellus ſuſtinet: una Virgo durat.
Transmutat ſteriles vireta campos,
Et calvo ſpoliata luget arbos
Nudum vertice ſynciput; virentes
Bacchus depilis exuit racemos,
Et perdit virides oliva gemmas;

Virgo

Virgo perpetuo vireſcit ævo.
Qui primâ roſeam videt juventâ
Phœbus Chlorida, mox anum ſtupeſcit
Maturâ poſuiſſe luce formam.
Vernantes viduatur Enna flores,
Et raptas ſpoliatur Ida frondes;
Æternum decus una Virgo ſervat.

CARMEN XVIII.

DITHYRAMBUS

In honorem D. Virginis immaculatè conceptæ.

Ad Sodales Parthenios.

ENtheus adverſum feror hos, quicunq; nocentem
Primæ labis origine,
Ieſſigenam memorant puellam.
Hinc acherontica ſemina
Infeſtis procul eſſe noxis
Mandavit divinus amor. prævenit honeſtas
Natales contagia noxæ
Divina neſcit puritas.
Et neque Lethæis aſpergere toxicum venenis,
Calcatus potuit Draco.
Non hæc Cyprigenæ virago conchâ
Invecta, quamvis maris imperatrix. *Innocens & à peccatis immunis.*
Spumâque Saturni nihil
Traxerat indomitum.
Cœleſte poſtquam deſtinata figmentum,
Omnia portantem condita ferre Deum.
Turpis avarities, & habendi dira cupido
Non potuit illud ſcrinium ſubire, quò
Theſaurus omnis clauditur.
Prodiga luxuries procul abfuit, & profuſa rerum
Avidæ immolandarum gulæ, cura,
Cum ſolo explenda Tonante
Terrena nauſearet omnia.
Non arrogante ſuperbiæ tumens fumo,
Ventos ſectatur honoris,
Submiſſionis quæ Favonijs,

Ad ipſa cœlorum atria,
Ingenio penetrante ruit.
Qualis Hyblæo novus Hortus agro,
Quem clauſa ſepimenta certis
Obmuniunt cuſtodijs;
Nullo ſeptum penetrante Dracone,
Hoſtilive malo;
Quem Phœbus illuſtri ſerenatum
Irradiare ſolet quadrigâ,
Teneroſque circum baſiare flores.
Et lacteo educare ſidere,
Riviſque inebriare puri nectaris.
Talis pura virentibus
Cincta ſeptis virginalis
Maria puritatis.
Non illic ſerpens acheronticus expuit venenum,
Non triſtia ſibila ſparſit.
Virtutum incorruptus odor, ſine crimine, vernat,
Et floret omnis gratia.

CARMEN XIX.

Ad S. Auguſtinum Epiſcopum & ſocios Apoſtolos Anglorum.

Aliam nunc eſſe Angliæ in Chriſtiana Religione faciem, quàm ipſe introduxerit.

AVguſtine, tuam nunc iterum redux
Cœleſti è patria cerne Britanniam.
Mellite, Londinum reviſe,
Et Iuſte, Dorovernam redi.
Quæ rerum facies! quàm malè diſcolor
Abludit veteri vultus imagini
Quàm forma deformis ſacrorum!
Vbi Cantiorum gloria?
Quæ nunc Relligio, quiſve habitus ſacer,
Templorumque decus? Vidimus inclytas
In fronte multorum tiaras,
Atque infularum ſyrmata:
Nec velis puduit tunc monachalibus

Cultus religionis antiquæ mutatus.

Involviſſe caput. Sed neque forfices
Piloſa declinare calva
Viſa eſt, ſacrando vertice.
Num ſerò ſapiunt hi melius Phryges?
Num quod prima ſuis Relligio Parens
Lac fudit in cunis, adultis
Faſtidiosè deſipit?
Huc vertas animum nobilis Anglia,
Nec primæ fidei ſeminis immemor,
In ſtirpe deflectas Nepotum
Zizaniorum meſſibus.

CARMEN XX.

Sponſa anima ad puellum Sponſum.

O Blande puſionum,
Medulla gratiarum,
Et vena gaudiorum,
Mel, vita, floſque florum,
Favus favoniorum,
Ac liliorum lilium.
Huc flecte parve vultum,
Et fulgidos ocellos,
Et purpurâ decoras,
Lactiſque flore malas,
Et tincta melle labra,
Pulcroq; campi murice.
Quàm dulce ſidus orbis
Umbras puſille luſtras!
Valete lucidorum
Vos ſiderum coronæ,
Sol ille Solis autor,
Pulsà rubet caligine.
O belle mi puelle,
Mi blande turturille,
Puelle candidate,
Et ſponſe delicate,
Amor meus puelle,
Meum puelle gaudium.
O blande lucis autor
Huc

O blande ſol amoris,
Flammaſque gaudiorum,
Roreſque lacrymarum,
Cœlo favente ſparge:
Siccoque corde fructus
Fœcundiores elice.
Hoc igne dum cremabor
Phœnix repullulaſcam.
Hoc rore dum lavabor
Cygnos decore vincam.
Hoc ſole lux decuſque,
Et mentis ardor affluit.
Iam ſentio favillas,
Eſt ſacra fax medullas,
Fax caſta, fax amoris,
Accenſa fax olympo,
Fax igne major omni,
Fuſiſq; alenda fontibus.
O blanda fax amoris,
Dulciſque ſtilla roris!
Liqueſcit igne pectus,
Solvuntur imbre malæ,
Ebulliuntque venæ,
Ardore, rore diffluo
O blanda vis amoris,
Quam

Huc aureis capillis,
Huc flammeis ocellis,
Huc luteis quadrigis,
Huc curſibus tenellis,
Tenellulisq; plantulis.
Huc euge ſis labellis,
Rubentibus labellis,
Micantibus labellis,
Ridentibus labellis,
Labris puellæ lacteis.

Amare vita vitæ eſt,
Hoc ignis ille noſter
Medullitus receptus,
Præcordijſque fixus;
Suaviſſimique dia,
Probant amoris pocula.
O dulce mel amoris!
O Philtra non timenda!
O tela provocanda!
O vincla ſuſtinenda!
O nobilis captivitas!
Inebriate Philtra,
Hoc recreor ſapore:
Et ſauciate tela,
Hoc ſanor à dolore:
Et illigate vincla,
Quæ vinculis me liberant.
O dulce mel amoris!
O nectaris medulla!
O attici liquores!
Hymettijque ſucci!
O vos mei ſapores,
Et apparatus optimus!
O blanda fraus amoris!
O Philtra ſanitatis!
O vincla Charitatis!
O tela pro medela!
O vulneris voluptas!
Affictio dulciſſima!

Quam nulla lis doloris,
Quam nulla ſpes honoris,
Quam nulla res valoris,
Quam nulla lex pudoris,
De ſede,& auſu deijcit!
Amare vita vitæ eſt.
Nec gratiore fructu,
Nec dulciore guſtu,
Nec leniore curſu,
Nec blandiore fluxu,
Hauritur orbis ſuavitas.
O ardor inſolenti
Exæſtuans calore,
Qui fonte lacrymarum,
Ceu Palladis liquore,
Flammas inundat imbre,
Et his miniſtrat fomitē.
O parce dius ardor
Nec tantus invaleſce:
Subſide fons amoris,
Nec tantus intumeſce:
Exæſtuante flamma,
Ebulliente flumine.
Huc floribus,roſiſque,
Herbiſque frondibuſque,
Fulcite corruentem.
Cum cynnamis amomū,
Amaracoque nardum,
Myrtoque cum virenti,
Roſarijſque Pæſti,
Ver congregate totum:
Huc purpuram roſarum,
Niveſque liliorum,
Huc Daphnidis decores,
Et Iridis colores,
Narciſſulique flores,
Dolore amore langueo.
Hoc pharmaco medenti,
Plagas amoris ungam:
Hoc lectulo virenti

O parve mi puelle,
O rara fax amoris!
Incendis, abluiſque,
Nunc flamma ſedat undas,
Nunc dedat unda flammas
Reciprocatis æſtibus.

Elanguidus recumbam:
Velutque pallidorum
Aduſta liliorum
Intercidit venuſtas,
Aut Caltha decolore
Expalluit decore
Quam fortis uſſit æſtas,
Sic nunc amoris æſtu.
Pallenſque, flacciduſque,
Exæſtuans amore,
Emortuus dolore,
Intercidente vitâ,
Dolore, amore concidã.

CARMEN XXI. Genethliacon,

De felici Chriſti natali.

ITe ſiderum choreæ,
Turba noctis inquilina,
Gemmeæ poli colonæ,
Ite Cynthiæ ſequaces,
Oris aurei ſerenum Lumen orbe ſpargite.
Dulcis ille lucis hoſpes,
Siderumque, Cælitumque
Lux, decuſque, Cynthiæque,
Cynthijque magnus autor.
Ille ſolis, & diei Sol, dieſque naſcitur.
Aura ſuavis Imperatrix
Blanda veris; & querelæ,
Sibilique dulcis æthræ.
Ite lenibus ſuſurris,
Ite mollibus labellis, Baſiate parvulum.
Eure contumax ſatelles,
Plumbeiſque Core pennis,
Africique fronte torvâ,
Ite nubium parentes,
Hinc procul ſeveritatem: Mitis eſt infantulus
Hinc abeſte nubiloſæ,
Ætheris minantis umbræ:
Nil procella, nil pruina,
Grandinumque triſtis ira,
Thracijſque nata campis. Nix geluque ſæviat.
Blandus iſte Puſionum,

Lacte-

Lacteuſque, melleuſque,
Ille, flos, honorque veris.
Blandioribus flabellis,
Suavioribus labellis Baſiari debuit
En ut inter arva florum,
Regna mollis inter auræ,
Bellus iſte vernat ora,
Ora purpurâ roſarum,
Lacte tincta liliorum, candidiſque Gratijs.
Plaude Mater, hoc puello,
Hac puelle matre plaude,
Blanda mater, & puelle,
Caſta mater, & puelle,
Pulcra mater, & puelle, Sed puelle pulchrior.
Ite Abramidûm Nepotes,
Ite gentium coronæ,
Ite Civium cohortes,
Ite ruris inquilini,
Ite candidi puelli, Candidæque Virgines,
Omnis ordo, ſexus, ætas,
Ite, lilijs, roſiſque,
Ite Cynnamo thymoque,
Ite fronde laureata:
Parvuloq; mille flores, Mille ſerta nectite
Pulcer ille, blandus iſte,
Magnus iſte, parvus iſte,
Orbis Atlas, puſioque,
Iſte bellus, & tenellus,
Iſte primus, ultimuſque, Hoc amore gaudeat,
Mitis eſt, amatque mites:
Caſtus eſt, amatque caſtos:
Candiduſque liliorum
Lacte gaudet. ite flores,
Ite ſerta, balſamumque Puſioni ſpargite.

CARMEN XXII.

Scazon in turbatricem regnorum hæreſim.

O Callidarum ſeminarium fraudum,
Proterva, vafra, fluctuans, levis, mendax,

Pluto-

Plutonis Heres, ac Proſerpinæ partus;
Orcique cunctis obſtetricibus Diris
Genitalis Hæreſis, omniumq; monſtrorum
In orbe primum. ſive pavit Alecto
Stygio veneno, Cerberique de ſpuma:
Seu trux leæna, vel libyſtis in Silvis
Aproſque Marſos, tigrideſque, Getulas
Primum educavit: ſeu monaſtici fœtus
Prodis abortu filia excucullati
Thraſonis, omne vile cui ſacramentum
Fideſque ſit, homini Deoque jurata.
Nil veritatis, lacteique candoris,
Nil ſanctitatis, optimæque virtutis,
Nil gaudiorum, nil amabilis pacis,
Concordiæque poſſides. furor tota,
Nutrixque bellorum, ruinaque Europæ
Scelerum theatrum, vanitatis archeſtra,
Diſcordiarum ſcena gentium clades,
Noſtræ quietis execranda tempeſtas,
Securitatis ſcopulus. atque civilis
Malea pacis, otijque vertigo,
Legum Charybdis, naufragæque virtutis
Extrema peſtis, quid vaferrimam fuco
Effaſcinatrix mentium oblinis frontem?
Quid blanda libertatis erigis ſigna,
Vexilla fidei perfidæ novatorum,
Intemperantis temperantiæ regnum,
Et officinas inſtruis ſceleſtorum,
Veneriſque luxuſq; impios palæſtritas,
Ad proſtitutæ publicas Honeſtatis,
Atque æquitatis Gymnades malè accerſis?
Quid clauſtra laxas, incolaſq; clauſtrorum
Per fœda, per pudenda criminum probra,
Ad te reducis, & licentiæ campos,
Ac caſtra libertatis improbè pandis
Adulterorum, molliumque mœchorum,
Recalcitrantûm, ac pertinacium turbæ.
Jugumque dulce ſervitutis exoſæ,
Lautæque paupertatis optimum fenus
Spernentis inſanè? ô quid impio Divos

Hæreſis malorum primum & ſummum.

Perſida.

Bellorum fomes.

Libidinis magiſtra.

Laceſſis auſu, transfugaſque ſacrorum
Impunitati, ac jure civium donas,
Probroſa nutrix impudentiæ; turpis
Fex & cloaca ſordium pudendarum?
Videſne ut advolant nepotuli molles,
Contentioſi, depiles, recalvati,
Maſtigiæque verſipellium primi,
Vomicæ bonorum, ſtigmatumq; cenſuris
Dorſum notati? qui parentium durâ
Cervice juſſa, ferre tergiverſantes,
Aut vincla legum, Principumque decreta
Audacter infringunt, ſatellites noxæ
Proterviæque, aut toxico ſoporatos
Reges, ſepulcris ante fata componunt,
Seu proditrice civium domos flammâ
Incendiarij hauriunt, doloſiſque
Cuniculorum ſemitis trahunt hoſtes,
Ad viſcera urbis. ſive parricidales
Cruore dextras innocentium tingunt:
Nil adeò acerbum contumaxq;, fœdumq;,
Quod peſtilentûm dira criminum fautrix,
Magiſtra fraudis, & nefarij vulgi
Lenocinatrix Hæreſis probrum ignoret.
Germanicorum, eheu! ruina regnorum
Labeſque, teſtis inſolentiæ tantæ,
Infamis argumenta præbet exempli.
Gens Imperatrix gentiumque Regina,
Quo decidiſti? vultus ille funeſtus,
Et mortualis Horror, & comæ vulſæ,
Sciſſæque malæ, luminumque caligo
Quod ominantur, ſentiuntq; portentum?
Quid Martialis turba, quidque Bellonæ
Flagella tergo ſævientia impunè
Lacerantque fœdantque immerentium membra?
Quid barbarorum nos caterva Finnorum,
Inhoſpitalis natio, probrum Europæ
Vexat, premitque ſervitutis indignæ
Ergaſtulo ſtrictos? quouſque magnorum
Viles parentum poſthumi, pigri, blenni,
Emancipati liberum jugo collum,

Receptrix improborum.

Germaniam olim florentiſſimam imperio, prorſus evertit, alijſque in ſervitutem tradit.

Quouſ-

Quouſque multi vivimus, triumphorum,
Ac gloriæ obliti? procul, procul cedant
Inſcitiæque, ignaviæque, torpores,
Cœcæque mentis improbanda caligo,
Animi veternus, viriumque torpedo.
Ipſam malorum cladiumque ſentinam
Purgate, nec diſſentientium turbis
Iactata virtus ſordidoque vulgata
Quæſtu voluptati s, fidelitas proſtet.
Sit ſancta, ſit perennis, & ſibi conſtans
Fides olympo debita. Hinc fluent purâ
Tranquillitate regna, nec fides terris
Iurata, turpi fraudulentiâ fallet.
Nec machinatrix execranda bellorum,
Et regna regnis, & ligonibus ſceptra
Dudum Hæreſis collideret per Europam.
Non tot flagrarent civium opprimendorum,
Ac ruſticorum tecta, non cruentatus
Undaret orbis cædibus; probroſoque
Germana ſtricto natio ſuos ferro
Truncaret artus: Imperlque divulſum
In mille partes partiumque conflictus
Decus interiret: Principumque vulgique
Sanguis profuſus, & ſepulcra confuſa
Minùs jacerent. nulla parricidarum,
Plebeculæque ſævientis in Regum
Ducumq; capita ſtringeret manus telum,
Servire pertæſa, imperare præſumens.
O Hæreſis primum ultimumq; noſtrorum
Pondus malorum; quis vaferrimam terris,
Quis te intulit noſtris lavernio, furcæ
Iam deſtinatus, pabulumve corvorum,
Rotiſve dignus latro, vel magus flammis?
Hic ante Tauros muginator infamis
Perilli adire, barbaramque Cyclopis
Iram experiri, Thracioque præſepi
Crudele ſpargi pabulum, Scinis pinum,
Lectum Procruſtis, atque avem Prometheam
Fato mereri debuit, ferociſque
Famoſa ſuccollare ſaxa latronis

Sceleſtus omni pœnâ dignus.

Fal.

Fallente greſſu, quidquid uſpiam demum
Sicaniorum, maniumque poſtremi
Soloque & Orco pertulêre crudele
Mactare caput hoc debuit Meduſæum.

CARMEN XXIII.

Faſtiditis ſtudiis inanioribus ob multorum hominum abuſum, ad ſacras literas Poëta aſpirat.

QVíſquamne libris perpetim ſacramentum *Onus grave Præceptorum.*
Chartisque dicat? Gymnadiſque Phœbeæ
Faſtidioſum pondus, ac ſcholæ murmur,
Et pulverem aure ac ore nauſeabundus
Bibat, puſillæque audientium turbæ,
Et inquietæ miſceatur Orcheſtræ,
Manceps Apollinis, clienſque Muſarum?
Quid hoc labore, quid Scholaſticâ mole
Erectioris frangimus animi vires.
Plagoſa quid nunc ſceptra Pædagogorum,
Raptoſque triſtis virgidemiæ faſces
Tractamus acres gymnicumque ſuggeſtum
Parvum tribunal innocentulæ plebis
Catonianâ fronte ſcandimus torvi?
I nunc Palæſtræ literariæ ſudor:
Abſtergo vultum, ſarcinaſque permuto.
Amariorum devorata Muſarum
Bis ter recocta, deſipit diu, crambe.
Ite imperita regna Grammatiſtarum
Obmurmurantis, mobiliſque plebéclæ,
Quæ Prima vocum, ac artium rudimenta,
Cunaſque Phœbi verſat, & Camœnarum
Crepundijs gaudet, manuque nutanti
Primos colores rudibus affricat chartis. *Schola Grammatica*
Vobis magiſtris qui pueritiæ incultos
Formatis annos, & gregem bipalmarem
Betula virenti, frondibuſque nodoſis
Herbæ-potentes flectitis lubens munus
Concedo noſtrum. poſteri gradum figant
Ubi nos juvat fixiſſe. dictent leges,
Moreſque tenero palpitantium vulgo

Antiquus ego ſtipendiarius caſtæ
Solers Minervæ, feriale jam feſtum
Ludoſque celebrem. Nec Nepotibus parmam
Haſtamque miles invidebo portandam
Ite illigatæ, vinculisque metrorum
Claudæ Poëſes, Diſtichonque Scazonque
Audaxque Dithyrambus & gravis Iâmbus
Nec Muſa ſoccis, nec gradu cothurnato
Lætatur, illa claudicantium faltus
Paſſusque inæquales modeſta faſtidis.
Amans honeſtatis ſuoque contenta,
Fruenſque libertate jam manumiſſa.
Ludet, pudet meminiſſe Laureatorum,
Atque oſcitantum nænias Poëtarum,
Qui dum Minerva, ac Cynthio reclamante
Ex Hippocrenes fonte proluunt guttur
Antiquitatis hauriunt meras fæces
Olidamve amurcam: nil coloris, & ſucci,
Nihil ſaporis, & ſacræ vetuſtatis;
Aſt ſemirancidos, ſcabros veternoſos,
Edentulos, ac frigidos jocos condunt.
Rubiginoſis PacuvI erutos ſcrutis,
Aut fæce vulgi, fontiumque ſtagnantum
Hauſtos inepte turpidâ ſonos promunt
Argutiarum neſcii, ac venuſtatis,
Tantum otioſi verſuum Latratores.
Sed quid greges lenocinantium dicam,
Qui ſub Minervæ Cypridem levem velo
Colunt Poëtæ, & virgines Camænarum
Lauro virenti ac floribus coronandas.
Myrteta ſubter collocant meretricum.
Phrynenque pulchram, frontis inverecundæ,
Aut impudentem Thaidem loco caſtæ
Ornant Thaliæ, nec ſacrarium Phœbi
Inceſtuoſo ſeparant Lupanari?
Vah ite, tædet, tædet inter errare,
Infamiâque turpiter notatorum
Vultus tueri. vos catаſta jam dudum,
Aut furca meruit, ſtructa vel rogi flamma
Piaculares victimas ſtygi dandas.

Poëſis varia.

Poëta inepti.

Poëta impuri.

Quid

Quid otioſis, Rhetorumque perplexis,
Et mille tricis inviis fatigamur
Sententiarum ambagibus? procul nugæ,

Rhetores inaniter loquaces

Oriſque inanis, auriumque pruritus,
Caſſumque vocum tinnientium murmur.
Tam copioſa nos loquacitas ſæpe
Mendaciorum conſcios, & erroris
Reos reliquit. parcior mihi demum
Sermo probatur veritatis aſſertor
Cœloque dignus, & ſenatui Divûm.
Quid me Lyceum, porticuſque depoſcunt
Subſelliiſque devovent caput rurſum
Contentioſis? ite vos Logiſtarum

Logici futiles.

Bis ter recuſorum entium leves fari,
Præciſionum, & reduplicationum umbras
Diſtinctionum gurgites, latebraſque,
Et captioſa lina ſyllogiſmorum
Late explicate; nil inutiles rerum
Larvas moramur, ingenIque commenta.
Nos plena, nos aperta, nos vacans fuco
Circumvagantum fraudulenter [illegible]
Sincera paſcit veritas, ſuo tantum

Veritas certior & ſtudium ſuavius S. Litterarum.

Cultu decora; quam nec artium velo
Figmenta condunt, vanitaſque fermentat:
Nec in remoto latitat entium abſceſſu
Obſcuritatis inter antra defoſſa;
Sed nota cultu, ſimplicique pigmento
Vbique nobis obvios premit greſſus,
Offertque vultus; quin utriſque formoſam
Captamus ulnis, puriore contenti
Conſortio Divæ, atque proximo cœlis?
O blanda ſacræ veritatis interpres,
Scientiarum multiformium archivum,
Divina Moyſis pagina, ac Prophetarum,
Apoſtolorum, Principiſque ſublimis
Orâcla Chriſti. ah! quando, quando curarum
Tandem abſolutus, liberâ tuas dextrâ
Verſabo chartas, melleoque virtutis
Sophiæque flore delibuta ſelecto
Guſtabo fercla? deſipitque pudetque,

Quidquid vel artes, vel ſcientiæ vanæ
Erroribuſque periculiſque confundunt.

CARMEN XXIV. HYMNVS.

De Elogio S. Ioannis Baptiſtæ Non ſurrexit major &c.

O magnus infans, innocentiæ decus,
De ventre purus, ante natalem diem
Dicatus aſtris. Sanctitas cunis prior
Præceſſit ortum. gratiam, ac vitam tibi
Genitalis alvus unicò exemplo tulit.
Vix viſus orbi es, cum reducto clam pede
Te tè abſtuliſti rurſus infantem prope
Interque ſilvas incolaſque montium
Feras receptus, improbi conſortium
Mundi refugiſti, ambiendus gratiis
Amplexibuſque cælitum, ut matris ſinu.
Non jam parentum, nec quærelarum memor
Quas inquieta ſuggerit puêrtia.
Nec ejulatu flebili diem terens
Crepundia[illegible], amans nucum;
Sed major ævo, ſupra & ætatem gravis,
Prudenſque contineſque, nec Divis minor
Aſtris gerebas digna. Quis verbis tua
Æquare meritis facta laudator queat?
Ioanne nemo major infantum fuit.
O Iuvenis inſons criminum! nec improbæ
Scurrilitatis nec Salaciæ capax,
Faſtidioſæ non dicatus Murciæ
Nec faſtidioſis præliantium choris;
Sed Myſta Temperantiæ, plenus DEO
Modeſtiæque cultor, & juris ſui
Pernoxque perdiuſque cælitum cliens:
Non inſolentis hunc lubentiæ parens
Cupido rerum, non voluptas Bacchica
Turpiſque luxus, faſcinoque lubrica
Intoxicavit Cypris: at parcum, & ſacræ
Frugalitatis hoſpitem, nunquam tori
Cupidiniſque conſcium, nunquam Syris
Græcive lautum ferculis vidit diem.

Fugam mundi & puerilis levitatis.

Adoleſcens vitiorum fugiens.

Cupedia-

Cupediarum ſilva notarum ferax,
Sudata querno, concavoque robore
Mella offerebat, queîs locuſtarum rudis
Daps juncta, tota erat famelici penus.
O digna cœlo vita, & exemplo carens!
Ioanne nemo maior adoleſcens fuit.
O fortiorum nobile virorum decus,
Corona ſanctitatis, exemplar boni,
Aurora veræ lucis, & præco recens.
Ortæ diei, nuntius pacis, nova
Serenitatis Iris affulgens ſolo.
Quæ prima, quæ poſtrema virtutum tibi
Texenda ſerta, quæque laudis inclytæ
Tributa ſolvam, neſcio. Dicam integrum
Sinceritatis vindicem, hoſtem criminum,
Nulli faventem purpuratæ noxiæ,
Sceptroque turpi? teſtis Herodes erit.
Dicam arrogantis quid ſupercilî viros
Fecem Iſraelis, pertinacium greges,
Errantiumque deviè mortalium
Ad veritatis ſemitam & vitæ viam
Dux anteîſti? teſtis Iſacidûm eſt domus.
Dicam æquitatis quod fidelis arbiter,
Orator imperterritus, recti tenax,
Iuriſque conſtans, & potentium minis,
Votiſque promiſſiſque flecti ferreus.
Nec ungue deviare ſis viſus brevi;
Et iſte, & iſti conſcij teſtes erunt.
Quid multa dicam? carmine abſolvam brevi.
Ioanne nemo maior in viris fuit.
Hunc nec ſecundæ ſortis oblatus favor
Inebriatum mente detorſit bonâ,
Adverſa non dejecit invictum ſui
Statione recti: nullus ætatis tenor
Inflexit. infans vicit illuſtris viros,
Seneſque juvenis, Angelis major quoque
Cervice poſtquam cecidit avulſum caput,
Quemque anteceſſit, Solus hunc ſequitur DEVm.

Vir omnium exemplar virtutum.

CARMEN XXV.

Carminis hoc genus ſpondeo dactylicum Alemanicum apud Boëthium reperies

Epicedium in prematuram mortem Sancti Adoleſcentis Aloyſij Gonzagæ.

ERgo crudeli funere pallet
Pulchra vernantis forma juventæ?
Heu dolor! mœſto lacryma vultu — *Lacrymæ.*
In ſinum fuſis defluat undis.
Plangat afflictum dextera pectus.
Pendeant nullâ lege capilli
Luridum pullus cingat amictus,
Tota Gonzagam Phocidos unda
Defleat ſacro largiter imbre.
Indolis tantæ tanta jacet ſpes!
Occidit magnæ gloria gentis?
Stant adhuc vernis lilia campis,
Calta florentes pexa capillos,
Et roſæ tinctam murice frontem
Molliter pandunt; Flos tamen unus — *Ver redit ſed vita amiſſa nunquam.*
Omnium languet gloria florum.
Arbor in ſilvis læta virenti
Frondium ſerto dividit umbras,
Et fatigatas blanda volucres
Hoſpes invitat Daulias inter
Mobilis ſcenæ dulce theatrum
Pangit argutis carmina nervis.
Noſtra dum primas funderet umbras,
Et daret fœto palmite flores,
Aruit fluxis planta corymbis.
Noſtra jam ſacras Daulias odas
Deſijt ruptis gutture nervis.
Heu dolor! triſti præfica vultu
Funde ſolennes Muſa querelas.

ANTISTROPHE.

Ergo jam Cœlo floret aperto

Pulchra vernantis forma juventæ?
Cede funeſto lacrymâ vultu,
Rideant purâ gaudia fronte,
Libero plaudat ſub pede tellus,
Candidum purus velut amictus,
Tota Gonzagæ Phocidos unda
Jubilet ſacro largiter imbre.
Indolis tantæ tantus honos eſt!
Scandit huc magnæ gloria gentis?
Occidunt vernis lilia campis,
Caltha ſtat raptis fœda capillis,
Et roſæ tinctam murice frontem
Turpiter ponunt; Flos tamen unus
Vernat æterno noſter honore.
Arbor in ſilvis mœſta virentem
Frondium luxum perdit, & umbram.
Atque deceptas torva volucres
Hoſpes avertit. Daulias, inter
Aridæ languet brachia ſilvæ,
Nec ſibi noto carmine ludit.
Noſtra vix primas fuderat umbras
Arbor, ac fœto palmite flores,
Cum ſuis fructus intulit aſtris.
Noſtra jam ſacras Daulias odas
Incipit blandâ gratior arte,
Mollibus pangens carmina nervis.
Eja lætemur! Muſa fugato
Docta permutet gaudia luctu.

Ver occidit ſed vita bene morientium æterna eſt.

EPODOS

Lugeat tellus, gaudeat æther.
Ille flos noſtris raptus ab hortis,
Ille, cæleſti paſcitur aurâ.
Arbor hæc primo nobilis ævo
Frondium lætas tranſtulit umbras,
Fertiles cœli ducta ſub oras.
Has opes noſtris invida terris
Æthra ſubduxit, gaudeat æthra:
Orbis amiſit. Lugeat orbis.

CARMEN XXVI.

Poëta Lyram deponit.

CLio jam ſatis eſt. Deſine carminum,
Impenſiſque lyram ſolve laboribus,
Jam laxata ſalutis
Nervis barbita diſſonant.
Non ſemper rigidis tenditur arcubus;
Sed permiſſa vacat linea. Ferias
Admiſcere labori,
Et curis decet otia.
Luſum jam ſatis eſt, ſi bene; plus ſatis,
Si luſum male ſit. Ni ſtreperam amoves
Feſſi pectinis oden
Taxum, non hederam feres.

Vacare à ſtudijs.

CARMEN XXVII.

Autor D. Antonio de Padua ſua offert carmina, quod ipſius imploratâ ope, amiſſa non ſemel receperit.

ANtoni Paduæ Suada, potens loqui
Et ductu populos flectere cereo,
Virtutumque figuram
Molli inſculpere pectori.
Hoc quodcunque decus dulcè loquentium eſt,
In te majus habes. Gallicus Hercules
Docto nobilis auro
Per te tranſit ad Auſones.
Et te Pieriæ cura ſubit Lyræ,
Ac leni digito carmina temperas,
Te cuſtodia noſtri
Viſa eſt tangere barbiti.
Bis ſudata meis metra laboribus
Clauſis exciderant devia ſcrinijs,
Bis ſupplex tibi Muſa
Deſperata recolligit.
Nolim fatidicis quicquam avijs meâ
Me debere lyrâ; nil ego quercubus
Dodonæ, neque lauris
Doni ppendero Delijs.

Eloquio potens.

Vnus ſufficiet, qui tripodas ſuper
Et vatum ſapiet carmina, certior
Quàm Lynx, abdita rerum
Rimari penetralia.
Æternum Paduæ munus Apollini
Hæc lætus tribuo barbita debitor
Suſpenſiſque perennem
Obſtringo fidibus fidem.

FINIS.

£ 90/-

PA
8547
.M56
1654
c.1

4103319

12233